405

Digitized by the Internet Archive
in 2016 with funding from
Getty Research Institute

https://archive.org/details/gothofrediguille01leib

GOTHOFREDI GUILLELMI
LEIBNITII,
OPERA OMNIA.

In Sex Tomos diſtributa.

GOTHOFREDI GUILLELMI

LEIBNITII,

S. Cæſar. Majeſtatis Conſiliarii, & S. Reg. Majeſt. Britanniarum a Conſiliis Juſtitiæ intimis, nec non a ſcribendâ Hiſtoriâ,

OPERA OMNIA,

Nunc primum collecta, in Claſſes diſtributa, præfationibus & indicibus exornata, ſtudio

LUDOVICI DUTENS.

TOMUS PRIMUS,

QUO THEOLOGICA CONTINENTUR.

GENEVÆ,

Apud FRATRES DE TOURNES.

MDCCLXVIII.

SERENISSIMO
AC POTENTISSIMO PRINCIPI
GEORGIO III.
MAGNÆ BRITANNIÆ, FRANCIÆ ET HIBERNIÆ REGI,
FIDEI PROPUGNATORI,
BRUNSVICENSIUM ET LUNEBURGENSIUM DUCI,
SACRI ROMANI IMPERII ELECTORI, ET ARCHI-THESAURARIO.
&c. &c. &c.

REX POTENTISSIME,

N*IHIL Leibnitii memoriam exornaturo felicius contingere poterat, quàm ſibi ut liceret, ſcripta illuſtriſſimi illius philoſophi MAJESTATIS TUÆ præſidio & tutelæ commendare. In eoque videtur authoris noſtri fortuna maximè laudanda, quod cùm*

 vivus,

vivus, ſummi Neutoni æmulus fuerit, ita poſt fata, æquè benignè habeatur à Rege ac Ille ab Angliæ Reginâ exceptus fuerat: Et ut præclaras ingenii dotes omittamus, ſpeciali titulo Regiæ Tuæ benevolentiæ ſibi vindicat honores Leïbnitius, qui labore indefeſſo antiquiſſimæ Tuæ ſtirpis initia recoluerit, & felices ejuſdem ramos in Italiâ & Germaniâ plura antè ſecula florentes, ad noſtra ferè tempora deduxerit. Felix ſi Proavorum famam & laudes proſequenti, faſtigium illud gloriæ quo evectus es ſuſpicere contigiſſet! Imperii Britannici fines ſine metâ versùs occidentem, ad Gangem uſque versùs orientem Te auſpice prolatos audiviſſet: TEQUE OPTIMUM REGEM contemplaretur morum cultorem ſanctiſſimum, & coronâ virtutum quæ vitam civilem condecorant adeò inſignem, ut ambiguum fiat majorne Civis an Princeps innoteſcas.

TUÆ MAJESTATIS

Londini pridiè Nonas Junias
Britannis fauſtiſſimâ die:

Servus obſequentiſſimus, devotiſſimus
ac fidelis ſubditus.
LUDOVICUS DUTENS.

LUDOVICI DUTENS

PRÆFATIO

IN OPUS UNIVERSUM.

HABET Literaria Reſpublica, æquè ac alia quævis civilis ſocietas, ſua jura in illos, qui ſe cives ejus eſſe gloriantur, atque id ad ſingulis poſtulat, ut omni ope, atque opera enitantur, & quantum in ſe eſt conferant ad ejus incrementum. Quum id omnino mihi perſuaſum ſit, ad præclarum adeo finem me certiori via contendere non poſſe cenſui, quàm ſi ſcientiarum amatoribus in unum corpus collatas exhiberem *Leibnitii* lucubrationes omnes, utpote qui præ omnibus Philoſophis, memoria noſtra ad Literarum decus utiliſſimam operam impenderit. Ut erat ſublimi, acerrimoque ingenio præditus, in occultiores Naturæ receſſus pervaſit, atque ejus inveſtigationum ope mirum quæ, & quanta e tenebris in lucem eruta fuerunt. Ut mente erat ampla, ac bene conſtituta, doctrinas omnes (a) complexus eſt, omnia-

(a) Hoc certè multo maximam admirationem habet, quòd ſimul tot diverſa ſtudia animo complecti potuerit, & in ſingulis adeo præſtare. Contemplationi earum

que earum principia aſſecutus, hæc emendavit, illa perfecit: neque poteſt quis ejus opera noſſe, quin ultro, libenterque fateatur, ab eo, in tanta diſciplinarum varietate, in quibus excelluit, Philoſophos omnes ſuperatos, quicumque poſt ſcientiarum inſtaurationem prodiere. Nemo autem ſatis dolere poterat, quòd tanti viri commentationes ſimul congeſtæ, & ſub uno veluti conſpectu nondum poſitæ fuiſſent. Hæc enim erat ratio, qua illæ utiliores, atque aptiores ad omnes erudiendos eſſent; ac mirum erat, a nemine hactenus eam curam fuiſſe ſuſceptam. Ipſe omnium primus viderat quantum incommodum inde profecturum eſſet, ſi ſua ſcripta diſperſa circumferrentur; atque huic malo remedium afferre, at ſerò nimium, cogitavit. In Epiſtola quadam, quam duobus ante obitum ſuum annis dedit ad *Remondum de Montmort* (b) teſtabatur, ſe maximè optare, ut ab aliquo negotium ſuſciperetur ſuorum operum in unum colligendorum, quæ in literariis multis Europæ Diariis diſperſa erant, aut ſcriptis inſerta eruditorum hominum, cum quibus ei ſtudiorum, literarumque commercium intercedebat; atque ſi quis extitiſſet, qui laborem hunc non refugeret, ipſemet pollicebatur, ſe indicaturum ea loca, ex quibus depromi potuiſſent. Sed urgentibus gravioris momenti rebus, conſilium in aliud tempus differre coactus fuit; dein morte præreptus, quæ cogitarat, neutiquam efficere potuit. Quod ipſe infectum reliquit, id *Joannes Georgius Eccardus* diu tanti viri amicus & Collega facere inſtituit, ſed longa inopinatorum eventuum (c) ſeries privavit literariam rempublicam iis fructibus, quos ex Editoris adeo ſapientis laboribus percepiſſet. Idem conſilium poſtea

rum rerum, quas ſublimiores habent Geometria, ac ſubtilior Metaphyſica, adjunxit illa ſtudiorum genera, quæ maximo intervallo ab iis artibus diſſident, puta Juriſprudentiam, Hiſtoriam, inveſtigationes antiquitatis, atque originis populorum, linguarumque. Ad hæc in Latina poeſi excelluit, & Gallicos etiam verſiculos non inficetè ſcripſit.

(b) Anno 1714.

(c) Hanovera diſceſſit anno 1724, Catholicæ Religioni nomen dedit, ac præfectus eſt Bibliothecæ Epiſcopi *Wurtzburgi* cum annuo mille *ſcutorum* ſtipendio.

poſtea cepit *Daniel Eurardus Baringius* (d), ſed non perfecit. *Celeberrimus Ludovicus* (e), qui tanta cum laude hiſtoriam conſcripſit Leibnitianæ Philoſophiæ, optimè poterat rem ad exitum perducere, & verò jam aggreſſus fuerat: ſed neſcio quamobrem factum ſit, ut ſemper deſideratum fuerit, quod ille promiſerat.

Eruditiſſimus *Bourguetus* (f) præſidiis Clariſſimi *Jordani* (g) adjutus, idem, etſi fruſtra, ſibi propoſuerat. Tandem, quum in irritum ceſſerint horum hominum præſtantiſſimorum conatus, ac præclara conſilia, hactenus Literaria reſpublica caruit perfectâ, atque abſolutâ editione operum excellentis viri, qui *Carteſium*, qui *Newtonum* æmulatus eſt, Philoſophi longè doctiſſimi, cujus notionum varietas, ac multitudo poſtulabat, ut eæ magno ſtudio una congeſtæ aliæ cum aliis componi poſſent.

Poſt relata clariſſima illorum nomina, qui nequicquam tentarunt, quod ego exſecutus ſum, ad vitandam temeritatis notam, quæcumque affingi mihi poſſet, ingenuè fateri debeo, hoc ſemper mihi propoſitum fuiſſe, ut iis adjumentis uterer, quæ eorum ſinguli ſibi ſeorſum paraverant, iis pariter cognitionibus utens, quas, ad hæc opera conquirenda, mihi attulerunt *Eccardus*, *Fontenellius*, *Eques de Jaucourt*, *Ludovicus*, P. *Niceronus*, ac *Bruckerus*, qui in ſuis, quas de *Leibnitio* ſcripſerunt, literariis hiſtoriis, mihi accuratè admodum eos fontes indicarunt, unde notitias omnes hauſi, quibus mihi opus fuerat (h).

 Ad

(d) Conſilium ceperat conſcribendæ vitæ literariæ omnium Brunſvicenſium Scriptorum, quemadmodum ſignificabat in epiſtola illa, quam edidit Hanoveræ anno 1730. in 4°.

(e) Edidit *Hiſtoriam Philoſophiæ Leibnitianæ.* Lipſiæ 1737. 2. vol. 8°.

(f) Inſignis Philoſophus ex urbe *Niſmes*, Hiſtoriæ naturalis cultor, qui in Helvetios ſe recepit, ac diem obiit anno 1742. Auctor eſt plurium diverſorum operum philoſophicorum, Italicæ Bibliothecæ cujuſdam &c.

(g) *Carolus Stephanus Jordanus* Berolinenſis, vita functus anno 1745, cui magnum nomen pepererunt ſua Collectanea Literaturæ, Hiſtoriæ, ac Philoſophiæ, & Hiſtoria vitæ, atque operum Clariſſimi *De la Croze.* Primus electus fuit Pro-Præſide Academiæ Berolinenſis.

(h) Evolvenda mihi fuerunt omnia periodica opera illorum temporum, ut decerpe-

Ad provinciam hanc ſuſcipiendam itidem impulſus ſum adjumentis, quæ ab Auctoribus habui ſatis notis Operum, quæ inſcribuntur *Miſcellanea Phyſico-Mathematica Societatis Regiæ Taurinenſis*, quos ſpero paſſuros, ut hanc occaſionem arripiam eos nominandi, iiſque publicè gratias agendi, quòd animum mihi ad tantum opus addiderint. Occurrit ſtatim mecum amicitia conjunctiſſimus *Comes De Saluce*, qui me conſiliis ſuis juvare voluit ad Phyſicam horum Collectaneorum partem illuſtrandam. *Ludovico* etiam *De La Grange* placuit in partem curarum mecum venire, in iis præſertim, quæ ad Matheſin pertinebant. Utinam ei graviſſimis aliis occupationibus diſtricto majorem mihi operam præſtare licuiſſet! Summa certè, & quantam maximam Reſpublica Literaria optare potuiſſet, ex præſtantiſſimi Mathematici lucubrationibus facta fuiſſet ad hoc opus acceſſio. Conatibus item meis obſequi voluerunt doctiſſimus *Cigna*, & eruditiſſimus *Bon*, quorum poſterior curam conſcribendæ in Juriſprudentiam Præfationis ſuſcepit.

Præter hæc, literas ſcripſi in præcipuas omnes Germaniæ, Galliæ, atque Italiæ urbes, ut quantum fieri poſſet, viderem, an ibi aliquod opus extaret, quod diligentiam fugiſſet eorum, qui ante me idem conſilium inierunt: atque illud affirmare poſſum, inanes non fuiſſe curas meas, atque inquiſitiones. Plura opuſcula adeptus ſum, quæ non modò nunquam publici juris fuerunt, verùm etiam (i) eos ipſos prorſus latuerant,

cerperem opera hujus ſummi viri, quæ in iis inſerta ſunt. Ea petere debui ex iis libris, qui inſcribuntur, *Acta Eruditorum Lipſ.*; *Actes d'Allemagne*; *Mémoires de l'Académie des Sciences de Paris*; *Mémoires de l'Académie des Sciences de Berlin*; *Journal des Sçavans*; *Mémoires de Trevoux*; *Hiſtoire des Ouvrages des Sçavans*, *Europe ſçavante*; *Journal Literaire*; *Hiſtoire critique de la République des Lettres*; *Mémoires de Literature*, & ex pluribus aliis Diariis Germaniæ, præter innumera volumina a multis Eruditis edita per illud tempus, quo florebat *Leibnitius*, quibus viris cum eo commercium intercedebat, & qui plura illius ſcripta ſuis interpoſuerunt.

(i) Plures epiſtolæ ad *Muratorium*; alioſque eruditos Italos: ſeptuaginta de Hiſtoria, ac Metaphyſica ad P. *de Boſſes*, quas ut haberem, Cl. *Gobetus* conſilii mei conſcius humaniſſimè curavit: Epiſtolæ ad *Bourguetum*, *Bignonem*, *Varignonem* &c.

rant, qui vitam literariam (k) Auctoris noſtri ſcriptis mandarunt, atque indicem ejus operum (l) compoſuere. Hic equidem gratias maximas referre debeo humanitati incredibili, quà eruditiſſimus *Bruckerus* (Auctor jure, meritoque ab omnibus maximi habitus, egregii libri, qui inſcribitur *Hiſtoria Critica Philoſophiæ*, 5. vol. in 4°.) reſpondere dignatus curæ meæ, qua ipſum conſului, me conſiliis adjuvans, cognitionibuſque omnibus, quibus egebam, idque mihi concedens, ut hujus Editionis initio vitam *Leibnitii* collocarem, & compendia ejus Philoſophiæ, qualia extant in volumine 5°. operis, quod modo nominavi (m). Hæc Auctoris noſtri Vita, ut mihi quidem videtur, longè majori judicio, ac diligentiâ ſcripta eſt, quàm cæteræ omnes, quæ hactenus prodierunt: placuitque ſummo viro præterea mihi copiam facere additamentorum quorumdam, quibus hujus Philoſophiæ hiſtoria ad hanc uſque diem produci poteſt. Officio deeſſem ſi urbanitatem eximiam ſilentio præterirem, qua præſtantiſſimus *Muratorius* ad me humaniſſimè miſit plures *Leibnitii* epiſtolas, quas in ſcriniis reperit patrui ſui celeberrimi illius Annalium Italicorum ſcriptoris. Neque item ſatis unquam gratiarum habere poſſem benignitati, qua vir clariſſimus *Berta* mihi adeſſe voluit, in aſſiduis inquiſitionibus, quibus perluſtranda mihi fuit inſignis, & copioſa Univerſitatis Taurinenſis Bibliotheca, cui ille tanta cum judicii ac ſapientiæ laude præeſt.

 Poſtea-

(k) Literæ ad *Hermannum* inſertæ in Commentariis Regiæ Scientiarum Academiæ Beroſinenſis, ann. 1757: Plures epiſtolæ inter poſthuma *Boſſueti* opera editæ, de Eccleſiarum reconciliatione: Diſſertatio habita in primo conſeſſu Regiæ Academiæ Berolinenſis: Plures ad *Hoffmannum* Epiſtolæ: Quinquaginta ad *Magliabecchium* epiſtolæ: Mantiſſa Hexados epiſtolarum *Leibnitii* ad *Spizelium*, in Miſcellan. Hiſtor. Philoſoph. *Bruckeri*: Aliaque plura opuſcula inter *anecdota Boineburgica* &c.

(l) Omnium abſolutiſſimus catalogus Operum *Leibnitii* ille eſt, qui reperitur in Latina Theodiceæ verſione, quæ Francofurti, ac Lipſiæ prodiit anno 1739. Nam continet ejus opera omnia ab Equite *de Jaucourt*, & *Ludovico* indicata.

(m) Satis monere nequeo Lectores, ut hæc Leibnitianæ Philoſophiæ excerpta penitus condiſcant, ac teneant. Scripta enim ſunt ſummo illo judicio, atque accuratione, quibus adeo commendantur, ac præſtant opera omnia inſignis *Bruckeri*, cujus meritis nunquam pares laudes in Literaria Republica rependi poterunt.

Poſteaquàm cauſas expoſui, quæ me, ut editionem hanc ſuſciperem impulerunt, rationes, quibus uſus ſum, ſubſidia, quibus ad aſſequendum, quod petebam, ab aliis adjutus fui, credo habere me, cur gloriari poſſim, talem conatibus meis exitum datum, ut jam mihi liceat editionem hanc vel a primo initio ipſo exhibere in eo perfectionis gradu, qui, quantum fieri poteſt, reſpondeat curis, atque impenſis meis, quibus minimè peperci, ut eſſet tanto Scriptore digna. Namque præter vulgata *Leibnitii* opera, hìc multa Lector inveniet, quæ cognita eſſe non poterant, quum nunquam in publicum emiſſa fuerint, aliaque plura, quæ in periculo erant intercidendi unà cum operibus illis, quibus erant inſerta, vel certè nonniſi difficillimè conquiri ac parari poterant. Hoc verò præ cæteris nequeo ſatis proponere Lectoribus conſiderandum, quantum ad has philoſophicas cognitiones accedere debeat ex hac conjunctione, ac veluti coagmentatione ſententiarum celeberrimi hujuſce Scriptoris. Hujuſmodi connexio vim illis ſine dubio, ac perſpicuitatem addit, ac plurimum prodeſt ad ea loca illuſtranda, quæ ſublimitas, ac magnitudo inveſtigationum obſcuriora facit. Jam verò quemadmodum *Leibnitius* nunquam in uno, eodemque argumento diutius immorari ſolebat, & extremam vitæ ſuæ partem inſumſit firmando, exornandoque Philoſophiæ ſuæ ædificio, quod prima juventute excitaverat, fieri non poteſt, ut quis rem totam cognoſcat, ac de ea judicium ferat, quin præ oculis habuerit materiam omnem, quam ille adeo diverſis, ac diſſitis temporibus tractavit: quod vix, ac ne vix quidem contingere poterat citra longum, aſſiduumque laborem, ſtudiorum cum plurimis commercium, ac ſingularem induſtriam, diligentiamque, qua ego diutiſſimè uſus ſum, & cujus nunc fructum omnem Literaria Reſpublica percipiet.

Hæc Collectanea in partes tribui, quarum *prima* Theologiam complectetur; in eaque dubium erit, utrum majore admiratione dignum ſit *Leibnitii* ſtudium in tuendis contra incredulos atque impios myſteriis Chriſtianæ Religionis, ejuſque

ejuſque pietas, qua invicto labore conatus eſt reconciliare diſſidentes Eccleſiæ partes, an verò judicium, atque immenſa eruditio, qua illius hac de re ſcripta redundant. *Theodiceam* ad Theologiam retuli, propterea quòd, etſi plura in eo opere perſequitur, quæ ad Metaphyſicam pertinent, videtur tamen in univerſum adnumeranda potius in illa claſſe, in qua ipſam ego collocavi.

Primum omnium, quæ de hoc libro præfari mihi opus eſt, confutanda occurrit ea ſententia, quæ leviter admodum vulgo expenditur, & facilè nimium admittitur, *Leibnitium* in quadam ad *Pfaffium* epiſtola, confeſſum fuiſſe, ſe in *Theodicea* ſua ſeriò loqui minimè voluiſſe (n), dum *Baylii* principia oppugnaret de phyſici, ac moralis mali origine, de bonitate Dei, atque hominis libertate. En quæ huic opinioni fovendæ cauſam dederunt. Anno 1720 *Pfaffius* Theologiæ Profeſſor in Academia Tubingenſi, quum Diſſertationes aliquot ederet contra *Baylium*, aſſeruit, *Leibnitium* idem cum *Baylio* ſentire, etſi in *Theodicea* ſua illum impetere videretur; ac *Leibnitium* ipſum ſibi in literis quibuſdam confeſſum eſſe, ſententiam ſuam aptiorem eſſe fulciendæ, quàm evertendæ *Baylii* opinioni. Verùm quum *Pfaffius* has literas non afferret, in dubium revocari cœptæ ſunt; donec ab amico certior rei factus, ipſa literarum *Leibnitii* verba protulit, quæ amicus ille inſerenda curavit in Actis Eruditorum Lipſiæ. En igitur ea, quæ *Pfaffius* (o) ad amicum ſcribit de *Leibnitiana Theodicea.*

» Quod verò literas illas Leibnitianas, de quibus ſcribis, » attinet, eas hanc ob cauſam publici nondum feci juris, quod » Philoſophis illis ſubtiliſſimis, qui novum illud philoſophandi genus ſectantur, in lite illa ſua, cui impliciti ſunt, nolo » eſſe gravis; meque, qui olim ante motas has controverſias » Diſſertationes Anti-Baylianas ſcripturus eram, pugnæ iſti, » &

(n) *Pfaffii Diſſertationes Anti-Baylianæ. Tubingæ* 1720. 4°. Diſſert. 3. pag. 9.

(o) *Act. Erudit. Lipſ. Menſ. Mart.* An. 1728. p. 125, & ſeq.

» & acerbæ quidem immiſcere : idque eo minus ; quod ad-
» huc antiqua illa animo meo ſententia ſuadet , quam ad
» *Leibnitium* perſcripſi olim , & quam ille , vir ſanè judicioſiſ-
» ſimus , pro ea , quam in literis ad me datis ſemper teſtatam
» fecit , animi ſinceritate , prorſus approbavit. Rogaverat abs
» me vir illuſtris , quid de *Theodicea* ſentirem , methodoque
» illa , qua *Baylium* refutaſſet ? Scripſi exiſtimare me , quod
» animi ſaltem cauſa illud Philoſophiæ confixerit ſyſtema , & ,
» quemadmodum *Clericus* , *Baylium* refutaturus , Origeniſtam
» ſimulaverit , ita & ipſe novam hanc philoſophandi viam ini-
» erit ad refutandum *Baylium* , quæ quidem , licet pulverem
» ſaltem oculis eorum , qui & altum alias non videant , inji-
» ciat , tamen eo ingenioſior ſit , quòd probè perſpecta , &
» ſententiam *Baylii* craſſiorem , ſub ſpecie refutationis , potiùs
» modo ſubtiliore , myſterio tamen non illico detegendo , fir-
» met , & diverſis quoque diſſidentium Religionum ſyſtema-
» tis , opinionibuſque , alias vix defendendis , incruſtandis ,
» favorique adeo & Theologorum omnium ferè partium , ma-
» ximè noſtratium , aucupando , ſit applicabilis : præoptare
» verò me , ut *Baylii* tam periculoſa ſententia ſeriò , ſolidè ,
» & graviter refutetur. Quid , quæſo , ad hæc reſpondit *Leib-*
» *nitius , quem credideram mihi , ob ingenuam reſponſionem , in-*
» *dignaturum* ? Ita autem ille in literis Hanovera A. 1716. die
» 21 Maji ad me datis (do verò verba viri formalia , licèt
» breviſſima : reliqua enim epiſtolæ , quæ hoc negotium non
» tangunt , addere non convenit.) *Ita prorſus eſt , vir ſummè*
reverende , uti ſcribis , de Theodicea mea. Rem acu tetigiſti ; &
miror , neminem hactenus fuiſſe , qui ſenſum hunc meum ſenſe-
rit. Neque enim Philoſophorum eſt rem ſeriò ſemper agere ; qui
in fingendis hypotheſibus , uti bene mones , ingenii ſui vires expe-
riuntur. Tu , qui Theologus , in refutandis erroribus Theologum
ages. » Hæc *Leibnitius* , hæc illa epiſtolæ verba , quæ noſſe
» cupiunt viri eruditi , & quæ ipſorum curioſitati haud invi-
» deo. Recenſui illa aliquando *Bulfingero* noſtro , qui puta-
» bat , jam verò hæc ipſa *Leibnitium* ſeria mente haud ſcri-
» pſiſſe ;

» pſiſſe ; quæ qui cauſari voluerit, is quidem per me ſuo ſen- » ſu abundabit. Ego contrariò perſuaſiſſimus ſum, certiſſimus- » que etiam, varia Religionis noſtræ placita in Theodicea » *Leibnitium* defendiſſe, quæ riſit alias, & naſo adunco ſuſ- » pendit : e. g. dogma de præſentia reali. Norunt mentem » viri aulici, & Philoſophi, ipſiuſque circa Religionem ſen- » tentias, quibus virum penitùs noſſe contigit. Sed de his » quidem ſatis jam. Miror ſaltem, tot eſſe, qui hæc princi- » pia ſeriò, & tanto quidem cum conatu defendant. «

Quidquid putet *Pfaffius*, facilius credi poſſe videtur, *Leibnitium* potiùs *cum eo tunc ludere voluiſſe, in brevi epiſtola, officiosè, ac ſpecie tenùs ejus opinionem probans*, quam Philoſophum hunc, qui nihilo minùs quàm otio abundabat, tempore, atque opera abuti voluiſſe ad volumen non exiguum conſcribendum, eo conſilio uno, ut animum ſuum oblectaret, obſervans quid ſententiæ illæ ſuæ in eruditorum animis efficerent.

Plurima vis adeo veriſimili conjecturæ accedet, ſi conſideremus *Leibnitium* omne vitæ ſuæ tempus impendiſſe confirmandis iis principiis, quæ in ſua *Theodicea* poſuit, ac ſemper tenuit deinceps. Quod ſi quis objiciat, quemadmodum vir cl. *Des Maizeaux*, *nihil fuiſſe, cur Leibnitius vera ſua ſenſa diſſimulare, atque occulere amico ſuo cogeretur*, facile eſt hoc argumentum refutare per aliud ejuſdem generis : allato primum P. *Tourneminii* teſtimonio apud P. *Niceronum* (p), quod non ſolùm teſtimonio *Pfaffii* poſterius eſt, ſed multo meliùs congruit cum ingenio Auctoris noſtri, ac ratione, quam conſtantiſſimè per omne vitæ ſuæ tempus ſervavit. Ita loquitur vir hic eruditiſſimus : *A. R. P. Tourneminius Societatis Jeſu aſſeverat, falſum eſſe, quod Clericus* (q) *& Pfaffius de Theodicea*

(p) *Tom. 10. 1. Par. Commentariorum ad Virorum illuſtrium hiſtoriam. p. 77.*

(q) Tom. 15. Bibliothecæ veteris, & recentioris, p. 179. Quum *Clericus*, poſteaquàm *Pfaffii* librum vidit, aſſeruit, ſe quoque jamdudum in eadem opinione fuiſſe, *Leibnitium* ſeriò non locutum in ſua Theodicea. Optandum fuiſſet, ut argumenta afferret;

cea Leibnitiana autumarunt, & Philoſophum hunc ad ſe ſcripſiſſe, eo libro genuinas ſententias ſuas contineri. P. *Niceronus*, qui diu Pariſiis cum P. *Tourneminio* vixit, cujus verba ipſa refert, locupletiſſimus eſt teſtis ad comprobandam veritatem aſſertionis hujus, quæ cum dictis *Pfaffii* pugnat, & conjecturam hanc confirmat, *reipſa ironicam fuiſſe ad Pfaffium reſponſionem.* Certè hæc una erat ratio, qua uti poſſet *Leibnitius*, quum adeo novæ, abſurdæque *Pfaffii* epiſtolæ reſponderet, qui vel ipſe ſatis ſentiebat, ſe nimium prætergreſſum eſſe, quandoquidem metuere videbatur, quo animo eam conjecturam *Leibnitius* excepturus eſſet. At Philoſophus ſatius eſſe judicavit, ac ſe ipſo dignius, ſinere, ut Theologus *ſuâ*, quam putabat, *acris ingenii acie illuderetur*, quàm ei ſuccenſere, quemadmodum opus fuiſſet, ſi illi inanem eam perſuaſionem extorquere voluiſſet. *Eques de Jaucourt* Clariſſimum *Bourguetum* adducit veluti ſponſorem de hac veritate, noſque certiores facit, doctiſſimum hunc Hiſtoriæ Naturalis cultorem ſibi affirmaſſe, *ſe ab Auctore noſtro plures literas accepiſſe, in quibus hic ſignificabat, a ſe Theodiceam, ſuumque ſyſtema tamquam res graviſſimas, ac maximi momenti haberi*: Additque huic teſtimonio epiſtolam, quam *Leibnitius* ad celeberrimum *Bignonum* dederat Hanoveræ cal. Martiis anno 1708, ex qua hæc affert: *Quemadmodum Boruſſiæ Regina, dum in vivis ageret, longè ſpectatiſſima, quæ* Baylii *lectione delectabatur, me ſæpiùs juſſerat ſententiam meam verbis, ac ſcriptis declarare ſuper iis, quæ ille objecit, & quæ mihi talia non videntur, ut dilui nequeant, nonnulli etiam atque etiam me hortantur, ut omnia hæc ſcripta colligam, & congeſta in unum opus connectam* (r). Jam verò poſt hæc quid ampliùs eſſe poteſt, quamobrem credi queat, a *Leibnitio*, cujus ingenuus morum candor adeò omnibus perſpectus eſt, id conſilium ſuſcipi potuiſſe, ut Reginæ tanto hono-

ferret, quibus innitebatur opinio adeo repugnans argumentis, quæ contrarium omninò evincunt; non verò crederet, debuiſſe ſolam hanc aſſertionem ſatis eſſe, ut in ſuam ſententiam alii pedibus irent.

(r) Vid. Epiſt. *Leibnitii* ad C. D. *Kochium* p. 501. Tom. I. ubi tentamina ſua Theodiceæ paradoxi exprobratione tuetur.

honore, ac cultu dignæ, de ſe optimè meritæ, quæ unicè veritatis ſtudio ducebatur, fucum faceret, ſimulque famam ſuam, qua optima, conſtantique tamdiu florebat objiceret telis adverſarii, cujuſmodi *Baylius* erat, nullâ vel minimâ neceſſitate cogente! Habes, Lector, ni fallor, quantum ſatis eſt ad refellendam opinionem, quæ nunquam invaluit, niſi apud illos, qui ſatis attento animo non conſiderarunt, quàm abſurda eſſet ejuſmodi confeſſio (s), niſi a ludificandi ſtudio profecta fuiſſet: ac ſupervacaneum admodum exiſtimarem adjicere hoc loco, qua ratione hanc opinionem, ſtatim ac obtinere cœpit, exagitarunt *Bulfingerus*, ac *Wolfius*, niſi potiùs Lectoris curioſitati ſatisfaciendum, quàm jam allatis rationibus pondus, ac momentum addendum eſſe videretur. *Bulfingerus* quidem, quum datam ad *Pfaffium* epiſtolam vidiſſet, contendit, *Leibnitium* per jocum in ea fuiſſe locutum, atque indignari viſus eſt, quòd rumore hujuſmodi candor, ac prudentia tanti viri, poſt ejus mortem, attentaretur. *Wolfius* verò epiſtolam continuò edidit, in qua ajebat (t): *Quamobrem me parùm moveat, quod vir quidam in his Actis aſſeruit*, Leibnitium *fuiſſe confeſſum, quemadmodum ipſi videtur, ſeriò omnia, quæ de rebus metaphyſicis in Theodicea tradidit, eſſe luſum ingenii. Sint enim* Leibnitio *luſus ingenii verba, quæ ab eodem adapto: Aut igitur alium eiſdem tribuit, quàm ego, ſenſum; aut ſi eumdem tribuit, ludendo dicit verum. Quum ego rationibus meis ſtare ſoleam, id me parùm anxium tenet, num alterum iiſdem verbis ſenſum tribuerit a veritate abhorrentem, aut num ludendo dixerit verum, quod ego rationibus meis convictus tamquam verum admitto. Nec invideo aliis, quòd alta videant, adeoque in ſuperficie hæreant; ſufficit mihi, ſi profunda videam, atque adeò ad intimas rerum rationes penetrem.*

Fuſiùs de hac re proloqui me debere exiſtimavi, non ignarus

(s) Alius longè gravior eſt error multorum, ea verba epiſtolæ Leibnitianæ a *Pfaffio* relata, ad diverſa omnia *Leibnitii* principia referentium, quaſi magnus hic vir, in cujus ſcriptis veri Philoſophi animus ſummoperè ſe prodit, vitam omnem ſuam conſumere potuerit rebus docendis, quas ipſe re improbaret.

(t) Act. Erud. menſ. Dec. 1728. pp. 550, 551.

rus ea etiam, quæ veriſſima ſint, opus habere propugnatore; & quod ſuſpicarer, quum de tanta accuſatione ageretur, nonnullos fortaſſe futuros, qui ſilentium meum perversè interpretarentur. Redeo ad ordinem a me in hiſce Collectaneis ſervatum.

Præfationem hanc excipiet Synopſis quædam, quæ ob oculos ponet totius Operis partitionem, cum Indice Articulorum omnium, qui ibi continentur. Cujuſque voluminis initio præfationem poſui, in qua, poſt indicatam in univerſum voluminis materiam, de ſingulis, ac diſtinctis capitibus loquor, rebuſque, de quibus in iis agitur. Atque hoc quidem, quando Articuli illi peculiare Monitum non poſtulent. Nam quum hoc contigerit, illud ipſum enucleatiùs agam in Argumentis, quæ diverſis opuſculis præponam.

Alterum volumen complectetur ſcripta omnia *Leibnitii*, quæ ad Logicam, Metaphyſicam, Phyſicam Generalem, Chymicam, Medicinam, Botanicam, & Hiſtoriam Naturalem ſpectant.

Tertium Matheſin continebit, Geometriam, Arithmeticam, Mechanicam, Opticam; quæ opuſcula chronologico ordine diſponentur: quod ideò faciendum cenſui, ut faciliùs judicare poſſit lector de progreſſu, quo mens illa in iis, quas *exactas ſcientias* vocant, in dies proceſſit. Cur verò quæſtionem celebrem de jure inventionis calculi infiniteſimalis, quæ tamdiù *Leibnitium* ac *Newtonum* exercuit, non tractaverim, præfationem ſingularem huic volumini præmiſſam legendo, videbitur.

Je ne décide point entre Genève & Rome: ſed lector ipſe de hâc causâ judicium ferre poterit, ope auctoris noſtri vitæ a *Bruckero* exaratæ, ejus vitæ elogii a *Fontenellio* deſcripti, & præſertim ope hiſtoriarum iſtius calculi infiniteſimalis inventionis, a D D. *De Jaucourt* & *Montucla* relatarum, quibus conſultò ſub hujus voluminis initium locum dedi.

Quartum volumen continet Juriſprudentiam, Hiſtoriam, Antiquitates, Hiſtoriam ac Philoſophiam Sinenſium, & opuſcula

cula nonnulla, quæ ad Philoſophiam in univerſum referuntur. Præfationem in Juriſprudentiam concinnavit, quæ ſingularis ejus humanitas fuit, Eruditiſſimus *Bon* ut omnia Auctoris noſtri de hujuſmodi rebus placita, veluti in proſpectum unum exhiberet. Quod attinet ad opuſcula, quæ ad Hiſtoriam, Antiquitates, & alia id genus, pertinent, ſatius fore exiſtimavi in fronte ipſa adnotare, quæ mihi de materia quaque præmonenda erant.

Volumina *quintum* & *ſextum* conficient ea opuſcula omnia, quæ ad priores claſſes minimè relata fuerint, vel quod ad nullam ex iis pertineant, vel quod in pluribus genere diverſis verſentur, cujuſmodi ſunt Epiſtolæ ferè omnes, hiſce voluminibus comprehenſæ. Eadem hæc volumina complectentur itidem omnia *Leibnitii* ſcripta, quæ ad Philologiam, ac politiorem literaturam attinent; quæ inſuper declarabunt, quàm ſtudioſè, quàm aſſiduè ille de progreſſu, atque incremento diſciplinarum omnium cogitaret.

Nemo non videt, in hæc Collectanea referri minimè potuiſſe plura opera ab Auctore noſtro edita, propter nimiam eorum molem. Re enim verâ ſunt ſeptem, vel octo præter propter volumina *in folio*; quorum operum ille nonniſi Editor reipsâ fuit. Quiſquè probè intelligit, loqui me de iis libris, qui inſcribuntur *Codex Juris gentium diplomaticus*, vol. un. in fol. *Mantiſſa Codicis juris gentium* &c. vol. un. in fol. *Scriptores rerum Brunſvicenſium* tria vol. in fol. &c. *Acceſſiones hiſtoricæ* &c. quæ opera omnia ſunt Collectanea quædam monumentorum hiſtoricorum, librorumque novitate, ac raritate ſuâ ſingularium, plurimum conferentia ad illuſtrandum jus publicum, ac Germaniæ univerſæ, ejuſque partium hiſtoriam; quæ improbo ſanè labore ab Auctore noſtro collecta fuere, ac tantam utilitatem, quantam omnes norunt, afferunt ſtudioſis earum rerum, de quibus in iis agitur: ſed inter Auctoris hujus ſcripta recenſeri verè nequeunt. Hiſce Collectaneis e penu ſuo depromtas addebat ut plurimum Præfationes eximias, in quibus univerſim expendebat eas res, quas

illuſtrare voluiſſet ; ac præfationes iſtæ quidem locum hìc aliquem jure ſuo ſibi vindicant. Ex eo numero ſunt duæ illæ pulcherrimæ Diſſertationes, quæ in Juriſprudentiæ Parte inſertæ ſunt, hoc titulo, *De Actorum publicorum uſu.* Præfationis loco præfixæ ſunt altera Operi, quod *Codex juris gentium diplomaticus*, altera illi, quod *Mantiſſa Codicis juris gentium* inſcribitur, ac *Leibnitii* de Juriſprudentia omnia fermè principia ob oculos ponunt.

Etſi oſtendi, opera, quorum modò mentionem feci, proximè ad hanc editionem non pertinere, credo tamen, antequàm præfandi finem faciam, debere me & de iis aliquid dicere, ut omnia planè præſtem, quæ a me poſtulari quoquomodo poſſunt, ac rationem reddere vel earum lucubrationum Auctoris noſtri, quæ in hac ipſa editione locum non habent.

Principium ſit a *Codice juris gentium diplomatico*, cujus libri hæc eſt integra inſcriptio.

Codex juris gentium diplomaticus, in quo Tabulæ Autenticæ Actorum publicorum, Tractatuum, aliarumque rerum majoris momenti per Europam geſtarum, pleræque ineditæ, vel ſelectæ, ipſo verborum tenore expreſſæ, ac temporis ſerie digeſtæ, continentur, a fine ſæculi undecimi ad noſtra uſque tempora; quem ex Mſſ. præſertim Bibliothecæ Auguſtæ Guelferbytanæ Codicibus, & monumentis Regiorum, aliorumque Archiviorum, ac propriis denique Collectaneis, edidit G. G. L. Hanoveræ, impenſis Samuelis Ammonii, 1693. in fol.

Incipiunt hæc Collectanea ab anno 1096, ac deſinunt in annum 1499. Omnia, quæ ibi continentur, ordine Chronologico digeſta ſunt, eruditiſſimamque præfationem iis *Leibnitius* appoſuit. Edidit deinde ſupplementum, hoc titulo: *Mantiſſa Codicis juris gentium diplomatici.* Hanoveræ 1700. in fol. Typis iterum excuſi prodiere hi libri anno 1724. in fol. Hæc duo opera *Codices juris gentium* inſcripſit, quòd Acta contineant inter plures nationes, unde leges exiſtunt nationibus inter ſe ſervandæ, quo propriè jus gentium conficitur.

Anno

Anno 1706. Commentarium edidit, cujus titulus, *Compendiaria expoſitio juris, quo Auguſtiſſimus Boruſſiæ Rex pollet, ſuccedendi in Comitatus* de Neufchâtel, *&* de Vallangin, in Hollandia typis excuſum *in folio*, paginarum ferè ſexaginta, tacito Auctoris, & Typographi nomine, ac tempore. In eo commentario demonſtrare nititur *Leibnitius* æquitatem juris, quo Boruſſiæ Rex ſibi vindicabat Principatum *de Neufchâtel* contra Principem *de Conti*, qui patrocinio Regis Galliarum, & teſtamento demortui Ducis *de Longueville* nitebatur; & contra *Guillelmum III.* Britanniæ Regem, qui tamquam hæres familiæ *De Chalons*, quæ in illius dominii poſſeſſione fuerat, a familia Ducis *de Longueville* illud repetebat, ſibique vindicare conabatur. Hoc erat validius argumentum, quod pro Boruſſiæ Rege afferebat, quòd nempe hic Princeps legitimè jus ſuum ad Principatum illum ſibi vindicabat, utpote antiquius jure Ducis *de Longueville.*

Anno 1707. Magnum illud opus emiſit de Scriptoribus rerum Brunſvicenſium in tria volumina *in folio* diviſum, quorum primum prodiit anno 1707, alterum anno 1710, tertium verò anno 1711. *Scriptores, rerum Brunſvicenſium illuſtrationi inſervientes, antiqui omnes, & Religionis Reformatione priores. Opus, in quo nonnulla Chronica hujus, vicinarumque regionum, & urbium, Epiſcopatuumque, ac Monaſteriorum, præſertim Oſtfaliæ: res etiam Ateſtinorum Longobardiæ, & Guelforum ſuperioris Germaniæ: vitæ item hominum illuſtrium, aut Principum; omnia magno ſtudio, ſumptuque conquiſita* &c. *continentur. Cura Godefridi Guil. Leibnitii. Hanoveræ* 1707. *in folio.* III. Tomi. In hoc opus Scriptores omnes collegit, qui aliquid conferre poſſunt ad illius regionis hiſtoriam, quod ſpectat ad Geographiam, Genealogiam, titulos, ac jura Principum; vel ad hiſtoriam rerum ab eorum majoribus geſtarum, adeò ut omnia ibi conjuncta reperiantur, quæ ad eam ditionem pertinent. Præter ea, quæ propiùs ad ejus Principatus hiſtoriam referuntur, multa alia ſunt, quæ ad eumdem remotiùs tantùm pertinent, & exterarum univerſim nationum ſtudia excitare poſſunt,

ſunt, qualia ſunt ea, quæ ex veteribus Scriptoribus excerpit de populis, qui ad Albim & Viſurgim incolebant, ex *Strabone*, *Velleio Paterculo*, *Pomponio Mela*, *Suetonio*, *Solino*, *Dione*, *Eutropio*, *Ammiano*, *Claudiano*, ac præſertim *Plinio*, ac *Tacito*; quibus notas adjecit, quæ & eos Scriptores illuſtrant, & proprias ſuas conjectúras explicant, & confirmant.

Anno 1698. alia Miſcellanea Auctor noſter edidit hoc titulo: *Acceſſiones hiſtoricæ quibus utilia ſuperiorum temporum hiſtoriis illuſtrandis ſcripta, monumentaque nondum hactenùs edita, in queis Scriptores diu deſiderati continentur.* Lipſiæ in 4°. Ac paulo poſt alterum volumen emiſit, cui titulus: *Acceſſionum hiſtoricarum Tomus II, continens potiſſimum Chronicon Alberici Monachi Trium Fontium, diu deſideratum, & e Mſſ. editum a G. G. L. Hanov. ap. Nicol. Fœrſterum 1698. in 4°.* Etſi hoc ingenii opus minimè ſit, congeries tamen eſt quædam ſcriptorum ſingularium ad Germaniæ hiſtoriam pertinentium, quæ ad illam uſque diem fugerant Auctores licet diligentiſſimos, qui *Leibnitio* in hujuſmodi inveſtigationibus præiverant.

Plurima alia ſcripta collegerat, quæ edere cogitabat ad illuſtrandam peculiarem aliquot Germaniæ partium hiſtoriam; ſed ejus conſilia mors intervertit: eaque Collectanea dein prodiere cura aliquot Eruditorum, a quibus in lucem emiſſa ſunt. In eo numero ponendæ *Origines Guelficæ* 4. vol. in fol. a *Scheidio* editæ anno 1750. Hanoveræ, cujus Operis en integram inſcriptionem:

Origines Guelficæ, quibus potentiſſimæ gentis primordia, magnitudo, variaque fortuna uſque ad Ottonem, quem vulgo Puerum dicunt, primum Brunſvicenſium, & Luneburgenſium Ducem, ex æqualium Scriptorum teſtimoniis, inſtrumentis publicis, ſtatuis, lapidibus, gemmis, ſigillis, numis, aliiſque monumentis ſuperſtitibus deducuntur, & in compendio exhibentur. Opus præeunte D. Godefrido Guillelmo Leibnitio, *ſtilo D.* Jo. Georgii Eccardi *literis conſignatum; poſtea a D.* Jo. Daniele Grubero *novis probationibus inſtructum, variiſque pernecceſſariis animadverſionibus caſtigatum: jam verò in lucem emiſſum a* Chriſtiano Ludovico

Scheidio

Scheidio *J. C. Sereniſſimæ Familiæ Guelficæ a ſcribenda Hiſtoria. Tom. I. pro bono publico. Hanoveræ, ſumptibus Orphanotrophæi Morigenſis. Excudebat Henricus Erneſtus Chriſtophorus Schlûterus MDCCL.*

Totius operis formam *Leibnitius* excogitaverat, & facem *Eccardo* prætulerat in delectu habendo Opuſculorum, ex quibus conſtat; cui operi extremam manum *Gruberus*, & *Scheidius* admovere.

Aliud opus adhuc eſt, de quo fuſiùs me proloqui nihil refert, quum præfationem illius ſuo loco collocaverim; nempe *Hiſtoria arcana Alexandri VI. Papæ* in 4°. in quâ nihil habet *Leibnitius*, niſi quod eam cum præfatione ediderit.

Nonnihil dicendum ſupereſt de aliquot Operibus manuſcriptis Auctoris noſtri, quæ Bibliothecæ Hanoverenſi ceſſerunt, quorum edendorum copia clariſſimo *Raſpio* illius Bibliothecæ Præfecti vices gerenti facta eſt. Prodiit hoc ipſo anno volumen in 4°. Amſtelodami, quod inſcribitur *Oeuvres Philoſophiques de Leibniz* &c. Animadverſiones præcipuè continet in opus *Lockii* de humano intellectu. Pollicetur Editor alterum volumen Mathematicorum operum *Leibnitii* hactenùs ineditorum.

Certior de *Raſpii* conſilio factus ſum, quo tempore collectionem meam vixdum abſolveram; & quum id, quod ſibi ille propoſuit, alienum ſit ab inſtituto meo, idcirco ab Editione hac non deſtiti, quam nunc exhibeo, ubi *omnia* Leibnitii *opera continentur, quæ tantam ei, quanta nunc floret, famam pepererunt.* Poſtuma opera à *Raſpio* edita Leibnitiani nominis celebritati reſpondent: conferent præterea plurimum ad lucem afferendam multis Philoſophiæ Leibnitianæ partibus; & quum typis excuſa ſint eadem forma, qua horum Collectaneorum volumina, tamquam continuatio quædam cenſeri poterunt, & conficere unà cum *Commercio Philoſophico Leibnitii, & Bernoullii* Leibnitianam Bibliothecam, quæ per ſe Encyclopædiam quamdam conſtituet, & maximam partem cognitionum noſtrarum in doctrinis ſublimioribus complectetur.

Credo, non poſſe me aptiùs inſtituti ſermonis finem face-

re, quàm ſi, non ſine grati animi ſignificatione, teſtimonium publicè præbuero ſingulari ſtudio, quo literatiſſimus *Gobetus* Editioni huic augendæ, atque exornandæ operam dedit. Placuit humaniſſimo viro mihi literas comparare Auctoris noſtri ſupra ſeptuaginta ad P. *De Boſſes*, publicæ adhuc lucis expertes, quas Pariſiis in Bibliotheca Collegii a *Ludovico M.* inſtituti, reperit. Sunt in hiſce Epiſtolis multa, quæ non ſolùm famæ reſpondent, qua uſque *Leibnitius* excelluit, ſed digniſſima etiam ſunt, quibus nova lux, ac ſplendor addatur.

Idipſum de MS. alio dico, quod ejuſdem Viri opera ad me delatum fuit eo planè tempore, quo præfationis huic finem impoſiturus eram. In eo plurimæ epiſtolæ continentur *Leibnitium* inter, & *Bourguetum*, de variis philoſophicis rebus, Metaphyſicis præſertim, atque ad Hiſtoriam naturalem pertinentibus, & aliquot Matheſeos partibus; quæ omnia non minus nova, quàm utili ratione connexa inter ſe cohærent. Hoc MS., cui erit ſuus in hac Editione locus, ad Rothomagenſem Scientiarum, Humaniorumque Literarum Academiam pertinebat, quæ humaniſſimè illius mihi copiam facere voluit, efflagitatu doctiſſimi *Le Cat* hujus inſignis Academiæ perpetui Secretarii. Qua in re plurimum inſuper debere me profiteor curis, aſſiduiſque ſtudiis *Goberi*, cui, qui *Leibnitii* gloriam amant, ſatis gratiarum habere nequeunt, quod tam enixè me adjuverit, ut Editio hæc quàm abſolutiſſima poterat, in publicum prodiret.

ELOGE



GODEFROI GUILLAUME

LEIBNITZ,

Né le 3 Juillet 1646 mort le 14 Novembre 1716.

P. Savart Sc. 1768

ELOGE

DE Mʀ. G. G. LEIBNIZ

PAR Mʀ. DE FONTENELLE:

Tiré de l'Hiſtoire de l'Académie Royale des Sciences de Paris année 1716.

GODEFROI *Guillaume Leibniz* naquit à Leipzic en Saxe le 23. Juin 1646. de *Fréderic Leibniz*, Profeſſeur de Morale, & Greffier de l'Univerſité de Leipzic, & de *Catherine Schmuck*, ſa troiſiéme femme, fille d'un Docteur & Profeſſeur en droit. *Paul Leibniz* ſon grand oncle avoit été Capitaine en Hongrie, & ennobli pour ſes ſervices en 1600. par l'Empereur *Rodolphe II.* qui lui donna les armes que M. *Leibniz* portoit.

Il perdit ſon père à l'âge de ſix ans; & ſa mère, qui étoit une femme de mérite, eut ſoin de ſon éducation. Il ne marqua aucune inclination particuliére pour un genre d'étude plûtôt que pour un autre. Il ſe porta à tout avec une égale vivacité; & comme ſon père lui avoit laiſſé une aſſez ample bibliotheque de livres bien choiſis, il entreprit, dès qu'il ſut

aſſez de latin & de grec, de les lire tous avec ordre, poëtes, orateurs, hiſtoriens, juriſconſultes, philoſophes, mathématiciens, théologiens. Il ſentit bien-tôt qu'il avoit beſoin de ſecours, il en alla chercher chez tous les habiles gens de ſon tems, & même quand il fallut, aſſez loin de Leipzic.

Cette lecture univerſelle, & très-aſſiduë, jointe à un grand génie naturel, le fit devenir tout ce qu'il avoit lû; pareil en quelque ſorte aux anciens qui avoient l'adreſſe de mener juſqu'à huit chevaux attelés de front, il mena de front toutes les ſciences. Ainſi nous ſommes obligés de le partager ici; &, pour parler philoſophiquement, de le décompoſer. De pluſieurs *Hercules* l'Antiquité n'en a fait qu'un, & du ſeul M. *Leibniz* nous ferons pluſieurs Savans. Encore une raiſon qui nous détermine à ne pas ſuivre comme de coutume l'ordre chronologique, c'eſt que dans les mêmes années il paroiſſoit de lui des écrits ſur différentes matiéres, & ce mélange preſque perpétuel, qui ne produiſoit nulle confuſion dans ſes idées, ces paſſages bruſques & fréquens d'un ſujet à un autre tout oppoſé qui ne l'embarraſſoient pas, mettroient de la confuſion & de l'embarras dans cette hiſtoire.

M. *Leibniz* avoit du goût & du talent pour la poëſie. Il ſavoit les bons poëtes par cœur, & dans ſa vieilleſſe même il auroit encore recité *Virgile* preſque entier mot pour mot. Il avoit une fois compoſé en un jour un ouvrage de trois cens vers latins ſans ſe permettre une ſeule éliſion; jeu d'eſprit, mais jeu difficile. Lorſqu'en 1679. il perdit le Duc *Jean Fréderic* de Brunſvic ſon protecteur, il fit ſur ſa mort un poëme latin, qui eſt ſon chef-d'œuvre, & qui mérite d'être compté parmi les plus beaux d'entre les modernes. Il ne croyoit pas, comme la plûpart de ceux qui ont travaillé dans ce genre, qu'à cauſe qu'on fait des vers en latin, on eſt en droit de ne point penſer & de ne rien dire, ſi ce n'eſt peut-être ce que les anciens ont dit; ſa poëſie eſt pleine de choſes, ce qu'il dit lui appartient, il a la force de *Lucain*, mais de *Lucain* qui ne fait pas trop d'effort. Un morceau remarquable

de

de ce poëme eſt celui où il parle du phoſphore dont *Brandt* étoit l'inventeur. Le Duc de Brunſvic excité par M. *Leibniz* avoit fait venir *Brandt* à ſa Cour pour joüir du phoſphore, & le poëte chante cette merveille juſques-là inouïe. *Ce feu inconnu à la nature même, qu'un nouveau* Vulcain *avoit allumé dans un antre ſavant, que l'eau conſervoit & empêchoit de ſe rejoindre à la ſphère du feu ſa patrie, qui enſevelie ſous l'eau, diſſimuloit ſon être, & ſortoit lumineux & brillant de ce tombeau, image de l'ame immortelle & heureuſe*, &c. Tout ce que la fable, tout ce que l'hiſtoire ſainte ou prophane, peuvent fournir qui ait rapport au phoſphore, tout eſt employé, le larcin de *Promethée*, la robe de *Medée*, le viſage lumineux de *Moyſe*, le feu que *Jeremie* enfouït quand les Juifs furent emmenés en captivité, les Veſtales, les lampes ſépulcrales, le combat des Prêtres Egyptiens & Perſes; & quoiqu'il ſemble qu'en voilà beaucoup, tout cela n'eſt point entaſſé, un ordre fin & adroit donne à chaque choſe une place qu'on ne lui ſçauroit ôter, & les différentes idées qui ſe ſuccédent rapidement, ne ſe ſuccédent qu'à propos. M. *Leibniz* faiſoit même des vers françois, mais il ne réuſſiſſoit pas dans la poëſie allemande. Notre préjugé pour notre langue, & l'eſtime qui eſt duë à ce poëte, nous pourroient faire croire que ce n'étoit pas tout-à-fait ſa faute.

Il étoit très-profond dans l'hiſtoire, & dans les intérêts des Princes, qui en ſont le réſultat politique. Après que *Jean Caſimir* Roi de Pologne eut abdiqué la couronne en 1668. *Philippe Guillaume* de Neubourg Comte Palatin, fut un des prétendans, & M. *Leibniz* fit un traité ſous le nom ſuppoſé de *George Ulicovius*, pour prouver que la République ne pouvoit faire un meilleur choix. Cet ouvrage eut beaucoup d'éclat; l'auteur avoit 22. ans.

Quand on commença à traiter de la paix de Nimegue, il y eut des difficultés ſur le cérémonial à l'égard des Princes libres de l'Empire qui n'étoient pas Electeurs: on ne vouloit pas accorder à leurs miniſtres les mêmes titres, & les

mêmes traitemens, qu'à ceux des Princes d'Italie, tels que ſont les Ducs de Modene ou de Mantouë. M. *Leibniz* publia en leur faveur un livre intitulé *Ceſarini Furſtenerii De jure Suprematus ac Legationis Principum Germaniæ*, qui parut en 1667. Le faux nom qu'il ſe donne ſignifie qu'il étoit & dans les interêts de l'Empereur, & dans ceux des Princes; & qu'en ſoutenant leur dignité, il ne nuiſoit point à celle du chef de l'Empire. Il avoit effectivement ſur la dignité impériale une idée qui ne pouvoit déplaire qu'aux autres potentats. Il prétendoit que tous les états chrétiens, du moins ceux d'occident, ne ſont qu'un corps, dont le Pape eſt le chef ſpirituel, & l'Empereur le chef temporel; qu'il appartient à l'un & à l'autre une certaine juriſdiction univerſelle; que l'Empereur eſt le général né, le défenſeur, l'*Advoué* de l'Egliſe, principalement contre les Infidèles, & que de là lui vient le titre de ſacrée Majeſté, & à l'Empire celui de ſaint empire; & que quoique tout cela ne ſoit pas de droit divin, c'eſt une eſpèce de ſiſtême politique formé par le conſentement des peuples, & qu'il ſeroit à ſouhaiter qui ſubſiſtât en ſon entier. Il en tire des conſéquences avantageuſes pour les Princes libres d'Allemagne, qui ne tiennent pas beaucoup plus à l'Empereur que les Rois eux-mêmes n'y devroient tenir: du moins il prouve très fortement que leur ſouveraineté n'eſt point diminuée par l'eſpèce de dépendance où ils ſont, ce qui eſt le but de tout l'ouvrage. Cette République Chrêtienne dont l'Empereur & le Pape ſont les chefs, n'auroit rien d'étonnant ſi elle étoit imaginée par un Allemand Catholique, mais elle l'étoit par un Lutherien; l'eſprit de ſiſtême qu'il poſſedoit au ſouverain degré, avoit bien prévalu à l'égard de la religion ſur l'eſprit de parti.

Le livre du faux *Ceſarinus Furſtenerius* contient non-ſeulement une infinité de faits remarquables, mais encore quantité de petits faits qui ne regardent que les titres & les cérémonies, aſſez ſouvent négligés par les plus ſavans en hiſtoire. On voit que M. *Leibniz* dans ſa vaſte lecture ne mépriſoit rien,

rien, & il eſt étonnant à combien de livres médiocres, & preſque abſolument inconnus, il avoit fait la grace de les lire : mais il l'eſt ſur-tout, qu'il ait pû mettre autant d'eſprit philoſophique dans une matiére ſi peu philoſophique. Il poſe des définitions exactes, qui le privent de l'agréable liberté d'abuſer des termes dans les occaſions; il cherche des points fixes & en trouve dans les choſes du monde les plus inconſtantes & les plus ſujettes au caprice des hommes; il établit des rapports & des propoſitions, qui plaiſent autant que des figures de rhétorique, & perſuadent mieux. On ſent qu'il ſe tient preſque à regret dans les détails où ſon ſujet l'enchaîne, & que ſon eſprit prend ſon vol dès qu'il le peut, & s'éléve aux vûës générales. Ce livre fut fait & imprimé en Hollande, & réimprimé d'abord en Allemagne juſqu'à quatre fois.

Les Princes de Brunſvic le deſtinérent à écrire l'hiſtoire de leur maiſon. Pour remplir ce grand deſſein & ramaſſer les matériaux néceſſaires, il courut toute l'Allemagne, viſita toutes les anciennes abbayes, fouilla dans les archives des Villes, examina les tombeaux & les autres antiquités, & paſſa de là en Italie, où le Marquis de Toſcane, de Ligurie, & d'Eſt, ſortis de la même origine que les Princes de Brunſvic, avoient eu leurs Principautés & leurs Domaines. Comme il alloit par mer dans une petite barque ſeul & ſans aucune ſuite de Veniſe à Meſola dans le Ferrarois, il s'éleva une furieuſe tempête, & le pilote qui ne croyoit pas être entendu par un Allemand, & qui le regardoit comme la cauſe de la tempête, parce qu'il le jugeoit hérétique, propoſa de le jetter à la mer, en conſervant néanmoins ſes hardes & ſon argent. Sur cela M. *Leibniz* ſans marquer aucun trouble, tira un chapelet, qu'apparemment il avoit pris par précaution, & le tourna d'un air aſſez dévot. Cet artifice lui réuſſit; un marinier dit au pilote que puiſque cet homme-là n'étoit pas hérétique, il n'étoit pas juſte de le jetter à la mer.

Il fut de retour de ſes voyages à Hanovre en 1690. Il avoit

avoit fait une abondante recolte, & plus abondante qu'il n'étoit néceſſaire pour l'hiſtoire de Brunſvic ; mais une ſavante avidité l'avoit porté à prendre tout. Il fit de ſon ſuperflu un ample recueil, dont il donna le premier volume in folio en 1693. ſous le titre de *Codex Juris Gentium Diplomaticus.* Il l'appella *Code du Droit des Gens*, parce qu'il ne contenoit que des Actes faits par des Nations, ou en leur nom, des déclarations de guerre, des manifeſtes, des traités de paix ou de tréve, des contrats de mariage de Souverains, &c. & que comme les nations n'ont de loix entr'elles que celles qu'il leur plaît de ſe faire, c'eſt dans ces ſortes de piéces qu'il faut les étudier. Il mit à la tête de ce volume une grande préface bien écrite & encore mieux penſée. Il y fait voir que les actes de la nature de ceux qu'il donne, ſont les véritables ſources de l'Hiſtoire autant qu'elle peut être connuë ; car il ſçait bien que tout le fin nous en échape, que ce qui a produit ces actes publics & mis les hommes en mouvement, ce ſont une infinité de petits reſſorts cachés, mais très-puiſſants, quelquefois inconnus à ceux mêmes qu'ils font agir, & preſque toujours ſi diſproportionnés à leurs effets, que les plus grands événemens en ſeroient deshonorés. Il raſſemble les traits d'hiſtoire les plus ſinguliers que ſes actes lui ont découverts, & il en tire des conjectures nouvelles & ingénieuſes ſur l'origine des Electeurs de l'Empire fixés à un nombre. Il avoue que tant de traités de paix ſi ſouvent renouvellés entre les mêmes nations, ſont leur honte, & il approuve avec douleur l'enſeigne d'un marchand Hollandois, qui ayant mis pour titre *A la Paix perpétuelle*, avoit fait peindre dans le tableau un cimetiére.

Ceux qui ſavent ce que c'eſt que de déchifrer ces anciens actes, de les lire, d'en entendre le ſtile barbare, ne diront pas que M. *Leibniz* n'a mis du ſien dans le *Codex Diplomaticus* que ſa belle préface. Il eſt vrai qu'il n'y a que ce morceau qui ſoit de génie, & que le reſte n'eſt que de travail & d'érudition ; mais on doit être fort obligé à un homme tel

que

que lui, quand il veut bien pour l'utilité publique faire quelque choſe qui ne ſoit pas de génie.

Le Czar fit à M. *Leibniz* un magnifique préſent, & lui donna le titre de ſon Conſeiller privé de juſtice avec une penſion conſidérable. Mais ce qui eſt encore plus glorieux pour lui, l'hiſtoire de l'établiſſement des ſciences en Moſcovie ne pourra jamais l'oublier, & ſon nom y marchera à la ſuite de celui du Czar. C'eſt un bonheur rare pour un ſage moderne qu'une occaſion d'être légiſlateur de barbares; ceux qui l'ont été dans les premiers tems ſont ces chantres miraculeux qui attiroient les rochers, & bâtiſſoient des villes avec la lire, & M. *Leibniz* eût été traveſti par la fable en *Orphée*, ou en *Amphion.*

Il n'y a point de proſpérité continuë. Le Roi de Pruſſe

mourut en 1713. & le goût du Roi ſon ſucceſſeur, entiérement déclaré pour la guerre, menaçoit l'Académie de Berlin d'une chûte prochaine. M. *Leibniz* ſongea à procurer aux Sciences un ſiége plus aſſuré, & ſe tourna du côté de la Cour Impériale. Il y trouva le Prince *Eugene*, qui pour être un ſi grand Général, & fameux par tant de victoires, n'en aimoit pas moins les ſciences, & qui favoriſa de tout ſon pouvoir le deſſein de M. *Leibniz*. Mais la peſte ſurvenuë à Vienne rendit inutiles tous les mouvemens qu'il s'étoit donnés pour y former une académie. Il n'eut qu'une aſſez groſſe penſion de l'Empereur, avec des offres très avantageuſes, s'il vouloit demeurer dans ſa Cour. Dès le temps du couronnement de ce Prince, il avoit déja eu le titre de Conſeiller Aulique.

Il étoit encore à Vienne en 1714. lorſque la Reine *Anne* mourut, à laquelle ſuccéda l'Electeur d'Hanovre, qui réuniſſoit ſous ſa domination un Electorat, les trois Royaumes de la grande Bretagne, M. *Leibniz* & M. *Newton*. M. *Leibniz* ſe rendit à Hanovre, mais il n'y trouva plus le Roi, & il n'étoit plus d'âge à le ſuivre juſqu'en Angleterre. Il lui marqua ſon zéle plus utilement par des réponſes qu'il fit à quelques libelles Anglois publiés contre S. M.

Le Roi d'Angleterre repaſſa en Allemagne, où M. *Leibniz* eut enfin la joye de le voir Roi. Depuis ce tems ſa ſanté baiſſa toujours; il étoit ſujet à la goute, dont les attaques devenoient plus fréquentes. Elle lui gagna les épaules, & on croit qu'une certaine ptiſane particuliére qu'il prit dans un grand accès, & qui ne paſſa point, lui cauſa les convulſions & les douleurs exceſſives dont il mourut en une heure le 14. Novembre 1716. Dans les derniers momens qu'il put parler, il raiſonnoit ſur la maniére dont le fameux *Furtenbach* avoit changé la moitié d'un clou de fer en or.

Le ſavant M. *Eckard* qui avoit vécu dix-neuf ans avec lui, qui l'avoit aidé dans tous ſes travaux hiſtoriques, & que le Roi d'Angleterre avoit choiſi en dernier lieu pour être hiſtoriographe de ſa maiſon, & ſon bibliothéquaire à Hanovre, prit ſoin

ſoin de lui faire une ſépulture très honorable, ou plutôt une pompe funèbre. Toute la Cour y fut invitée, & perſonne n'y parut. M. *Eckard* dit qu'il en fut fort étonné; cependant les Courtiſans ne firent que ce qu'ils devoient; le mort ne laiſſoit après lui perſonne qu'ils euſſent à conſidérer, & ils n'euſſent rendu ce dernier devoir qu'au mérite.

M. *Leibniz* ne s'étoit point marié; il y avoit penſé à l'âge de cinquante ans, mais la perſonne qu'il avoit en vuë voulut avoir le tems de faire ſes réflexions. Cela donna à M. *Leibniz* le loiſir de faire auſſi les ſiennes, & il ne ſe maria point.

Il étoit d'une forte complexion. Il n'avoit guére eu de maladies, excepté quelques vertiges dont il étoit quelquefois incommodé, & la goute. Il mangeoit beaucoup, & buvoit peu, quand on ne le forçoit pas, & jamais de vin ſans eau. Chez lui il étoit abſolument le maître, car il y mangeoit toujours ſeul. Il ne régloit pas ſes repas à de certaines heures, mais ſelon ſes études; il n'avoit point de ménage, & envoyoit querir chez un traiteur la premiére choſe trouvée. Depuis qu'il avoit la goute il ne dînoit que d'un peu de lait; mais il faiſoit un grand ſouper, ſur lequel il ſe couchoit à une heure ou deux après minuit. Souvent il ne dormoit que aſſis ſur une chaiſe, & ne s'en réveilloit pas moins frais à ſept ou huit heures du matin. Il étudioit de ſuite; & il a été des mois entiers ſans quitter le ſiége, pratique fort propre à avancer beaucoup un travail, mais fort mal-ſaine. Auſſi croit-on qu'elle lui attira une fluxion ſur la jambe droite, avec un ulcère ouvert. Il y voulut remédier à ſa maniére, car il conſultoit peu les Médecins, & il vint à ne pouvoir preſque plus marcher, ni quitter le lit.

Il faiſoit des extraits de tout ce qu'il liſoit, & y ajoûtoit ſes réflexions, après quoi il mettoit tout cela à part, & ne les regardoit plus. Sa mémoire, qui étoit admirable, ne ſe déchargeoit point, comme à l'ordinaire, des choſes qui étoient écrites, mais ſeulement l'écriture avoit été néceſſaire pour les y graver à jamais. Il étoit toujours prêt à répon-

dre ſur toutes ſortes de matiéres, & le Roi d'Angleterre l'appelloit ſon *Dictionaire vivant.*

Il s'entretenoit volontiers avec toutes ſortes de perſonnes, gens de cour, artiſans, laboureurs, ſoldats. Il n'y a guère d'ignorant qui ne puiſſe apprendre quelque choſe au plus ſavant homme du monde, & en tout cas le ſavant s'inſtruit encore quand il ſait bien conſidérer l'ignorant. Il s'entretenoit même ſouvent avec les Dames, & ne comptoit point pour perdu le temps qu'il donnoit à leur converſation. Il ſe dépouilloit parfaitement avec elles du caractère de ſavant & de philoſophe, caractères cependant preſque indélébiles, & dont elles appercevroient bien finement & avec bien du dégoût les traces les plus legéres. Cette facilité de ſe communiquer le faiſoit aimer de tout le monde; un ſavant illuſtre qui eſt populaire & familier, c'eſt preſque un Prince qui le ſeroit auſſi; le Prince a pourtant beaucoup d'avantage.

M. *Leibniz* avoit un commerce de lettres prodigieux. Il ſe plaiſoit à entrer dans les travaux ou dans les projets de tous les ſavans de l'Europe, il leur fourniſſoit des vuës, il les animoit, & certainement il prêchoit d'exemple. On étoit ſûr d'une réponſe dès qu'on lui écrivoit, ne ſe fût-on propoſé que l'honneur de lui écrire. Il eſt impoſſible que ſes lettres ne lui ayent emporté un tems très conſidérable, mais il aimoit autant l'employer au profit ou à la gloire d'autrui, qu'à ſon profit ou à ſa gloire particuliére.

Il étoit toujours d'une humeur gaye, & à quoi ſerviroit ſans cela d'être philoſophe? on l'a vû fort affligé à la mort du feu Roi de Pruſſe, & de l'Electrice *Sophie.* La douleur d'un tel homme eſt la plus belle oraiſon funébre.

Il ſe mettoit aiſément en colére, mais il en revenoit auſſitôt. Ses premiers mouvemens n'étoient pas d'aimer la contradiction ſur quoi que ce fût, mais il ne faloit qu'attendre les ſeconds; & en effet ces ſeconds mouvemens, qui ſont les ſeuls dont il reſte des marques, lui feront éternellement honneur.

On l'accuſe de n'avoir été qu'un grand & rigide obſervateur

teur du Droit naturel. Ses Paſteurs lui en ont fait des réprimandes publiques & inutiles.

On l'accuſe auſſi d'avoir aimé l'argent. Il avoit un revenu très conſidérable en penſion du Duc de Wolfembutel, du Roi d'Angleterre, de l'Empereur, du Czar, & vivoit toujours aſſez groſſiérement. Mais un philoſophe ne peut guére, quoiqu'il devienne riche, ſe tourner à des dépenſes inutiles & faſtueuſes qu'il mépriſe. De plus M. *Leibniz* laiſſoit aller le détail de ſa maiſon comme il plaiſoit à ſes domeſtiques, & il dépenſoit beaucoup en négligence. Cependant la recette étoit toujours la plus forte, & on lui trouva après ſa mort une groſſe ſomme d'argent comptant qu'il avoit caché. C'étoient deux années de ſon revenu. Ce tréſor lui avoit cauſé pendant ſa vie de grandes inquiétudes qu'il avoit confiées à un ami, mais il fut encore plus funeſte à la femme de ſon ſeul héritier fils de ſa ſœur, qui étoit Curé d'une paroiſſe près de Leipſic. Cette femme en voyant tant d'argent enſemble qui lui appartenoit, fut ſi ſaiſie de joye qu'elle en mourut ſubitement.

M. *Eckard* promet une vie plus complette de M. *Leibniz*; c'eſt aux mémoires qu'il a eu la bonté de me fournir qu'on en doit déja cette ébauche. Il raſſemblera en un volume toutes les piéces imprimées de ce grand homme éparſes en une infinité d'endroits, de quelque eſpèce qu'elles ſoient. Ce ſera là, pour ainſi dire, une réſurrection d'un corps dont les membres étoient extrêmement diſperſés, & le tout prendra une nouvelle vie par cette réunion. De plus M. *Eckard* donnera toutes les œuvres poſthumes qui ſont achevées, & des *Leibnitiana* qui ne ſeront pas la partie du Recueil la moins curieuſe. Enfin il continuera l'Hiſtoire de Brunſvic, dont M. *Leibniz* n'a fait que ce qui eſt depuis le commencement du Régne de *Charlemagne* juſqu'à l'an 1005. C'eſt prolonger la vie des grands hommes, que de pourſuivre dignement leurs entrepriſes.

G. G. LEIBNITII
VITA
A CELEB. JAC. BRUCKERO
SCRIPTA,

Ex Tom. V. ejuſdem Philoſophiæ Hiſtoria, deprompta.

§. I.

Germaniæ induſtria in excolenda philoſophia eclectica.

PRODUXIMUS hactenùs in ſcenam viros ſummos quos emendandæ philoſophiæ genuit Italia, Anglia, Gallia, quove eventu in formandis veris ejus vultibus ſedulitatem atque ingenium probaverint, pro inſtituti modo enarravimus. Reſtat Germania noſtra, quæ tantæ felicitatis, quantam vera de rebus ad cognitionem humanam pertinentibus cura promittit, memor ſeriùs quidem, quàm reliquæ Europæ regiones, at ſatis eleganter exoptatoque ſucceſſu in reſtituenda philoſophia eclectica deſudavit. Cui par tanto conatui largita eſt providentia divina ingenium, GODOFREDUM GUILELMUM LEIB-

LEIBNITIUM; quem ſi reliquis, quos unquam orbis literarius produxit, heroibus adnumeremus, & inter maximos ætatis recentioris viros collocemus, nihil faciemus, quod non rectè nos feciſſe, & civitatis eruditæ conſenſio, & ſequens viri ſummi demonſtrabit hiſtoria. Tanta enim tamque ingentia ſunt viri famigeratiſſimi, & non πολυϊςορίας tantummodò laude celeberrimi, ſed matheſeos quoque & philoſophiæ cognitione admirandi merita, ut quantum ex eo ornamenti ad patriam, quantum utilitatis ad literas omnes, maximè ad philoſophiam, & quæ cum ea conſpirat mathematicam diſciplinam acceſſerit, nemo ignoret, qui non rerum in orbe erudito geſtarum planè rudis eſt atque hoſpes. Is cùm poſt *Carteſium* novam philoſophiæ faciem valdè memorabilem effinxerit, inter reſtauratores philoſophiæ eclecticæ ſuo jam merito eſt enarrandus.

Scriptores hiſtoriæ Leibnitianæ.

§. II. Tanta cum laude artibus propemodum & diſciplinis omnibus illuſtrandis, augendis, emendandis per totam ſeptuaginta annorum vitam inſudavit illuſtris *Leibnitius*, ut & vivus ignoraretur a nemine, de ſcientiarum ſatis curioſo, & poſt fata non deeſſent, qui viri ſummi hiſtoriam, meritaque de literis commentariis exponerent. Quod ſaxum volvendum ſibi delegerat ipſe *Leibnitius*, qui ad *Pelliſſonium* (1) hiſtoriam vitæ, morum, laborum & cogitationum tranſmiſit, quam in vulgus non exiiſſe eò magis dolemus, quò magis in explorandis ingenii animique viribus atque moribus maximam vir ſummus perſpicaciam probavit, in epiſtolis autem ad amicos ſcriptis luculenter prodidit, eam ſibi φιλαυτίας vim atque imperium non ineſſe, quod vel veritati officeret, vel inanem ipſi gloriæ ſine meritis affectationem commendaret. Fatis functus, cum maximum ſui deſiderium reliquiſſet in eruditorum animis vir incomparabilis, nonnullorum in eo verſata eſt induſtria, ut biographiam ejus luci publicæ ſiſtendo illud aliquate-

BRUCKERI NOTÆ.

(1) Vid. *Pelliſſon* Lettres de la tolérance.

quatenus lenirent, & quid in eo amiſerint literæ, quantiſque per eum acceſſionibus auctæ fuerint, accuratè docerent. Fecerunt id, fatis erepto *Leibnitio*, plerique, qui commentarios de rebus literariis, tum edidere: laudabili exemplo præeunte, quæ noſtri patria fuit Lipſia, in quo bonarum mentium optimarumque ſcientiarum emporio, poſt *Nova literaria*, ſingulis hebdomadibus vulgari ſolita præſtantiſſimi *Actorum eruditorum* collectores Leibnitianam memoriam, condito ex more elogio immortalitati conſecrarunt. Qui cùm ſcire res magni viri potuerint, quocum familiariter vixerunt, & prolixè quoque eas exponendi occaſionem habuerint, nobis ante omnes duces eligendi ſunt, ut, quis in orbis literati theatro fuerit *Leibnitius* intelligi poſſit. Quamvis enim prolixiora dare & ex inſtituto ſummi mathematici & philoſophi hiſtoriam conſcribere ſuſceperint VV. CC. *Sebaſtianus Kortholtus*, *Jo. Georgius Eckardus* & *Daniel Eberhardus Baringius*, nihil tamen hactenùs eorum lucem vidit. Secuti ſunt acta eruditorum ſcriptores ephemeridum literariarum alii, certatim in id connitentes, ut defuncti memoriæ juſta ſolverent & nominis ejus gloriæ calamos ſuos dicarent. In quo tamen pietatis & humanitatis officio nemo ſuperaſſe cenſeri poteſt, elegantiſſimæ eruditionis virum *Bernardum Fontenellium*. Cùm enim diu academiæ ſcientiarum, quæ regiis auſpiciis Pariſiis floret, membrum fuiſſet *Leibnitius*, atque ex more laudatiſſimo ejus ad lares meliores translati vita, merita, laudes in conſeſſu academiæ eſſent enarrandæ, inſtructus notitia de tanto viro ab *Eccardo Leibnitii* familiari vir facundiſſimus, elegantiſſimum herois incomparabilis elogium anno cIↄIↄccxvii, Id. Nov. recitavit. Quod cum plauſu omnium exceptum *Hiſtoriæ illuſtris ſocietatis* a ſe conditæ inſeruiſſet *Fontenellius*, noſtris quoque hominibus vernacula legendum traditum & *Theodiceæ Leibnitianæ* cum obſervationibus nonnullis adjectum eſt. Cujus editio cùm recuderetur, adjectæ ſunt annotationes tum ab *Eccardo*, tum ab anonymo, quem *Baringium* eſſe, veriſimillimum

mum viris doctis (2) viſum eſt. Quamvis autem ab homine familiari, rerumque *Leibnitii* peritiſſimo memoriæ iſtæ profectæ ſint, quibus uſus eſt Scriptor Gallus, dolendum tamen, & elogii indolem obſtitiſſe *Fontenellio*, quo minùs juſtam tanti viri hiſtoriam conderet, & relationes nonnullas ſuſpectas, quaſdam falſas eſſe. Tacemus alios, qui vitam Leibnitianam pro ſcopo inſtituti ſui tetigerunt, quod poſt *Jo. Fabricium* (3), *Joachimum Frid. Fellerum* (4), *Chriſtianum Grundmannum* (5), *Frid. Gentzkenium* (6), *Jac. Frid. Reimmannum* (7), *Theoph. Stollium* (8). Germanos ex Gallis fecit elegantiſſimus *Niceronius* (9). Horum tamen omnium ſtudium cùm imperfectum meritò viſum fuerit, magno eruditi orbis commodo & plauſu integram atque ſuis numeris abſolutam *Leibnitii* hiſtoriam ſcribere ſuſcepit vir eruditiſſimus, & de philoſophiæ recentioris hiſtoria præclarè meritus *Carolus Guntherus Ludovici.* Debemus indefeſſæ diligentiæ & pulcherrimæ eruditionis viro prolixos commentarios *de Philoſophia Leibnitiana* (10), (ita enim inſcriptio habet,) quos tamen hiſtoriæ Leibnitianæ philoſophiæ prodromum tantùm & delineationem ampliorem eſſe voluit, illam ſuo tempore pleniſſimam deſcripturus. Adeò verò in jucundiſſimo & erudito libro accurationem, ordinem, perſpicuitatem & fidem præſtitit vir doctiſſimus, ut ad hunc unum fontem lectorem tutò ablegare poſſimus, ceteras unde ſua hauſit auctor, ſcaturigines ex eo facilè reperturum, idque unum doleamus, Latino ſermone non exaratum iſtum librum eſſe, ut quantus vir fuerit *Leibnitius*, etiam exteris inde luculentiùs conſtet. Nos ſecundùm leges inſtituti noſtri conſultis viro-

(2) Cl. *Ludovici* l. citando c. 1. §. 4. p. 4.

(3) Hiſt. bibl. ſuæ vol. I. pag. 317.

(4) Is Otio Hanoverano additiones ad vitam *Leibnitii* in A. E. enarratam præmiſit. Fuit autem is quoque ex familiaribus *Leibnitii.*

(5) In Oſſibus & cineribus literarum anno 1716. defunctorum p. 16.

(6) In Hiſt. phil. p. 178.

(7) Hiſt. lit. germ. P. III. p. 576. P. IV. p. 147. P. V. p. 262. ſeq.

(8) Hiſt. liter. P. II. c. 1. p. 488. ſeqq.

(9) Mémoires T. II. p. 64. Præfixit quoque editioni Amſtelodamenſi Theodiceæ anni 1734. vitam auctoris *L. de Neufville*, quam Latinè verſam adjecerunt editores Tubingenſes novæ verſioni Latinæ 1739.

(10) Lipſ. 1737. 8. II. Vol.

rum doctiſſimorum, quos nominavimus, laboribus, ipſa quoque *Leibnitii* ſcripta, maximè *Epiſtolas* ab eruditiſſimo *Chriſtiano Kortholto* edita (11), & *Collectanea* ex ore viri ſummi a Cl. *Fellero* hauſta (12), quæque in ephemeridibus paſſim occurrunt, ad *Leibnitii* hiſtoriam pertinentia conſulemus, & brevem quidem ac ſuccinctam ut ſcriptionis noſtræ modus poſtulat, veram tamen & a partis ſtudio alienam dabimus illuſtris philoſophi hiſtoriam.

Nativitas & educatio Leibnitii.

§. III. Edidit polyhiſtorem *Leibnitium* Lipſia, tot ingeniorum præclariſſimorum mater & altrix, anno cIↄIↄcXLVI, IX. Cal. Jul. ſt. v. parentibus familiæ decoribus, & literarum meritis conſpicuis, patre *Friderico Leibnitio*, facultatis philoſophicæ aſſeſſore, & moralis doctrinæ doctore publico, viro eruditiſſimo, matre *Catharina*, *Guilelmi Schmuckii*, J. U. D. & profeſſoris filia. Cùm parentum uterque, & naturali ingenii acumine & reliquis quoque præſidiis abundaret, quibus ad præclara quævis formari ſolent elegantiora ingenia, feliciori nativitatis ſorte in urbe tanto ſucceſſu Muſis operante, *Leibnitius* uti non potuit. Patrem autem ſexennis puer amiſit, a matre, magnæ prudentiæ & pietatis fœmina ritè educatus. Qui cum paulò adoleſceret, ſcholæ Nicolaiticæ traditus, divini quod nactus erat, ingenii ſcintillas præmaturè prodidit, condiſcipulis non induſtria modò, ſed felicitate quoque ingenii citò ſuperatis. Totus enim in diſciplinarum optimarum ſtudium cùm exardeſceret, non contentus lectionibus, quas peritiſſimorum præceptorum induſtria ſuppeditabat, adoleſcens admodum in patris bibliothecam optimis libris refertam ſe abſcondit, & contemptis rivulis ad humanitatis fontes, ſcriptores veteres Græcos & Latinos, accurrit, jugi lectione atque meditatione ardentem veteris literaturæ ſitim reſtincturus (13). Incidit autem in *Livium* atque *Virgilium*, optimos dicendi fingendique

(11) Lipſ. 1738-1742. IV. Vol.

(12) Edidit ea Otii Hanoverani, ſ. Miſcellaneorum Leibnitianorum titulo Lipſ. 1718. 8.

(13) Act. erud. l. c. & poſt hos reliqui. Inter præcoces ideò eruditos locum ſuo jure poſtulat *Leibnitius*.

gendique auctores, quos cùm difficiles nimis tenero adoleſcenti præceptores diſſuaſiſſent, pervicit tamen ignea vis animi ejus, ut utrumque totum ferè devoraret: tanta memoriæ fidelitate, ut ad ſenium vergens, poëtarum principem totum ferè atque integrum ex memoria recitare poſſet. Ita verò formata eſt præſtantiſſima viri ſummi quam in humanitatis ſtudiis poſtea oſtendit, peritia, qua elegantiſſimis ſuæ ætatis calamis & proſa & ligata oratione inferiorem ſe non eſſe apud omnes demonſtravit. Sed & rhetores, poëtas, hiſtoricos, philoſophos, & quicquid bonorum ſcriptorum ei ſuggerebat paterna ſupellex tanta diligentia & judicandi ſolertia legit adoleſcens prææmaturæ indolis, ut egregia τῆς ἐγκυκλοπαιδείας notitia ei ſuccreſceret, & ante dies virilibus ſtudiis eſſet aptus. Sanè eo tempore collegiſſe divini ingenii virum eas elegantioris literaturæ, maximè antiquæ, opes, quibus velut gemmis ejus ſcripta interſtinguuntur, ex ſcriptis ejus in juvenili ætate editis eſt manifeſtiſſimum. Ita cùm ante ætatem animi vis robur eximium acquiſiviſſet, altiùs ingreſſus ſtadium ad academicorum ſtudiorum curſum animum applicuit, & quindecim annos natus anno cIↃIↃCLXI, albo academiæ patriæ nomen dedit. Quo facto dici non poteſt, quantum animorum ſuccreverit adoleſcenti ignea animi virtute exſuperanti ad proſequendum gnaviter eum curſum, quem intenderat. Igitur lectioni, auditioni, meditationi totus immerſus, non uni literarum generi inhæſit, ſed quoſcunque ſcriptores fors obtuliſſet, ſupra ætatis vires judicio inſtructus ita legit, ut ſeverè examinaret, & in horrea memoriæ longè fidiſſimæ referret, quicquid eruditioni futuræ poſſet eſſe utiliſſimum. Ita theologorum, juris peritorum, medicorum, philoſophorum, auctorumque aliorum, quos eruditionis lumen commendabat, libros nocturna diurnaque manu verſando inexſpectatos inde fructus retulit. Quòd ſi difficiliora occurriſſent, ad præceptorum oracula accurrens auxilium implorabat, quod tamen ex proprio fundo, aciem animi in partes vocando, omnium optimè hauriebat. Erat inter eos, a quorum ore pendebat omnium ſine dubio

eruditiſſimus *Jacobus Thomaſius*, cujus excellentiſſimam doctrinam alibi (14) ex merito deprædicavimus. Is cùm vaſtiſſimam lectionem cum judicio accuratè copulaſſet, & imprimis veteris philoſophiæ, maximè Græcanicæ, raró ejus ætatis inter Germanos exemplo, eſſet conſultiſſimus, *Leibnitium*, acerrimi ingenii adoleſcentem ad hæc myſteria accuratè cognoſcenda maxima dexteritate adduxit, ea felicitate eventus, ut in philoſophiæ hiſtoria paucos poſtea ſibi pares haberet *Leibnitius*, mirabile verò ſit, virum tot difficillimis geometrarum & hiſtoricorum laboribus diſtractum tantum in eo eruditionis genere vidiſſe. Candidè gratoque animo agnovit *Leibnitius*, quantum per hunc virum profeciſſet. Cujus rei teſtimonia peti plurima poſſunt ex epiſtolis *Leibnitii* ad *Thomaſium* (15). Maximè autem ejus rei teſtimonium extare vir ſummus voluit in epiſtola ad hunc præceptorem ſuum data, quam recuſis ejus cura *Nizolii* commentariis præmiſit, & in qua de Ariſtotelica philoſophia cum recentiori reconciliabili diſputat, & de *Carteſii* ſectatoribus judicat. *In ea enim mirè γεῦμα hiſtoriæ philoſophicæ Thomaſianum extollit, quod quantum inter nudas nominum recenſiones & profundas de ſententiarum connexionibus rationes interſit, oſtenderit, & philoſophiæ magis quam philoſophorum hiſtoriam ab eo expectat, teſtatus omnes veterum receſſus eum luſtraviſſe, & recentiorum inventa, quando mereantur, non aſpernari; atque illos illuſtrare, hos examinare unum optimè poſſe.* Talem cùm *Thomaſium* judicaret atque deprehenderet *Leibnitius*, mirum non eſt in philoſophia addiſcenda plurimum illi tribuiſſe, ſic ut fateatur: *ingratus ſim, ſi tibi in philoſophia multa me debere negem.* Et hanc quoque animi fiduciam poſtea conſervavit erga *Thomaſium Leibnitius*, ex quo jucundiſſimum literarum commercium enatum inter utrumque eſt, quod quantum qualemque diſcipulum educaverit *Thomaſius* præclarè loquitur. Fallimur autem, aut ex hac cauſſa derivandum quoque eſt, magnum quod veteribus philoſophis

(14) In Ia. parte lib. 1. Period. 111.

(15) Vid. Tom. IV. hujus collectionis.

phis *Leibnitius* ſtatuit pretium, quos, imprimis *Pythagoram* & *Platonem*, prætuliſſe recentiorum pleriſque in epiſtolis ad amicos multoties prodidit. Sed ut ad præceptores *Leibnitii* reliquos revertamur, in mathematicis *Joannem Kuhnium*, in philoſophia etiam *Joannem Adamum Scherzerum* & *Fridericum Rappoltum* audivit. Et ille quidem ſcholaſtici acuminis laude tum præclarus habebatur: hic autem in veteris philoſophiæ myſteriis probè verſatus audaciori conatu cœperat ſervile jugum ſcholaſticæ philoſophiæ abjicere, unde meruit a *Chriſtiano Thomaſio* (16) cum *Jo. Chriſtophoro Sturmio* primi eclectici nomine laudari, quibus ex merito *Leibnitium* jam tum addidit perſonatus Realis de Vienna. Tantis viris, quorum doctrinam multiplicem fœtus literarii abunde teſtantur, præceptoribus uſus, omni ſpe citius profundiuſque in artium adyta penetravit *Leibnitius*, & futuræ magnitudinis haud obſcura indicia prodidit. Id quod latere non potuit *Thomaſium*, futuram, quam in orbe erudito, obtenturus eſſet, fortunam locumque illuſtrem, noſtro admodum juveni præſagientem.

Mora Leibnitii Ienenſis & promotio academica.

§. IV. Ita in patria academia ſeverioribus diſciplinis ritè initiatus ad Muſas Salanas abiit, & in Ienenſi ſchola magnos tum viros *Erhardum Weigelium*, mathematicarum diſciplinarum peritiâ inſignem, & *Joannem Andream Boſium*, hiſtoriarum doctorem publicum, & criticæ artis præſidio magna cum laude in hiſtoria veteri verſatum, in juriſprudentia autem, cui ſe patris avique materni exemplo addixerat, *Joannem Chriſtophorum Falcknerum* duces ſtudiorum habuit. Quos maximo Leibnitiani ingenii commodo illi præceptores obtigiſſe, ſi non ipſo eventu conſtaret, ſatis tamen id diſci poſſet ex laudatiſſimorum virorum doctrina, multis ſpeciminibus inter eruditos tum probata. Maximè autem plurimum incrementorum ad Leibnitianam eruditionem acceſſit, ex lectionibus *Weigelii*, qui arithmeticæ & mechanicæ myſteria profundiùs rimabatur,

 hiſque

(16) Introd. in philoſ. aul. c. 1. §. 93. p. 44.

hiſque Pythagoream philoſophiam jungere tentabat (17). Hoc enim duce uſus *Leibnitius*, facilè in iſta penetralia pervenit, divini ingenii felicitate adjutus, quæ clauſa manſere præceptori. Cujus exemplum eſſe poteſt arithmetica tetractyos, quam inſtituerat *Weigelius*, quam ſibi de arithmetices dyaticæ arcano cogitandi occaſionem ſuppeditaviſſe, non negat *Leibnitius*. Et huic quoque præceptori ejus tribuendum videtur, quod eo tempore ad ſyncretiſmum inter veteres & recentiores philoſophos, a quo abhorrebat *Thomaſius* inclinaverit. *Weigelium* enim inter *Ariſtotelem* & novatores paciſci voluiſſe, ipſe nos docet *Leibnitius* (18): qui quanti hunc philoſophum fecerit, loco quodam (19) ſatis teſtatum fecit. Non verò apud Ienenſes virorum doctorum præcepta audiviſſe contentus, ipſe quærere veritatem, & novam viam tentare ſuſcepit, nomenque ideò dedit quærentium collegio, quod ſodalitium de novis veritatibus inquirendis maximè tum erat ſollicitum. His ſtudiis auctus & politus in patriam rediit, & priſtina oracula conſuluit, acceptaque prima, quam vocant, laurea, tantum abeſt, ut philoſophiæ ſtudium ſepoſuerit, ut duce *Thomaſio* veterum Græcorum, maximè *Platonis* & *Ariſtotelis* commentarios ſedulò evolveret, Scholaſticorum cum iis cogitata conferret, & recentiorum inventa cum illis componeret, maximè autem Carteſiana placita examinaret, profundiſque meditationibus ita ſe immergeret, ut, quod ad *Burnetum* nobilem Scotum ſcribit (20), quindecim annorum adoleſcens, totos dies in ſylva oberraret, & diſceptationem inter *Ariſtotelem* & *Democritum* inſtitueret; ſæpiùs autem, novis luminibus exortis veterem ſententiam exueret. Ut autem vires quoque publico ſpecimine periclitaretur, præſide *Jacobo Thomaſio de Principio individui* in arenam philoſophicam deſcendit. Quod

(17) Edidit ejus rei ſpecimen in Tr. Vernaculo: in Deſcriptione arithmetica philoſophiæ moralis ſecundum numeros Pythagoræ ejuſque tetractyn. qui Ienæ 1674. 8. prodiit.

(18) In Ep. Nizolio præmiſſa.

(19) Apud *Stollium* Hiſt. Lit. P. III. c. 4. §. 17. p. 674.

(20) Vid. Tom. VI. P. I.

Quod argumentum licet ex ſenticetis Scholaſticorum hauſtum eſſet, auctore pro entitate Nominalium contra Thomiſtarum materiam ſignatam pronuntiante, in eo tamen & acumen judicii probavit, & errores ex recepta Scholaſticorum ſententia oriundos detexit, & quam profundè *Ariſtotelis* ſententiam perſpexerit, demonſtravit. Tacemus corollaria, quæ ingenium *Leibnitii* ſupra juveniles annos eminens produnt. Iſtis peractis, & ſuſcepto ad *Joannem Strauchium* Brunſvicenſem ſyndicum itinere, redux in patriam honores in philoſophia ſummos more majorum petiit, meritoſque nondum duodeviginti annos natus, anno cIↃIↃcLXIV accepit: & tum ad juris legumque diſciplinam majori contentione converſus *Schacherum* & *Schwendendoerferum* JCtos Lipſienſes præceptores habuit. Adeo verò philoſophiæ deliciis ineſcatus ab ejus penitiori meditatione non deſtitit, ut magno labore id tum temporis ageret, qua ratione *Platonem* cum *Ariſtotele* conciliare poſſet. Viribus itaque ſatis atque eruditione inſtructus, qui docentis jura publico ſpecimine tueretur, *Quæſtiones philoſophicas ex jure collectas* in arenam deduxit, ventilandaſque viris doctis exhibuit: idem ſub *Schwendendoerfero* in jure ſuſcepit, argumento diſceptationis literariæ *de Conditionibus* propoſito. Addunt *Actorum eruditorum* collectores, etiam in philologico argumento vires tentaturum *Leibnitium*, *de Scriptoribus Laconicum Lipſii ſcribendi genus imitantibus* ſchediaſma meditatum multa collegiſſe, haud injucunda, editione tamen poſthac ab aliis laboribus impedita. Ut verò in philoſophica facultate academiæ patriæ locum aliquando obtinere poſſet, juxta leges & ſtatuta *de Complexionibus* publicè diſputavit. In qua diſſertatione anno cIↃIↃcLXVI habita, tum primùm paulò clariùs emicuit, quàm ingenium ejus magnitudinem portenderet. Multa enim excelſa, ſingularia, & profundam meditationem prodentia cùm attuliſſet, maximè veritatum nonnullarum, quas ætate maturior in meridiana luce collocavit, auroram jam tum cœlo philoſophico induxit. Qua de re vel ſola, quæ more recepto adjecit, corollaria exemplum præbent luculentum. Ex

qua

qua tractatione enata *Leibnitio* *Ars combinatoria*, eodem anno edita, *in qua ex arithmeticæ fundamentis complicationum ac tranſpoſitionum doctrina novis præceptis exſtruitur, & uſus ambarum per univerſum ſcientiarum orbem oſtenditur, nova etiam artis meditandi, ſeu logicæ inventionis ſemina ſparguntur.* Adjecit in fine *Demonſtrationem exiſtentiæ Dei ad mathematicam certitudinem exactam.* Valdè placuit ingenioſum ſcriptum viris paſſim eruditis, qui probè viderunt, novas meditationes haud planè nullius uſus in eo aperiri, ſpargi ſemina inventionis, & pulchra multa afferri: multa aliorum παροράματα acutè configi. Quæ cauſſa fuit, ut inconſulto licèt auctore, anno cIↃ IↃ CXC Francofurti recuderetur. Id quod tamen valdè diſplicuit *Leibnitio*, » eo quòd libellum non ſatis eſſe limatum, » nec præſentibus ejus cogitatis ac perſonæ ubique reſponden- » tem judicaret, & veniam olim annis datam, in quibus ali- » qua interdum luxuriantis ingenii audacia laudetur, nunc a » ſe peti non poſſe perſpiceret. « Unde in *Actis eruditorum* editionem iſtam improbari juſſit, indicavitque, quibus in articulis meliora jam ipſi arriſiſſent. Quibus tamen non obſtantibus magnæ auctoritatis viris labor iſte probatus eſt (21), eo quòd ad faciliorem juriſprudentiæ methodum cuncta attemperaviſſet. Talis cùm eſſet, licèt vigeſimum ætatis annum vix attigiſſet, ſummos in utroque jure honores petere auſus eſt; & obtinuiſſet eos ſine dubio, cùm ſpectatiſſima jam tum ejus eruditio in patria fuiſſet, niſi lepido errore (22), quem cauſſis arcanis, & quod nondum maturus annis crederetur, tribuunt *Acta eruditorum*, repulſam fuiſſe paſſus, a qua ipſe jure conſultorum ordo ſine dubio abhorruiſſet, ſi ab eo res tum ſtetiſſet.

§. V.

(21) *Godofr. Strauchius* Diſſ. de Syllogiſmo juridico §. 5. apud *Ludovici* l. c. p. 313. ſeqq. add. *Morhof.* Polyhiſt. T. I. p. 360. ſeqq.

(22) Nempe cùm in ædibus decani conſilii ſui indicium ex more facere vellet, ab uxore ejus, adoleſcentiam illius contemnente repulſam paſſus dicitur. *Ludovici* l. c. p. 45. qui rectè obſervat, bellum nondum Ariſtotelicis & ſcholaſticis tum indixiſſe *Leibnitium*, ut ea propter impediretur, quam cauſſam nonnulli allegant.

§. V. Indignatus hanc injuriam *Leibnitius*, de alio loco circumſpexit, in quo præclaræ, quam poſſidebat doctrinæ major ratio haberetur, obtinerique honores diu meriti poſſent. Ad Noricam ideo, quæ Altdorfii floret, academiam eodem anno abiit. In quo itinere, cum altè ſibi animo infixiſſet, quod poſtea ſymboli loco adhibuit, partem vitæ, quoties perditur hora, perire; de emendanda juriſprudentia novaque atque faciliori methodo introducenda meditatus eſt, & cogitationes ſine librorum apparatu, ſolius mentis beneficio, conceptas in chartam retulit, quas biennio poſt typis vulgavit. Ubi autem Altdorfii appuliſſet, ad examen more conſueto admiſſus, ita præclariſſimam eruditionem doctoribus legis, qui in ea ſchola tum vivebant, probavit, ut ad diſſertationem inauguralem, ſecundùm academiæ ſtatuta ſine præſide habendam lubentiſſimè admitteretur. Diſputavit viginti annorum juvenis *de Caſibus perplexis in jure*, tanto omnium applauſu, ut non bonus modò quilibet, de hoc novo academiæ ornamento reipublicæ eruditæ gratularetur, ſed & ſenatus academicus, egregiè conſultum iſti ſcholæ putaret, ſi in docentium numerum reciperetur. Obtulit itaque novo doctori jus atque poteſtatem legum ſcientiam extra ordinem docendi: Quam conditionem tamen rejecit, cùm aulicam potiùs anhelaret. Ideò relicta Altdorfio Norimbergam conceſſit, ut, & viros ibi doctos conveniret, & præclaros artifices, quibus ſemper abundavit urbs celeberrima, inviſeret. Ibi in ſocietatem quorundam incidit, qui in ſummum chemiæ arcanum, (lapidem philoſophorum vocant,) inquirebant. Qui cùm maximè ſacra atque ſilentio tecta myſteria ſua haberent, eo ipſo vehementer accenderunt *Leibnitii* animum, cupientem diſcere, quibuſnam hi homines theſauris inhiarent, quibus modis finem, toties alios fruſtrantem obtinere ſibi pollicerentur, ratus nonnulla ſe ab eis, ut fieri haud raro ſolet, diſcere poſſe, quæ ad recludendos naturæ receſſus facere poſſent. Simulabat ergò alchemiſtorum myſteriorum inſignem quandam notitiam conſcripta ex libris hujus generis epiſtola ænigmatum ipſi auctori imper-

Studia Leibnitii academica Altdorfii.

imperſcrutabilium plena. Quam cùm directori exhibuiſſet, facilè obtinuit, ut dicto certo ſtipendio ſocietati iſti a ſecretioribus chartis eſſe, & librorum arcanorum compendia deſcribere juberetur. Id quod ingenio Leibnitiano, inſigni ἀγχοινίᾳ prædito non potuit non evenire utiliſſimum; cum ea brevi teneret omnia, quæ magnis ſumtibus iſtud ſodalitium congeſſerat:

Commendatus Boineburgio Leibnitius.

§. VI. Non neglexit tamen, his intentus, virorum doctorum conſuetudinem *Leibnitius*, undequaque alimenta quærens doctrinæ, quam alebat, indies creſcentis. Maximè *Juſto Jacobo Leibnitio*, eccleſiaſtæ Norimbergenſi innotuit, viro eleganter docto, noſtrum autem ſola nominis cognatione attingenti (23). Is illuſtri *Boineburgio*, viro ſummo, & præter prudentiam aulicam inſigni eruditione conſpicuo, qui tum Norimbergam diverterat, *Leibnitium* commendavit, cùm & heroem illum magnis favere ingeniis noſſet, & *Leibnitium* ea ſcientiarum omnis generis notitia pollere intellexiſſet, quæ illuſtris viri curioſitati abundè poſſet ſatisfacere. Vix autem convenerat eum *Leibnitius*, cùm ingenii magnitudinem & judicandi ſolertiam vaſtæ omnium ferè ſcientiarum peritiæ junctam admiratus *Boineburgius*, de benevolentia ſua eum juberet eſſe certiſſimum, ſponderetque, in eo verſaturum curam ſuam, ut ſereniſſimo, cui ſerviebat, electori Moguntino eum tradat, & ad aulæ miniſterium aditum paret. Cui ſcopo obtinendo præclaras de juriſprudentiæ & hiſtoriarum pomœriis dilatandis cogitationes augere, prolixè, hiſque ſe ornamentis eum commendare juſſit. Paruit optimo conſilio *Leibnitius*, & ut Moguntiæ propior eſſet, Francofurtum abiit, fortunæ ſuæ fabrum ita acturus, ut, quæ cupiebat, honeſtiſſimis nominibus conſequi poſſet. Quod eo faciliùs facere licebat, cùm abunde haberet, quibus omni miniſterii generi ſufficeret, & conſilia literaria concepiſſet, ingentem utilitatem pollicentia.

Traditus Leibnitius

§. VII. Intellexerat illuſtris *Boineburgius*, quantum emolumenti

(23) Edidit is Memorabilia Bibl. Norimb.

menti ad aulam heri ſui ex tanto viro redundare poſſet, eumque ideò electori valdè commendaverat. Qui cùm ipſe viris meritorum gloria inſignibus optimè cuperet, ab eo vocare *Leibnitium* Moguntiam *Boineburgius* juſſus eſt. Is ubi advenit, & ſalutandi electoris veniam nactus eſt, in primo congreſſu benevolentiam principis ſibi conciliavit. Qui ut intelligeret, quid de eo eſſet ſperandum, ſpecimen doctrinæ edere conſtituit, quæque de juriſprudentiæ emendandæ modo & ratione deque nova methodo in chartam conjecerat, in ordinem redacta vulgare & inſcribere nomini electoris ſtatuit. Prodiit ita hoc anno cIↃ IↃcLXVIII, *Nova methodus docendæ diſcendæque juriſprudentiæ, cum ſubjuncto catalogo deſideratorum in juriſprudentia.* Qui libellus mole exiguus, at meditationum præſtantia magnus, vehementer viris doctis placuit, qui gaviſi ſunt confuſum illud chaos, quo premitur legum peritia, & difficillimum redditur ejus ſtudium in ordinem redigi poſſe, inventumque eſſe, qui hoc Augiæ ſtabulum purgaret. Ipſe quoque celeberrimus auctor, quamvis de ſe modeſtè, præcipuè de ætatis juvenilis laboribus judicaret, multa ſe nova & proficua detexiſſe, ſemper affirmavit, licet non deeſſent, qui vetera novis melioribus præferre mallent (24). Nec quod non nemo (25) magnæ auctoritatis in eo reprehendit, de ſola methodo demonſtrativa in eo libello ſollicitus fuit, & ut illa in legum ſcientiam introduceretur, ſuaſit, ſed innumeros quoque, quibus ea premitur, defectus, oſtendit, & quæ impedimenta, ad promovendam ſcientiam elegantiſſimam, removenda eſſent, quæ media neglecta, prudentiſſimè detexit. De quo tamen alibi dicendum, cùm ad hanc noſtram tractationem non pertineat, & adeundus, qui in compendio cuncta enarravit Cl. *Fellerus* (26). Ipſe autem *Leibnitius*, cùm intellexiſſet, placuiſſe admodum electori conſilium novi corporis

Moguntino electori.

(24) Oppoſuit his laboribus protribunalia *Nic. Chr. Lynckerus* Gieſſæ *1669*. conf. Leibnitiana p. 143.

(25) Illuſtris *Ludewigius*. vid. *Ludov.* l. c. p. 323.

(26) In Supplem. vitæ Leibnitianæ Otio Hanov. præmiſſo.

juris condendi, quod ordine, elegantia & perſpicuitate ſe magis commendaret, eodem adhuc anno, brevi ſcriptione *Corporis juris reconcinnandi* rationem explicuit, & cum viris doctis atque juriſprudentiæ peritis communis laboris conſilium aggreſſus, ipſam juris collectionem nativo ordini reſtituere aggreſſus eſt. De quo ejus ſtudio, cùm nobis prolixioribus eſſe non liceat, conſulendi ſunt, qui hiſtoriam juris recentiorem tradunt, quæque accuratè enarravit doctiſſimus *Ludovici*. Idem conſiliorum ingentium capax *Leibnitii* animus tentare tum cœpit in omnibus diſciplinis, unde *Alſtedii Encyclopædiam* emendare, augere, & perficere animo concepit & *Heſenthalerum* in laboris ſocietatem pertraxit. Quæ tamen conamina majora & graviora, quæ ſupervenerunt, negotia brevi ſuppreſſerunt, quamvis animum conſiliumque nunquam abjecerit *Leibnitius*, & jam ſenex de ea re cum illuſtri *Wolffio* egerit, ut ſimilis encyclopædia inſigni cum orbis eruditi utilitate tandem procuderetur (27).

Labores Leibnitii Moguntini.

§. VIII. Impediverunt autem *Leibnitium*, talia meditantem curæ publicæ, cujus pars eſſe juſſus eſt. Nempè cùm ſe regno Poloniæ abdicaſſet *Joannes Caſimirus* (28), deque novo rege diſceptarent proceres, qui electionis diem VI. Non. Mai. anni ſequentis indixerant, inter coronæ candidatos nomen quoque profeſſus eſt *Philippus Guilelmus*, Palatinus dux Neoburgicus, cui *Boineburgium* rerum ſuarum adminiſtrum commendaverat, ſpectata viri excellentiſſimi prudentia, rerumque civilium cognitio atque experientia. Cujus benevolentia cùm totus gauderet *Leibnitius*, ejus molimina eruditione ſua, incertum juſſus, an ſponte? juvare ſtatuit. Enatum *Specimen demonſtrationum politicarum pro eligendo rege Polonorum, novo ſcribendi genere ad claram certitudinem exactum*, quod larvato nomine *Georgii Ulicovii Lithuani Leibnitius* edidit. In quo libello ita vim animi etiam in rebus ad prudentiam civilem perti-

(27) Vid. - - - cogitata *Leibnitii* de ratione emendandi Encyclopædiam *Alſtedii*. Tom. V.

(28) Factum id anno 1668. d. 16. Sept.

pertinentibus demonſtravit *Leibnitius*, ut virum ſibi utiliſſimum in aulam ſuam pertrahere omnibus modis princeps laudatus conaretur, fruſtraneo tamen eventu cùm Moguntiam præferre Neoburgo a *Boineburgio* perſuaſus conſtituiſſet. Neque tamen tunc quoque in alium quaſi orbem raptus philoſophiæ curam ſepoſuit, ſed emendare ſenſum de philoſophia rectum, quo poſſet modo, perrexit. Hinc cùm *Marii Nizolii* librum *de Veris principiis & vera ratione philoſophandi contra pſeudo-philoſophos*, qui tum prorſus diſparuerat, a *Boineburgio* accepiſſet, ut & diuturni carceris ſqualore ſcriptorem, *in quo eſſet acuminis ſatis, plurimum eloquentiæ philoſopho dignæ, libertatis nimium, protraheret, ad ſananda bonarum literarum, quæ paſſa erant, mala*, recudi fecit, annotationes adjecit, quibus nimiam libertatem inter repagula aliqua coërcuit, præfixitque duas diſſertationes, quarum una, de Stilo philoſophico diſſerit, & præclara multa de *Nizolio* de ratione dicendi ſcribendique in philoſophia, de habitu linguarum ad philoſophiam, de perſpicuitate dicendi inter philoſophandum, de pretio ſcholaſticæ philoſophiæ ſtatuendo, de ſecta Nominalium, de uſu metaphyſicæ, de univerſalium natura, de ſcriptis *Ariſtotelis*, deque ſimilibus cumulat: altera epiſtolaris ad *Jacobum Thomaſium* de ſcribenda hiſtoria philoſophica, de *Carteſio*, *Ariſtotele*, Scholaſticis, horumque philoſophorum placitis, maximè autem de conciliatione inter *Ariſtotelem* & recentiores diſputat. Patet autem ex his diſſertationibus, quamvis multos receptæ philoſophiæ nævos jam vidiſſet, maluiſſe tamen concordiam tum inter veteres & recentiores inire, quàm illos totos deſerere (29). Quem veterum amorem

 per

(29) Non hoc ita intelligendum, ac ſi *Leibnitius* veterum umbras recentiorum lumini prætuliſſet. Sed cùm in *Ariſtotele* notiones terminoſque vagos & incertos deprehenderet, eorum ſignificationem ex recentiorum obſervationibus determinavit, hocque ipſo alium longè *Ariſtotelem* nobis dare voluit, quàm reverâ fuit. Vidit id, ut mirè perſpicax erat, in dignoſcendis inter ſe philoſophorum ſententiis, *Jacobus Thomaſius*, faſſus in reſponſione ſua, ſibi non perſuaderi, *Ariſtotelem* a recentioribus philoſophis non adeò diſſidere, licèt agnoſcat, dogmata ejus quædam loquendique modos ejuſmodi eſſe, ut conciliare volentibus faciant ſpem aliquam concordiæ, vereri

per totam quidem vitam non depoſuit, maximè tamen eo tempore, quo novum ſyſtema condendi conſilium nondum foverat, prodidit, unde iſta quoque ad ſyncretiſmum propenſio enata eſt, quam in iſtis diſſertationibus manifeſtavit, quam in quadam epiſtola candidè, ut hanc hiſtoriæ philoſophicæ peſtem valdè oderat, confodit *Jacobus Thomaſius.* Valdè commendatos ſibi habuit *Leibnitii* conatus *Boineburgius*, qui, ut præclarè judicabat, multum incrementorum ad literas a *Leibnitio* profectum iri intelligebat. Ut itaque ſponte currenti calcar adderet, tradere eum principibus ſummâ curâ annifus eſt, ut actus gloriæ ſtimulo *Leibnitius* in juvandis diſciplinis, eo majori contentione pergeret. Senſit ejus commendationis effectum *Leibnitius* maturè, anno cIↄIↄcLXX, inter conſiliarios ſupremi judicii reviſorii aſſeſſores in aula Moguntina cooptatus, annoque ſequenti adductus in notitiam magni Principis *Joannis Friderici* Brunſvicenſium & Luneburgenſium Ducis, qua fundamentum futuræ felicitatis noſter poſuit, ab eo tempore intemerata optimi Principis gratia uſus. His calcaribus novo inſtinctu auctus *Leibnitius*, quacunque ratione poſſet, velificare ſtudiis *Boineburgii*, & juvare ſcientias conatus eſt. Inde enata præter *Defenſionem logicam SS. Trinitatis per nova inventa logica, contra Wiſſovatium*, hominem Socinianum, in gratiam *Boineburgii* conſcriptam, *Hypotheſis phyſica nova, quæ phænomenorum naturæ plerorumque cauſſæ ab unico quodam univerſali motu in globo noſtro ſuppoſito neque Tychonicis, neque Copernicanis aſpernando, repetuntur*, quam etiam *Theoriam motus concreti* vocaverat. Eam ſocietati Britannicæ inſcripſit, eo quod ex *Oldenburgero* intellexiſſet, conjecturas has ei non ingratas fore. Supponit autem globum ſolarem, globum terreſtrem, & ſpatium intermedium, maſſa quieſcente, quam ætherem vocat plenum. Et in globo quidem ſolis atque terræ motum ſtatuit

vereri autem ſe, ait, ut illa pax queat ipſo fatis volente ſanciri, ſiquidem mentem philoſophi paulò penitiùs rimemur, ſed & reliqua merentur legi, prorſus enim ſunt egregia & ſyncretiſmo huic evertendo aptiſſima.

ſtatuit circa proprium centrum, ſive internum, & alium motum in ſole, quo agat extra ſe, variè circularem, & radios emittentem, qui agant in globum terreſtrem, totum initio homogeneum, eumque mirificè mutent, admiſſo ab eo dehiſcente æthere. Hinc tot ictibus pleriſque centrorſum euntibus majorem materiæ partem in fundum collectam terram dediſſe, aquam ſupernataviſſe, aërem emicuiſſe, intruſum ætherem omnia intus pervaſiſſe in bullas interceptum hypotheticè aſſerit. Ex quo colligit, terram noſtram etſi radiis lucis dehiſcens in partes heterogeneas abierit, ubique tamen ſubtiliſſimo æthere penetrari; eumque proportionatam ſibi ſubtilitate partium radiorum lucis actionem potiſſimum recipere. Cùm igitur terra agatur circa proprium centrum ab occidente versùs orientem, ſubtiliſſimum ætherem terram circumdantem contrario motu non tantum retardationis, ſed & obnitentiæ, lucem ſequutum, motum iri ab oriente verſus occidentem. Et hunc univerſalem motum in globo noſtro terraqueo eſſe putat, a quo potiùs, quàm ab atomorum figuris aut ramentorum de vorticum varietatibus, res repetendæ ſint. Quaqua ratione fieri debeat, ingenioſè, ut ſunt Leibnitiana omnia, explicat, & ex innumerabilibus bullis, ex fluidi æſtuatione & fuſione per lucem ſeu calorem exortis, ſemina rerum & ſtamina ſpecierum, receptacula ætheris, corporum baſin, conſiſtentiæ cauſſam, & fundamentum omnis varietatis in rebus, impetuſque in motibus derivat. Quæ tamen huc transſcribere omnia, delineareque qua ratione vir ſummus maximis ingenii viribus novam phyſiologiam effinxerit, tractationis ſcopus dicendorumque ratio impedit. Legenda autem tota diſſertatio eſt, ut quàm elegans atque fœcundum jam tum viri magni ingenium fuerit, intelligatur. Mirum itaque haud eſt, placuiſſe fœtum hunc novum non modo viris paſſim doctis, ſed & ſocietati regiæ Londinenſi, cujus juſſu editio repetita eſt; ipſum quoque ſchediaſma illuſtrem *Chriſtianum Knorrium* Cabbalæ denudatæ auctorem, aſſumti *Chriſtophori Peganii* nomine Germanis legendum dediſſe.

ſe (30). Aſt non inficiandum tamen, haud pauca in hac diſſertatione poſtea viro ſummo diſplicuiſſe, cùm ſententiam mutaviſſet, viris quoque nonnullis eruditis (31) ab iis aſſertionibus diſſentientibus. Quoniam autem in hac nova hypotheſi phyſica effingenda, motûs leges ſupponendæ erant, ideò philoſophus acutiſſimus novam quoque *Theoriam motûs abſtracti* delineavit, cujus regulis theoriam motûs concreti inædificavit: eam autem, poſt hanc demum editam publici juris fecit, & academiæ regiæ Francicæ ſcientiarum inſcripſit. In ſchediaſmate, heic ob arctam propoſitionum connexionem in epitome non delineando, ſed ipſo, cùm breve ſit, inſpiciendo, id ſibi conſtituit, & indiviſibilium naturam illuſtraret, cohæſionis rationem detegeret, hypotheſin afferret, unde omnia naturæ phænomena, mechanicè explicari poſſent &c. Multa in hoc brevi ſed acuto ſcripto ſunt, quæ placitorum, poſtea viro celeberrimo propriorum ſemina continent. Inter quæ referri poteſt, quod monadibus ejus præluſit dogma: *Omne corpus eſſe mentem momentaneam, ſeu carentem recordatione, quia conatum ſimul ſuum & alienum contrarium non retineat ultra momentum, adeoque careat memoria ſenſu actionum paſſionumque ſuarum, atque cogitatione*, quibus aſſertis *Hobbeſium* ſecutus fuiſſe non nemini perperam viſus eſt. Aſt multa in hac quoque theoria motûs abſtracti poſtea improbavit *Leibnitius*, ad alias cogitationes delatus. Cujus exemplum hypotheſis dynamica eſſe poteſt, quam tunc quidem nondum conceperat, unde hoc loco cum *Democrito*, *Gaſſendo* & *Carteſio* eſſentiam corporis in ſola maſſa inerte poſuit. Addi his debet *Notitia opticæ promotæ* in qua nova vitrorum opticorum poliendorum artificia tradidit, de quibus etiam cum *Benedicto de Spinoza*, in ea arte mirè verſato per literas egit.

Leibnitii iter Gal-

§. IX. Hactenùs in cœlo Germanico novum philoſophiæ omnis-

(30) Ad calcem *Thom. Brownii* Pſeudoxiæ epidemicæ, quam Germanicè edidit vir illuſtris Norimb. 1680. 4.

(31) Vid. ill. *Wolf.* Tent. phyſ. P. III. *Kaſchubius* in Elementis phyſico-mechanicis, *Jo. Walliſius*, Philoſophical tranſactions n. LXXIV. p. 2227.

omniſque literaturæ ſidus exortum reſplendeſcebat *Leibnitius*; *licum*
jam de fatis ejus ita diſponere incipiebat providentia, ut re- *prius.*
gionibus ſub alio ſole calentibus innoteſceret, quanto ſcientiarum bono is natus eſſet. Occaſionem ſubminiſtravit *Boineburgius*, qui negotiorum tranſigendorum filiique regendi cauſſa *Leibnitium* rogavit, ut in Galliam concederet, aliquam ibi ob dictas cauſſas moram acturus. Factum id anno cIↃIↃCLXXII. Quod iter exoptatiſſimum *Leibnitio* accidit, qui cum ingenio, doctrinaque eſſet inſtructiſſimus, facilè vidit, ex virorum præſtantiſſimorum, quos tum Gallia, maximè Lutetia Pariſioium nutriebat, conſuetudine plurimum incrementi accepturam eſſe ipſius eruditionem, ingenii excellentiam autem illis fore commendatiſſimam. Conſultis itaque exploratiſque in itinere memorabilibus, quæ ad naturalem & eruditam hiſtoriam pertinent, cum in Gallia adveniſſet, fama jam tum notiſſimus, & dotibus ingenii divini admirabilis, viros doctos certatim ſibi amicos comparavit. Quorum tanta erga illum fuit fiducia, ut maximi momenti conſilia de rebus ad diſciplinarum cultum pertinentibus cum eo communicarent, ejuſque arbitrio haud parum in controverſiis inter ſe enatis auctoritatis deferrent. Cujus ſpecimina tum in epiſtolis ejus, tum alibi haud contemnenda occurrunt. Maximè tum temporis caput inter Gallos efferre cœperat geometria ſublimior atque interior, in qua eo tempore hoſpitem ſe adhuc planè fuiſſe alicubi fatetur. Aſt eo tempore *Chriſtiani Hugenii*, cui poſt *Galilæum* & *Carteſium* plurimum tum debebat iſta ſcientia, notitiam nactus, cùm legeret ejus librum *de Horologio oſcillatorio*, adjungeretque *Des-Honvillæi*, id eſt *Paſcalii Epiſtolas*, & *Gregorii a S. Vincentio* opus, *de Quadratura circuli & ſectionibus conicis*, ſola animi perſpicacia vique divina ingenii adjutus, ſubitò maximam lucem hauſit, & ſibi, ut ipſe ſcribit, & aliis quoque, qui eum in his novum norant, inexpectatam, idque mox ſpeciminibus datis oſtendit. Mirari ergo quis queat, eum in tam difficili arduoque opere totum occupatum, provinciam potuiſſe pati hanc ſibi imponi a Duce *Montauſerio*,

& qui ejus nomine rem urgebat, *Petro Daniele Huetio*, ut ad *Martianum Capellam* in uſum Delphini illuſtrandum operam ſuam conferret; quam eum perfeciſſe, ſed ſchedas furto ſubtractas amiſiſſe narrant *Acta eruditorum* (32). Unde veriſimilius putamus eſſe, quod *Fellerus* narrat, monitum ea de re, ſatius fore putaviſſe, ſi tam effuſi ſumtus in detegenda naturæ arcana & ſcientias parum excultas impenderentur, quàm quod auctores iſti, poſt nitidas Belgarum editiones & notis variorum exornatas, paucis immutatis alia tantùm veſte in lucem ederentur. Quanquam verum quoque eſt, etiam huic labori una cum geometriæ arcanioris ſtudio, cui ſe totum tradiderat, ſuffeciſſe ingenium *Leibnitii* vaſtiſſimum. Quicquid autem illius rei fuit, id ſanè ex dictis eſt manifeſtiſſimum, magnitudinem ingenii Leibnitiani maturè effulſiſſe. Factum inde eſt, ut cùm fatis erepto *Boineburgio* patre, filius moderatore haud ampliùs egeret, *Leibnitius*que abitum pararet, retinere ipſum teſte *Fontenellio*, oblata regis gratia, munereque & honoribus haud contemnendis, haud pauci conarentur. Sed cùm Proteſtantium communionem, quam ſequebatur, eccleſiaſticam deſerere nollet, nec placeret tranſitus ad Romanam eccleſiam, favorem hunc fatorum oblatum generoſo pectore reſpuit, annoque CIƆ IƆCLXXVI in Britanniam abiit.

Iter Leibnitii Britannicum prius.

§. X. Primum autem, quod agendum ſibi eſſe credebat *Leibnitius* in inſulam delatus, erat, ut in virorum doctiſſimorum notitiam veniret, quibus ad augendas animi divitias uti poſſet. Facilè autem viam illi paravit doctrina atque virtus apud omnes conſpicua, & amicitia *Collinſii* atque *Oldenburgeri*, qui regiæ ſocietati ab epiſtolis tum erat. His parariis, quisquis eruditionem ſpirabat, imprimis mathematicarum diſciplinarum periti, muſea pariter atque pectora illi recluſerunt, virumque præſtantiſſimum ad amicitiæ jura admiſerunt. Inter quos ſi unum *Iſaacum Newtonum* nominaverimus, ſatis dictum eſſe putamus. Ita verò & augendis geometriæ ſublimioris luminibus, & reliquis, quæ urgebat εὑρήμασι, inter quæ eminet

(32) In Elogio *Leibnitii*.

eminet machina arithmetica, ab ipſo illuſtri viro in *Miſcellaneis Berolinenſibus* (33) depicta, tempus impendendi utiliſſimam occaſionem nactus eſt. Aſt dum læti florent rerum *Leibnitii* ſucceſſus, oborta ex improviſo tempeſtas, omnem fortunam evertere minatur. Obiit enim hoc anno cIↄIↄcLXXIII Elector Moguntinus, cujus morte extincta ſimul fuit omnis, quæ hactenùs ſuccreverat ſpes emergendi, quin & ſtipendium hactenùs illi ſolvi ſolitum deſiit. Quæ tamen, cum deprimere animum quoque fortem atque magnum potuiſſent, *Leibnitium* non fregerunt, Dei potiſſimùm benevolentia, ingeniique quod ab eo acceperat, opibus nixum. Relictâ ergò Britanniâ Lutetiam reverſus eſt, quo loco ſibi conatuum auxilia exoptatiora promittebat; ut verò futuræ quoque fortunæ conſuleret, ad *Joannem Fridericum*, Brunvicenſium Ducem ſcripſit, ejuſque gratiam, qua diu jam fruebatur, imploravit. Is, quanto non prudentiæ modo civilis, & artium mathematicarum præſidio, ſed & πολυϊςορίας laude eſſet inclytus *Leibnitius*, probè intelligebat; unde profuturum rebus ſuis ratus, ſi hunc ſibi virum vindicaſſet, conſiliarii aulici & bibliothecarii munus cum ſtipendio lauto ei obtulit, permittens ſimul, ut Lutetiæ moram facere, uſque ad perfecta conanima, & imprimis abſolutam machinam arithmeticam, liceret. Qui nuntius ut exoptatiſſimus noſtro accidit, ita ad augendam induſtriam eum calcaris inſtar excitavit. Factum inde, ut ita laudatam machinam perficeret, ut ejus copioſiorem, quam Londini ediderat, delineationem *Colberto*, qui ſcientiis artibuſque ampliſſimè apud Regem favebat, itemque Academiæ ſcientiarum offerre poſſet. Quæ cùm ingenii Leibnitiani magnitudinem & doctrinæ excellentiſſimæ merita ſatis noſceret, anno cIↄIↄcLXXV primum ei locum inter exteros, albo ſuo inſcriptos deſignavit. Quem honorem ut meritis ſibi peperit *Leibnitius*, ita novis indies inventionibus tueri ſategit, de

Alterum iter Gallicum.

 quibus

(33) Hiſt. hujus inventionis in compendio enarrat *Ludovici* P. II. §. 328. p. 233. ſqq. Conf. P. I. §. 463.

quibus tamen, cùm ad matheſin pleræque ſpectent; dicere plura hoc loco nihil attinet. Eodem verò anno relicta Gallia iterum in Britanniam ſolvit, ut quæ nova detexiſſet, cum geometris communicaret; anno autem ſequenti, nempe cIↃIↃCLXXVI, ad Batavos abiit, ubi incidit in *Huddenium*, Amſtelodamenſis urbis conſulem, quem cùm arcana geometriæ ſublimioris plurima detexiſſe, & inventa egregia in chartam conjeciſſe comperiſſet *Leibnitius*, qui de augendis & amplificandis præſtantiſſimæ artis limitibus mirè erat ſollicitus, impensè lætatus eſt. Tandem abſoluto itinere Hanoveram petens, circa auctumni initia ſoſpes advenit, benignè a Principe ſuo exceptus, cujus juſſu anno cIↃIↃCLXXVII locum in conſilio aulico occupavit.

Alterum iter Britan[...]um.

Labores Hanoverani.

§. XI. Ita ſedem fixam certamque nactus *Leibnitius* in id totis viribus incubuit, ut & principi ſuo, quem optimum experiebatur, utiliſſimum, & ſcientiis tantum non omnibus exoptatiſſimum ſe præſtaret. Et ante omnia quidem bibliothecam a Principe collectam, cujus cura ipſi demandata erat, accuratè diſponere, augereque ſtuduit, unde hero ſuo ſuaſit, ut *Martini Fogelii*, medici & profeſſoris Hamburgenſis bibliothecam, libris rariſſimis atque optimis magno judicio conquiſitis refertam ære ſuam faceret; quo pacto inſignem acceſſionem ad hanc bibliothecam fecit. Deinde ut reditus quoque Ducis ſui augeret, de emendandis metalli fodinis cogitans, egregia auxilia detexit, quibus aquæ ſubterraneæ, illis tantoperè inimicæ, exhauriri poſſent. Quæ cùm Duci magnoperè placuiſſent, amplumque *Leibnitio* ſtipendium is decreviſſet, perducere ad optatos eventus magno labore ſtuduit; morte Principis autem præventus deſiſtere ab eo conſilio coactus eſt. Sed & alia ratione Hanoveranæ domui fidei & devotionis præſtandæ modum ſuppeditavit *Leibnitio* conventus procerum pacis pangendæ cauſſa Noviomagi eò tempore habitus. Cùm enim Gallorum legati Germaniæ Principibus præter Electores legationis jus competere negarent, noſter id aſſerere, licet perſonatus, edita demonſtratione politica, conatus

natus eſt. Enata inde *Cæſarini Furſtenerii* tractatio *de Jure ſuprematus ac legationis Principum Germaniæ.* Quem libellum, cùm ſingularia multa complecteretur, *Leibnitius* autem nomen ſtudiosè reticeret, alii *Ludolpho Hugoni*, alii *Eſaiæ Puſendorfio*, alii *Ezechieli Spanhemio*, alii *Bernardo Koehne*, quorum nomina tunc inter rerum politicarum conſultos eminebant, tribuerunt, certo indicio, talem iſtum laborem eſſe, cujus pœnitere ſummos viros haud debeat. Quamvis fuerint, qui diſplicere in eo ſibi nonnulla ſint profeſſi (34). Nunquam autem, quod mireris, ſe auctorem illius libelli auctor profeſſus eſt, fortè quod Regum Electorumque aulas, quæ alia ſentiebant, quaſque paſſim faventes habebat, offendere nollet. Poſt curas has publicas, quas Principi ſuo debebat, de ſcientiis quoque amplificandis ſollicita fuit indefeſſa, χαλκεντέρου *Leibnitii* diligentia. Et memorabile imprimis eſt, hoc anno cIↄIↄcLXXVII, XII Cal. April. primam calculi differentialis a ſe inventi mentionem feciſſe *Leibnitium* ad *Iſaacum Newtonum*, qui paulo antè in literis de calculo fluxionum a ſe detecto ad eum ſcripſerat, eum autem ænigmaticè tantùm indicaverat. Porrò & mechanica nonnulla & chemica nova in lucem produxit, interque hæc novam phoſphori rationem a *Brandio* detectam viris doctis ſignificavit, eamque poſtea in Ephemeridibus Pariſienſibus & Berolinenſibus vulgavit. Tacemus alia ad Carteſianas & Stenonianas controverſias pertinentia, quæ in literis ad amicos agitavit; nulla enim eruditionis pars erat, in qua non virum ſe præſtaret *Leibnitius.*

§. XII. Feralis fuit *Leibnitio* annus ſequens cIↄIↄcLXXIX, *Acta Leibnitii ab anno 1679.* ille enim fatali morbo principem optimum & beneficentiſſimum ei abſtulit, cujus memoriam carmine heroico celebravit; in quo tantam artis poëticæ facultatem, canendique elegantiam prodidit, ut mirabile prorſus ſit, virum in abſtruſis ſpeculationum geometricarum myſteriis rimandis, & politico

 argu-

(34) Hiſtoriam libelli vide in Bibliotheca imperantium p. 263. conf. Reimmann. Hiſt. Lit. Germ. P. V. p. 262. not. O.

argumento excutiendo totum occupatum, tam facilem felicemque venam potuiſſe prodere. Verùm ea ſingularis erat ingenii Leibnitiani felicitas, ut omnibus ſufficeret, nihilque attingeret, in quo non præſtantiam demonſtraret. Talis cùm eſſet, negligi a defuncti fratre, qui in Ducatu ſucceſſerat, vir tantus non potuit. Ab *Erneſto Auguſto* enim, regiminis habenas capeſſente, inter conſiliarios aulicos eſſe DC. thalerorum ſtipendio convictuque & domicilio aulico auctus juſſus eſt: quamvis ipſi Imperatori ſerviendi occaſionem captaret, poſt mortem *Petri Lambecii*. Is enim cum Cæſareæ bibliothecæ præeſſet, & hiſtoriographi titulo gauderet, convenientiſſimum rebus ſuis judicaverat *Leibnitius*, ſi ea ſparta potiretur, admiſſus ſimul in conſilium aulicum, qua de re epiſtolam ſcripſit, in qua laborum ſuorum rationem ita exponit, ut dicat, *ſe fodinis aquarum incommodo laborantibus ſubveniendi opere detentum ſpem habere, intra paucos menſes rem confectum iri; hoſque ſe jam cogitationibus delectari, & quod ab officio otii eſt, ſubinde mathematicis ſtudiis impendere, quibus videat, pleraque tum œconomicæ tum etiam militaris ſcientiæ arcana contineri.* Probant id egregia multa, quæ ab eo tempore vulgavit, ſpecimina; nam & aërometriam, quam juvare conabatur *Samuel Reyherus*, augere, & de organo auditûs cum *Gunthero Chriſtophoro Schelhammero* conferre, & alia multa cum eruditis communicare ſtuduit. Cujus egregiam occaſionem nactus eſt, cum laudatiſſimo Actorum eruditorum inſtituto, quod anno cIↄIↄcLXXXIII auctore *Ottone Menckenio* cœpit, ſocius acceſſiſſet. Ab eo enim tempore obſervationibus quàm plurimis iſtis Ephemeridibus inſertis diſciplinas mathematicas & philoſophicas auxit, libros præſtantiſſimos, maximè ad matheſin ſpectantes recenſuit, & in hoc agro fœcundiſſimi ingenii ſemina ita ſparſit, ut lætiſſima inde innumerorum inventorum meſſis exſurgeret. Id quod accurata elegantiſſimorum ſchediaſmatum Leibnitianorum, quæ iſtis Ephemeridibus inſerta ſunt enarratione demonſtrari operæ pretium eſſet, niſi hanc paginæ noſtræ prolixitatem refugerent. Unde lectorem

ad

ad ipſam præſtantiſſimæ collectionis inſpectionem dimittimus, commendato cel. *Ludovici* (35) indice, qui recenſiones & obſervationes Leibnitianas omnes in *Actis Eruditorum* extantes accuratè indicavit. Nos id unum obſervamus, nullam ferè matheſeos, maximè, quæ pura dicitur, partem eſſe, quæ non in hoc eruditionis horreo ab ingenio Leibnitiano inſignem acceſſionem atque augmentum acceperit, multas eſſe, quas ad ſummum perfectionis apicem perduxerit. Qua de re ad ejus proportionem circuli ad quadratum circumſcriptum in numeris rationalibus, ad æquationem exponentialem, ad novum principium catoptricum & dioptricum, ad ſpecimen dimenſiones figurarum inveniendi, ad methodum de maximis & minimis, ad methodum novam tangentium, ad calculum differentialem, ad obſervationes ſtaticas, de momentis gravium in planis inclinatis, ad meditationem de natura anguli contactus & oſculi, ad problema de linea catenaria ſeu funiculari ad ſpecimen dynamicum, & complura alia provocamus. Quibus jungi debent obſervationes atque diſſertationes, quas ephemeridibus literariis Pariſienſium aliiſque paſſim inſeruit. Quorum omnium hiſtoria hoc quidem loco exponi non poteſt, merentur autem matheſeos acta inſigni capite de meritis *Leibnitii* in hanc artem præſtantiſſimam a viro rerum harum accuratè perito augeri. Magis ad noſtrum inſtitutum ſpectant philoſophicæ meditationes ab eo tempore *Actis eruditorum* inſertæ, inter quas primum locum occupavere editæ anno cIↄIↄCLXXXIV meditationes *de Cognitione, veritate & ideis*, in quibus rationali philoſophiæ nova accendere lumina ſategit. Quas cùm infra exhibituri ſimus, hoc loco de iis plura dicere nihil attinet.

§. XIII. Tanta cum luce quotidie illuſtrior coruſcaret eruditio Leibnitiana, iſque in omni diſciplinarum campo curſum præ aliis egregiè abſolviſſet, ejus opera ad res ſereniſſimæ domus Brunſvicenſis deſcribendas ab *Erneſto Auguſto*, Lunebur- *Iter Leibnitii ad colligenda monumenta Brunſvicenſia.*

(35) Vol. I. c. 7. Vol. II. c. 13.

neburgenſium Duce, adhibita eſt. Cujus Principis juſſu atque ſumtibus cIↄIↄcLXXXVII iter literarium ingreſſus eſt, ut ex tabulariis, bibliothecis, monaſteriis, & quæcunque aditum permitterent, adytis literariis monumenta colligeret, quibus illuſtrari atque in apricum produci poſſe hiſtoriam domus ſereniſſimæ poſſe judicaret. Perluſtravit autem primò quidem haud contemnendam Germaniæ ſuperioris partem, Franconiam, Sueviam, Bavariam, Auſtriam, & nec bibliothecas publicas, maximè Cæſaream, nec archiva atque tabularia Principum & civitatum, nec forulos monaſteriorum, nec privatorum quoque theſauros literarios neglexit, ut heri ſui juſſibus obſecundaret. Tum in Italiam progreſſus, in qua Eſtenſem familiam unam cum Brunſvicenſi originem habuiſſe noverat, ſimile inſtitutum faventibus paſſim viris doctis, urgere graviter perrexit. Neque tamen huic uni negotio attentionem ſuam deſtinavit: ſed cùm ingenii vaſtitas pluribus ſufficeret, ad conſueta quoque ſtudia reſpexit, & imprimis matheſin porrò juvare, transmiſſis ad collectores *Actorum eruditorum* obſervationibus, reſpondere viris eruditis, qui dubia objecerant; explorare naturæ artiſque opera, & curam augendarum diſciplinarum nunquam deponere anniſus eſt. Maximè tunc mechanicæ atque rebus ad metalli fodinarum culturam pertinentibus valdè favit, nihilque in eo itinere neglexit, quod ad hunc ſcopum facere poſſe intellexiſſet. Id quod occaſionem *Eccardo* dedit, conquerendi, non tantùm in urgendo ſcopo primario, & publico ſtudium adhibuiſſe *Leibnitium*, quantum in hoc ſecundario & privato, nec ſatis feliciter hoc itinere ad augendam hiſtoriam Brunſvicenſem fuiſſe uſum. Negant id tamen alii, monentes ampliſſimam *Leibnitii* eruditionem & induſtriam planè ſtupendam utrique labori abundè ſuffeciſſe, & haud contemnendam ſupellectilem monumentorum ad hiſtoriam Luneburgenſem pertinentium, ſecum reducem attuliſſe. De qua re ſententiam interponere nobis non licet, qui quid reportaverit Hanoveram, ignoramus, vix autem perſuaderi nobis patimur, *Leibnitium* τὸ ἔργον, quod injunctum illi

illi erat, adeo neglexiſſe, ut πάρεργα ei præponeret; recordamur quoque, quantas difficultates ſuperandas patiantur, qui arcana nonnunquam rerum veterum conclavia adire, perreptare bibliothecarum forulos, & ἀνέκδοτα inde protrahere in lucem ſatagunt. Quibus ſi ſufflaminata fuerit viri magni induſtria, nihil inde redundat, quod eum culpa premat.

§. XIV. Reverſus ad lares *Leibnitius* priſtinum curſum maxima induſtria perficere aggreſſus eſt, & tum divini ingenii felicitate nova εὑρήματα mathematica cum orbe erudito communicavit, tum juriſprudentiæ methodum emendare, reconcinnare collectionem juris, & in formam artificioſi ſyſtematis leges conjungere denuò tentavit. Quo in arduo negotio viros quoque doctos juriſperitiſſimos ſocios ſibi adſcivit. Quanti autem laboris opus ſuſceperit, quantum in eo profecerit, quam inde legum ſcientiæ lucem accenderit, quid abſolvere conatus laudatiſſimos impediverit, hoc loco enarrari non poteſt, ſed ad juriſprudentiæ hiſtoriam recentiorem pertinet, rem verò omnem eleganter complexus eſt Cl. *Ludovici* (36), qui videndus. Eadem ratio eſt, cur quæ hoc tempore inter *Leibnitium* & *Paulum Pelliſſonium* de tolerantia & illis religionis capitibus, quæ Romanam & Proteſtantium eccleſiam disjungunt, diſputata & ab ipſo *Pelliſſonio* invito & ægrè ferente *Leibnitio* vulgata ſunt, prætereamus, quamvis partis ſtudio non occupato prodant, etiam in religionis negotio accurationem philoſophicam & judicium, quo *Pelliſſonium* longè antevertebat, eum demonſtraviſſe. Quod qui negat, aut nos favori aliquid dediſſe putat, eum illa recolere jubemus, quæ de fide ac rationis & philoſophiæ uſu inter utrumque virum doctiſſimum diſputata ſunt, cùm cauſſæ ſuæ diffiſus *Pelliſſonius*, earum teſtimonium ejuraſſet (37), inque Scepticorum caſtra

Reverſi ſtudia & labores.

(36) L. c. §. 103. p. 106.

(37) Vid. *Lettres de la tolérance*, ubi ſatis prodidit *Pelliſſonius*, triumphare ſe cum interitu philoſophiæ, malleque ineptas nugas, ſi ſuæ parti faverint, quàm veritatem rationibus philoſophicis probatam. Sed & reliqua apertum Pyrrhoniſmum ſapiunt; ſine his enim armis tela Leibnitiana effugere erat impoſſibile.

caſtra transfugiſſet. Aliter inſtituens *Leibnitius* ita philoſophiæ præſidio fidebat, ut non obſtare eam revelationi *Pelliſſonio* poſt traditionis carecta latenti demonſtraret. Ceterùm eodem anno cIↃ IↃcxci ab *Antonio Ulrico*, Guelpherbytano Duce conſilio aulico adſcriptus, curamque illuſtris bibliothecæ habere juſſus eſt: ipſe in variis Ephemeridibus literariis more ſuo obſervationibus præſtantiſſimis juvare artes mathematicas & philoſophiam perrexit, controverſiæ hydraulicæ inter *Gulielminum* & *Papinum* ita arbiter interceſſit, ut quanti viros de ſcientiis præclarè meritos faceret, & quàm longè a faſtu pædagogico abeſſet, omnes intelligerent.

Studium Leibnitii in illuſtrando jure publico.

§. XV. Abundè viri doctiſſimi officio feciſſe ſatis *Leibnitius* cenſendus eſſet, etiamſi plura ad promovendas literas non fuiſſet molitus: at ſuppeditavere inexhauſtæ diligentiæ & vaſtiſſimæ lectionis viro alia quoque ad jus publicum pertinentia doctrinæ præſtantia & uſus atque exercitatio, ſumma judicii acie inſtructa. Occaſio autem enata ex conatibus heri ſui, *Erneſti Auguſti*, Ducis Hanoverani, cui ſpes potiundæ dignitatis novæ Electoralis tunc enaſcebatur. Cùm enim in actis tum Imperii Romani publicis, tum ſereniſſimæ domus Luneburgenſis & Brunſvicenſis, *Leibnitius* eſſet verſatiſſimus, & acutè ubique videret, tabularia Principis autem omnia ei paterent, tanta induſtria, tantoque pro ſereniſſima domo ſtudio in eruendis ejus juribus, privilegiis, prærogativis & ſimilibus deſudavit, ut utiliſſima inde illuſtriſſimo *Platenio*, qui res futuri Electoris in comitiis curabat, auxilia exſurgerent, annoque cIↃ IↃcxcii res omnis ex voto finiretur, adſcripto celſiſſimo Principe Electorum collegio. Ita verò dum hiſtoriam antiquiſſimæ domus ſcrutatur, & res ejus ab ovo quod aiunt orditur, initio facto ab ipſis originibus, enatæ viro fœcundiſſimi ingenii novæ de ſtatu terræ primævo poſt diluvii tempora cogitationes, naturalem hiſtoriam mirè illuſtrantes (38), quarum compendium *Actis eruditorum* inſeruit, integras autem in chartam conjecit, quas tranſmiſſas collegio Sorbonæ calculum

(38) Eas *Protogæa* appellavit.

culum ejus meruiſſe teſtatur, qui ad biographiam *Leibnitii*, Germanicè verſam annotationes adjecit. Neque tamen exiguæ tantùm molis libellis eruditionem in hoc quoque genere prodidit, licet ubique præclara atque utiliſſima funderet, ſed cùm actorum publicorum, chartarum atque monumentorum inſignem prorsùs acervum collegiſſet, iſque undequaque augeretur, præter hiſtoriam Brunſvicenſem, cui ſaxo volvendo ex domini ſui juſſu præcipuè invigilabat, totius quoque Europæ hiſtoriam publicam, & quod illi potiſſimum innititur jus gentium publicum illuſtrare aggreſſus eſt. Vocavit autem, præter collectanea tanto ſtudio congeſta in ſubſidium, bibliothecæ Auguſtæ Guelpherbytanæ, his divitiis mirè ſplendentis codices, monumenta regia aliaque auctoritate & favore Principum ex tabulariis publicis collecta, libros rariſſimos, in quibus acta publica deprehenduntur, verbo, quicquid argumentum nobile & graviſſimum illuſtrare & perficere poſſe judicabat. Acceſſere ſtudia & benevolentia virorum doctorum, qui conatus laudatiſſimos illuſtris viri, pro viribus juvare atque promovere contenderunt, qua in re humanitatem *Ezechielis Spanhemii*, *Boiſotii*, *Chriſtophori Schraderi*, *Jo. Alberti Heugelii*, *Gerardi Meieri*, *Greifencranzii*, *Jo. Georgii Grævii*, *Pauli Voëtii*, *Gilberti Burneti*, *Thomæ Rymeri*, *Thomæ Smithi*, *Sparvenſeld*, aliorumque laudavit. Ita tandem, conſultis quoque præſtantiſſimis collectionibus hiſtoricis prodiit anno cIↄIↄcxciii. *Codex juris gentium diplomaticus, in quo tabulæ authenticæ actorum publicorum tractatuum, aliarumque rerum majoris momenti per Europam geſtarum, pleræque ineditæ vel ſelectæ, ipſo verborum tenore expreſſæ ac temporis ſerie digeſtæ continentur, a fine ſeculi undecimi ad noſtra uſque tempora.* Cujus libri præſtantiſſimi hiſtoriam hoc loco enarrare, inſtitutum vetat, conſuli autem non ſine fructu viri docti poſſunt, qui hanc operam ſuſceperunt, maximè autem legenda ſunt, quæ illuſtris auctor more ſuo doctiſſimè tum in primum codicis tomum, tum in alterum, qui mantiſſam continet, eſt præfatus. Nobis id annotaſſe ſufficiat, quod & *Fontenellius* obſervavit,

virum ſummum non modo ingenio, quod ſupra modum acutum & elegans nutriebat, ſed & ferrea diligentia & ſtudio indefeſſo, quod ad publica emolumenta referebat humanæ ſocietatis, amor, & judicium rectum, literis pàriter rebuſque publicis prodeſſe voluiſſe, & omnium quoque bonorum expectationem expleviſſe.

Labores philoſophici Leibnitiani eo tempore.

§. XVI. Reverſus ab hoc labore hiſtorico ad conſueta ſtudia, ad refingendos philoſophiæ primæ ſive ontologiæ vultus animum applicuit. Cui labori eo magis par erat excelſum *Leibnitii* ingenium, quo magis totum erat ad metaphyſicas ſpeculationes quaſi natum, ſyſtemati autem aptè & cohærenter concinnando omnium aptiſſimum. Indignabatur autem vir acutiſſimus, ſcientiam nobiliſſimam, ex qua communia rectè ſentiendi & definiendi principia hauriri debeant, in inanem terminorum notitiam eſſe mutatam. Hinc qua ratione emendari poſſet, quidque ſubſtantiæ notioni, quam velut fundamentum, ſubſternendam eſſe reliquis ſtatuebat, eſſet addendum, peculiari obſervatione, actis eruditorum inſerta explicuit; multos in ea re aſſeclas nactus, quamvis Carteſianis, maximè *Ricardo Andalæ* (39), aliiſque vis illa activa, conatuſque ſubſtantiæ mirè diſplicuerit. Ipſe verò *Leibnitius*, cùm hoc pacto naturam rerum, ipſaſque motûs leges modo ſimpliciſſimo recludi poſſe crederet, quadriennio poſt eandem aſſertionem, commentatione *de ipſa natura ſive vi inſita*, repetiit. Alios labores tum ad geometriam, tum ad artem ſalutarem, tum ad jus publicum pertinentes, quos hoc anno excluſit fœcundiſſimum *Leibnitii* ingenium, cùm ad tractationis noſtræ argumentum non pertineant, brevitatis cauſſa præterimus.

Acta literaria Leibnitiana anni MDCXCV.

§. XVII. Novis philoſophiam acceſſionibus auxit inexhauſta *Leibnitii* doctrina anno ſequente cIↃIↃcxcv. Cùm enim deprehendiſſet, falſas motûs leges ſibi concepiſſe *Carteſium*, de veris earum fundamentis atque principiis diſpiciens, novam

(39) In diſſ. de vera notione ſubſtantiæ, quæ extat in Pentade differt. philoſ. diſſ. I.

vam de viribus ſubſtantiarum ſcientiam tandem meditatus eſt, ex qua omnis mechaniſmi ratio ſimplex atque naturalis poſſet deduci, & menſura virium, maximè vivarum definiri. Quia tamen, quam animo conceperat, ſcientiam novam, quam dynamicen ſalutabat, integram exponere, tot ſimul laboribus obrutus non poterat, *Specimen dynamicum actis eruditorum* inſeruit, ex quo multa poſtea materia viris doctis enata eſt, de menſura virium diſputandi, quæ hoc loco enarrare nihil attinet. Quemadmodum hoc tempore ad dubia a clariſſimo viro, *Bernardo Niewentyt*, contra calculum differentialem ejuſque uſum in reſolvendis problematibus geometricis propoſita, more ſuo, id eſt acutè & humaniter reſpondit. Nulla autem in argumento magis aut ingenii *Leibnitiani* vis emicuit aut novitas hypotheſeos omnium in ſe oculos convertit, quàm in novo, quod hoc anno in *Ephemeridibus Pariſienſium literariis* vulgavit, *Syſtemate de natura & communicatione ſubſtantiarum, itemque unione inter corpus & animam intercedente.* In quo famigeratiſſimam hypotheſin de harmonia inter animam & corpus præſtabilita, de qua infrà ex inſtituto dicemus, prima vice cum philoſophico orbe miro & diverſo eventu communicavit. Anno cIↃIↃcxcvi novis honoribus *Leibnitius* ab Electore Hanoverano auctus eſt, cùm merita ejus de domo Brunſvicenſi in dies creſcerent & augerentur. Declaratus enim conſiliarius juſtitiæ intimus & hiſtoriographus Electoralis, non titulo modo, ſed emolumentis quoque gaviſus eſt, quamvis vitæ pragmaticæ rationi non adſtringeretur, nec in conſeſſu adminiſtrorum ſtatûs locum caperet, niſi cùm de rebus ad hiſtoriam & jus publicum ſpectantibus conſuleretur, ut in cauſſa Saxo-Lauenburgica, & in controverſia cum Duce Virtembergico accidiſſe, *Ludolfo Hugone*, Vice-cancellario Hanoverano, dirigente & dicendi rationem emendante, obſervavit Cl. *Fellerus*. Ita verò novis excitatus ſtimulis pro cauſſa atque gloria heri ſui omnem movere lapidem maxima contentione ſtuduit. Cumque ſereniſſimæ domus Brunſvicenſis hiſtoria eum quotidie occuparet, ab eo tempore cœptum

tramitem nova opera & majori induſtria proſequi, & adjutus miniſterio virorum doctorum, maximè *Joachimi Frider. Felleri*, & *Jo. Georgii Eccardi*, quos in laboris ſocietatem adſciverat, quæcunque in ampliſſimo hiſtoriæ medii ævi campo reperire poterat ad Brunſvicenſes res facientia mira patientia collegit, digeſſit, & in horrea ſua retulit. Cujus generis curis cùm interponere gaudia ſoleant alii, ipſe ad philoſophiæ hortos divertit, & ejus deliciis medii ævi tædia levavit. Ex qua recreatione philoſophica, exortæ *Meditationes* ejus in *Jo. Lockii Librum de Intellectu humano*, in quibus debitis quidem laudibus ornat opus præſtans & acutum, non diffitetur autem diſplicere ſibi ea, quæ contra ideas innatas, de idea ſubſtantiæ, de anima interdum actu non cogitante, de idea vacui, de forma logica, philoſophus Anglus diſſeruit, quamvis ea non obſtare putet, quo minus acceſſiones maximi momenti ad philoſophiam factas eſſe a *Lockio* dici poſſit. Quo judicio æquiſſimè & non ſine meritorum Lockianorum laudibus lato, valdè tamen & ipſum *Lockium*, & amicos ejus *Guilelmum Molinæum* & *Joannem Clericum* offendit, quorum iniquitatem inferendo de hominibus noſtris judicio accuratè ſolideque demonſtravit celeberrimus *Jo. Chriſtoph. Gottſchedius* (40), dignus fama Leibnitiana vindex. Reliquum, quod a labore, cui præcipuè ſe devoverat *Leibnitius* ſupererat, tempus amplificandæ defendendæque hypotheſi harmoniæ præſtabilitæ impendit, & ad objectiones *Foucherii* reſpondit, brevibus autem ſcriptionibus philologiam illuſtravit, id cavens, ne ulla in re, etiam in literis, otioſus eſſet, diceretque aliquid, quod non eſſet utiliſſimum.

Inventa arithmetica binaria. §. XVIII. Habet porrò annus cIↃIↃcxcvii aliquid novi profectum a Leibnitiano ingenio, quod admirationem orbis eruditi meruit. Nempe creationis ex nihilo atque uno, id eſt creatore, imaginem delineaturus novum computandi genus

(40) In Progr. de Iniquitate exterorum in ferendo de eruditis noſtratibus judicio illuſtrium virorum *Jo. Lockii* & *Wilh. Molinæi* exemplis confirmata.

nus ex nihili atque unitatis ſigno conſtans, mira ingenii felicitate detexit, quod arithmeticam binariam ſive dyaticam adpellavit. Non patitur locus atque tractationis ratio, ut quo pacto numerandum eſſe ſolis ſignis O. & I. doceat vir maximus ingenio, quoque ſerierum fundamento nitatur, quam utilitatem præ arithmetica denaria habeat. Exponenda hæc ſunt in hiſtoria arithmeticæ, in qua nobiliſſimam atque elegantiſſimam partem conſtituit. Id hiſtoriæ Leibnitianæ cauſſa modò enarrandum, viginti atque ampliùs annis virum illuſtrem hanc numerandi viam jam in animo habuiſſe, iſto autem quem diximus anno delineato numo majoris molis, ad explicandum creationis ex nihilo myſterium elegantiſſimum εὕρημα primum adumbraſſe, dicaſſeque *Rudolpho Auguſto* Brunſvicenſium duci, prolixiùs autem expoſuiſſe in epiſtolis ad *Jo. Chriſtianum Schulenburgium* perſcripſiſſe quoque myſterii hujus rationem ad *Claudium Philippum Grimaldum*, qui tunc ex ſocietatis patribus tribunali mathematico apud Sinenſes præerat, eique ac ſociis perſuaſiſſe, clavem hanc eſſe ſapientiæ Fohianæ, a tot ſeculis ipſis Sinenſibus deperditæ. Qua de re cùm in fine tractationis aliquid dicendum ſit, hic plura non cumulamus. Conſuli autem poſſunt quæ pro myſterio hoc arithmetico enucleando vulgarunt *Rud. Auguſtus Noltenius* (41) & Cl. *Koehlerus* (42). In reliquis quibus de re literaria hoc anno mereri annisus eſt vir celeberrimus, laboribus de *Carteſii* philoſophia ad *Nicaſium* diſſeruit, de rebus Sinicis noviſſimas relationes vulgavit, ſuo quoque loco a nobis tangendas, & capita quoque nonnulla ad hiſtoriam Germaniæ veteris & medii ævi pertinentia eleganter illuſtravit. Anno autem ſequenti *Acceſſionum hiſtoricarum, ſive monumentorum nondum hactenùs editorum* tomos duos publici juris fecit: In argumento philoſophico autem, cùm de notione naturæ ejuſque vi, & operatione inter ſe digladiarentur *Joannes Chriſtophorus Sturmius* & *Guntherus*

(41) Pec. Schediaſmate Lipſ. 1734. edito, ubi nummi a *Leibnitio* inventi delineatio quoque exhibetur.

(42) Is verſioni Monadologiæ Leibnitianæ, ipſam illuſtris viri epiſtolam ad Ducem Brunvicenſem p. 103. ſeqq. adjecit.

Guntherus Chriſtophorus Schelhammerus, dynamica principia jam antè propoſita contra objectiones Sturmianas confirmavit illuſtravitque. Et eandem quoque viam ad decurſum ſeculi exſpirantis tenuit; ſemper enim aliquid novi eruditæ civitati legendum dedit, quod vel geometriam perficeret, vel calendarium emendaret, vel hiſtoriam civilem pariter atque literariam juvaret, quæ recenſere omnia, loci hujus non eſt, videndus autem, qui cuncta pulchrè complexus eſt, biographus *Leibnitii* Cl. *Ludovici.* Hoc verò tempore quoque *P. Baylio*, dubia contra harmoniam præſtabilitam nectenti reſpondit.

Societatis ſcientiarum Berolini conſtituendæ auctor Leibnitius.

§. XIX. Illuſtre autem prorsùs eſt, quo ſibi civitatem eruditam immortaliter devinxit *Leibnitius*, meritum, cujus eventus lætiſſimus vertente ſeculo apparuit. Nempe totus exardeſcebat vir ſuo jure magnus in literarum incrementa promovenda, omnemque lapidem movebat, ut & ipſe ex abundantiſſimo penu quotidie nova conferret, & alios ingenio atque doctrina præſtantes ad ſimiles conatus perficiendos exhortaretur. Probè autem & ratione inductus, & exemplis Galliæ atque Britanniæ convictus noverat, nihil magis proficuum eſſe literis, quàm ſi mutuas inter ſe manus viri docti jungant, initoque fœdere, poſitiſque legibus ſuas ſymbolas ad emendandas & augendas diſciplinas conferant. Cui fini obtinendo, ut erat animo magno, cùm valiturum præſidium atque medium adhibendum eſſe ſtatueret, *Fridericum I.* Boruſſiæ regem, principem verè magnum & ampliſſimè literis faventem in partes pertrahere conſtituit. Illum igitur cohortatus eſt, ut exemplum *Ludovici XIV.* & *Caroli II*, imitaturus, ſocietatem ſcientiarum regiis auſpiciis conderet, viros doctos conceſſis privilegiis ad augendum diſciplinarum honorem excitaret & hoc pacto novam Muſis ſedem in aula ſua panderet. Hæc, ut efficax erat eloquentia *Leibnitii*, Regi præſens perſuaſit, viroſque doctiſſimos ipſoſque adminiſtros Regis ea in re ſocios laboris & commodationis habuit, eo eventu, ut, ruptis tandem, quæ conſilium laudatiſſimum ſufflaminaverant, impedimentorum repagulis, res omnis perficeretur, &, impoſito priùs

novo

novo Regi diademate regio, anno ſequenti recenti ſocietati præeſſe *Leibnitius*, etiam abſens juberetur. Quo axiomate bonis avibus, feliciſſimiſque, pro republica literaria auſpiciis ornatus, omnem in id vires contulit, ut viros undequaque colligeret, & eruditionis laude & ſcriptorum gloria commendatiſſimos, qui datis ſocietati novæ nominibus ſymbolas ſuas ad amplificandas literas, maximè philoſophiam, matheſin & philologiam conferrent, & exempla exterorum laudabili æmulatione ſequerentur. Qua in re gnaviter urgenda, quàm ſedula fuerit *Leibnitii* contentio, ex epiſtolis ejus abundè conſtare poteſt; His verò artibus adeo gratioſum ſe optimo Principi, gloriam ex literis promotis ſibi juſtiſſimam quærenti reddidit, ut ſingularia prorſus benevolentiæ regiæ ſpecimina multoties acciperet. Immò non regis tantùm ſapientiſſimi gratiâ frui, ſed & optimæ Reginæ, quæ parem in ſexu ſuo eo tempore & virtutis, & doctrinæ cultu non habebat, & ampliſſimè viris doctis favebat, eorumque colloquiis mirè gaudebat, placere & frequenter illi adeſſe *Leibnitio* licuit. Qui ut animum majeſtati gratiæque Regis devotiſſimum teſtaretur, cum literariis conſiliis benè cœpta ſecundavit, tùm ex rariſſimæ eruditionis hiſtoricæ penu in controverſiis illuſtribus regiæ domus, ſtatus adminiſtris, qua poſſet ratione impiger adfuit. Interrupit tamen nonnihil laudabiles conatus morbus, quo aliquot menſes anno cIↄIↄccIII Berolini ægrotavit.

§. XX. Quod Berolini tam læto ſucceſſu volverat ſaxum, Dreſdæ quoque in aula Poloniæ Regis ſimiliter volvendum ſibi eſſe ratus *Leibnitius*, quod convictus eſſet, maximo animo favere literis Principem incomparabilem, hujus quoque mentem ad excitandam academiam ſcientiarum compellere ſtatuit, eo fine, ut ſororio cum Berolinenſi vinculo juncta communibus niſibus laboreque inter ſe communicato literarum incrementa promoveret. Fulciebat ſpem *Leibnitii*, quod regem artium mathematicarum jucunditate & elegantia plurimum delectari noſſet. Nec dubitandum eſt, quin ſucceſſum conſilium habuiſſet exoptatiſſimum, ſi in alia tempora incidiſſet.

Acta Leibnitii anno cIↄIↄccIV, ſeqq.

 Aſt

Aſt belli ſtrepitu tum valdè moleſto perſonabat Polonia, & ad magis neceſſaria & graviora vocabatur Regis animus. Ita verò factum, ut in ipſo partu ſpes omnis ſuffocata evaneſceret. Noſter itaque ad præſentia converſus, non modò irenica, quæ tum in aula Berolinenſi fervebant conſilia maximâ prudentiâ juvare, & inepta, ac bello magis accendendo, quàm paci reſtituendæ idonea proſcribere, maximè autem hiſtoriam Brunſvicenſem, cui augendæ promovendæque deſtinabatur, novis laboribus illuſtrare aggreſſus eſt. Qua occupatione lenire ſe ſimul poſſe dolorem, quem ex obitu Reginæ Boruſſiæ, *Sophiæ Charlotæ*, qui anno cIↃIↃccv accidit, conceperat, ſperabat. Sub prælum ergò miſit *Collectionem hiſtoricorum*, quibus antiquitates Brunſvicenſes & Ateſtinæ, (quæ uno ex fonte promanarunt) illuſtrarentur, quæ tamen annis demùm ſequentibus cIↃIↃccvii, cIↃIↃccx, cIↃIↃccxi, tribus voluminibus prodiit. De qua, cùm nobis inſtituti noſtri limitibus retractis dicere hoc loco, & quanta illuſtris viri merita ob eandem in hiſtoria medii ævi ſint, oſtendere non liceat, conſulendi, poſt ipſum collectorem, eleganter prolixa eaque doctiſſima præfatione de pretio huic collectioni ſtatuendo commentantem, Ephemeridum literariarum ejus anni, itemque bibliothecarum hiſtoricarum ſcriptores, qui laude digna virum ſummum mactarunt. Interim more ſuo, dum editioni invigilat, ſcientias mathematicas, philologiam, hiſtoriam, juſque publicum minoribus ſcriptis, diariis literatis paſſim inſertis, illuſtrare perrexit: quæ cùm argumentum noſtrum non tangant, prætermittimus, facilè autem ex indice ſcriptorum Leibnitianorum colligi, diſcique poſſunt. Majus momentum habet ſtudium, quod haud leve hocce tempore urgebat, *Theodiceæ* opus, hortante Boruſſiæ Regina ſuſceptum, at poſt ejus funera ab eo omiſſum, reſumendi, emendandi, augendi, perficiendi, ad quod amici eum fuerant cohortati. Abſolviſſe autem anno cIↃIↃccvii fœtum celeberrima poſtea fama per orbis literati circulos notum, ex epiſtola ad V. C. *Mich. Gottlieb Hanſchium* conſtat, qua brevem naſcentis ejus libri hiſtoriam

riam eſt complexus. Alia quibus theologis Helmſtadienſibus commodum utilemque ſe eo tempore præſtitit, cùm hac non pertineant, omittimus. Tacere autem non licet ea, quibus in argumento philoſophico verſatus eſt vir illuſtris anno cIↄIↄccviii & ſequente. Nempe cùm *Cudworthi Syſtema intellectuale* a doctiſſima filia dono accepiſſet, legere illud more ſuo, cumque in argumento graviſſimo verſaretur, examinare conſtituit. Vidit autem (quod ad *Cornelium Dietericum Kochium* ſcripſit) *eum pro parte feciſſe, quod faciendum ipſe cenſeat, ut non tam enarrentur omnia de rebus divinis dogmata hominum, cùm errorum numerus ſit infinitus, quàm excerpantur utiliora ad illuſtrandam veritatem, quæ unica eſt.* Aſt concoquere naturas plaſticas non potuit, quamvis materiæ, præter ἀντιτυπίαν inſitas eſſe ἐντελεχείας ſtatueret; eo quòd ſecundùm *Cudworthum* naturæ iſtæ non agant mechanicè in corporibus, cùm tamen cenſeret ipſe, omnia in natura corporea fieri mechanicè, etſi ipſa mechaniſmi principia ex ſola materia non pendeant. Et de hoc quidem argumento, ad ingenioſiſſimam fœminam, quæ miro in philoſophia acumine gaudebat, in literis diſſeruit, & aſſertorum ſuorum rationes explicuit. Deinde cùm *Leibnitium*, ſententiam de *Pufendorfii* philoſophia morali, in libro *de Officio hominis & civis* comprehenſa rogaſſet *Gerardus Woltherus Molanus*, Abbas Loccumenſis, de ea quoque ita diſputavit, ut ſatis luculenter oſtenderet, totum quod conſtruxerat *Pufendorfius* juris naturalis ædificium ſibi diſplicere, principia defectibus non exiguis laborare, pleraſque ſententias in progreſſu non admodum principiis cohærere, neque ex iis, tanquam cauſſis deduci, ſed potiùs aliunde ex bonis auctoribus ſumi, improbari ſibi, quod finem ſcientiæ juris naturæ ambitu hujus vitæ includat, ea, quæ intra pectus latitant, nec foris prorumpunt, ex jure naturæ excluſerit, cauſſam efficientem juris naturæ non in rerum natura, ſed in ſuperioris decreto quæſiverit, ſibimet ipſi vero ſæpe numero obloquatur. Unde judicavit, libellum, etſi multa bonæ frugis contineat, illis tantum uſum præſtare, qui levi aliqua tinc-

tura contenti ſcientiam ſolidam non affectent. Qua cenſura, dici non poteſt, quàm moleſtus Pufendorfianæ philoſophiæ moralis cultoribus viſus ſit, qui famam *Pufendorfii* invidia inſtigante arroſiſſe *Leibnitium* cenſebant. Enatæ inde *Obſervationes* celeberrimi *Joannis Barbeyracii in epiſtolam Leibnitianam* (43), quam tamen vindicandam poſtea ſibi delegit *Balthaſar Branchu* (44), arbitri ſibi partes ſumente *Gerſchomo Carmichael* (45). *Jo. Clericus* (46) quoque, quæ injuſtè & præter rem notata eſſe a *Leibnitio* judicabat, publica ſcriptione confixit, eandemque ſemitam calcavit *Immanuel Weberus* (47), ut alios taceamus, qui vocibus pugnare *Leibnitium*, & præjudicia ex philoſophia Scholaſtica hauſta cenſuerunt. Quibus tamen reſpondit, & pro veritate cenſuræ Leibnitianæ diſputavit Cl. *Iſrael Theophilus Canzius* (48). Porrò circa idem tempus ad certamen philoſophicum *Leibnitium* provocavit *Franciſci Lamy* monachi Benedictini contentio, qui dubiis premere harmoniam præſtabilitam cœpit: iis enim more ſuo doctè & ſine bile reſpondit.

Fructus induſtriæ Leibnitianæ ann. cIↃIↃccx. & ſeqq.

§. XXI. Admodum fœcundus fuit induſtria Leibnitiana annus cIↃIↃccx, quo plurimum philoſophiam editis novis lucubrationibus amplificavit, & omni quoque literaturæ acceſſiones haud contemnendas adjecit. Et primo quidem loco eventum hoc anno habuit exoptatiſſimum cura *Leibnitii* obſervationes ſocietatis ſcientiarum, Berolini conditæ, uno faſce collectas edendi. Quam cùm jam triennium foviſſet, circa auſpicia anni dicti prodiere *Miſcellanea Berolinenſia, ad incrementum ſcientiarum ex Scriptis Societati Regiæ Scientiarum exhibitis edita, cum figuris æneis & indice materiarum.* Quam obſer-

(43) Adjectæ ſunt Gallicæ verſioni ejus libri a viro præſtantiſſimo editæ, Amſt. 1718. 8.

(44) In Obſervationibus ad jus Romanum, Leid. 1731. 8. editis.

(45) Edidit is *Pufendorfii* libellum & ſupplementis ac obſervationibus auxit Edimburg. 1724. 12. Vid. A. E. 1727. Jan.

(46) Bibl. anc. & mod. T. IX. P. II.

(47) In Monito apologetico ad epiſtolam *Leibnitii* cenſoriam Gieſſæ 1719.

(48) In Philoſ. Leibnitianæ & Wolfianæ uſu in theologia P. I. c. 11. §. 12. 13.

obſervationum præſtantiſſimarum farraginem, non extorſit modò precibus & cohortationibus ſuis viris doctis *Leibnitius*, totam digeſſit, præfatuſque eſt & regi inſcripſit, omnemque editionis curam unus ferè abſolvit, ſed & ipſe ex abundantiſſimæ eruditionis penu quàm plurima contulit, immortalem ei gloriam conciliantia. Sive enim matheſeos myſteria rimaretur, ſive antiquitatis fontes aperiret, ſive rerum phyſicarum, hiſtoricarum, philologicarum rationes panderet, in omnibus æquè magnum oſtendit ingenium, dignus cujus vel hoc ſolo nomine apud poſteros perennet memoria. Deinde quam abſolverat, *Theodiceam, ſive diſſertationem de bonitate Dei, libertate hominis & origine mali*, hoc anno typis Amſtelodamenſium prodire juſſit, cujus celeberrimi libri hiſtoriam atque fata infrà ſtrictim enarrabimus. Id in præſentia monemus, & ſcribendi elegantiam, & argumenti varietatem multiplici doctrinâ refertam, & novas atque inauditas hypotheſes miro acumine defenſas & adverſarios, quibus doctiſſima commentatio oppoſita eſt, in admirationem pleroſque rapuiſſe, ita ut faterentur illi quoque, quibus multa paradoxa viſa ſunt, incomparabile eſſe decus ingenii Leibnitiani. In hac autem tractatione, quamvis plurima nova ſint, harmonia tamen præſtabilita non inter animam modò & corpus, ſed & inter naturæ ac gratiæ regnum, itemque elementa monadologiæ prorſus ſingularia orbis philoſophici oculos præ reliquis in ſe converterunt. Ceterùm & *Longium*, *Bibliothecam ſacram* augentem hoc tempore adjuvit, & theſaurum codicum Mscr. Gudianum bibliothecæ Guelpherbytanæ vindicavit. Tanto ardore cùm in literarum diſciplinarumque augmenta eſſet accenſus, maximo ejus gaudio accidit, ut anno ſequente *Petro I.* Ruſſorum imperatori innoteſceret, quem Torgaviæ conveniendi occaſionem erat nactus. Ut enim maxima quævis complexus erat animo Princeps magnus & præcipuè emendandis ad meliores ſenſus ſubditis excelſo ſpiritu intentus, ita non potuit non facilem ſe præbere *Leibnitio*, cujus ingens animi acies & ſumma de artibus atque ſcientiis merita ipſi commen-

data erant, aureſque præbere patulas, cùm nobiliſſima de augendis juvandiſque literis conſilia vir optimus ſuppeditaret. Quæ gratiſſima fuiſſe Monarchæ, non modò muneribus, ejus magnificentiam decentibus demonſtravit, ſed & paulò poſt memorabili eventu compertum eſt. Relatus enim in numerum conſiliariorum juſtitiæ, quos vocant, intimorum, annuo mille thalerorum ſtipendio auctus eſt. Sed & poſtea an. cIↃIↃccxvi, quod ipſe ad *Kortholtum* ſcripſit, ad acidulas Pyrmontanas profecto, Ruſſorum Imperatoris exporrecta frui gratia licuit: eidem quoque per biduum, quod deinde Herrenhuſæ prope Hanoveram egit, adhæſit, miratus in tanto Principe non tantùm humanitatem, ſed & notitiam rerum & judicium acre. Quod quanta reipublicæ eruditæ utilitate, quantis ſcientiarum incrementis factum ſit, facies Ruſſiæ literatæ, priſtinæ barbariei ingenioque Scythico prorſus diſſimilis ſatis probat, cum hodie tanti Principis conſiliis, quæ fovit, auxit, formavit *Leibnitius*, id potiſſimum debeatur, ut nec ulla elegantiæ literariæ pars in vaſtiſſimo regno deſideretur, nec laudatiſſimis inſtitutis ſequi veſtigia iſta ceſſaverint, quibus ſceptra Ruſſica poſt *Petrum I.* tradidit divina providentia.

Conatus Leibnitii promovendarum ſcientiarum in aula Vienneſi.

§. XXII. Quæ in aula Monarchæ Ruſſorum arriſit *Leibnitio* fortuna, apud Romanorum Imperatorem non minùs fuit faventiſſima. Cùm enim optimus Princeps *Antonius Ulricus*, Brunſvicenſium Dux, *Leibnitium Carolo VI.* glorioſiſſimæ memoriæ de meliori commendaviſſet, locum eum in conſeſſu conſiliariorum Imperii aulicorum capere juſſit, & Baronis axiomate clementiſſimè auxit (49). Cujus clementiæ magnitudinem cum ſatis intelligeret *Leibnitius*, dignum ea ſe reddere cupiens, anno cIↃIↃccxiii. Viennam advolavit, & quid ſibi de pacis Ultrajectinæ ratione a *Sinzendorfio* delineata videretur, auguſtiſſimo Imperatori ſcripto expoſuit. Quæ cogitationes adeo placuere & ipſi Imperatori & ſummis rerum adminiſtris, ut ſtipendium bis mille florenorum *Leibnitio* decerneretur,

(49) Factum id exſpirante anno 1711.

retur, unà cum convictu in aula, duplo auctius, teſtibus *Actis eruditorum* obtenturo, ubi ſedem fixam, quod facturus erat, ſi diutius ſupervixiſſet, Viennæ conſtitueret. Sed & alios inde effectus habuit ipſi lætiſſimos atque exoptatiſſimos. Admiſſus enim in amicitiam *Eugenii* Sabaudiæ Principis, aditum parante *Bonnevallio* Comite, incomparabilem heroëm, artis non minùs patrocinio quàm Martis favore & experientia, atque felicitate bellica immortalem ſibi faventiſſimum expertus eſt. Qui cùm plurimum in aula valeret, omnium autem optimè literis cuperet, eaſque promotum, quo poſſet modo, iret, facilè intelligi poteſt, non *Leibnitio* tantùm, ſed & diſciplinis exoptatiſſimam eveniſſe tanti herois benevolentiam. Simili ratione aulæ cancellario *Sinzendorfio*, de quo magna erat Imperatoris opinio, valdè commendata eſt Leibnitiana eruditio. Et his ſummis viris parariis auſus eſt *Leibnitius*, ultimam in vita ſua manum promovendarum literarum negotio admovere, excitata quæſtione atque conſultatione de erigenda auſpiciis imperatoriis ſocietate ſcientiarum. Ad auguſtiſſimum ideo Monarcham conſilia ſua detulit, qui cùm animo non minùs, quàm imperio eſſet maximus, maturè perſpexit, plurimum ad gloriam ſceptri ſui, quin & utilitatem patriæ & regnorum ſuorum conferre poſſe, ſi hoc pacto ſcientiæ juvarentur. Urſere inſtitutum & ipſe *Eugenius*, & Comites *Sinzendorfius* atque *Dieterichſteinius*, aliique rerum Auſtriacarum & Bohemicarum adminiſtri, qui literis egregiè favebant; neminem enim facilè omittebat vir illuſtris, quem laudatiſſimum inſtitutum in aula Viennenſi precibus, monitis, conſiliis juvare promovereque poſſe crederet. Et licèt nonnulli, quos religionis zelus quidam, ſanè præpoſterus, in ſcientias armaverat, intercederent, & clandeſtinis artibus ſufflaminare ſucceſſus exoptatos tentarent, ipſum tamen clementiſſimum Monarcham res immortalitatem gloriæ comparatura faventiſſimum habuit. Et dubium non eſt, quin ad lætiſſimum tandem eventum negotium totum perveniſſet, niſi & fata publica moram injeciſſent; & fata ultima *Leibnitii* illud tandem imperfectum relinquere

eum

eum coëgiſſent. Scripſit enim *Leibnitius* ad *Joannem Chriſtianum Langium* V. C. *magnum Imperatorem præclara agitare conſilia, & ſcripto etiam decreto ſibi rei curationem commiſſam eſſe. Sperareque, ubi nonnihil reſpiraverit aula ab incredibili ſumtu, qui in bellum præſens poſcatur, rationem initum iri novæ fundationis, quæ viris egregiis viam apertura ſit, ad præclara deſtinata in rem conferenda.* Alio autem tempore, ad *Schmidium*, quo imprimis intercedente apud Imperatoris amicos in aula utebatur, ſcripſit, *accepiſſe ſe a Cancellario aulæ Imperatoris nomine decretum confirmatorium ejus rei, ſic ut negotium ex voto optimè ſuccedat, & ſperanda modò atque expectanda pax ſit; rem enim tantùm non confectam eſſe, & deſiderare modò, ultimam manum imponendam.* Ex quibus, aliiſque, facilè cumulandis, ſi hiſtoriam literariam ſcriberemus, conſtat, fatorum iniquitatem obſtitiſſe, quo minùs res eventum ſortita ſit. Plurimum quoque ei obfuit abſentia *Leibnitii*, quem & negotia ab aula Brunſvicenſi commiſſa revocaverunt, & peſtis, quæ anno cIↃIↃCCXIII Viennam depopulata eſt, relinquere aulam coëgit. Ceterùm in iſta mora Viennenſi non modò ſcientiis mathematicis & hiſtoriæ promovendæ conſilia ſua deſtinaviſſe *Leibnitium* ex epiſtolis ejus patet; ſed & philoſophiam amplificare ſtuduiſſe, eamque in rem *Eugenii* voluntate in literas & philoſophiam optimè affecta prudenter fuiſſe uſum, ex dedicatione *Principiorum philoſophiæ* a viro celeberrimo *Michaele Gottlieb Hanſchio* ad *Eugenium Franciſcum* Principem de Sabaudia & Pedemontio &c. ſcripta, conſtat, in qua docet, *ſereniſſimum Principem auctorem ei extitiſſe, ut primam de illis conſcribendis cogitationem ſuſciperet.*

Reverſi Hanoveram Leibnitii labores.

§. XXIII. Et hæc quidem Viennæ a *Leibnitio* acta ſunt: domum autem eum revocavit admotus Britanniæ throno poſt mortem *Annæ* Elector Hanoveranus, quem ſalutare, gratularique diadema regium conſtituerat. Qui cùm ante adventum in Angliam diſceſſiſſet, ſervitio tamen fidem demonſtrare atque obſequium ſtuduit. Cui heri ſui rebus velificandi contentioni tributum tunc eſt ſchediaſma, quod rege in Britanniæ

throno

throno collocato titulo *Anti-Jacobitæ* comparuit, quodque ſcriptis Anglorum nonnullorum, quæ contra religionem Lutheranam ad conflandum Regi apud populares ſuos odium prodierant, reſpondit, & diſcrimen Eccleſiæ Anglicanæ atque Lutheranæ in articulo de cœna curatiùs demonſtravit. Aſt negavit *Leibnitius* haud ſemel, ipſum ejus ſcriptionis auctorem eſſe. Certius eſt, novis ſtimulis adactum *Leibnitium* condendæ hiſtoriæ Brunſvicenſis filum reſumſiſſe. Sunt qui tradant, indignationem aulæ meruiſſe *Leibnitium*, quod negotium, in quod immenſi hactenùs ſumtus fuiſſent facti negligentiùs tractaret, & crebrioribus itineribus longaque in alienis locis mora rem interpellaret; idque adeo ægrè tuliſſe *Leibnitium*, ut de relinquenda Germania, figendaque fortunarum ſuarum ſede apud Gallos cogitare cœperit. Quod utrum indubitato verum ſit, dicere non habemus: fatemur autem, non carere omni veriſimilitudinis ſpecie. Nam biennium ferè Hanovera abfuerat, reduxque *Tourneminio*, Jeſuitæ Gallo, quo amico utebatur, conſilium ſuum aperuerat, in Galliam concedendi: lectis quoque ejus literis rex *Ludovicus XIV*, gratiam ei atque commoda obtulerat. Paulo poſt autem conſtitutus eſt a rege Angliæ hiſtoriographus Brunſvicenſis *Eccardus*, ut tantum opus perficeret. *Leibnitius* verò, quem dolores arthritici, quibus ſubinde miſerè vexabatur, in Germania retinuerunt, ſuſtentatus *Eccardi* induſtria gnaviter proſequi negotium perrexit, favente Rege, & diligentiam utriuſque fovente. Itaque in ſtudio hiſtorico iterum verſatus nova ubique detegere, vetera firmare, & origines quoque gentium eruere tentavit. Cui labori elegans quoque ſchediaſma *de Origine Francorum* debemus, quo Francos primum veniſſe a Baltico mari, fuiſſeque confluxum hominum ex Danis, Saxonibus, Anglis, Warnis aliiſque populis vicinis probat. Quo in aſſerto, veterum teſtimoniis confirmato adverſarios expertus eſt *Joannem Tourneminium* & *Nicolaum Hieronymum Gundlingium*, de qua tamen controverſia plura hìc dicere non licet. Non verò, argumentum tantummodò hiſtoricum controverſiæ circa hoc tempus

implicuit *Leibnitium*, ſed & philoſophicam contentionis ſerram reciprocare cum *Samuele Clarckio*, *Newtoni* aſſecla & ſectatore coactus eſt. Cùm enim Newtoniani quidam valdè reprehenderent, quòd Deum intelligentiam ſupramundanam dixiſſet, harmoniam quoque præſtabilitam improbarent, & haud pauca Leibnitianæ metaphyſicæ arroderent, ipſe, ut ingenio metaphyſico *Newtonum* longè ſuperabat, graviſſimas objectiones contrà attractionis & gravitationis principium, contra ſpatium, Dei ſenſorium, contra vacuum, aliaque philoſophiæ naturalis Newtonianæ capita oppoſuit. Ex quo enata elegans & erudita *Collectio epiſtolarum Leibnitii, Newtoni, Clarckii, aliorumque philoſophiam, religionem naturalem & mathematicas artes illuſtrantium*, quæ conſuli omninò ab illis debet, qui de pretio Newtonianæ & Leibnitianæ philoſophiæ (de qua nuper inter ſe decertarunt clariſſimi viri *Voltairius* (50) & *Kahlius* (51)) judicare cupiunt. Cujus tamen argumentum atque ſummam enarrare hoc loco nobis, aliud agentibus non licet. Non abſolvit tamen controverſiam iſtam *Leibnitius* fatis præventus, quare ad ultimam *Clarckii* epiſtolam pro *Leibnitio* reſpondit V. C. *Ludovicus Philippus Thummigius*.

Obitus Leibnitii. §. XXIV. Ita totus literarum amore & promovendarum diſciplinarum deſidério flagrabat *Leibnitius*, cum decreſcere corporis vires, ex arthritidis doloribus & frequentibus inſultibus valdè exhauſtas, ipſe ſentiret, aliquoties ab inimico malo dejectus, a quo tamen cruciatu eum medicina quædam a nonnemine ex Societate Jeſu ſuppeditata ad tempus liberaverat. Suſceptis autem brevibus itineribus, cum de philoſophia Sinenſi ad *Remondum* ſcriberet, arthritidis vehementia, humeros

(50) In Comparatione Metaphyſicæ Leibnitianæ & Newtonianæ, Gallicè edita, quam Germanica veſte induit G. C. *Moſhemius* magni parentis haud degener filius, Helmſt. 1741. 8.

(51) In Comparatione Metaphyſicæ Leibnitianæ atque Newtonianæ oppoſita *Voltairio*. Goett. 1741. 8. Germ. diſputatum autem eſt de Deo, de vacuo & loco in Deo, de libertate Dei, de principio rationis ſufficientis, de religione naturali, de anima ejuſque unione cum corpore, de principiis materiæ primis, de natura elementorum monadumque, & de vi activa.

ros infeſtans exitialis illi eſſe cœpit. Et aſſumſit ille quidem decoctum illud, quod a Jeſuita Ingolſtadienſi parare didicerat; aſt exhauſtæ corporis ad ſenium vergentis & doloribus fracti vires ejicere potionem iſtam medicatam nequivere, quo pacto obrui corporis ædificium prægravarique malo neceſſe erat. Accedebant calculi dolores, affine malum, cui medendo quidem adhibebatur celeberrimus *Seipius*, cujus tamen medicamina effectu exoptato caruere, accedentibus convulſionibus, quas inſtantis fati prænuntias eſſe, ipſe probè vidit. Chartam itaque atque calamum dum poſcit, & quæ ſcripſerat lumine admovet, caligantes oculos deprehendit, abjectiſque ſcribendi adminiculis quieti ſe componit, ſicque poſt octidui morbum, nihil vaticinatus, nihil locutus, tegumento capitis oculis involutis XVIII. Cal. Dec. anno cIↄIↄccxvi placidè exſpiravit, annos natus ſeptuaginta (A). De cujus morte varii, ut ſolet fieri, rumuſculi oborti ſunt, quos tamen, cùm fide dignis teſtimoniis careant, omittere, quàm fabulis hiſtoriam commaculare philoſophicam virique de literis immortaliter meriti famam onerare malumus. Quo etiam epitaphium Galli nonneminis pertinet, qui mortuo leoni inſultare non erubuit. Æquius, viri docti memoriam defuncti, quem vivum Principum fovit clementia, honoravit civitas erudita, laudibus cumulavit immenſa eruditio, elogia decantarunt, inter quæ eminet elegans elegia ampliſſimi *Chriſtiani Goldbachii* (52), quæ poſtquam merita viri illuſtris per omnem Europæ ambitum doctrina illuſtris eleganter deſcripſiſſet, ita finitur:

Nil jam terra dabas, quo pergeret, involat aſtris,
Fallor? an hic etiam cognita cuncta videt.

Elatus eſt funere ſatis ſplendido, dignoque axiomate, quo eum virum extulerat Principum favor atque clementia, poſtquàm

n 2 a

(A) Anno 1746. die 9. Julii orationem habuit ſolennem in memoriam natalis *Leibnitii* in Academiâ Lipſienſi *Jo. D. Hermannus*: Præfatuſque eſt *Gottſchedius* publico programmate de *Anaxagoræ* die emortuali Lampſaci feſto, & vacatione Diſcipulorum ſolenni celebrato.

(52) Nov. Lit. Lipſ. 1717. p. 69.

a pueritia ad annum ætatis ſeptuageſimum in ſcientiarum ſtadio ita cucurriſſet, ut pleroſque anteverteret, totus ſtudiis intentus & in augendas ſcientias omnem vim animi corporisque convertens. Quæ cauſſa quoque fuit, cur cœlibem vitam matrimonio prætulerit; de quo ſemel tantum in vita, ætate jam provectior, ſed fruſtra cogitavit.

Character Leibnitii. §. XXV. Fuit *Leibnitius* corpore non quidem procero, ſed ad juſtam tamen viri magnitudinem aſſurgente, eoque habitu, qui macilentus magis, quàm pinguis videri poſſet, quique animi vim mole ſua non gravaret. Ejus autem robur in ſene fregerunt frequentes dolores arthritici & podagrici, quibus factum, ut aliquoties in vita ægrotaverit. Igneum autem temperamentum ſtomachi ardor ſubinde prodidit, unde vinum aqua temperavit, calida ſæpiuſcule cum lacte uſus: parcior potu, cibo paulo pleniore alebatur, quod viro, plurimum temporis meditationi tribuenti, & diu ſedenti non nocuiſſe mirum eſt (53). Ita vero victus rationem habuit, ut philoſophum decet, cui una veritatis cura, nullum enim ipſi prandii, nullum cœnæ tempus erat, ſed vacans a ſtudiis, famem habebat prandendi indicium. Teſte autem biographo, cum in ſenectute doloribus arthriticis vexaretur, loco prandii pauculo lactis fruebatur, ſed largiùs cœnabat, ſtatimque a cœna cubitum ibat, quod antehac ante horam primam vel ſecundam matutinam vix contingebat. Nempe inſatiabili deſiderio cùm in lectionem optimorum librorum, atque utiliſſimarum veritatum meditationem ferretur, omnes vitæ commoditates his occupationibus poſteriores habuit, adeo ut integros ſæpe menſes a ſtudiis & ex muſeo non diſcederet, quod unum ſanitati ejus fuerit inimicum, nec ne, medicorum filiis diſceptandum relinquimus, negari autem non poſſe arbitramur, vitam ſedentariam potiſſimum ſcorbuticam maſſæ ſanguinis diſpoſitionem induxiſſe, ex qua tandem arthritidis malum, &

(53) Nempe temperamentum ardens & naturalis ſtomachi firmitas juviſſe concoctionem etiam ſemel videtur.

& calculi quoque incommoda enata ſunt. Multum tamen præſtabat ingens vis animi, & divinum, quod nactus erat ingenium, cujus facultates ita ad optimam temperamenti rationem efformatas habuit, ut, quid natura in producendis viris magnis poſſit, in *Leibnitio* demonſtraviſſe, ſine temeritate judicare liceat. Et judicii quidem acumen in diſcernendis veri falſique cauſſis, modo, effectibus & ſimilibus ita prodidit, ut mirum planè ſit, virum tot diſciplinarum inter ſe diverſiſſimarum ſtudiis addictum inque argumenti generibus vaſtam lectionem & memoriam copioſam poſcentibus, tanta certitudine judicaſſe, & in veritatum ſyſtematumque receſſus tam altè penetraviſſe, errores detexiſſe innumeros, viamque a pleriſque neglectam haud raró inveniſſe. Quod ne πανηγυρικῶς dixiſſe videamur, ad incredibilem εὐστοχίαν provocamus, quam in difficillimis algebræ atque geometriæ ſublimioris problematibus prodidit, quæ tanta fuit, quanta ab homine expectari poteſt, quaque meruit maximis veteris noſtrique ævi viris æquiparari, immò præferri plurimis. Quod cùm in conceſſis habere orbem eruditum ſit notiſſimum, diſputationis fervori adſcribendum eſſe putamus, quod vir quidam doctus cenſuit (54), judicio *Leibnitium* defeciſſe. Quamvis enim ad hypotheſes novas & ratione carentes provocent, qui ita ſtatuunt, ſi quid tamen judicamus, egregiè falluntur: quòd ſi enim conceſſerimus, de quo diſputandi locus hic non eſt, non probari poſſe hypotheſes Leibnitianas accuratè & ſine præjudicio judicantibus, aliæ tamen cauſſæ, quàm judicandi vis imminuta accuſandæ ſunt; cùm frequentia ſatis exempla ſint virorum judicio acutiſſimo inſtructorum in annalibus literariis, qui ad novas tamen & inauditas pauciſque probatas ſententias delapſi ſunt. Ut taceamus, pleraque ea quæ judicandi virtute non conſulta vir illuſtris attuliſſe accuſatur, ab eo ὑποθετικῶς

 aſſeita

(54) Ven. *Joach. Langius* in Recenſione ſcriptorum Anti-Leibnitianorum & Anti Wolfianorum p. 36 conf. tamen *Ejuſd.* modeſtam Diſquiſitionem novi philoſophiæ ſyſtematis de Deo, mundo & homine p. 151. *Heumann.* Act. phil. Vol. II. p. 469. *Reimmann.* Hiſt. lit. Germ. P. III. p. 642. *Morhof.* Polyhiſt. T. II. p. 297.

aſſerta fuiſſe, quorum natura ea eſt, ut de ipſius hypotheſeos veritate & falſitate hactenus diſpici non ſoleat, modò ratio pateat de phænomenis aliquid ſtatuendi, quo duce tandem, abjecta hypotheſi, ad veritatem perveniri poſſe ſperandum ſit. Quo pacto harmoniæ præſtabilitæ hypotheſin virum ſummum adhibuiſſe, quæ judicio carere multis viſa eſt, infra dicemus. Fatemur autem, etſi acerrimo judicio uſus ſit *Leibnitius*, inveniendi tamen fingendique vim animi præcelluiſſe, quam verè divinam & incredibilem fuiſſe concedent, qui tot εὑρήματα ab illuſtri viro producta in lucem, tot problemata geometrica ſummis quoque viris impervia, quæ conſtruxit, & ſoluta poſtea explicuit, tot conjecturas hiſtoricas mirè rerum circumſtantiis reſpondentes, profectas ab ingenio Leibnitiano expenderint. Cujus facultatis tanta illi adfuit felicitas, ut, quod ipſe de ſe obſervavit omnia difficilia ſibi facillima haberet, in facilibus nonnullis difficultatibus impediretur, cùm ad ſumma & excelſa tantum animum intenderet. Nec vel illuſtrius ejus rei ſpecimen vel glorioſius Leibnitiano nomini eſt, calculo differentiali, quo ſolo æternitatem famæ vir incomparabilis meruit. Solet autem ita plerumque evenire, ut qui has intellectus facultates habent excellentes, memoria valdè levi ſuſtententur, contrà qui reminiſcendi copioſè & fideliter virtutem poſſident, judicii paupertate premantur. Aſt contrarium in *Leibnitio* eveniſſe omninò mirandum eſt: qui cùm tantum legiſſet, quantum alii in tota vita vix oculis capiunt, non modò fideliter retenta ſuo tempore locoque reſumere ſemper in poteſtate habuit, ſed & rerum copia minimè impeditus ſuis quæque locis adhibere, miniſtrante memoriæ fidelitate, potuit. His acceſſit inſatiabilis veritatum incognitarum emendandarum cupiditas, & fames ſcientiarum inexplebilis, qua concitatus ferè puer *Leibnitius* illis ætatis annis ad diſciplinarum culmina properavit, quibus ægrè greſſibus titubantibus ſtadium literarium ingrediuntur alii. Quod nos affectui non dare aut admirationi ineptæ, ea quæ de præcoci ejus eruditione & vulgatis in ipſa adoleſcentia ſpeciminibus ſupra copio-

copioſè narravimus, evincunt. Et hunc quidem ſcientiarum amorem non niſi cum vita depoſuit, cui quas curas, quos labores, quamque diſciplinarum apud Principes quoque promovendarum induſtriam orbis eruditus debuerit, ex narratione vitæ ejus abundè conſtat. Ita verò factum, cùm tot divini ingenii dotes, ſuo jure maximæ conſpirarent, ut doctrina enaſceretur in viro ſummo non modò ampliſſima & per omnem ferè diſciplinarum campum ſe diffundens, ſed & ingens atque ad abditiſſima naturæ arcana ſe extendens. Quæ cùm in vita ſatis longa jugi exercitatione firmaretur, nec ceſſaret vir optimus eam augere, ornare, amplificare, experientia illi exorta haud levis, qua ex arena haud raro illa manibus quaſi palpabat, quæ longa meditatione aſſequebantur alii. Acceſſere his intellectus dotibus animi virtutes haud paucæ, quas valdè prædicant, qui cum eo familiariter vixerunt, vel qui commercio literario inito ejus conſuetudine ſunt gaviſi (55). In quibus humanitatem & benevolentiam viri illuſtris, benè omnibus cupientis, & ſcientiarum juvandarum conatus, quibus poſſet modis, promoventis, huncque in finem conſilia optima ſine invidia ſuppeditantis præ reliquis ſuſpiciendam eſſe putamus. Teſtem volumus innumeram epiſtolarum farraginem, ad viros doctos cujuſcunque generis & ordinis ſcriptarum, quarum partem laudabili induſtriæ Ven. *Kortholti* debemus. In iis enim mira dulcedo atque lepor regnat, lectoris animum mirè alliciens atque capiens, jucunditaſque tanta, ut legendi faſtidium obrepere vix poſſit. Quod non modò doctrinæ varietati, qua velut floribus per hortum ſparſis abundant, ſed & humanitati & benevolentiæ, quibus eas quaſi melle condivit *Leibnitius*, adſcribendum eſt. Huic merito jungimus æquitatem virorum doctorum meritis præſtitam. Quamvis enim, ut erat animo magno & a ſervili admiratione vacuo, candidè & apertè de ſummis quoque viris judicaret, eorumque nævos modeſtè reprehenderet, laudandam tamen & voluntatem eſſe cenſuit, & juſtum ſtatuendum eſſe pretium iis,

(55) Conf. *Buddeus* Hiſt. phil. c. 6. p. 492.

iis, quæ rectè feciſſent, ſtatuit. Tantùm autem ab invidia aberat, ut gloriam, quæ ipſi debebatur, haud rarò inter viros doctos divideret, & ad gloriam capeſſendam non hortator modò ſed & viæ dux atque pararius adeſſet. Nempe tantæ erant, quas in proprio fundo poſſederat, ingenii doctrinæque divitiæ, ut ex aliorum gloria ſurrepta ſibi laureolam quærere, quod non niſi ingeniis vulgaribus licet, erubuerit. Mirum autem eſt, quantum a philoſophiæ exercitatione acceperit præſidium *Leibnitius*, in continendo intra modeſtiæ limites animo. Quam virtutem prorſus egregiam, tum maximè oſtendit, ubi cum antagoniſtis erat certandum. Quoſcunque enim ſibi adverſantes expertus eſt, aut quos refutare eſt aggreſſus (56), ita compellavit, ut laudare voluiſſe cenſeretur? ita refutavit, ut habere amicos & plurimùm eos facere omnes crederent. Et profectò inter ſummas viri incomparabilis laudes referendum eſſe exiſtimamus, quod de eo teſtatur biographus rerum Leibnitianarum callentiſſimus, quodque qui intima amicitia illi innotuerat *Joannes Fabricius* (57) confirmat: de nemine unquam malè locutum, quin omnia in meliorem partem interpretatum eſſe. Quod qui favori & amicitiæ datum eſſe putaverit, eum ad epiſtolas ſummi viri, quarum pleræque familiares fuerunt, & in quibus major ſentiendi judicandique uſurpari ſolet licentia, meritò amandamus. Nihil autem jactantius ipſe aut vindicavit ſibi, quod ſuum non eſſet, aut inanem gloriam, licèt veræ laudis eſſet valdè cupidus, affectavit unquam, cùm vires ſuas ſufficere ad eum tuendum locum noſſet, qui præſtantiſſimæ ejus doctrinæ debebatur. Ex quibus omnibus, unam in rationem conductis, rectè, niſi toti fallimur, colligimus, inter maxima orbis literati ingenia, quæ omnis ætas tulit, eſſe numerandum *Leibnitium*, & paucos habuiſſe pares, ſuperiorem inter viros doctos fere neminem.

§. XXVI.

(56) Cum nemine animo magis vulnerato eſt congreſſus, quàm cum *Keilio* & nonnullis aliis *Newtoni* ſectatoribus; verùm & heic quoque modeſtiam non neglexit, luculenter teſtatus, diſplicere ſibi bella; quæ victoriam ſpondent, ſed ingloriam.

(57) Hiſt. bibl. ſuæ T. II. p. 317.

§. XXVI. Nihil in hac animi doctrinæque Leibnitianæ imagine depingenda dediſſe nos aut partis ſtudio aut gentis noſtræ amori, conſtans civitatis eruditæ in ferenda de *Leibnitio* ſententia concordia probat. Facilis autem labor eſſet, ſi id ageremus, ſatis magnum elogiorum Leibnitianorum acervum congerere, quæ de inſigni philoſopho pronuntiavit reſpublica literaria. Verùm quo minùs his inhæreamus, dicendorum copia obſtat. Ne verò ſine calculo doctorum virorum de præſtantia ingenii ingentibuſque doctrinæ meritis tanti viri ſententiam dixiſſe cenſeamur, trigam virorum inter eruditos celeberrimorum in partes vocamus; *P. Baylium*, *Paulum Pelliſſonium*, & auctorem *Memoriarum literariarum Trivultinarum.* Et *Baylius* (58) quidem cùm epiſtolarum inter *Pelliſſonium* & *Leibnitium* controverſias religionis agitantium mentionem feciſſet, ſubjicit: *illi ipſi, qui mille ſpeciminibus edocti ingenii Leibnitiani vaſtitatem intelligunt, non poſſunt ſatis mirari, quanta puritate Gallici ſermonis has objectiones exaraverit. Certè ex illorum virorum numero eſſe cenſendus eſt, qui meritorum, quæ hominibus obtingunt, limites ignorant, ſed omnem eorum orbem implent. Pelliſſonius* autem non minùs eleganter ad *Pirotum*: *Fidem teſtor, totum me cepiſſe* Leibnitium *noſtrum, cujus annotationes priores mihi pulcherrimæ viſæ ſunt, indeque poſtea conjeciſſe ineſſe ei ingenium elegantiſſimum, judicium acre, ratiocinandi peritiam accuratè in receſſus rerum penetrantem, quamvis ſolida ea eſſe, quæ ſcripſit, non videantur. Teſtatur autem tranſmiſſa epiſtola magnam judicii vim, doctrinam ſolidam, ſenſumque rerum omnium exquiſitum. Gaudeo quoque ex meditationibus phyſicis tantum religionis relucere, ex quo & intentio animi optima, & ſcopus juſtus atque purus pectuſque integrum elucent: recta quoque videntur, quæ de extenſionis idea diſſerit, quibus omninò pollicem premo &c.* Paulo pleniùs de *Leibnitio* judicat auctor *Memoriarum Trivultinarum* (59), qui cùm recenſum epiſtolarum Leibnitianarum a *Kortholto* editarum dediſſet, pulchreque ob-

Judicia virorum doctorum de Leibnitio.

(58) Dict. art. *Peliſſon* not. C.

(59) 1737. Nov. art. 2.

ſervaſſet, ex epiſtolis familiaribus virorum doctorum imaginem atque characterem omnium certiſſimè diſci poſſe, addit: *Totum ſe in his epiſtolis denudaſſe* Leibnitium : *conſpici in iis theologum, juris peritum, philoſophum, hiſtoricum, mathematicum, & cùm omnia comprehenderet, in omnibus totum.* Patere in iis non ejus modo ſyſtemata, & animi ſenſa, ſed & characterem : *ubique enim prodere virum bonum, honeſtum, humanum atque benevolum, pacis amantem, contradictionis & liticularum humanitate carentium atque judiciorum temerariorum inimicum, quem cùm in ſupremo loco infinita doctrinæ vis & amplitudo collocaſſet, attingere vulgi invidia non potuerit. Apparere luculentis ſpeciminibus, quanta facilitate animi, gloriam ſuam aliorum honori inſervire juſſerit, licet illi minima pars eorum eſſet, de quibus gloriarentur : quanto deſiderio vires omnes in id contulerit, ut ſcientiarum incrementa promoveret; neglecta earum promotarum fama atque laude; quàm impiger fuerit in juvandis meditationibus & luminibus ſuis, illis qui magnum quid conarentur; quantumque precum, cohortationis, conſiliorumque ad eam rem contulerit, idque effecerit, ut prima ferè conſiliorum omnium cauſſa movens eſſet, quibus aucta ſit eo tempore reſpublica literaria, in qua ob ſingulare ſtudium & ingenii capacitatem principatum aliquem obtinuerit.* Adduntur plura, de ſcriptis, meritiſque ſummi viri magnificis elogiis diſſerentia, quæ brevitatis cauſſa omittimus. Hæc enim non a Germanis ſed a Gallis profecta, qui in contemnendis alias Germanorum ingeniis faciles ſunt, opponere licet iis, quæ *Lockius, Molineus, Keilius,* & nonnulli alii cenſuræ impatientes de tanto viro ſiniſtriùs judicarunt.

Merita Leibnitii de diſciplinis. §. XXVII. Rectè judicaviſſe viros doctiſſimos, quorum de *Leibnitio* effata adduximus, facta inductione exemplorum demonſtrari, probarique poteſt, polyhiſtoris laudem eum, ſi quis unquam jure ſuo meruiſſe. Nam non una ſibi devotum habuit ſcientia, ſed per omnes diſciplinarum circulos latè vagatus, nulla eſt, quam non attigerit, perſpexerit, amplificaverit. Mirumque omnino eſt, quod cùm in geometriæ ſublimioris

mioris ſtudio omnem ferè, quæ ante ipſum fuit, ætatem ſuperaverit, in aliis tamen eruditionis generibus, ab hac diſciplina theoretica longiſſimè diſtantibus, qualia ſunt juriſprudentia, hiſtoria, antiquitatum cognitio, ſtudium etymologicum & ſimilia, ubique *Roſcium* ſeſe præſtiterit, in iis quoque diſciplinis commendatiſſimus, quæ ab ingenio laudem accipiunt. Cujus exempla eſſe poſſunt carmina Latina, propitiâ venâ a viro ſummo conſcripta, in quibus ſive inventionis elegantiam, ſive numerorum aptè fluentium concinnitatem, ſive totius carminis effigiem ad veterum exempla feliciter effictam conſideres, facilè conceſſeris inter melioris generis poëtas Latinos ſuo tempore *Leibnitium* fuiſſe connumerandum. Maximè autem acumen & rerum pondus in illis miratur *Fontenellius*, ideoque cum *Lucano Leibnitium* comparat: quem tamen caſtigata cogitandi fingendique ratione ſuperaviſſe, omnino fatendum eſt. Non impari felicitate verſiculos Gallicos ſcribere tentavit, cujus linguæ elegantiam ita tenebat, ut non modò in Gallia natus videri poſſet, ſed & Gallorum eloquentiſſimos paribus veſtigiis fuiſſe ſecutus judicaretur. Præclariſſimè autem in omni hiſtoriæ genere, maximè, quæ ad medium ævum pertinet, erat verſatus. Cujus ſtudii fundamenta cùm a doctiſſimis præceptoribus, maximè *Joanne Andrea Boſio* hauſiſſet, maturè induſtriam illi dicavit ſuam, eo quòd intelligeret, juriſprudentiam publicam, cui ſe in juventute præcipuè addixerat, Principumque controverſias non niſi hoc lumine colluſtrari poſſe. Juvenem autem in hac eruditionis parte *Leibnitium* excelluiſſe, & hiſtoriam quoque illuc traduxiſſe, ut uſum in cauſſis illuſtribus haberet, ex ſcriptis *Ulicovii* & *Furſtenerii* nomine editis diſci poteſt. Maximè verò immenſa rerum mediæ ætatis cognitio illi ſubnata eſt, ex quo tradita ſparta deſcribendæ hiſtoriæ Brunſvicenſis, iter fecerat per Germaniam & Italiam, reduxque undecunque affluebant, quibus conſilium iſtud juvari poſſet. Qua de re cùm ſuprà nonnulla dixerimus, ea otiosè non repetemus. Aſt junxerat vaſtiſſimæ notitiæ rerum veterum inſolitam conjiciendi felicita-

tem, qua in cauſſas abditas & latentes penetrabat, & eruebat nonnunquam illa, quæ ignota priùs erant omnibus. Neque ſolis Brunſvicenſis domus limitibus ſe circumſcribi paſſus, ad omnium ferè regionum hiſtoriam reſpexit, vetuſtas origines eruit, pacta, fœdera, ſtatuta, quæque alia publica diplomatum fide conſtant, conſuluit, indeque elegantiſſimum *Codicem juris gentium diplomaticum* exſtruxit. Nec alius fuit in juriſprudentia, cujus nævos quàm acutè perſpexerit, quantaque induſtria medicinam illis afferre tentaverit, ex ſuprà narratis liquere poteſt. De quibus tamen ejus meritis heic prolixiùs agere, inſtitutum vetat, meretur autem vir ſummus ex laboribus literariis cognoſci, ut conſtet, quanta πολυϊςορίας laude meritò floruerit. Præclarè verò in philoſophiæ hiſtoria verſatus, omnem veterum doctrinam eleganter animo complexus eſt, tantaque judicandi acie excuſſit, ut non poſſint non ea jucundiſſima eſſe, quæ ubique ferè tum in ſcriptis tum in epiſtolis diſſeminavit. Id quod eo magis mirandum, quo magis, eo quidem, quo *Leibnitius* vivebat, tempore, hiſtoria philoſophica vix ex pulvere ac ſqualore inter Germanos protracta caput efferre & lumina diſciplinis philoſophicis præferre cœperat. Solebat autem vir illuſtris non ipſa tantùm veterum dogmata perquirere, ſed momenta quoque ſyſtematum expendere, deque eorum veritate aut falſitate judicium interponere. In quo licet, fato humano, non ſemper ad ſcopum collineaverit, fatendum tamen, virum acutiſſimum multa vidiſſe, quæ ignorabantur aliis, & penetralia veteris philoſophiæ perreptaviſſe. Ad quam ineundam viam dux illi fuit incomparabilis *Jacobus Thomaſius*, cui revera reſtitutam hiſtoriam philoſophicam maximè illam, quæ de genuinis veterum opinionibus decernit, in Germania noſtra debemus. Cujus ductum ſecutus admodum juvenis veteres & recentiores inter ſe comparavit, eorum dogmata excuſſit, rationes latentes in apricum produxit, talemque ſe præſtitit, ut, niſi, neſcio quo fato, præpoſtero Syncretiſmi inter veteres & recentiores ineundi ſtudio fuiſſet præoccupatus, ab eo adhuc juvene ingentia

gentia incrementa ſperare potuiſſet hiſtoria philoſophica. Ex hinc cauſſa quoque derivanda eſt, cur veteribus per totam vitam fuerit propenſiſſimus, quos faciliùs contemni atque reprehendi, quàm intelligi a plerisque rectè ſtatuebat. Maximè verò favebat vir ſummus *Platoni*, in cujus philoſophia ipſi plurima probabantur. Unde ad *Bierlingium* ſcripſit: *de* Platone *non ſentire ſe tam contemtim, meditationes ejus autem ſibi & profundas paſſim & utiles videri. Et habere ſe* Ciceronem *non malam judicem ſecum ſentientem. Didiciſſe enim nos non ita pridem, plus* Platonem *in receſſu habere, quàm vulgò appareat.* Paulo prolixiùs autem de *Platone* ejuſque philoſophia diſſeruit, & quid ipſi in ea probetur expoſuit in epiſtola ad Cel. *Hanſchium*, ejus ſchediaſmati *de Enthuſiaſmo Platonico* præfixa, quæ ideò memorari expendique merentur, quia ad origines hypotheſium Leibnitianarum intelligendas plurimum facere poſſunt. Scribit autem polyhiſtor præſtantiſſimus: » Nulla veterum » philoſophia magis ad Chriſtianam accedit, quàm Platonica, » etſi meritò reprehendantur, ſi qui ubique putent *Platonem* » conciliabilem Chriſto. Sed ignoſcendum eſt veteribus, ini» tia rerum creationemve, & corporum noſtrorum reſurrec» tionem negantibus. Hæc enim ſola revelatione ſciri poſ» ſunt. Interim pulcherrima ſunt multa *Platonis* dogmata; » quæ tu quoque attingis: unam omnium cauſſam eſſe: eſſe » in divina mente mundum intelligibilem, quem ego quoque » vocare ſoleo regionem idearum. Objectum ſapientiæ eſſe » τὰ ὄντως ὄντα ſubſtantias nempe ſimplices, quæ a me mona» des appellantur, & ſemel exiſtentes ſemper perſtant πρῶτα » δεκτικὰ τῆς ζωῆς, id eſt Deum & animas, & harum potiſſi» mas, mentes, producta a Deo ſimulacra divinitatis. Mathe» maticæ autem ſcientiæ, quæ agunt de æternis veritatibus » in divina mente radicatis præparant nos ad ſubſtantiarum » cognitionem. Senſibilia autem, & in univerſum compoſita, » ſeu, ut ita dicam, ſubſtantiata, fluxa ſunt, & magis fiunt, » quàm exiſtunt. Porrò quævis mens, ut rectè *Plotinus*, quen» dam in ſe mundum intelligibilem continet, immò mea ſen-

» tentia & hunc ipſum ſenſibilem ſibi repræſentat. Sed infi-
» nito diſcrimine abeſt noſter intellectus a divino, quod Deus
» ſimul omnia adæquatè videt, in nobis pauciſſima diſtinctè
» noſcuntur, cetera confuſa velut in chao perceptionum no-
» ſtrarum latent. Sunt tamen in nobis ſemina eorum, quæ
» diſcimus, ideæ nempe, & quæ inde naſcuntur, æternæ ve-
» ritates: nec mirum, quum ens, unúm, ſubſtantiam, ac-
» tionem, & ſimilia inveniamus in nobis, & noſtri conſcii
» ſimus, ideas eorum nobis ineſſe. Longè ergò præferendæ
» ſunt *Platonis* notitiæ innatæ, quas reminiſcentiæ nomine ve-
» lavit, tabulæ raſæ *Ariſtotelis* & *Lockii* aliorumque recentio-
» rum, qui ἐξωτερικῶς philoſophantur. Itaque *Platonem Ari-*
» *ſtoteli* & *Democrito* utiliter conjungendum cenſeo ad rectè
» philoſophandum. Sed nonnullas κυρίας δόξας in eorum uno-
» quoque expungi oportet. Non malè Platonicis quatuor in
» mente cognitiones agnoſcuntur, ſenſus, opinio, ſcientia,
» intellectus, nempe experimenta, conjecturæ, demonſtratio
» & pura intellectio, quæ veritatis nexum uno mentis ictu
» perſpicit: quod Deo in omnibus competit, nobis tantùm
» in ſimplicibus datum eſt. - - Animam in hoc corpore vel-
» ut carcere eſſe, ſano ſenſu intelligi poteſt. Sed abjicienda
» eſt philoſophorum veterum opinio, quod corpus pœnalis ſit
» carcer intelligentiæ olim peccantis. Illud rectè veteres,
» animam in corpore tanquam in ſtatione eſſe, unde injuſſu
» ſummi Imperatoris decedere fas non ſit. Nec illud inele-
» gans, providentia nos regi, qua rationem ſequimur fato,
» & inſtar machinæ, dum affectibus ferimur. Id enim ex
» harmonia præſtabilita hodie nobis perſpectum eſt, Deum
» omnia tam mirificè inſtituiſſe, ut corporeæ machinæ men-
» tibus ſerviant, & quod in mente eſt providentia, in corpo-
» re ſit fatum. Etiam de virtutibus præclarè Platonici & Stoi-
» ci veteres &c. « Deſcribendus erat locus integer, licèt
longiuſculus, ut dictorum ratio conſtaret. Etiamſi enim non
negemus, explicationes Platonicorum dogmatum nonnullo-
rum a magno viro allatas illis probari non poſſe, qui ſine
præ-

præjudicio *Platonem* legerunt: qualia ſunt quæ de objecto ſapientiæ, deque harmonia inter fatum & providentiam dixit, in quibus in devia virum eruditiſſimum deduxit ſtudium hypotheſes ſuas apud veteres inveniendi: fatendum tamen, inſolitam Platoniſmi notitiam in his demonſtraviſſe *Leibnitium*, ſatiſque prodidiſſe, quàm pulchrè Academiæ parenti faveret. Sed & aliis Græciæ veteris ſapientibus mirè ſe præſtitit benevolum, illis indignatus, qui de majoribus abjectè ſentiunt. Id nos animadverſiones ad *Bierlingium* ſcriptæ, docent, in quibus inter alia: » Etiam *Senecæ* & Stoicis plurimum faveo; » idem fecit *Carteſius* etiam in morali philoſophia & in uni- » verſum ſentio, rectius & utilius diſpici, quid in veteribus » probandum, & in uſus noſtros transferendum ſit, quàm » quid reprehendendum. Nemo unquam clarus fuit, in quo » non multa laudem mererentur. Video hodie juvenes hoc » morbo laborare paſſim, ut de majoribus contemtim lo- » quantur: credo ignorantiæ, vel potius negligentiæ excu- » ſandæ cauſſa, ut jure illorum præceptis carere videantur. » Itaque conſultum puto, ut prudentia docentium a tam pravo » more abducantur. Veriſſima eſt Stoicorum doctrina, affec- » tus eſſe perturbationes, & dandam operam, qua licet, ut » ſine perturbatione judicemus. Sed fatendum eſt, perturba- » tiones non ſemper vitari poſſe, & tunc noſtram eſſe debe- » re curam ſecundariam, ut eas moderemur, tanquam in po- » teſtate. Ideam ſapientis perfecti, ut optimæ reipublicæ pro- » poni utile eſt, etſi nuſpiam detur in terris. Etiam Acade- » micorum & Scepticorum placita multa cum utilitate expen- » dentur ab eo, qui vera philoſophiæ principia conſtituere » volet. Multa enim veriſſimè de ſenſibilium inſubſiſtentia, » quæ phænomenis magis ſed legitimis, quàm rebus, accen- » ſeri merentur. Non omnis cognitionis fundamentum ſunt » ſenſus: veritates neceſſariæ a ſenſibus non docentur &c. « Non verò Græcanicæ modò philoſophiæ ſe faventem præbuit *Leibnitius*, ſed exoticæ quoque, maximè Sinicæ, quàm mirè ab eo tempore deperire cœperat, ex quo cum Jeſuitis religionis

gionis Chriſtianæ inter Sinas ferendæ cauſſa a Pontifice Romano miſſis commercium epiſtolicum inſtituerat, legera-que libros Sinicos a *Remondo* communicatos. Fatetur enim in epiſtola ad hunc virum clariſſimum (60): ſenſum æquiorem atque ſaniorem omninò tribuendum eſſe veterum Sinarum præceptionibus; indeque doctrinas eorum de ſupremo principio, de ejus unitate, de materia univerſali, de ſubſtantiis ſpiritualibus & ſimilibus ita explicari poſſe, ut falſæ & ſuſpectæ ſignificationes omittantur. Unde facilis quoque eſt in excuſando cultu majorum Sinico. Sed & Scholaſticos contemnendos haud eſſe, planeque rejiciendos ſtatuit, quamvis nævos eorum ſatis intelligeret. Quare jam faſſus eſt cum *Nizolii* librum ederet: *iniquos eſſe, qui temporum infelicium lapſus tam acerbè perſtringunt, qui ſi illic fuerint, aliter ſentirent.* Cujus rationes cum ab iniquitate temporum & miſerabili fato, quod ſcriptores optimos & alia ſtudiorum auxilia hominibus invidit, derivaviſſet, addit: *Non vereri ſe dicere, Scholaſticos vetuſtiores nonnullis hodiernis & acumine, & ſoliditate, & modeſtia ab inutilibus quæſtionibus circumſpectiore abſtinentia longè præſtare: eſſe quoque ſectam nominalem hodiernæ reformatæ philoſophandi rationi congruentiſſimam.* Alibique Scholaſticos agnoſcit abundare ineptiis, ſed aurum eſſe in illo cœno, hocque bene ſciviſſe *Grotium.* His opinionibus decretiſque cùm ſubſcriberet *Leibnitius*, mirum non eſt, haud pauca veteris philoſophiæ, & Scholaſticæ quoque in ejus ſyſtema, quod formare cœperat, confluxiſſe, & prætuliſſe eum veteres recentioribus, quorum καινοφιλίαν non æquo ſatis animo ferebat. Fatendum tamen, viris in philoſophia ſummis, quos recentior ætas tulit, honorem, quem mereri credebat, detuliſſe, cujus ſpecimen eſſe poteſt judicium ejus de *Hobbeſio*, quem paucos cenſebat intelligere, eumque non tam eſſe pro abſoluta poteſtate, quàm putatur, licet inſufficientia principia ſint. In ipſa philoſophia autem omnibuſque ejus partibus novum ſyſtema

(60) Hoc ultimum *Leibnitii* ſcriptum fuit, quod moriente ferè manu conſignavit.

ſtema meditando animi vim prorſus ſingularem demonſtravit, licet nullam earum perfecerit, ad alia mox traductus. Et logicam quidem artem nova luce perfundere in meditationibus de cognitione, veritate & ideis conatus eſt, cujus ſummam exhibet Ven. *Walchius* (61). In quo brevi ſchediaſmate multa ad naturam idearum intellectûs humani pertinentia cumulavit. Quæ diſplicuere quidem viris nonnullis doctis, *D. Fr. Hoheiſelio* (62), & *J. Fr. Mullero* (63), maximè verò *Lockio*, qui *ſe*, *lecta illa tractatione judicaſſe* ait, *etiam optimis naturæ muneribus inſtructos, in fundamenta rei ipſa penetrare, non ſine diuturna meditatione poſſe, & vaſtiſſima quoque ingenia non niſi ad valdè limitatam cognitionem pervenire*: aſt in aliam longè ſententiam diſceſſerunt alii, inter quos illuſtris *Wolfius* (64), his potiſſimùm aſſertis in exſtruendo logicæ ædificio uſus eſt, viri clariſſimi autem *Frid. Philippus Schloſſerus*, & *Joannes Ulricus Cramerus* defendere *Leibnitium* ſategerunt. Quàm profundè autem ad naturæ arcana reſpexerit, eaque explicuerit in *Theoria motûs abſtracti & concreti*, quas ſuprà enarravimus, abundè demonſtravit, quas tamen hypotheſes miſſas fecit, poſtquàm nova principia dynamica, novamque ſubſtantiæ corporiſque notionem ſibi effinxerat. Totum porrò ſibi vindicavit *Leibnitium* metaphyſica. Maximo enim ingenio uſus, cùm geometriæ beneficio notionibus uti generaliſſimis, abſtractis, univerſalibus didiciſſet, & ſummo acumine ex axiomatibus paucis, & univerſalem veritatis complexum ſpondentibus geometrica ratiocinandi peritia concluſiones deduceret infinitas, mirum non eſt, totum quaſi ſyſtematicum factum eſſe. Nec erraſſe cenſendi ſunt, qui ingenium ejus merè ſyſtematicum fuiſſe, & in eo genere omnes ante ſe ſuperaviſſe, judicaverunt. Non contentus enim rerum ſenſibus & attentioni obverſantium experientia & hiſtoria intellectûs humani, ad uni-

(61) In Hiſt. Logicæ L. II. c. 1. S. 3. §. 20. Parerg. acad. p. 664.
(62) In Sched. de Ideis.
(63) In Dubiis cel. *Wolfio* de Facultatibus intellectûs objectis.
(64) Vid. Præf. Logicæ Germanicæ.

univerſales notiones & principia prima aſſurgebat, &, ut mira fœcunditate ingenii pollebat, longam ex illis conſequentiarum atque concluſionum catenam efformabat. Unde novæ enatæ hypotheſes, ſatis quidem paradoxæ & a communi philoſophantium ſententia, quin a ſenſu quoque plerorumque remotæ, ideoque tot contradictionibus oneratæ, aſt ita principiis ſuis connexæ, & implicitæ, ut arctiſſimè inter ſe cohæreant; quo factum, ut concinnum prorsùs & mirè cohærens ædificium exſurgeret, qua in re ingenium Leibnitianum prorsùs excelluiſſe rectè viri docti obſervaverunt. Argumentum morale autem nuſpiam ex inſtituto tetigit, pauca quædam ὡς ἐν παρόδῳ (65) attulit, quæ infrà referemus. In tractatione politica verò eo acutiùs vidit, quo majori ad id hiſtoriæ apparatu erat inſtructus, quoque feliciùs ad regulas generales cuncta transferebat. Nulla autem in ſcientia vel ingenii vaſtitatem vel cogitationum ſublimitatem vel meditationum felicitatem magis prodidit, quàm in artibus mathematicis. In quibus difficillimas arithmeticæ & geometriæ diſciplinas perficere aggreſſus, ſupra omnem exſpectationem ad humani intellectûs apicem progreſſus fuiſſe rectè cenſetur. Non provocabimus ad univerſi orbis mathematici ſententiam & conſenſum, quem conſpirare amicè in hac Leibnitiani nominis gloria, nemo eſt rerum literariarum tam ignarus, ut neſciat: ſed ipſa viri maximi ſpecimina *Actis eruditorum* & *Ephemeridibus Pariſienſibus* pleraque inſerta in partes vocamus, quibus tantùm matheſin ſublimiorem juvit, quantùm ab humano ingenio proficiſci potuit. Illuſtre autem prorsùs exemplum eſt calculus differentialis, cujus inventionem, præſtantiam, uſum, ſublimitatem hoc loco deſcribere velle, eſſet falcem in alienam meſſem mittere. Conſuli de eo debent qui hodie magnis paſſibus tantum virum ſequuntur geometræ Galli & Germani incomparabiles: inter quos primi ferè laudatiſſimam ſcientiam explicare & transferre in uſus cœperunt *Bernoullii* fratres, primus integram ſcripto explicatam dedit illuſtriſſimus *Hoſpita-*

(65) In Præf. ad Cod. juris gentium diplomaticum.

pitalius (66), vel potiùs, cujus ſchedis & inſtitutione is uſus eſt illuſtre hodie Baſileæ ſidus *Joannes Bernoullius.* Id unum obſervamus, quantitates infinitè parvas calculo ſubjicientem, *Leibnitium* ſatis demonſtraviſſe, quantis greſſibus aliorum lumina antevertendo, in ipſa infiniti adyta penetrare cœperit. Unde ſuo jure inter maxima orbis ingenia locum ſibi vendicat, quem incaſſum, ſi fatendum, quod res eſt, illi denegant, qui inventionis illuſtris gloriam *Leibnitio* tribuere recuſant, magnæ Britanniæ mathematici, quibus illuſtris eques *Iſaacus Newtonus*, cui methodum fluxionum, cum calculo differentiali conſpirantem debemus, *Leibnitio* præluxiſſe viſus eſt. De qua re controverſiam non ſine animorum motibus agitatam, heic exponere eſſet hiſtoriam matheſeos ſublimioris ſcribere, quæ alio loco quærenda eſt. Conſuli autem præter ſcripta ἀμοιβαῖα poſſunt, quæ viri clariſſimi *Des Maizeaux* & *Ludovicus* ſtrictim expoſuerunt, qui tamen inter ſe comparandi ſunt, ut, quid in ancipiti argumento, in quo excutiendo ad leges rationalis ſcientiæ haud ſemper attenderunt viri docti, & fidei hiſtoricæ gradus non ſemper ponderarunt, veriſimiliter credendum ſit, pateat. Difficile enim eſſe, de re ipſa, quæ facta reſpicit, ſtatuere, vel inde conſtat, quia, licet epiſtolas chartaſque ad hiſtoriam hujus controverſiæ illuſtrandam pertinentes a viris doctis examinare juſſerit ſocietas regia, quæ poſtea typis quoque vulgatæ ſunt (67), *Leibnitius* tamen, qui conſultus prius de eo examine non erat, alias ſchedas αὐτογράφους illis opponere promiſit, quas vulgare tamen morte præventus non potuit. Unde æquum cenſuit illuſtris ſocietas declarare, quod arbitrium interponere, & dirimere controverſiam lata ſententia non voluerit. Nobis id unum hoc loco ad tuendam, quam *Leibnitio* deberi, præter Angliam, omnis orbis mathematicus fatetur, gloriam annotaviſſe

(66) In Analyſi infinitè parvorum.

(67) Prodiit: Commercium epiſtolicum *D. Joannis Collins*, & aliorum de analyſi promota, juſſu ſocietatis regiæ in lucem editum Londini 1712. 4. illud per omnem ferè Europam diſtributum eſſe teſtatur *Ludov.* l. c. p. 297.

taviſſe ſatis eſt, ipſum illuſtrem *Newtonum* in eo potiſſimùm cum ſectatoribus decertaſſe, ut ante *Leibnitium* analyſin infiniteſimalem, quam methodum fluxionum vocat, ſe inveniſſe, ſibique primi inventoris gloriam deberi contenderet, negare non auſum (68), quod negari quoque non poteſt (69), *Leibnitium* ipſum ſuo ingenio illam debuiſſe, adeoque ſecundum inventorem fuiſſe. Qua de re tantis animorum motibus an decertandum fuerit, cùm utrique viro maximo tanta ingenii vaſtitas contigerit, ut ſuæ meditationis profunditate & felicitate hanc viam detegere potuerit, ætas poſtera abſque favore & invidia judicabit. Certè *Leibnitium* animi magnitudo, toties probata a plagii ſuſpicione eo magis vindicat, quo magis, rectè annotante *Fontenellio*, jam in *Theoria motûs abſtracti* prodidit, fundamenta totius rei a ſe non ignorari; & ipſe *Leibnitius*, ſi verum fatendum, nec verba torquentur, *Newtoni* famam plagii ſuſpicione onerare nunquam intenderit, quod a moribus ejus alienum fuiſſe vel ex ſolis epiſtolis conſtat, & multoties ab eo fuit improbatum. Illud nec contraria factio facilè negaverit, cùm anno cIↃ IↃCLXXXIV prima calculi differentialis ſpecimina prodire juberet *Leibnitius*, neminem inventionis gloriam ei denegaviſſe, eoque integro novennio jure gaviſum eſſe virum ſummum, donec primus *Joannes Wallisſius* inventionem *Newtono* vindicaret. Verùm de his diſputare prolixiùs aliorum induſtriæ relinquimus, dolemus autem ſcientiam infiniti, quam meditabatur vir ſummus, morte præventum dare non potuiſſe.

Eruditio theologica Leibnitii.

§. XXVIII. Eminuiſſe in omnibus ferè partibus eruditionis *Leibnitium* ex dictis eſt manifeſtiſſimum. His ſi cognitionem

(68) Que Mr. *Leibniz* l'ait inventé après moi, ou l'ait eu de moi, c'eſt une queſtion qui n'eſt de nulle conſéquence, puiſque les ſeconds inventeurs n'ont proprement aucun droit à l'invention. *Newton Recueil T. II. p.* 108. Ita verò tota controverſia non de ingenii acumine, ſed de fati felicitate, temporeque priore contendit.

(69) Negavit autem id, qui renovatæ litis auctor erat cel. *Keilius* in Epiſt. ad *H. Sloane*, Commerc. epiſt. p. 110. Contrarium tuetur *Bernoullius in Epiſtola adjecta* Germ. Verſioni Theodiceæ p. 920. Frigidam verò diſtinctionem inter inventorem primum & ſecundum retundunt A. E. 1720. Mart. p. 137. ſeqq.

nem theologicam adjecerimus, nihil faciemus, quod non veritas comprobaverit. Legerat enim & cum cura inſpexerat veteris eccleſiæ doctores, deque eorum placitis & acutè & moderatè judicabat, cujus exempla haud pauca in *Theodiceæ* opere occurrunt, in epiſtolis quoque nonnulla deprehenduntur. Recentiores autem theologos, & ſuæ, cui addictus erat, & ceterorum, quæ diſſentiunt, eccleſiarum evolviſſe & examinaſſe, ſi alia non ſuppeterent, ea ſatis probant, quæ in irenicis conſiliis agitavit atque ſcripſit, quæque cum *Pelliſſonio* de articulis in controverſiam vocatis diſputavit. Laudandus verò in eo magnoperè, quod philoſophiæ auxilio, uſus, divini ingenii acie atheorum copias in fugam dederit, & *Socini* aſſeclas peſſum dederit, eorum argutias rationum acumine confundendo. Quod pro eccleſiæ Lutheranæ dogmatibus ita adhibuit, ut qui præcipuè eam a reliquis cœtibus disjungit, articulum præſentiæ ſacramentalis in S. Cœna, rationibus quoque philoſophicis confirmari poſſe conſideret. Quamvis enim, ut animo erat ab omni ſervili jugo abhorrente, & in tolerandis diſſidentibus inter Chriſtianos eſſet facillimus, immò valdè ad unionem inter eos revocandam inclinans conſiliis, rationibus, cohortationibus pacem ſuaderet, diſcedere tamen ab ejus eccleſiæ communione noluit, etiam magnis promiſſis tentatus.

Diligentia Leibnitii.

§. XXIX. Sunt & alia, in *Leibnitio* laudanda, quæ verò hic tangere omnia brevitas, cui in abundanti argumento ſtudendum, prohibet. Non tacenda tamen inexhauſta ejus diligentia, qua dies noctesque intentus ſtudiis tot meditationibus excitandis, fovendis, examinandis, tot vaſtis voluminibus volvendis, tot itineribus ſuſcipiendis, tot epiſtolis ſcribendis unus ſuffecit. Nempe ineffabilis cupiditas juvandi literas, juncta ingenio excellentiſſimo & ad hanc rem nato, calcaris inſtar erat, ut cuncta alacriter ſuſciperet, ſuſcepta autem magna patientia perſequeretur. Cujus rei teſtimonium omni exceptione majus exhibet primò quidem ſtudium, quod immenſum poſuit in excolendis perficiendiſque inventis, maximè

autem in abſolvenda machina arithmetica, cujus eum curam jam inter Gallos Angloſque verſatum habuiſſe ſupra memoravimus, & in quam ingentem vim pecuniæ profudit (70). Qui ſumtus, quos in machinas & alia hujus generis impendit, in cauſſa fuerunt, cur, licèt frugaliter viveret, & magnis reditibus ex munificentia Principum gauderet, eam tamen auri ſummam, ut nonnulli fingunt (71), non reliquerit, quæ admirationem meruiſſet, ſed intra mediocritatem ejus facultates conſtiterint. Deinde induſtriæ ſpecimen eſſe poſſunt itinera frequentia, quæ vel rogatus a Principibus, vel inſtinctus deſiderio promovendarum diſciplinarum, ſuſcepit. Cùm enim abundantiſſimam doctrinam nutrire meritò crederetur, & inſolitum viri acumen in aulis Principum magnam exiſtimationem meruiſſet, favor inde aularum ſecutus eſt, quibus obſequium præſtare eo magis anniſus eſt, quo magis ita feliciſſimè promoveri extendique rei literariæ fines poſſe intelligebat. Id quod magno orbis eruditi commodo factum eſſe, ex iis, quæ ſuprà de mora *Leibnitii* in aula Moguntina, Hanoverana, Berolinenſi, Viennenſi & apud Ruſſorum Imperatorem tradidimus conſtat. Nec omittendum eſt, in hiſtoria *Leibnitii* philoſophica, virum illuſtrem, quem vivendi prudentia & philoſophiæ cognitio etiam fœminis commendavit, purpuratis atque illuſtriſſimis, literis eas compellaviſſe; ſic ut commercium hoc literarium teſtis ſit fide digniſſimus prorſusque immortalitati tradendus, non deeſſe noſtræ ætati fœminas, quæ mulierum philoſophantium catalogo ſummo jure mereantur adſcribi. Inter quas & nativitatis ſorte & ingenii ſceptro atque diademate digni excellentia primum locum tenent, *Sophia Charlotta*, Boruſſiæ Regina, & *Guilelmina Charlotta* eo tempore Princeps regia Walliæ. Et illam quidem *Theodiceæ* ſcribendæ auctorem fuiſſe *Leibnitio*, ubi hypotheſes ſuas

(70) 24000 thalerorum ſummam in eam impendiſſe tradunt Nova literaria Lipſienſia 1717. p. 376. & tamen imperfecta manſit. Plura de ea dabit Cl. *Ludovici* diligentia l. c. P. II. c. 21. §. 328. p. 233. ſeqq.

(71) *Niceron Mémoires*; qui a peregrinante quodam, ut ſæpiùs illi accidit, deceptus eſſe videtur.

ſuas explicantem audiviſſet, ſuprà jam narravimus. Ad quam excelſo, quo poſita fuit, loco non tam fortunæ quàm naturæ muneribus & conſummatæ virtutis meritis dignam plures epiſtolas ſcripſit, quæ quales fuerint, ipſe alicubi prodidit *Leibnitius*, ſcribens ad *Joannem Albertum Fabricium*, *optare ſe pleraſque epiſtolas a Regina Boruſſorum & ad eam ſcriptas non combuſſiſſent malè circumſpecti homines, habituros enim nos, quæ facilè opponi Reginæ Suedorum poſſent. Non paucas tamen paſſim ſervatas eſſe, & inter eas nonnullas ad ſeipſum ſibi ſupereſſe, unde vim ingenii in Principe fœmina, animumque mirè ad doctrinas erectum intelligas.* Alteram Principem autem nobilitavit in civitate philoſophica controverſia illa literis reciprocata inter *Leibnitium* & *Clarckium*, cujus ſuprà facta eſt mentio; illa enim committere inter ſe acutiſſimos philoſophos dignata, ipſa ſcriptorum & diſceptationum teſtem egit atque arbitrum. His tertiam addimus *Charlottam Eliſabetham*, *Caroli Ludovici* Electoris Palatini, Principis literatiſſimi, filiam, *Philippo V.* Aurelianenſi Duci nuptam; ad eam enim de antiquitatibus nonnullis nuper detectis eruditè diſſeruit, & cum *Baudelotio*, ea attenta, diſceptavit. Sed & alias fœminas illuſtres literis addictas ſibi faventes literiſque innoteſcentes habuit, leguntur enim in memoriis Leibnitianis paſſim extantibus nomina *Brinoniæ*, *Kilmanſeggeriæ* Comitis, *Cleinburgiæ*, *Cudworthiæ*, *Marshamo* junctæ, *Weileriæ*, & præcipuè *Sapphus* Gallicæ, *Magdalenæ Scuderiæ*. Tacemus imperantes Principeſque alios, ad quos frequenter literas exaravit, & haud paucas ab iis accepit *Leibnitius*. Omnium autem luculentiſſimè & ſtudium quod ſervavit *Leibnitius* ingens ſcientias promovendi, & inexpugnabilem induſtriam probat commercium literarium, quod cum celebratiſſimis totius Europæ viris aluit, quorum nomina adducere hoc loco omnia paginæ anguſtia prohibet; fulgent autem velut inter ignes Luna minores tituli nomenque *Arnaldi*, *Behrenſii*, *Eduardi Bernardi*, *Bernoulliorum*, *Bignonii*, *Boecleri*, *Boineburgii*, *Boſii*, *Burneti* filii, *Bouveti*, *Chamberlaynii*, *Calvini*, *Ciampini*, *Cluveri*, *Conringii*, *Contii*, *Croſſæi*,

Dan-

Dangicourti, Dittoni, Edzardi, Joannis & *Jo. Alberti Fabricii, Fahrenheiti, Fardellæ, Foucherii, Gobienii, Grævii, Grimaldi, Guerickii, Gulielmini, Hanſchii, Hardtii, Hartſoeckeri, Heræi, Hugenii, Jablonskiorum, Janingi, Imhofii, Keſtneri, Kircheri, Kochanzkii, Kortholtii, Lanæ, Langii, Leuwenhoeckii, Lehmanni, Longii, Ludolfi, Magliabechii, Marinonii, Maſcovii, Menckeniorum, Michelotii, Molani, Montmorii, Morelii, Morhofii, Muratorii, Neumanni, Newtoni, Nicaſii, Obrechti, Oldenburgii, Papebrochii, Pelliſſonii, Peterſenii, Pfaffii, Pfeffingeri, Pinſonii, Piroti, Reimmanni, Remondi, Reyheri, Roemeri, Schelhameri, Schmidii, Schraderi, Seckendorfii, Sloanii, Thomæ Smithi, Ez. Spanhemii, Sperlingii, Spinozæ, Struvii, Sturmii, Thevenotii, Tenzelii, Thomaſiorum, Tourneminii, Tſchirnhauſii, Varignonii, Vignolii, Volcameri, Wallisii, Weigelii, Willisii, Witſenii, Chriſtiani & Chriſtoph. Wolfiorum, Wottoni*, aliorumque multorum, quos nominavere *Fellerus* atque *Ludovicus*. Tandem inter ſtupendæ induſtriæ & improbi laboris ſpecimina numeranda quoque eſt, immenſa, quam ſuſtentabat *Leibnitius* lectio, atque ſtudium ea excerpendi, quæ legerat. Quamvis enim magno operum magnificorum apparatu ejus bibliotheca non ſuperbiret, quem Brunſvicenſes Hanoveranæ & Guelpherbytanæ bibliothecæ illi ſuppeditabant, ſed ad ſchediaſmata brevia, diſſertationes raras, folia fugitiva, & ſimilia, quæ citò diſparere ſolent, maximè reſpiceret, indeſinenter tamen per maxima & minima volutatus, quicquid memorabile viſum ſchedulis inſcripſit, eaſque ſuis dein repoſitoriis condidit, ex quibus ſuo tempore ordine deſumere poſſet. Quem modum ut commodiſſimum atque utiliſſimum expertus eſt, ita didiciſſe videtur a *Placcio* (72), qui ſimilia repoſitoria deſcripſit.

Deſiderata atque reprehenſa in Leibnitio a viris doctis.

§. XXX. Quemadmodum autem in pulcherrimis corporibus quidam interdum inveniuntur nævi imperfectionis, quam in optimo mundo reperiri *Leibnitius* contendebat, teſtes atque ſpecimina, ita in maximo atque elegantiſſimo *Leibnitii* ingenio maculas

(72) Vid. *Placcii* Tr. de Arte excerpendi.

maculas nonnullas obſervaverunt, viri docti humanæ imbecillitatis teſtimonia, & reprehendenda nonnulla, quæ vel ad doctrinam ejus pertinent, vel ad animum. Inter illa multa ſunt, quæ recentiſſima ætate, qua illuſtris *Wolfii* cura Leibnitianarum hypotheſium memoria valdè reſuſcitata & vehementiſſimis controverſiarum diſſidiis agitata eſt, apud quamplurimos ſuſpecta facta ſunt, ac ſi naturali pietati maximè verò revelatis Chriſtianæ fidei dogmatibus e diametro eſſent adverſa. Quæ tamen hoc loco adducere non vacat, nec ſpeciali enarratione exponere licet, cùm prolixiora ſint, quàm ut recenſeri omnia in univerſali philoſophiæ hiſtoria queant. Summam autem eorum, quæ velut peſtes quædam ac fontes errorum periculis pleniſſimorum, a tot virorum doctorum calamis confoſſa ac obelo notata ſunt, quæque, ſi non omnia, potiorem tamen partem ſuppeditaverunt paradoxæ harmoniæ præſtabilitæ & monadum hypotheſes, ex *Recenſione XXVI. ſcriptorum adverſus philoſophiam Wolfianam editorum* (73), quam vulgavit venerandus *Joachimus Langius*, theologus Halenſis celeberrimus, diſcere licet. Quanquam enim in accuſanda illuſtris philoſophi, *Chriſtiani Wolfii*, philoſophia horum ſcriptorum diligentia potiſſimum verſata eſt, conſtabit tamen ex dicendis, virum celeberrimum potiores *Leibnitii* hypotheſes ſuas feciſſe, ſuoque, quod ſibi formavit, ſyſtemati proprio adaptata recepiſſe, modum quoque *Leibnitii* in philoſophando, maximè in metaphyſicis fuiſſe ſecutum. Cuncta autem, quæ in hac quidem parte objiciuntur, ad tria capita, eleganter, niſi fallimur, revocavit doctiſſimus *Kortholtus*, alii enim, φιλοσοφούμενα *Leibnitii* omnem tollere libertatem contendunt; alii ſanctitatem Numinis ab iiſdem lædi aſſerunt; nonnulli, etſi ab hac accuſatione liberum pronuntiant, obtrudi tamen loco Chriſtianæ religionis theologiam quandam naturalem atque philoſophicam, quæ Spiritus S. opera ac motu opus haud habeat conqueruntur. Non hic lo-

(73) Halæ 1725. 4.

cus eſt, nec inſtituti noſtri ea ratio, ut quibus potiſſimum argumentis tanta ἐγκλήματα viro illuſtri objiciantur, prolixè exponamus: dabitur tamen infra placita philoſophiæ Leibnitianæ enarrantibus occaſio nonnulla, quæ huc pertinent, paucis tangendi. Id nos in præſentia monemus, fuiſſe haud paucos, qui Spinoziſmi, ſaltem Deiſmi incruſtati culpam *Leibnitio*, & qui ejus hypotheſes ſuas fecit, *Wolfio* intentarent. Ita enim & anonymo viſum (74), qui Cabbaliſticam ἀσοφίαν in monadologia & harmonia præſtabilita deprehendit; & *Jo. Godofredus Waltherus* ſtatuit, qui Eleaticam impietatem renovaviſſe Leibnitiana philoſophemata aſſertum ivit (75). Maximè autem *Ricardus Andala* (76), *Leibnitium* Spinoziſmi accuſare non cunctatus eſt, cujus veſtigia ſecuti ſunt, quotquot neceſſitatem Spinoziſticam in ſyſtemate harmoniæ præſtabilitæ deprehendi contenderunt, quorum tamen heic excitare nomina ſuperſedemus, cùm hæc recentiori demum ætate in controverſiis Wolfianis objecta ſint, quarum hiſtoria alio tempore enarranda eſt. Non tacendum verò, ipſos Jeſuitas Trivultinos, magnos cetera *Leibnitii* admiratores, cum recenſione *Theodiceæ* facta ſententiam dicerent (77), laudata ingenti lectionis & judicii copiâ, & tractationis ordine, accuratione & concinnitate ſyſtematicâ, fateri tamen, multos errores philoſophum ſummum admiſiſſe, maximè verò optimi mundi aſſertionem (optimiſmum vocant) non niſi larvatum materialiſmum & ſpiritualem Spinoziſmum involvere, ejuſque ſuſpicionem jam antea per monades, harmoniam præſtabilitam, brutorum immortalem & immaterialem animam eum meruiſſe; ita enim Deo in αὐτόματον converſo omnem prorſùs libertatem everti, atque hac nova ſcientia phyſica geometrico-mechanica Spinoziſticæ neceſſitati frigidam ſuffundi. Immò in

(74) In Harmonia phil. recentiorum ſibi ipſi contraria, c. 3. §. 8. p. 21. ſeqq. cujus docti libelli auctor eſt vir celeberrimus *Jo. Georgius Wachterus.*

(75) In Sepulchris Eleaticis recens apertis.

(76) In Diſſ. de Unione mentis & corporis phyſica. §. 3. p. 8.

(77) 1737. Febr. art. 1. unde repetuntur in acceſſionibus ad Nova liter. Lipſ. T. III. p. 425. ſeqq.

in ipſa diſſertatione præliminari Deiſmum magnâ cautione confirmatum eſſe pronuntiant (78). Æquiores tamen in eo ſe præſtant *Leibnitio*, falſi, non datâ operâ & malitioſo conſilio talia effinxiſſe, ſed rationis abuſu, cùm vim ejus maximam animo poſſideret, ideoque argumentationibus metaphyſicis cuncta complecti vellet, qui virum cetera bonum ſe ſemper præſtiterit. Tacemus alia, quæ Britannici philoſophi, maximè *Clarckius* harmoniæ præſtabilitæ objecerunt, quam tibiam quoque inflavit *Warburtonus* aliique. Ita verò dum naturam Chriſtianæ religionis a philoſophia Leibnitiana everti plurimi timent, ipſe *Leibnitius* pietatem non niſi naturalem coluiſſe quibuſdam viſus eſt, adeo ut vivum inter ſuos in ſuſpicionem naturaliſmi quem vocant, adductum eſſe nonnemo retulerit. Præter ipſa philoſophumena & decreta *Leibnitii* methodus quoque philoſophandi haud paucis diſplicuit. Inter quos illuſtris *Newtonus* id reprehendi in eo poſſe æquiſſimis rationibus putat (79): quòd hypotheſes præferat ratiociniis ab inductione petitis, aut experientia duce hauſtis, quodque loco quæſtionum, quarum examen ab experientia fieri debet, hypotheſes erigat, eaſque admitti poſtulet priuſquàm examinentur. Aliis in ipſo ratiocinationis filo, hypotheſis amore ſeductus ab iis, quæ antea aſſeruerat, deficere viſus eſt, unde negligentiam quandam & attentionis defectum in eo culpant Ephemeridum Trivultienſium conditores. Qui dum ita contra *Baylium* pugnaviſſe *Leibnitium* putant, ut in ipſo acerrimi conflictûs fervore ſubitò arma deponere & pacem inire videatur, in eorum ſententiam concedere videntur, qui non ex animi ſententia, ſed ἐξωτερικῶς tantùm & ad tentandam

(78) Hylozoiſmi *Stratonis* maculam inuſſit *Leibnitio* Celeb. *Hollmannus* Prof. Gotting. Liberavit ab eâ & deterſit Cl. *Widderus* Philoſophus Groninganus jucundâ & eruditâ Diſſertatione. Rectè id egit, cùm Syſtema Monadum Leibnitianum multum differat ab Hylozoiſmo *Stratonis*, qui, cum magiſtro *Ariſtotele*, Materiam qua & ipſa a Monade toto cœlo *Leibnitio* differt, nec qualem, nec quantam, nec ullo attributo notabilem, niſi αὐτομάτου ſibi concepit; &, ſi verum dicendum, vocem nihili pro Phyſiologiæ fundamento elegit.

(79) Recueil T. II. p. 18. quæ more ſuo repetit *Voltairius* in Comparat. phil. *Leibnit.* & *Newton.* p. 59.

eruditorum mentem iſtam pugnam iniiſſe contenderunt (80). Diſplicuerunt quoque in eo alia, quæ quandam animi ἀταξίαν referre viſa ſunt. Inter quæ haud poſtremum eſt, quod veteribus ſupra modum delectatus recentiorum, maximè eorum, qui circa tempora ſua caput efferre novaque philoſophiæ facie eniteſcere cœperunt, cogitata altè deſpexerit, eorumque meritis obtrectando obelo eorum placita confixerit, licèt id non merentia. Quod invidiæ cauſſa factum eſſe, ut ſcilicet novæ, quam condere cœperat philoſophiæ viam atque gloriam pararet, nonnulli valdè ſuſpicaces, conqueſti ſunt (81). Ita invidiſſe *Lockio* atque *Newtono* philoſophiæ interioris gloriam, hacque ex cauſſa *Carteſii* doctrinam Spinoziſmi ſuſpicione oneraviſſe viſus eſt. Maximè autem ea, quæ in *Pufendorfium* dixerat, ab animo ægrè famam atque fortunam ſyſtematis juris naturæ ab eo aſſerti productique in lucem ferente profecta eſſe, plerique conjecerunt; quibus clara & luculenta *Pufendorfii* tractatio obſcura & Scholaſticos imitata philoſophia *Leibnitii* judicata eſt. Qui & nugas Scholaſticorum & metaphyſica ſomnia *Platonis* philoſophum nova veſte induta revocaviſſe in lucem, & inextricabili obſcuritate fucum haud rarò legentibus feciſſe atque nebulas objeciſſe contenderunt (82). Tace-

(80) Vid. ſummè Rev. *Pfaffii* diſſ. de Morte naturali §. 5. p. 17. ubi ſe in ea dicit eſſe ſententia, *Leibnitium* totum illud objectum quod *P. Baylio* oppoſuit, per luſum ingenii quendam ſaltem confixiſſe nec ſeriâ mente id egiſſe: & *Baylio* frigidam potiùs ſuffudiſſe. Id ſe ipſi *Leibnitio* fuiſſe faſſum, & virum ſummum ſubridendo dixiſſe, rem eum acu tetigiſſe. Ipſam *Leibnitii* epiſtolam tandem vulgavit in Act. Erud. 1728. Mart. In qua ita ſcribit *Leibnitius*: „Ita prorſus eſt, V. S. R. uti ſcri„bis de Theodicea mea, rem acu teti„giſti. Et miror, neminem hactenùs fuiſ„ſe, qui luſum hunc meum ſenſerit. Ne„que enim philoſophorum eſt, rem ſeriò „ſemper agere, qui in fingendis hypotheſi„bus, uti benè mones, ingenii ſui vires „experiuntur, tu, qui theologus es, in „refutandis erroribus theologum ages.“ Simile quid ſuſpicati ſunt *Des Maizeaux* Pref. du recueil. p. 172. *Clericus* Bibl. anc. & mod. T. XV. P. I. art. 16. p. 179. *Poiret.* de nat. & orig. idearum. P. IV. S. 3. §. 9. p. 323. Vid. Præfationem noſtram generalem.

(81) *Clericus* Bibl. anc. & mod. T. IX. P. I. art. 6. *Barbeyrac* Reflexions ſur le Jugement de Mr. *Leibniz* ſur les devoirs de l'H. & du C. de *Pufendorf*. *Buddeus* Hiſt. phil. c 6. p. 492.

(82) *Des Maizeaux* l. c. *Cleric.* Bibl. anc. & mod. T. XXIII. P. II. art. 8. auctor diſſ. de Anima brutorum, vid. Journal Literaire T. XIII. P. I. art. 16. qui putat, *Leibnitium* ipſum ſuum ſyſtema non ſatis cepiſſe.

Tacemus alia, a Carteſianis, Newtonianis, aliiſque, qui novam ejus metaphyſicam oppugnabant ei objecta, & non ſine invidia, ut humani ingenii vitio, plerumque in controverſiis fieri ſolet, cumulata, inter quæ numeranda ſunt, quæ ſatis inhumaniter contra eum diſputarunt *Fatius Duillerius*, *Keilius* aliique ex Britannis, quibus & plagii culpâ eum onerare, & acerbiora nonnulla viroſque bonos vix decentia objicere placuit. Ab amicis autem, cetera plurimum ei faventibus quædam, ut nemo eſt ab omni parte perfectus, in eo reprehenſa ſunt, quæ humanæ imbecillitatis ſpecimen eſſe poſſunt. Inter quæ eminet animus ad celeres iræ motus pronior moxque exardeſcens, ſed tamen paulo poſt ſedatior; unde factum, ut ex initio diſputationis contradictionis fuerit impatientior. Quidam aliquam πλεονεξίας ſuſpicionem in eo deprehendiſſe, ſibi viſi ſunt, quod in tanta redituum affluentia ſatis parcè ſine familia viveret. Alii gloriæ ſtimulo nimium actum & πανεπιστημοσύνης atque famæ cupiditate plus quàm par eſt incenſum, latiùs ſe diffuſiſſe per omnes eruditionis partes, quàm injuncti muneris partes poſtulabant, hincque tandem aulæ Hanoveranæ indignationem meruiſſe judicarunt. Ipſa vaſta viri immenſa eruditione pollentis lectio non ſatis digeſta viſa eſt, eo quòd vaga eſſet & ſubita, cujuſcunque generis librorum, ex quibus multa excerpta in ſchedulis parvis deſcripta, pauca tamen redacta ſint in ordinem. His tandem illi adjiciendi ſunt, qui narrant, de fato ſupremo admonitum compoſito & frigido oris habitu hoc dediſſe reſponſi: *ceteris quoque hominibus eſſe moriendum*, hiſque dictis mox efflaviſſe animam.

Apologia pro Leibnitio a nonnullis ſcripta.

§. XXXI. Gravia hæc eſſe, & famam illuſtris viri haud parum imminuere apta, nemo non intelligit. Non defuerunt autem, qui viri immortalibus meritis de eruditione univerſa inclyti apologiam ſuſceperunt ſcribere, eumque contra has objectiones atque facta a viris doctis opprobria vindicarunt. Et præcipuè quidem in eo verſata eſt virorum eruditorum, qui Leibnitianæ memoriæ favent induſtria, ut ab impietatis

& naturaliſmi ſuſpicione eum liberarent, ac innocentiſſimum eſſe ſyſtema metaphyſicum *Leibnitii*, ac neque in Deum, neque in libertatem humanam, neque in decretorum divinorum ordinem, neque in Scripturam Sacram & Chriſtianam religionem miraculis confirmatam injurium demonſtrarent. Et huc quidem omnes pertinent, qui libellis eriſticis Antiwolfianis reſponderunt, & atheiſmi clandeſtini atque indirecti objectionem non a *Wolfio* tantùm, ſed a *Leibnitio* quoque, qui per latus *Wolfii* iſtis telis petebatur, retuderunt. Quos hoc loco enarrare inſtitutum prohibet, quod demortuorum philoſophorum, non verò hodie viventium hiſtoriam deſcribere, præſcripto termino, jubet. Conſuli autem ab iis debet, qui plura hic cupiunt, clariſſimi *Ludovici* induſtria, qui omnium prolixiſſimè & diligentiſſimè *Hiſtoriam philoſophiæ Wolfianæ* enarravit. Non tamen indictos præterire licet viros clariſſimos (83) *Iſraelem Theophilum Canzium* & *Chriſtianum Kortholtum.* Ille enim *Philoſophiæ Leibnitianæ & Wolfianæ uſum in theologia per præcipua fidei capita* demonſtrare, & oſtendere aggreſſus eſt, eum ſenſum eſſe placitorum Leibnitianorum in ſuſpicionem adductorum, ut cum decretis Chriſtianis amica concordia conſpirent. Hic autem *quarto volumini epiſtolarum Leibnitianarum* a ſe edito diſſertationem doctam & luculentam præmiſit, in qua ipſis *Leibnitii* verbis recitatis contendit, ejus philoſophiam atque doctrinam Chriſtianæ religioni non eſſe perniciosam, & nec libertatis dogma, nec principium rationis ſufficientis, neque prædiſpoſitionem, quam vocat, neque hypotheſin de harmonia præſtabilita inter animam & corpus, neque doctrinam de origine mali & de miraculis quicquam continere, quod vel ſanctitati Numinis vel libertati voluntatis humanæ, vel principiis actionum moralium, vel legi Chriſti refragetur. Ita verò Spinoziſmi quoque ſuſpicionem tolli contendunt, eo quòd ingens intercedere diſcrimen putant inter

(83) Illis merito addi poteſt tertius illuſtris *Bulfingerus*, qui in Dilucidationibus philoſophicis eandem operam *Leibnitio* atque *Wolfio* erudite præſtitit, & haud vulgare acumen mentis demonſtravit.

ter fatalem neceſſitatem a *Spinoza* introductam & nexum rerum a cauſſa ſapientiſſima introductum, & cum libertate actionum humanarum facilè reconciliabilem (84), eo quod a *Leibnitio* homini ea tantum prædeterminatio vel præordinatio, quæ connexionem rerum ſiſtat, vindicetur, qua, etſi alterum præ altero eligat, in ipſo ſui exercitio, & conſtanter quidem, ſuo tamen id faciat arbitrio, poſſitque in hiſce omnibus circumſtantiis agere aliud atque aliud. Qua in re ad ipſius *Leibnitii* verba provocant, ſtatuentis: *Licèt nunquam eveniat quicquam, quin ejus ratio reddi poſſit, neque ulla unquam detur indifferentia æquilibrii, quaſi in ſubſtantia libera, & extra eam omnia ad oppoſitum utrumque ſe æqualiter unquam haberent, cùm potiùs ſemper ſint quædam præparationes in cauſſa agente, concurrentibuſque, quas aliqui prædeterminationes vocant: dicendum tamen eſt, has determinationes eſſe tantùm inclinantes, non neceſſitantes, ita ut ſemper aliqua indifferentia ſive contingentia ſit ſalva: nec tantus unquam in nobis affectus appetituſque eſt, ut ex eo actus neceſſariò ſequatur.* Quin & celebrem illam de mundo optimo *Leibnitii* hypotheſin fatali huic neceſſitati favere pernegant, eo quòd creationem innumerabilium mundorum aliorum poſſibilem, adeoque præſentis ex contingentia quadam factam, *Leibnitius* aſſerat, ſecus ac *Spinoza* ſtatuat, nec aliud velit, quàm impuliſſe creatorem ſapientiam ejus ſummam bonum majus præ bono minori eligere, cùm duos mundos æqualiter bonos eſſe ex principio indiſcernibilium, quod vocat, impoſſibile ſit. Et ita quoque, quæ de malo ad mundi optimi rationem a *Leibnitio* requiſito, objiciuntur, velut in ſanctitatem divinam injuria tolli poſſe putant, eo quòd optimus mundus id tantùm velit: ſeriem contingentium omnium præſentium, præteritorum, futurorum, optimam eſſe, quoniam mundus, qui eam complectitur, ab ente ſapientiſſimo conditus ſit, neque optimum hunc mundum eſſe deſinere, licèt in eo ſit malum, quum & mala ab ente ſapientiſſimo in optimum

(84) Acutè de hoc diſcrimine peculiari ſchediaſmate diſſeruit illuſtris C. *Wolfius*.

optimum finem dirigantur; ratio autem divinæ voluntatis atque electionis non niſi a bono ſumi poſſit. Tacemus ea, quæ prolixè ex ſcriptis Leibnitianis per potiores doctrinæ Chriſtianæ articulos adduxit diligentiſſimus *Kortholtus*, ut evinceret, *Leibnitium* de principio cognitionis in divinis & Scriptura ſacra, de Trinitate, de peccato originali, de Chriſto, de miraculis, de operationibus Spiritus ſancti, de teſtimonio Spiritus ſancti interno, de virtutibus Chriſtianis, ita ſtatuiſſe, ut ſalva maneant fidei capita ab oraculis ſacris definita, & omnis religionis naturalis ad ſalutem ſufficientiæ ſuſpicio evaneſcat. Ex quo non tam frigidè externam quoque religionis profeſſionem edidiſſe concludunt, licèt ſint, qui concedant, ſacrarum doctrinarum interpretes negligentiùs eum audiviſſe, eo quòd eorum diſſertationes ſæpè inanes ei viderentur, aut aculeatæ, quod an verum ſit, illi dicent, qui cum *Leibnitio* uno loco vixerunt. In ſcriptis enim animum a pietate minimè alienum ſæpè demonſtrat, & haud obſcurè virtuti Spiritus S. internæ locum facit, & ſtatuit, *poëtas non poſſe melius de republica mereri, quàm ſi omnibus viribus in æterna felicitate omni colorum genere pingenda atque animis imprimenda occupentur, eique rempublicam Chriſtianam plurimum debituram, qui effecerit, ut ſumma ſit in pietate jucunditas.* Valdè autem contemnunt ſectatores *Leibnitii*, quæ *Newtoni* aſſeclæ contra hypotheticam *Leibnitii* philoſophiam monuerunt (85), his enim adhibitis theorematibus, adductiſque regulis generalibus in ea naturæ adyta penetraſſe philoſophum contendunt, quæ cùm non perſpiciant adverſarii, pro hypotheſibus fundamento carentibus habeant. Ipſe verò *Leibnitius* dum ſe univerſaliſſimis quibuſdam principiis paucíſque axiomatibus natura notis, maximè verò principio rationis ſufficientis & indiſcernibilium, de quibus infrà, ædificium metaphyſicum inædificaſſe contendit, inductionis particularis vitia *Newtoni* aſſeclis objicere non omiſit. Valdè autem ejus amicis diſplicuit, quòd *Leibnitius* in *Theodicæa*

(85) Conf. *Cl. Kahlius* in Compar. philoſ. *Leibnit.* & *Newton.* p. 133. & paſſim.

dicæa ſimulatam tantùm pugnam iniiſſe dicatur; urgent enim iiſdem hypotheſibus atque decretis, quibus *Baylium* aggreſſus eſt, per totam eum vitam fuiſſe addictum, ea ubique etiam in extremis vitæ annis ſparſiſſe, iis geometricum demonſtrationis habitum induiſſe, ſic ut dubitandum non ſit, quin veram ſententiam mentis ſuæ aperuerit (86). Quare licèt vir ſummus *Matthæus Chriſtophorus Pfaffius*, ad ipſum *Leibnitium* fatentem, ſe ſeria heic mente non egiſſe provocaverit, illi tamen, qui *Leibnitio* favent, id probari inde non poſſe magnis animis contenderunt. Contra invidiæ ſuſpicionem ea allegantur, quæ cum gloriæ propriæ neglectu pro aliis egit promovitque *Leibnitius* ſuprà jam ex parte enarrata. Quibus additur, illis ipſis, quibus dicam aliquam ſcripſit; nec laudem eruditionis & ingenii denegaſſe, nec alio eos fine notaviſſe, quàm quòd intelligeret, ſuperficiariam eos philoſophandi rationem & philoſophiam quandam exotericam ad interiores naturæ & eſſentiarum receſſus non penetrantem velut ſumma *Palladis* myſteria crepare, & juventuti leviter tinctæ propinare: certè ſua principia metaphyſica ſecutum, ordinique ratiocinandi atque demonſtrandi geometrico addictum illis pretium ponere magnum non potuiſſe, apud quos ratiociniorum ἀταξίαν quandam deprehenderet. Quam ubi obſervaverit, extuliſſe eum ingenia etiam in ſententias ſiniſtras deviantia, ut ex ejus judicio de *Hobbeſio* conſtare poſſit. Ipſi verò *Carteſio* ſatis honoris detuliſſe, quum in adyta quidem philoſophiæ non perveniſſe, aſt limina ejus tamen adiiſſe fateretur (87).

(86) Vid. Cel. *Gottſchedius* Vindic. ſyſt. influxus phyſici §. 2. ſqq. *Ludovici* l. c. P. I. §. 485. p. 477. & Præfationem Generalem.

(87) Præclarè *Leibnitium* de *Carteſio*, neque contra modeſtiam judicaſſe, ex iis, quæ ſuo loco in hiſtoria *Carteſii* dicta ſunt conſtat: & ſi quid judicamus, omninò ab invidiæ crimine abſuiſſe, concedi *Fontenellio* aliiſque debet. Fatemur tamen, iniquiorem eum videri in *Puſendorſium*; quem quavis occaſione ſugillat. Quod tamen non invidia ſtimulante, ſed animo vulnerato feciſſe, ex iis colligimus, quæ ad *Bierlingium* ſcripſit indignationis plena & humanitatem *Leibnitii* non ſpirantia. Ibi enim inter alia ait: „Receperat is aliquando in „ſe curationem negotii cujuſdam mei in „Suecia, ſed per amicos didici, contra„ria omnia ab illo acta eſſe; inde optimè „eum animatum virumque bonum fuiſſe „negat.“ Ita magni quoque viri homines ſunt!

Et ſimili quidem ratione veteres non recentiorum inventionibus & præclaris luminibus, ſed contemtui imperitorum oppoſuiſſe ſecretum, ex omnibus magnorum virorum aſſertionibus aliquid veri eruere. Et hi quidem obſcuritatem oriri non ex philoſophi culpa, ſed legentium, methodo mathematica ejuſque nervis non aſſuetorum, dictitant. Animum autem celeriori iræ tumultu excitatum, dum citò placaret, & omnium ſcientiarum juvandarum ſtudium ad communem utilitatem transferret, ingenio verò divino fiſus & memoriæ incredibili, quædam negligere ſine ἀταξίᾳ poſſet, ferri in eo poſſe iſtas labeculas putant, quas ſuprà tetigimus. Nihil autem frigidum, & ab æquitate alienum magis eſſe, quàm narratiunculis vulgi virorum ſummorum pietatem circa extremas horas in ſuſpicionem adducere, nemo facilè paulo moderatiori animo erit, qui non fatebitur. Nos his omnibus, quæ contra *Leibnitium* & pro eo viri docti, interdum fervore plus juſto, accenſi diſputarunt, arbitrium non interponimus, ſed ad Lectoris prudentiam provocamus: immò nec eorum omnium patrocinium ſuſcipimus, quæ affirmanda ſibi eſſe credidit *Leibnitius*: in quibus ſine inferenda tanto viro injuria facilè concedi poteſt, eſſe παράδοξα multa & conſequentiis valdè odioſis expoſita, nonnulla reperiri, quibus ſatius fuiſſe videtur, ſi acumen metaphyſicum paulo magis repreſſiſſet: aſt id tamen æquitas poſtulat, ut & earum conſequentiarum invidia non prematur, quas deteſtatus eſt, cùm facilè fieri poſſit, ut acutiſſima quoque ingenia ſyſtematis & hypotheſis amore occupata talia nec videant, nec fluere ex aſſertis putent, quæ alii ſatis clarè ſe cernere contendunt: & ut hypotheſeos ratio atque natura reſpiciatur, quæ non ſemper ea pro veris habet, quibus velut adminiculis utitur ad detegendam rerum naturam & ſolvendas τῶν φαινομένων rationes. Quibus monitis id rectè effici poſſe putamus, ut a mali animi ſuſpicione liberetur philoſophus præſtantiſſimus, cujus vita tot boni viri ſpecimina exhibuit. Et concedamus, non omnia vidiſſe *Leibnitium*, in nonnullis maximo, quod poſſidebat ingenio nimium fuiſſe confiſum,

quædam

quædam paralogiſmis inædificata admiſiſſe, non perſpexiſſe ſiniſtras conſequentiarum ambages facilè ex quibuſdam aſſertis enaſcendas, adeoque ſecuriùs decreviſſe, & imprimis nimis hypotheſibus indulſiſſe; quid ex his aliud concludemus, quàm fuiſſe *Leibnitium* hominem, licèt magnum, & mortalitatis infirmitates fuiſſe perpeſſum (88)? Aſt inſignibus tamen meritis fuiſſe illuſtrem eaque meritorum ſerie enituiſſe, quorum memoriam nulla unquam ætas delebit.

§. XXXII. Non caruiſſe *Leibnitium* adverſariis, ex enarrata hactenùs ejus hiſtoria eſt manifeſtum: idque & in orbe mathematico & in philoſophico contigit. Et ingenia quidem mathematicorum Britanniæ magnæ ipſi valdè adverſantia expertus eſt, ex quo infauſta de gloria inventionis calculi differentialis controverſia enata eſt: quam cùm ſuprà jam tetigerimus, hoc loco nihil dictis adjicimus. Propagata autem eſt ad philoſophiam quoque Leibnitianam iſta inimicitia, factumque inde, ut & ipſe *Newtonus*, cetera non niſi geometriæ, opticæ, aſtronomiæ mechanicæque addictus quique metaphyſicum agere nunquam in animum induxerat, φιλοσοφούμενα nonnulla *Leibnitio* opponeret (89), principiis ſuis phyſico-mathematicis inædificata, & qui eum preſſo pede ſecutus eſt, *Clarckius* magnis arietibus hypotheſes *Leibnitii* philoſophicas, metaphyſicas pariter atque phyſicas confodere inciperet. Nec cum Carteſianis, quique ex horum numero prodierunt, *Malebranchio* ejuſque diſcipulis ſatis amicè ei convenit; habuitque *Catelanum* aliosque adverſarios, *Andalam* autem caſtigatorem

Adverſarii Leibnitii.

(88) Aut fallimur, aut id unicè in epiſtola ad cel. *Pfaffium* voluit *Leibnitius*, ſe hypotheticè tantùm *Baylium* refutaviſſe, quemadmodum eidem, admiſſa *Origenis* hypotheſi, reſpondit *Clericus*. Aſt hoc non obſtante poterat his hypotheſibus ſeriò inhærere, cùm veriſimiles & ad exponenda myſteria philoſophiæ aptiſſimas judicaret. Nihil itaque egit philoſopho indignum, & a viri boni officio abludens, ſed nec ideo nimium conſequentiis premendus eſt.

(89) Ex iis philoſophiam Newtonianam exſculpſit *Voltairius*, ut haberet, quod *Leibnitio* opponeret, invito, ut videtur, *Newtono*, quem de ſyſtemate metaphyſico nunquam cogitaſſe, ſed naturalem tantum doctrinam matheſeos opera juvare voluiſſe, idque præclarè fuiſſe exſecutum conſtat. Conf. Cl. *Kahlius* l. c.

torem principiorum metaphyſicorum, etiam a ſuſpicione Spinozifmi imputanda non alienum. Tacemus illos, qui vulgata harmonia præſtabilita contra illum ſurrexerunt, & quibus ipſe reſpondit, *Foucherium*, *Lamium* alioſque ſuprà jam memoratos. Maximè *P. Baylio* virum illuſtrem hoſtilia arma intuliſſe, apparatus *Theodiceæ* loquitur; ille autem harmoniæ præſtabilitæ bellum quoque indixit, cujus objectionibus *Leibnitius* reſpondit. Diſputaviſſe autem cum *Sturmio* quoque atque *Schelhammero* de notione naturæ atque ſubſtantiæ, ex ſuprà dictis repetendum eſt. Commiſerunt eum quoque ſingulares, quas in argumento hiſtorico fovebat, hypotheſes, cum *Kulpiſio*, *Pfannero*, *Gundlingio*, *Tourneminio* aliiſque, quorum ſuprà jam mentio facta. Ipſa autem ejus philoſophiæ dogmata adverſarios ferè innumeros in Germania & extra eam reperiſſe, nemo non ex iis, quæ de reprehenſionibus virorum doctorum ſuo loco diximus intelligit. Factum inde, ut Leibnitianæ philoſophiæ brevem ætatem, fortunamque non ſatis benevolam quidam vaticinarentur, quæ imprimis conjectura fuit clariſſimorum virorum *Fontenellii* & *Des Maizeaux*. Aſt falſos eos fuiſſe, eventus prodidit. Nam nondum humanis rebus erepto *Leibnitio* inter mathematicos pro ejus partibus ſtetere magna nomina Gallorum, Germanorum, Italorum, inter quos *Bernoullios* primo ferè loco ponere æquitas poſtulat, quibus calculus Leibnitianus plurimum incrementorum debet, quique alia quoque philoſophiæ Leibnitianæ capita, præcipuè quod de viribus corporum vivis tradit, & illuſtrarunt egregiè, & fortiter propugnaverunt. Philoſophia autem, vel metaphyſica potiùs Leibnitiana, auctore ſuo adhuc ſuperſtite in ſectam non abiit. Id quod præter difficultatem & ſublimitatem ejus, qua pleriſque lectoribus obſcura facta eſt, ipſi quoque parenti ſuo debet, a ſpiritu ſectario, ut decet philoſophum longè alieno, qui eum proſcribendum eſſe ex civitate erudita prudenter ſtatuit. Plurimum tamen philoſophiæ Leibnitianæ detulit, eamque & doctiſſimis lucubrationibus ſuam fecit, vir celeberrimus *Michael Gottlieb Hanſchius*. Qui cùm

Sectatores Leibnitii.

cùm *Leibnitio* innotuiſſet, ejuſque amicitia atque commercio literario uti cœpiſſet, occaſione hac faventiſſima uſus eſt, ut per literas de viri illuſtris mente accuratè edoceretur. Cujus rei exempla exhibent epiſtolæ *Leibnitii* ad laudatum virum exaratæ. Ita de vera *Leibnitii* mente ritè eruditus lucem metaphyſicæ Leibnitianæ accendere aggreſſus eſt, & fatis erepto *Leibnitio* plura de ea commentari cœpit. Enata inde anno cIↃIↃccxxII *Meditatio philoſophica de Unione mentis & corporis ſecundum principia G. G. Leibnitii*; tum *Theoremata metaphyſica ex philoſophia Leibnitiana ſelecta, de Proprietatibus quibuſdam entis infiniti & finiti, mundique exiſtentis perfectione, methodo geometrica demonſtrata*; tandemque G. G. Leibnitii *Principia philoſophiæ more geometrico demonſtrata, cum excerptis ex epiſtolis philoſophi & ſcholiis quibuſdam ex hiſtoria philoſophicâ, vulgata anno* cIↃIↃccxxvIII. Quo libro utilem & jucundam operam vir acutus philoſophiæ Leibnitianæ cultoribus, ejuſque hiſtoriam perquirentibus præſtitit, cùm non tantùm ratiocinationum nervum oſtenderit, ſed plura quoque ex ſcriptis & epiſtolis Leibnitianis addiderit, quæ obſcuriùs dicta illuſtrarent, interdum quoque parallelismum veteris philoſophiæ, quam haud raro in partes vocavit *Leibnitius*, adduxerit. Unde introductionis loco in metaphyſicam Leibnitianam adhiberi poteſt. Majorem autem fortunam, aſt miris viciſſitudinibus expoſitam experta eſt philoſophia Leibnitiana, ex quo illuſtris Halenſium philoſophus *Chriſtianus Wolfius*, qui cum vivo *Leibnitio* amicitia interceſſerat, non modò methodo philoſophandi Leibnitiana ſed hypotheſibus quoque ab eo excogitatis uſus eſt. Quamvis enim integrum philoſophiæ ſyſtema condere *Leibnitius* nunquam in animo habuerit, contentus harmoniam mundi ex principiis quibuſdam metaphyſicis deduxiſſe, unde novum philoſophiæ ſyſtema formanti *Wolfio* neceſſe fuit, ipſum opus, affectum magis, quàm confectum a *Leibnitio* aggredi, & ſibi peculiare philoſophiæ genus effingere, quod per omnes philoſophiæ partes eundo, juſtum daret rerum omnium, quæ ſub hominis ſcientiam cadere poſ-

ſunt, corpus: negari tamen non poteſt, hypotheſes *Leibnitianas* non quidem omnes, pleraſque tamen eum in philoſophiam ſuam recepiſſe, & ſeriei meditationum ſuarum, ſuo quamlibet loco, inſeruiſſe, methodo mathematicis familiari eas demonſtratum iviſſe, & novo lumine colluſtraſſe. Id quod metaphyſicam ejus cum Leibnitianis philoſophematis comparanti erit manifeſtiſſimum (90). Non id ita intelligi volumus, ut ſectam aliquam Leibnitianam propagaſſe virum celeberrimum dicamus: id enim affirmari eo minùs poteſt, quominùs ipſe *Leibnitius* de ſecta unquam cogitavit, contentus ſemina quædam philoſophiæ, qualem ſibi conceperat, ſparſiſſe, ex quibus, ſi ingenium accedat ſolers & intelligens, juſti ſyſtematis meſſis exſurgere poſſit. Præterea vir magnus de rationali philoſophia pauca dixit, phyſicas hypotheſes ſenex ipſe abjecit in morali philoſophia ferè nihil reliquit, quod ad integrum philoſophiæ corpus pertineat. Unde factum, ut, cùm celeberrimus *Wolfius* novam ſibi philoſophiæ faciem efformaret, electis iis, quæ apud philoſophos, maximè veteres itemque Scholaſticos veritatis notam ſuſtinere videbantur, ex principiis univerſalibus cohærens aliquod doctrinæ ædificium, rationalem, metaphyſicam, naturalem & moralem philoſophiæ partem complexum exſtrueret. Qua ratione inter eclecticos philoſophos omninò haud infimus ei locus debetur, cùm cogitandi ſentiendique & hinc eligendi libertatem rectè ſibi vindicaverit. Sunt etiam inter ejus decreta nonnulla, quæ a Leibnitianis placitis diſſentiunt, teſtemque habemus ipſum *Leibnitium*, in epiſtola ad *Remondum* ſcribentem: *Wolfium placitorum ſuorum quædam recepiſſe, pauca autem ſe de philoſophia cum eo communicaſſe, nec decretorum ſuorum alia illum cognoviſſe, quàm quæ literis vulgata ſint. Vidiſſe ſe nonnulla a juvenibus eo moderante ſcripta, in quibus multa bona inſint; deprehendantur autem nonnulla, in quibus diſſentiat.* Quare omninò

(90) Ideo Leibnitianam philoſophiam inter fontes Wolfianæ doctrinæ refert Cl. *Ludovicus* in *Hiſt. phil. Wolf.* c. 9. §. 136. P. I. p. 123.

nò ipſe vir illuſtris audiendus eſt, teſtans, parum ſibi id curæ eſſe, utrum philoſophemata ſua cum Leibnitianis conſpirent, nam ſe ea tantùm ex illius metaphyſica recepiſſe, quæ concordare cum conceptibus ſuis deprehenderit. Nec ſuam, quam tanto viro deberi credat, venerationem cœcam eſſe & adorantis obſequium, ſed ea ſe tantùm admittere, quæ cum ſyſtemate ſuo ſalva veritate cohæreant &c. Et hoc quidem ſenſu virum celeberrimum inter ſectatores *Leibnitii* referendum non eſſe, quilibet æquus arbiter facilè conceſſerit. Aſt eo ipſo fatente pleraque tamen, etſi non omnia, quæ in logicis & metaphyſicis *Leibnitius* dixit, ſua fecit, ſuoque ſyſtemati aptè innexa atque accommodata ſervavit, clariorem iis lucem affudit, effecitque, ut in diſceptationem deducto ipſius ſyſtemate philoſophico, totus ferè orbis philoſophicus de philoſophia Leibnitio-Wolfiana diſputaret: invitis, quod de tantis veritatis ſectatoribus rectè credimus, ipſis ejus auctoribus, quos ſectæ ſtudium, philoſophum indecens & libertati philoſophandi inimicum non foviſſe, nec fovere voluiſſe, meritò credimus. Certè id in hiſtoria Leibnitianæ philoſophiæ negligendum non eſt, faſſum eſſe illuſtrem *Wolfium*, meditationes Leibnitianas, *de Cognitione, veritate & ideis* &c. ſibi de intellectûs humani viribus & facultatibus ſollicito plurimam lucem prætuliſſe; duxiſſeque ipſum fundamenta ſemel poſita, naturali filo ad hypotheſes Leibnitianas (91), maximè de harmonia præſtabilita. Id quod principia philoſophiæ Leibnitianæ & Theodiceam cum Metaphyſica Wolfiana comparanti erit manifeſtum, in qua principia cognoſcendi, nempe rationis ſufficientis & indiſcernibilium, notiones loci, motûs, vacui, temporis, definitiones DEI, animæ, ejuſque commercii cum corpore, monadum atque elementorum mundi; leges motûs & ſimilia cum Leibnitianis mirè conſpirant, arctoque nexu cohærent. Quæ tamen cùm integrum philoſophiæ Leibnitianæ corpus non efficiant, ſingularem tractationem celeberrimi viri merita in philoſophia poſtulant, qui quod *Leibnitius* cogitavit

(91) Præf. prima ad Metaphyſicam Germ.

tavit tantùm & tentavit, mira mentis ſollertia & acumine perfecit, polivit, auxit, novaſque meditationes exhibuit, ex quibus larga meſſis ſcriptorum enata eſt. Aſt hæc recenſere omnia, licèt maximè digna poſteritatis memoria, fines nobis, ut tractationis modus eſſet, poſiti & intra demortuorum philoſophorum limites concluſi non permittunt.

Scripta Leibnitii. §. XXXIII. Diligentiſſimus quanquam fuit *Leibnitius*, & laboris patientiſſimus, magna tamen opera non edidit, ſi collectiones hiſtoricas excipiamus, nempe *Scriptores hiſtoriæ Brunſvicenſis* & *Codicem juris gentium diplomaticum*, in quibus tamen deſcribendis, teſte *Fellero*, aliorum curâ atque operâ uſus eſt. Pleraque, quæ vulgavit, diſſertationes breviores ſunt, Ephemeridibus literariis inſertæ, aut tractationes epiſtolicæ & ſchediaſmata, qualia ea ſunt, quæ adoleſcens & juvenis edidit. Horum autem omnium recenſionem dare, opus non eſſe hoc loco cenſemus, cùm potiora, maximè quæ ad philoſophiam nempe rationalem, metaphyſicam, naturalem, moralem, politicam pertinent, in vitæ ejus hiſtoria jam indicavimus. Diligenter autem in hac opera præſtanda verſatus eſt *Cl. Ludovicus*, qui ſcripta *Leibnitii* omnia typis impreſſa ſecundum temporis ordinem accuratè enarravit, & a ſingularium obſervationum, recenſionum, epiſtolarum, diſſertationum, tractationumque indicem cupientibus ipſe evolvendus eſt. IDEM autem, ut curioſitati lectoris faciat ſatis, de ſcriptis *Leibnitii* editis latentibus & affectis promiſſiſque, integris quoque capitibus diſſeruit. Inter ea *Hiſtoria Brunſvicenſis* eſt, cui meliorem vitæ partem addixit, aſt affecta tantùm & ad annum cIↃL perducta, cujus cauſſam in §. antecedente jam attulimus, nihil tamen in iſto catalogo deprehendimus, quod philoſophiam magnoperè juvet. Dolemus autem ſyſtema philoſophiæ primæ, quod paulo ante mortem delineavit, miſſum ad Cel. *Sebaſtianum Kortholtum* Kilonium in via periiſſe, cùm dubium non ſit, quin nativam faciem philoſophiæ ſuæ ipſe omnium veriſſimè depinxerit. Meditatus etiam eſt ſcientiam de mente per geometricas demonſtrationes, ad quam multa

multa ſe mira obſervata habere, ad *Joannem Oldenburgium* ſcripſit, ſed eam poſtea intermiſit, quod fatum quoque habuit promiſſa ab eo nova dynamices ſcientia; itemque ſcientia infiniti, in qua viam analyticam demonſtrare cogitabat, calculum differentialem cum integrali pleniſſimè expoſiturus. Immò non ſine hiſtoriæ philoſophicæ damno factum, ut quam *corpuſculi κειμηλίων φιλοσοφικῶν* titulo meditabatur, editionem opuſculorum philoſophicorum *Ratramni*, *Campanellæ*, *Valeriani Magni*, *Carteſii*, quibus *Suiſſeti Calculatorem* additurus erat, perficere non potuerit. Tanta autem eruditione pollent, quæ vir ſummus vivus in vulgus exire paſſus eſt, ut meritò voluntas virorum doctiſſimorum laudanda ſit, qui ſchedas ejus paſſim, maximè in Ephemeridibus literariis diſperſas colligere, & uno faſce comprehenſas edere in animum induxerunt. Id quod primus ſuſcepit *Joannes Georgius Eccardus*, qui *Leibnitio* in condenda hiſtoria Brunſvicenſi operam præſtitit, quem ſcripta ejus minora ſigillatim impreſſa uno volumine recudi curaturum eſſe, promiſerunt *Acta eruditorum* & *Fontenellius*. Aſt intercedente rerum *Eccardi* converſione diſceſſuque ad academiam Herbipolenſem, conſilium illud evanuit. Idem poſtea ſaxum volvere in ſe recepit V. C. *Daniel Eberardus Baringius*, qui ſcripta minora in diariis eruditis diſperſa colligere, & annotationibus aucta edere promiſit; ſed & hic *Ajax* in ſpongiam incubuit. Tertius ad ſimile propoſitum acceſſit Cl. *Ludovicus*, qui non edita modò in Ephemeridibus, ſed & ſingulatim vulgata & quæ ferè diſparuere, opuſcula *Leibnitii* legenda iterùm dare, facto initio ab opuſculis metaphyſicis & logicis, commentario illuſtratis conſtituit. Qui cum ſtudio, quod in hiſtoria philoſophiæ Leibnitianæ poſuerat, & laboris patientia ſpem lectorum mirè excitaverit, optamus, ut, quæ ipſe nobis impedimenta ſibi objecta exponit, e via tandem tollantur. Certè cùm nec eruditiſſimus *Bourguetus*, qui ſimiles conatus ſuſceperat, nec, cui lampadem ille tradidit illuſtris *Jordanus*, orbem philoſophicum iſtis laboribus auxerint, omninò excitanda eſt eorum, quibus occaſio ſimile quid ſuſci-

piendi ſavet diligentia, ut omnem lapidem moveant, quo hac quoque in parte literæ, quas tantoperè promovit *Leibnitius*, juventur. Interim gratias agendas debet civitas erudita *Cl. Kortholto*, hanc jacturam eleganti epiſtolarum Leibnitianarum collectione, qui ſchediaſmata nonnulla minora, typis vulgata, quæ ad philoſophiam reſpiciunt, & hiſtoriam prudenter inſeruit, ex parte ſarcienti; qualem operam præſtitiſſe quoque cel. *Des Maizeaux*, ex ſuprà narratis conſtat.

Hiſtoria literaria Theodiceæ Leibnitianæ.

§. XXXIV. Diximus & attulimus ex immenſo rerum ad hiſtoriam philoſophicam & literariam *Leibnitii* pertinentium acervo tantum, quantum inſtitutum noſtrum requirebat, & ſufficere nos putamus, ut intelligatur, quid philoſophia eclectica magno viro debeat. Tranſeuntibus jam ad decretorum philoſophicorum *Leibnitii* enarrationem, in via *Theodicea* occurrit, ex qua magnam partem de ejus placitis decernendum. Qui liber cum ingenti orbis literarii plauſu exceptus, aſt non minùs multas contradictiones paſſus ſit, paucis ejus hiſtoria ſeparatim hic tradenda eſt. Summam enim ejus exponere hoc loco non licet, conſulendæ autem ſunt Ephemerides Lipſienſes, in quibus interprete celeberrimo *Wolſio* eruditiſſimi libri compendium eleganter enarratur (92). Conſtat autem præfatione, qua hiſtoriam enatæ tractationis auctor exponit, quam ſuprà quoque retulimus, tum diſſertatione præliminari de concordia rationis & fidei: quam ſequitur ipſa tractatio *P. Baylio* oppoſita, cui bonitatem DEI ex neceſſitate mali ancipiti argumentorum pugna, teliſque Manichæorum aggredienti ſuas phalanges objecit, a Regina Boruſſiæ ad eam pugnam excitatus. In hac verò ſcriptione & ſuam de mali origine ſententiam exponit, & *Baylii* objectionibus reſpondit, & hunc potiſſimum nodo inextricabili enſem admovet, ut elegiſſe Deum mundum ex multis poſſibilibus unum eumque optimum, inque eo malum bono admixtum ita admiſiſſe, ut cuncta ſapientiſſima

(92) Nova *Theodiceæ* editio vernaculâ præſtante iterùm Cl. *Gottſchedio* prodiit lingua Hanov. & Lipſ. 1763. curante &

tiſſima concordia tandem ad bonos fines perducantur, ſtatuat. Adjectæ ſunt meditationes in Hobbianam diſſertationem *de Neceſſitate, libertate & fortuna*, & annotationes in *Guil. Kingii* librum *de Origine mali.* Claudit elegantiſſimum librum *Cauſſa DEI aſſerta per juſtitiam ejus, cum ceteris ejus perfectionibus cunctiſque actionibus conciliata.* Dici non poteſt, quanto fulgore lectorum animos perſtrinxerit tractationis elegantia atque nitor, ſententiarum novitas, eruditionis coacervatæ ſed mira arte diſtributæ pulchritudo, lectionis vaſtitas, obſervationum literariarum farrago, ipſaque dictio Gallica jucunditate & puritate commendabilis, quæ omnia cumulavit, & divitias ſuas profudit in iſto opere Leibnitianum ingenium. Inde ſequuta maxima eruditorum approbatio, qui licet in haud paucis *Leibnitii* mentem non aſſequerentur, diſputationis tamen per amœniſſima devia lectorem detinentis jucunditate illecti nihil niſi quod ſuave erat, deprehenderunt. Unde non tantùm Ephemeridum literariarum ſcriptores in eo libro laudando decertarunt, ſed meruit quoque calculum theologorum, *Turrettini*, *Loeſcheri* aliorumque, quibus *Jo. Albertum Fabricium* addere licet. In Gallia autem, ſi *Novorum literariorum Lipſienſium* fide ſtandum eſt, invincibiles phalanges viſæ ſunt, quas in aciem produxit *Leibnitius.* Primus verò, qui diſplicere ſibi Leibnitianam de Origine mali ſententiam profeſſus eſt, fuit B. *Jo. Franciſcus Buddeus*, quo præſide diſſertatio comparuit *de Origine mali contra recentiores quorundam hypotheſes.* In qua tamen auctorem mentem ſuam rectè non percepiſſe, malè autem actionum moralitatem ex ſola lege divina derivare, ad ipſum præſidem diſſertationis ſcripſit *Leibnitius. Buddeum* ſecutus eſt Ven. *Pfaffius* (93) cui nonnulla dicta de præſentia reali in S. cœna minùs probabantur, qui tamen & ipſe rectiùs ſenſiſſe *Leibnitium* edoctus eſt. Ipſe liber adverſarios publicos pauciſſimos reperit, *Leibnitio* vivente, bis, & poſt ejus mortem duabus iterum vicibus typis repetitus. Latinam verò verſionem non nemo ex Jeſuitarum ſocietate Coloniæ vulgavit,

 Germa-

(93) In Fragm. *Irenæi* & diſſ. adj. §. 16.

Germanicam edidiſſe *Lentnerus* dicitur, cui elogium *Fontenellii* Leibnitianum acceſſiſſe in limine hujus capitis diximus, adjecto indice ſcriptorum Leibnitianorum: emendavit, & totam ferè refinxit cel. *Georgius Frid. Richterus*, meliorem Latinam quoque dediſſe Tubingenſes ſuprà retulimus. Quamvis autem harmoniæ præſtabilitæ aliæque hypotheſes adverſarios haud paucos expertæ ſint, nemo tamen integrum *Theodiceæ* opus refutare aggreſſus eſt, fortè quòd argumenti ſublimitas & diſputationis miro artificio per integram tractationem diffuſæ, moleſtia diſſentientes deterreret. Mortuo autem *Leibnitio* acri cenſura librum hunc, multos per partes jugulaſſe ſuprà jam narravimus, ex quibus repetenda, quæ hiſtoriæ libri celeberrimi lucem accendere apta ſunt (94). Velitationem Literariam de ſyſtemate Monadiſtico Leibnitiano, ejuſque veritate & pretio, ſuppeditavit annus quo Academia Berolinenſis (dirigente, qui *Leibnitio* non valdè favebat, Academiæ Præſide, *Maupertuiſio*) præmium philoſophum proponebat, illi ſolvendum, qui omnium ſolidiſſimè, vel ſyſtema illud defendere, vel evertere ſuſcepiſſet; quod poſterius, cùm præſtitiſſe ſe crederet V. C. *Juſti*, & pro more, ejus diſſertatio ab Academiâ præmio coronaretur, longam litis materiam Leibnitianis aſſeclis præbuit, quorum eo de argumento diſſertationes alio loco ſunt enarrandæ.

Novus, anno 1755, prodiit antagoniſta Philoſophus Gallus D. *Premontval*, qui ediderat *Traité du Hazard ſous l'empire de la Providence, pour ſervir de préſervatif contre la doctrine du Fataliſme moderne* 12. Impugnatoque principio rationis ſufficientis, & determinantis frigidam ſuffudit ſcepticiſmo, caſumque & fortunam cæcam Epicureo more erigere allaboraverat; infelici tamen eventu.

Circà idem tempus, in arenam quoque philoſophicam contra

(94) Novam *Theodiceam*, ſupplementi locum tueri aptam anno 1746 excogitavit *Joachimus Bueldickens* Diaconus Spandavienſis, ex legibus felicitatis novam & meliorem, quod putat optimi mundi Leibnitiani vultum effingere conans, noviſque acceſſionibus poſtea illuſtrans.

tra *Leibnitium* prodiit *Liberatus Faſſonius a S. Joanne Baptiſta*, ſcholarum piarum in Senogallenſi ſeminario Theol. & Gr. ling. Profeſſor editâ diſſertatione philoſophicâ de Leibnitiano rationis ſufficientis principio Senog. 1754. 4°. Is verò inſigni moderatione, acumine, & judicandi acie valdè commendatus reſponſum accepit, peculiari programmate a *Gottſchedio*.

Exorta de Carmine *Popii* Poetæ Britanni, quod *Tentamen de homine* inſcripſit, in Academiâ Berolinenſi controverſiâ, cùm quæreretur, num rectè, & convenienter optimi mundi ſyſtema celeberrimus hic Vates adoptaſſet, iterùm *Maupertuiſius* latus *Leibnitii* petiit, propoſitâ de mundo optimo quæſtione Academicâ, quæ contra Mundum optimum ab Academiâ dirimeretur, Philoſophis de eo in utramque partem diſputandi anſam ſuppeditavit, ita tamen, ut potior pars *Leibnitium* non deſereret. Cujus exemplum eſſe queat, quod R. *Cœleſtinus Schirmann* Benedictinæ familiæ alumnus ampliſſimo tractatu *de Mundo optimo, libertati, potentiæ & ſapientiæ Dei convenientiſſimo, Styræ* 1756. 4°. eamdem viam inſtituerit, & Leibnitianam metaphyſicam pulchrè & luculenter illuſtraverit.

Diſplicuit Cel. *Holmanno* Prof. Phil. apud Gottingenſes celeberrimo, præter alia *Leibnitii* decreta, quòd vir ſummus non ſimplicibus tantùm ſubſtantiis omnibus, agendi virtutem attribuerit, ſed quævis etiam corpora vi quâdam motrice prædita eſſe, affirmaverit, ex quâ, omnium, qui naturaliter in hiſce oriuntur, motuum eſſet deducenda origo: quæ cauſa fuit, ut a *Gliſſonii* hylozoiſmi fabulam recoquentis, partibus ſtare *Leibnitium* contenderet; enataque inde pro *Leibnitii* defenſione elegans diſſertatio *Frid. Ad. Widderi* de Hylozoiſmo, & Leibnitianiſmo, in quâ ab hac maculâ ſyſtema Leibnitianum de viribus motricibus liberavit, *Groning*. 1758.

Prodiit quoque anno ſequenti 1759. in arenam Ill. *Voltaire*, in mundi optimi, quod prius ſequutus erat, ſyſtema inſurgens; edito libello ſub tit. *Candide, ou l'Optimiſme, traduit de l'Allemand de M. le Docteur Ralph.* Nempè deſertis parti-

bus Leibnitianis, quibus, vivente *March. du Châtelet*, non ignobili, inter Leibnitianas mulieres philoſophantes, nomine adhæſerat, eâ animi intemperie iſtud dogma allatravit, ut ab impietate haud abeſſet, & libellus publicâ auctoritate prohiberetur.

Philoſophia Leibnitii. §. XXXV. Enarratâ *Leibnitii* hiſtoriâ literariâ atque philoſophicâ, reſtat, ut de ejus placitis philoſophicis more noſtro ipſo viro ſummo duce tractemus, exponamuſque qua ratione philoſophiam innovaverit. Monuimus autem in antecedentibus, integrum philoſophiæ ſyſtema *Leibnitium* non condidiſſe (95), contentum, aſſertiones potiores ex principiis generalibus deduxiſſe, ex quibus judicio ſatis inſtructo liceat integrum philoſophiæ excitare ædificium. Difficile ideo eſt, philoſophiæ Leibnitianæ delineationem exhibere, cùm nihil, quod integrum ejus ambitum comprehendat, reliquerit. Maximè verò in logicis pauca quædam ad naturam idearum pertinentia attulit, in phyſicis veteres hypotheſes de motu in abſtracto & concreto conſiderata abjecit, in morali doctrina pauciſſima nonnulla monita regulaſque aliud agens diſperſit. Una metaphyſica paulo meliori fortuna uſa, ejus *Principiis Philoſophiæ*, ſive monadologia aucta eſt, theologiam naturalem in *Cauſſa DEI aſſerta*, non tamen totam explicuit, in *Theodicea* autem hæc omnia ſparſim attulit. Unde operæ pretium eſſet, ex ſcriptis viri ſummi philoſophicis ea colligere, & ordine ſyſtematico exponere, quæ illuſtri philoſopho placuere. Quod ſaxum neminem hactenùs voluiſſe meritò miramur. Nam eos, qui Wolfianas philoſophiæ inſtitutiones pro Leibnitianis habent, falli in antecedentibus demonſtravimus. Quæ verò Cel. *Hanſchius* expoſuit ſuprà memorata ſolam metaphyſicam partem comprehendunt: nec ea, quæ nos olim de placitis

(95) Diſerte id teſtatur *Leibnitius* in Ep. ad *Remondum.* „Verum eſt Theodiceam „meam non ſufficere ad exhibendum in- „tegrum ſyſtematis mei ædificium; non „tamen multa deerunt, ſi jungantur ea „quæ in Ephemeridibus literariis, Lip- „ſienſi, Pariſienſi, *P. Baylii* & *Baſnagii* „dixi, ſaltem, quoad principia.

citis Leibnitianis adduximus (96), plenam opinionum ejus atque aſſertionum hiſtoriam explicant. Unde meritò optamus, ut, qui juſtum philoſophiæ Leibnitianæ ſyntagma ex ſcriptis celeberrimi philoſophi congeſtum meditatur, *Cl. Ludovicus*, laudatiſſimum inſtitutum perficiendi occaſionem & circumſtantias faventes nanciſcatur. Nos quo minùs hoc onus humeris noſtris imponamus, ipſa inſtituti ratio prohibet, quæ & iſtam prolixitatem refugit, & ipſa potiſſimum verba & philoſophemata philoſophorum celebrium, eo, quo ipſi propoſuerunt, ordine, adducere poſtulat. Sequemur ergo methodum hactenus adhibitam, & quæ de rationali philoſophia in meditationibus *De Cognitione, ideis & veritate* diſſeruit *Leibnitius*, primò enarrabimus, hiſque ipſa viri ſummi *Principia philoſophica*, & quæ in *Cauſſa DEI* philoſophatus eſt, ſubjungemus; ſpeciminis moralis loco autem ex præfatione *Codicis juris gentium* ea explicabimus, quibus doctrinæ moralis ædificium inædificandum eſſe ſtatuebat. Addemus autem ὡς ἐν παρόδῳ, quæ paſſim monuerunt viri docti, ut hoc pacto aliquam, ſi non plenam, philoſophiæ Leibnitianæ nanciſcamur notitiam.

Logicæ meditationes Leibnitii.

§. XXXVI. Meditationes rationales *Leibnitii* hæ ſunt:

I. Cognitio eſt vel obſcura vel clara, & clara rurſus vel confuſa vel diſtincta, & diſtincta vel inadæquata vel adæquata, item vel ſymbolica vel intuitiva, & quidem ſi ſimul adæquata & intuitiva ſit, perfectiſſima eſt.

II. Obſcura eſt notio, quæ non ſufficit ad rem repræſentatam agnoſcendam.

III. Clara cognitio eſt, cùm habeo unde repræſentatam agnoſcere poſſim, eaque rurſus eſt vel confuſa vel diſtincta.

IV. Confuſa eſt, cùm non poſſum notas ad rem ab aliis diſcernendam ſufficientes ſeparatim enumerare, licet res illa tales notas atque requiſita revera habeat, in quæ notio ejus reſolvi poſſit.

V. Ita

(96) In Germanic. Hiſt. phil. opere T. VII. p. 460. ſeqq. Conf. *Ludov.* l. c. c. ult. §. 621. p. 425.

V. Ita colores, odores, ſapores aliaque peculiaria ſenſuum objecta ſatis clarè quidem agnoſcimus, & a ſe invicem diſcernimus, ſed ſimplici ſenſuum teſtimonio, non verò notis enuntiabilibus: licèt certum ſit, notiones harum qualitatum compoſitas eſſe, & reſolvi poſſe, quippe cùm cauſſas ſuas habeant.

VI. Diſtincta notio eſt, quæ fit per notas & examina ſufficientia ad rem ab aliis omnibus corporibus ſimilibus diſcernendam: tales habere ſolemus circa notiones pluribus ſenſibus communes, circa multos affectus animi, verbo circa omnia quorum habemus definitionem nominalem, quæ nihil aliud eſt, quàm enumeratio notarum ſufficientium.

VII. Datur tamen & cognitio diſtincta notionis indefinibilis, quando ea eſt primitiva, ſive nota ſui ipſius, hoc eſt, cùm eſt irreſolubilis ac non niſi per ſe intelligitur, atque adeo caret requiſitis.

VIII. In notionibus autem compoſitis, quæ rurſus notæ ſingulæ componentes interdum clarè quidem, ſed tamen confusè cognitæ ſunt, hinc talis cognitio licèt diſtincta ſit, inadæquata eſt tamen.

IX. Cùm verò id omne quod notitiam diſtinctam ingreditur, rurſus diſtinctè cognitum eſt, ſeu cùm analyſis ad finem uſque producta habetur, cognitio eſt adæquata. Diſcedit in his notionum idearumve definitionibus & diſtinctionibus a Carteſianis & *Lockio Leibnitius*, cujus ad illius librum de intellectu humano obſervationes heic merentur conferri.

X. Plerumque non totam ſimul naturam rei intuemur, ſed rerum loco ſignis utimur, quorum explicationem in præſenti aliqua cogitatione compendii cauſſa ſolemus prætermittere, ſcientes aut credentes, nos eam habere in poteſtate; talis vocari poteſt cogitatio cœca vel ſymbolica.

XI. Cùm notio valdè compoſita eſt, non poſſumus omnes ingredientes eam notiones ſimul cogitare.

XII. Ubi tamen hoc licet, vel ſaltem quantum licet cognitio oritur intuitiva.

XIII. Notionis diſtinctæ primitivæ non alia datur cognitio, quàm intuitiva, ut compoſitarum plerarumque cogitatio non niſi ſymbolica eſt.

XIV. Eorum, quæ diſtinctè cognoſcimus, ideas non percipimus, niſi quatenus cogitatione intuitiva utimur. Et ſanè contingit, ut nos ſæpè falſo credamus habere in animo ideas rerum, cùm falsò ſupponimus aliquos terminos, quibus utimur, jam a nobis fuiſſe explicatos.

XV. Sæpè vocabula utcunque intelligimus, aut nos antea intellexiſſe meminimus, quia tamen hac cogitatione cœca contenti ſumus, & reſolutionem notionum non ſatis proſequimur, fit ut lateat nos contradictio, quam fortè notio compoſita involvit.

XVI. Ex his fluit diſcrimen inter definitionem nominalem & realem. Definitio nominalis eſt, quæ notas tantum rei ab aliis diſcernendæ continet; realis, ex qua conſtat rem eſſe poſſibilem. Eſt itaque definitionis realitas non arbitraria, quod volebat *Hobbius*, nec quælibet notiones inter ſe poſſunt conjungi.

XVII. Definitiones nominales non ſufficiunt ad perfectam ſcientiam, niſi quando aliunde conſtat, rem definitam eſſe poſſibilem.

XVIII. Idea vera eſt, cùm notio eſt poſſibilis, falſa cùm contradictionem involvit.

XIX. Poſſibilitatem rei vel a priori cognoſcimus vel a poſteriori.

XX. A priori poſſibilitatem cognoſcimus, cùm notionem reſolvimus in ſua requiſita, ſeu in alias notiones cognitæ poſſibilitatis, nihilque in illis incompatibile eſſe ſcimus.

XXI. Fit id inter alia, cùm intelligimus modum, quo res poſſit produci: unde præ ceteris utiles ſunt definitiones cauſſales.

XXII. A poſteriori poſſibilitatem cognoſcimus, cùm rem actu exiſtere experimur, quod enim actu exiſtit vel extitit, id utique poſſibile eſt.

XXIII. Quandocunque habetur cognitio adæquata, habetur & cognitio poſſibilitatis a priori; perducta enim analyſi ad finem, ſi nulla apparet contradictio, utique notio poſſibilis eſt.

XXIV. Cavendum ne quis abutatur jactato principio: quicquid clarè & diſtinctè de re aliqua percipio, id eſt verum, ſeu de ea enuntiabile. Sæpè enim clara & diſtincta videntur hominibus temerè judicantibus, quæ obſcura & confuſa ſunt. Inutile igitur axioma eſt, niſi adducta clari & diſtincti criteria adhibeantur, & niſi conſtet de veritate idearum.

XXV. Non contemnenda veritatis enuntiationum criteria ſunt regulæ communis logicæ, quibus & geometræ utuntur, ut ſcilicet nihil admittatur pro certo; niſi accurata experientia vel firma demonſtratione probatum.

XXVI. Firma autem demonſtratio eſt, quæ præſcriptam a logica formam ſervat; non quaſi ſemper ordinatis ſcholarum more ſyllogiſmis opus ſit, ſed ita ſaltem, ut argumentatio concludat vi formæ.

XXVII. Itaque nec prætermittenda eſt aliqua præmiſſa neceſſaria, & omnes prætermiſſæ jam antè vel demonſtratæ eſſe debent, vel ſaltem inſtar hypotheſeos aſſumtæ, quo caſu & concluſio hypothetica eſt.

XXVIII. Commendanda ideo eſt ingenioſiſſimi *Paſcalii* regula, definiendos eſſe omnes terminos parumper obſcuros, & comprobandas omnes veritates parumper dubias. Quod quomodo faciendum ſit, ex attenta eorum, quæ dicta ſunt, conſideratione conſtare poteſt.

XXIX. Omnia nos videre in Deo, vetus eſt ſententia, & ſi ſano ſenſu intelligatur, non omninò ſpernenda.

XXX. Etſi omnia in Deo videremus, neceſſe tamen eſſet, ut habeamus ideas proprias, id eſt non quaſi icunculas quasdam, ſed affectiones ſive modificationes mentis noſtræ, reſpondentes ad id ipſum, quod in Deo perciperemus.

XXXI. Utique aliis atque aliis cogitationibus ſubeuntibus aliqua in mente noſtra mutatio fit: rerum verò actu non cogitatarum ideæ ſunt in mente noſtra, ut figura *Herculis* in rudi marmore.

XXXII.

XXXII. At in Deo non tantùm neceſſe eſt actu eſſe ideam extenſionis abſolutæ atque infinitæ, ſed & cujuſque figuræ, quæ nihil aliud eſt quàm extenſionis abſolutæ modificatio. Tangunt hæc controverſiam *Malebranchii* de origine idearum, cujus infra hiſtoriam enarrabimus. Pluribus id agit, notionesque Carteſianas *Malebranchii* ſuis vel emendare vel refellere contendit in examine principiorum *Malebranchii*, quod cum his comparandum eſt. Multa enim eo loco habet, quæ dicta illuſtrant & amplificant.

XXXIII. Cùm colores aut odores percipimus, utique nullam aliam habemus, quàm figurarum & motuum, perceptionem, ſed tam multiplicium & exiguorum, ut mens noſtra ſingulis diſtinctè conſiderandis in hoc præſenti ſuo ſtatu non ſufficiat, & proinde non animadvertat perceptionem ſuam ex ſolis figurarum & motuum minutiſſimorum perceptionibus compoſitam eſſe. Hactenus de ideis *Leibnitius*, qui principia ratiocinationis & cognitionis quoque in monadologia tetigit. Hanc itaque, quam principia philoſophiæ exhibere *Leibnitius* contendit, jam porrò audiemus, mittemus autem in compendium, &, quæ probandæ aſſertionis cauſſa attulit, more noſtro omittemus, cùm ea ſcire deſiderantibus principia hæc philoſophiæ ubique invenire liceat.

§. XXXVII. Ita verò de elementis rerum, & quæ illa conſequuntur, *Leibnitius* ſtatuit: *Metaphyſica Leibnitii.*

I. Monas non eſt, niſi ſubſtantia ſimplex, quæ in compoſita ingreditur. Simplex dicitur quia partibus caret.

II. Neceſſe autem eſt, dari ſubſtantias ſimplices, quia dantur compoſita, neque enim compoſitum eſt, niſi aggregatum ſimplicium. Primam ferè rationem, cur ad monadas rerum omnium principia atque elementa retulerit *Leibnitius*, iſtis theſibus affert, nempe quia compoſita, neceſſe eſt, conſtare ex partibus ſimplicibus, ex quibus aggregatis omnia compoſita exſurgunt. Sine his enim principiis ſimplicibus nihil reale ineſſe rebus compoſitis ſtatuit. Hinc ſubſtantias ſimplices, ex quarum aggregato corporeæ maſſæ exſurgunt, neceſſariò

 admitten-

admittendas eſſe contendit, ſine quibus, velut veris elementis res eſſe nequeant. Reliqua enim, quæ in natura occurrunt, ſola eſſe phænomena, quæ inde reſultent, concluſit (97). Hæc elementa naturæ monades appellare juſſit virum inſigniter doctum & natura rei & veterum auctoritas. Quemadmodum enim monas, id eſt, unitas, fons eſt & origo numeri, omnemque vim & poteſtatem ejus complectitur, qui nihil aliud eſt niſi aggregatum unitatum; ita & elementa iſta atque principia prima & ſimpliciſſima res omnes, quæ ex illorum aggregatione componuntur, conſtituunt. Notum autem ex iis, quæ *Tomo primo Hiſt. Criticæ Philoſophiæ* de philoſophia Pythagorica diximus, monadas in hujus jam ſectæ doctrina principia rerum abſolviſſe. Sunt quoque in monadibus *Pythagoræ* complura, quæ cum monadibus Leibnitianis conſpirant; nominis ratio, quæ ἀπὸ τοῦ μένειν fluit, qua idem ſignificat, quod ſubſtantiam, nempe rem, quæ ſemper ſtet, & in eadem ratione maneat, itemque multitudini opponatur: origo rerum ex monadibus derivata; admiſſæ monades velut vera elementa naturæ, & principia rerum, & ſimilia. Aſt confuſas notiones ſæpenumero in deſcribendis monadibus ſequebantur Pythagorei, unde ipſam quoque materiam monada vocare non dubitarunt, non ſolas ſubſtantias intellectuales: immò totum quoque chaoticum monadis rationem habere, epitheta monadi tributa produnt. Quæ omnia cùm unitatum, ſive elementorum, naturæ repugnent, rectè a philoſopho rejecta ſunt: qui licèt nonnulla ex monadologia Pythagorica accepiſſet, ut tamen erat ingenio acutiſſimo, iſta voce tantùm ad deſignanda rerum principia prima, ſimplicia atque elementa naturæ uſus eſt. Convenire autem monadas ſuas cum monadibus Pythagoricis, & ideis *Platonis*, quæ coincidunt, ipſe vir

(97) Occaſione litis inter *Maupertuiſium* & *Kœnigium* de actione naturæ minima, quæ in Academiâ Berolinenſi multum pulverem excitavit, controverſiam quoque inter *Malebranchium* & *Leibnitium* de principio continuitatis revixiſſe, cùm de authenticitate epiſtolæ *Leibnitii* ad *Hermannum* datæ longa lis, non ſine animorum motibus eſſet exorta, neminem latet.

vir illuſtris faſſus eſt, ſcribens ad *Hanſchium* : *Pulcherrima ſunt multa* Platonis *dogmata*, *objectum ſapientiæ eſſe* τὰ ὄντως ὄντα, *ſubſtantias nempe ſimplices*, *quæ a me monades appellantur*, *&* *ſemel exiſtentes ſemper perſtant.* Verùm & aliis veteris philoſophiæ Græcæ vocabulis ad has ſubſtantias ſimplices ſive elementa rerum deſignanda *Leibnitius* uſus eſt. Vocat enim eas πρῶτα δεκτικὰ τῆς ζωῆς, quod primario vitam ſenſumque illis & actionis vim ineſſe contenderet. Sed & atomos vocavit, aſt ſenſu a *Democriti* & *Epicuri* decretis valdè diverſo. Atomos enim Democriteas & Epicureas principio rationis ſufficientis contrarias eſſe arbitrabatur (98); eo quòd duritiem naturalem & primitivam, quæ ipſis inſit, ſupponant, cujus ſufficiens ratio dari nequeat. Unde eas quoque ab *Hartſoeckero* aſſertas rejecit. Monades itaque atomos vocando, non atomos molis intelligendas eſſe monet, ſed ſubſtantiæ, id eſt unitates reales, & partibus, quibus atomi *Epicuri* non carent, deſtitutas, quæ fontes exiſtant actionum, ſintque prima & abſoluta principia ex quibus res componantur, & in quæ velut ultima elementa ſubſtantiata reſolvantur. Sed & punctis mathematicis aſſimilavit, puncta metaphyſica appellans & formas ſubſtantiales dixit, quarum conſiſtat natura in vi activa, perceptionis & appetitûs participe; qua ratione obſcuram *Ariſtotelis* denominationem entelechiæ primæ intelligendam eſſe, contendit : ejuſque veram ſignificationem ſe detexiſſe ſcripſit ad *Pelliſſonium.*

III. Ubi non dantur partes, ibi nec extenſio, nec figura, nec diviſibilitas locum habet. Atque monades iſtæ ſunt veræ atomi naturæ, & ut verbo dicam, elementa rerum.

IV. Neque etiam in iis metuenda eſt diſſolutio, nec ullus concipi poteſt modus, quo ſubſtantia ſimplex naturaliter interire poteſt.

V. Ex eadem ratione non datur modus, quo ſubſtantia

 ſimplex

(98) Putabat *Leibnitius*, etſi exiſtentia atomi molis non eſſet contra divinam potentiam, fore tamen contra divinam ſapientiam : non enim dari rationem ſufficientem Deum determinantem ad ſubdividendum hoc, non verò illud.

ſimplex naturaliter oriri poteſt, quoniam non aliter niſi per compoſitionem formari poſſet.

VI. Poſſunt itaque monades non oriri niſi in inſtanti, id eſt per creationem, nec finiri, niſi per annihilationem.

VII. Nullo modo explicari poteſt, quomodo monas alterari aut in ſuo interiori mutari queat per creaturam quandam aliam. Neque enim ſubſtantia neque accidens in monadem quæ partium mutationem non habet, forinſecùs intrare poteſt.

VIII. Opus eſt tamen, ut monades habeant aliquas qualitates, alias nec entia forent.

IX. Immò opus eſt, ut monas quælibet differat ab alia quacunque. Neque enim unquam dantur in natura duo entia, quorum unum ex aſſe convenit cum altero, & ubi impoſſibile ſit, quandam reperire differentiam internam aut in denominatione interna fundatam. Ratio quam affert, illuſtris philoſophus, appellata ab eo eſt principium identitatis indiſcernibilium, quam & rationi eſſe conformem contendebat, & experientiam teſtem habere affirmabat, quamque neglectam fuiſſe unà cum principio rationis ſufficientis dolebat, eo quòd longè meliorem & ſaniorem metaphyſices faciem inducere videbat. Hoc potiſſimum principio uſus, atomorum molis inanitatem demonſtrare aggreſſus eſt. Neque tamen novum hoc axioma eſt, ſed dudum, teſte *Cicerone* (99) a Stoicis aſſertum: *Dicis*, ita ille, *nihil eſſe idem, quod ſit aliud*; *Stoicum eſt quidem, nec admodum credibile, nullum eſſe pilum omnibus rebus talem, qualis ſit pilus alius, nullum granum.* Recentiori autem ætate *Jordanus Brunus*, cujus plura cum monadologia Leibnitiana conſpirant, ſatis luculenter: *Neque eſt poſſibile in ſpecie ulla, duo omnino concordantia vel æqualia individua comperire, duos, inquam, hic dies, circuitus, annos æquales atque ſimiles non ſolùm pro habitudine ad alia, ſed vel etiam abſolutè potentia in phyſica referre.* Unde inter theoremata de minimo hoc quoque aſſertum ivit: *Duas figuras vel lineas*

(99) Quæſt. Acad. Lib. II.

neas in materia omnino æquales offendere, vel bis eandem repetere impoſſibile eſſe. Quod etiam valdè ſubtiliter rationibus geometricis munit. Falluntur itaque, qui hoc principium, ſi non tactum receptum tamen & demonſtratum primò atque in philoſophiæ uſum translatum *Leibnitio* tribuunt. Cui tamen hæc concedenda eſt gloria, quòd primus fere ad demonſtrandas veritates metaphyſicas eo principio uſus ſit. Vix autem axioma hoc *Clarckio* oppoſuerat *Leibnitius*, cùm is contradictionem deprehendiſſe ſibi videretur, eo quòd ipſi ſupponenti res duas inter ſe æquales, reverâ duas eſſe, non eandem, id *Leibnitius* conceſſerit, & tamen contenderit, unam rem fore duobus nominibus inſignitam. Ad quæ reſpondere *Leibnitius* morte præventus non potuit, ejus autem partes ſuſtinuit *Cl. Thummigius* (100): receperunt autem theſin poſt illuſtrem *Wolfium* (1), & *Hanſchium*, qui rationibus eam metaphyſicis confirmavit, etiam alii, qui cetera Leibnitianam philoſophiam non in omnibus probarunt. Unde acutè nuper cel. *Sam. Chriſtianus Hollmannus* (2) monuit: *Etſi demonſtrari nequeat, impoſſibile eſſe, plures res ſingulares ita in ſingulis ſuis determinationibus convenire inter ſe poſſe, ut nulla ampliùs rei, quàm ſolo numero, inter ſe differant; imprimis ſi a determinatione loci, ſeu ſpatii modique coëxiſtendi cum aliis rebus ſingularibus verè exiſtentibus hic abſtrahatur: experientia tamen conſtare, adeò infinitam ferè eſſe, rerum exiſtentium, imprimis materialium & corporearum varietatem, ut ne duas quidem res ſingulares ejuſdem ſpeciei, deprehendere liceat, quarum determinationes omnes eodem modo utrobique ſe habeant, & ſi vel maximè omnes eodem modo ſe habere, vellemus ſupponere, vel ſolo tamen loco coëxiſtendique modo ſemper adhuc inter ſe differre. Duaſque ergo pluresque res ſolo numero inter ſe differentes, non dari, neque ſi loci intuitu ſimul ſpectentur, dari poſſe.* Idem a poſteriori quoque & experientia duce probatum ivit cel. *Hambergerus* (3). Sed redeundum in viam.

X. Omne

(100) in Reſponſ. ad Ep. V. *Clarckii.*

(1) Metaphyſ. germ. §. 587. p. 361.

(2) Metaphyſ. §. 255. Tom. I. ſyſt. phil. p. 845.

(3) Elem. phyſic. §. 209.

X. Omne ens creatum eſt mutationi obnoxium, & conſequenter etiam monas creata, eſtque in unaquaque mutatio continua.

XI. Sequitur ex hactenùs dictis, mutationes naturales monadum a principio interno proficiſci, propterea quòd cauſſa externa in ejus interius influere nequit. Et generaliter affirmare licet, vim non eſſe, niſi principium mutationum.

XII. Opus etiam eſt, ut præter principium mutationum detur quoddam ſchema ejus, quod mutatur, quod efficit, ut ita dicam, ſpecificationem ac varietatem ſubſtantiarum ſimplicium.

XIII. Involvere illud debet multitudinem in unitate aut ſimplici. Omnis enim mutatio naturalis cùm per gradus fiat, aliquid mutatur, & aliquid remanet, conſequenter in ſubſtantia ſimplici datur quædam pluralitas affectionum ac relationum, quamvis partibus careat.

XIV. Status tranſiens, qui involvit ac repræſentat multitudinem in unitate ſeu ſubſtantia ſimplici, non eſt, niſi iſtud quod perceptionem appellamus, quam probè diſtinguere debemus ab apperceptione ſeu conſcientia. Nodus hic præcipuus eſt, quem inſolubilem eſſe viri docti, non illi modò, qui Leibnitianam metaphyſicam oppugnarunt, ſed illi quoque, qui cetera illi ſubſcripſerunt, faſſi ſunt. Et *Leibnitius* quidem adeò huic aſſerto primario fidebat, ut Carteſianos reprehenderet, quod ex neglecta perceptione, cujus nobis non ſumus conſcii, ſolos ſpiritus eſſe monades, nec dari animas brutorum, nec alias entelechias crediderint, immò ingenia perverſa in opinione de mortalitate animarum confirmaverint. Cùm autem perceptionem monadibus ſine appetitu tribuere non poſſet, ut ex theſi ſequenti conſtat, perceptionem autem per mechanicas rationes explicare impoſſibile eſſet, neceſſarium erat, eas dicere automata incorporea, quæ cùm perceptionem & appetitum habent, animæ nomen ſuſtinere poſſint, a quibus animæ brutorum hominumque ipſiuſque DEI gradu tantùm & perfectione, diſtent. Aſt id incomprehenſibile viris

eruditis

eruditis paſſim viſum eſt, certè ipſe illuſtris *Wolfius*, cùm metaphyſicam conderet, faſſus eſt, dubitare ſe hactenus, utrum iſta monadum perceptio admittenda ſit, unde ſola elementa rerum ſimplicia, neglectis monadibus Leibnitianis ſufficere putavit. Non excitabimus objectiones virorum doctorum, quibus ob hoc aſſertum monadum hypotheſin preſſerunt (4), tantam enim prolixitatem inſtitutum noſtrum non patitur, ſed conſuli eos jubemus, qui *Leibnitii* monades oppugnarunt, quorum allegandorum otium nobis fecit *Cl. Ludovici* induſtria: id unum notamus, viſum fuiſſe illis, qui elementa rerum materialium ſimplicia concedunt, confudiſſe virum ſummum immateriale cum ſimplici, adeoque perperam illius attributum huic tribuiſſe: cùm non repugnet ſimplex eſſe, & tamen materiæ, quæ ex iſtis ſimplicibus componitur, affectiones habere. Ceterùm ipſe *Hanſchius*, qui tamen Leibnitianam monadum perceptionem demonſtrare geometricè voluit, faſſus eſt, viros harum rerum quàm maximè intelligentes, & quorum induſtria hactenùs in evolvendis principiis Leibnitianis ſumma cum laude verſata ſit, de hujus theorematis veritate determinare non audere, licèt concedant, eſſe in monadibus repræſentationem multitudinis externæ: nec ipſis certum videri, utrum repræſentatio hæc in monadibus nudis inferat identitatem ſtatus illarum monadum cum ſtatu animæ noſtræ in ſtupore, lethargo & profundo ſomno: & annon in monadibus nudis poſſit concipi vis perdurans, nec perceptiva tamen, cujus mutationes non inferant multitudinem partium, ſed graduum & relationum externarum tantùm, & tamen a perceptione propriè ſic dicta, obſcura etiam & cum nullo actu reflexo conjuncta, differant eſſentialiter?

XV. Actio principii interni, qua fit mutatio ſeu tranſitus

(4) Newtonianorum objectiones explicat *Voltaire* Comp. Met. Leibnit. & Newtonianæ c. 7. Carteſianorum *Andala* Diſſ. cit. Anti-Wolfianorum *Langius* in Idea analytica ſyſtematis metaphyſici Wolfiani c. 1. p. 71. ſeqq. nulli ſectæ addictorum; *Wachterus* in Harmonia recentiorum philoſophorum ſecum non concordante, c. 3. ſeqq. p. 14. ſeqq.

ab una perceptione ad alteram, appetitus appellari poteſt. Verum equidem eſt, quòd appetitus non ſemper prorsùs pervenire poſſit ad omnem perceptionem ad quam tendit, ſemper tamen aliquid ejus obtinet, atque ad novas perceptiones venit.

XVI. Negari tamen nequit perceptionem, & quod inde pendet, per rationes mechanicas explicari non poſſe, hoc eſt, per figuras & motum, quia partibus ſe mutuò impellentibus carent. Non itaque in ſubſtantia ſimplici reperietur aliud, hoc eſt, præter perceptiones earumque mutationes in ea nihil datur. Atque in hoc conſiſtere debent omnes actiones internæ ſubſtantiarum ſimplicium.

XVII. Nomen entelechiæ imponi poſſet omnibus ſubſtantiis ſimplicibus ſeu monadibus creatis, habent enim in ſe certam quandam perfectionem, τὸ ἐντελὲς, datur quædam in iis ſufficientia, αὐτάρκεια, vi cujus actionum ſuarum internarum fontes ſunt, quaſi automata incorporea (5).

XVIII. Quòd ſi animam appellare lubet, quicquid perceptionem & appetitum habet in ſenſu generali, omnes ſubſtantiæ ſimplices aut monades creatæ dici poſſent animæ (6). Enimverò cùm apperceptio aliquid ampliùs importet, quàm ſimplicem quandam perceptionem: conſultius eſt, ut nomen generale monadum & entelechiarum ſufficiat ſubſtantiis ſimplicibus, quæ ſimplici perceptione gaudent (7), & animæ appellen-

(5) Notionem hanc ſubſtantiæ evertere aggreſſi ſunt, quotquot monadologiam oppugnarunt, maximè Carteſiani & Newtoniani, tum & Cl. *Crouſazius* in Præl. de phyſicæ orig. conf. Bibl. anc. & mod. T. XXIV. P. I. art. 10.

(6) Non nova hæc eſt hypotheſis, ſed & Platonicis nonnullis & Cabbaliſtis omnibus familiaris, qui omnem ſubſtantiam eſſe ſpiritualem i. e. animam, materiam tantum phænomenon putant. Conf. *Cl. Wachter*. l. c. p. 19. ſeqq. ubi tamen materiam ex mente *Platonis* talem dici poſſe non comprehendimus.

(7) Conferri meretur cum his aſſertionibus Leibnitianis ſyſtema *Campanellæ* de ſenſu rerum, ſupra c. 5. enarratum. Legiſſe *Campanellæ* libros *Leibnitium* conſtat; utrum autem perceptionem monadum a *Campanella* habuerit, dicere non habemus. Sufficiebat enim acutiſſimo viro harmonia regnorum DEI ſuppoſita, ut concluderet repræſentationem quandam mundi in monadibus eſſe neceſſariam, conf. Cl. *Kahlius* adv. *Voltairium* c. 8. p. 135. Ceterum jucundum hoc loco erit obſervare, etiam *Gaſſendum* a perceptione rerum omnium aſſerenda non fuiſſe remotum. Quamvis enim humanam

pellentur; quarum perceptio eſt magis diſtincta & cum memoria conjuncta.

XIX. In deliquio aut ſtupore, & ſomno profundo anima quoad ſenſum non differt a ſimplici monade, ſed non caret tunc omni perceptione.

XX. Quando nempe ingens adeſt exiguarum perceptionum multitudo, ubi nihil diſtincti occurrit, mens ſtupet. Iſtiuſmodi ſtatum ad tempus animalibus mors conciliare valet.

XXI. Quemadmodum omnis præſens ſubſtantiæ ſimplicis ſtatus naturaliter ex præcedente conſequitur, ita ut præſens ſit gravidus futuro.

XXII. Ita quoque cùm evigilantes ab iſto ſtupore perceptionum noſtrarum conſcii ſimus, neceſſe eſt, ut aliquas immediatè ante habuerimus, quamvis earum conſcii non fuerimus. Etenim perceptio naturaliter non oritur, niſi ex alia perceptione, quemadmodum motus naturaliter non oritur, niſi ex motu.

XXIII. Apparet inde, nos quando nihil diſtincti in noſtris perceptionibus habemus, in perpetuo fore ſtupore. Atque is monadarum nudarum ſtatus eſt.

XXIV. Videmus etiam, naturam dediſſe animantibus perceptiones ſublimes, dum iis organa conceſſit, quæ complures radios luminis, aut complures undulationes aëris colligunt, ut per unionem fiant efficaces. Simile quid in odore, ſapore, & tactu &c. occurrit.

XXV. Memoria ſpeciem conſecutionis ſuppeditat animabus, quæ rationem imitatur, ſed ab ea diſtingui debet. Videmus ideo animantia, dum percipiunt objectum, quod ipſa ferit, & cujus ſimilem perceptionem antea habuere, per repræſentationem memoriæ exſpectare, quod eidem in perceptione præcedente jungebatur, & ad ſenſationes ferri ſimiles iis, quas tunc habuerant.

 XXVI.

humanam iis cognitionem recte denegari contendat, contendit tamen, propriam qua opera ſua peragant, quæ homo nec norit nec poſſit moliri illis denegari non poſſe. Phyſ. S. I. L. IV. c. I. T. I. Opp. p. 286.

XXVI. Imaginatio fortis, quæ ipſos ferit ac movet, vel a magnitudine vel a multitudine perceptionum præcedentium proficiſcitur. Interdum enim idem eſt impreſſionis fortis, uno ictu factæ, effectus, qui diuturni habitus aut perceptionum mediocrium, ſæpiùs repetitarum.

XXVII. Homines beſtiarum inſtar agunt, quatenùs conſecutiones perceptionum, quas habent, non niſi a principio memoriæ pendent, & inſtar medicorum empiricorum, qui ſimplici praxi abſque theoria utuntur.

XXVIII. Enimverò cognitio veritatum neceſſariarum & æternarum eſt id, quod nos ab animantibus ſimplicibus diſtinguit, & rationis atque ſcientiarum compotes reddit, dum nos ad cognitionem noſtri atque DEI elevat. Atque hoc eſt iſtud, quod in nobis anima rationalis ſive ſpiritus appellatur (8).

XXIX. Cognitioni veritatum neceſſariarum & earum abſtractionibus acceptum referri debet, quod ad actus reflexos elevati ſimus, quorum vi iſtud cogitamus, quod Ego, appellatur, & hoc vel iſtud in nobis eſſe conſideramus. Et inde etiam eſt, quod noſmet ipſos cogitantes de ente, de ſubſtantia cùm ſimplici tum compoſita, de immateriali & ipſo DEO cogitemus, dum concipimus, quod in nobis limitatum eſt, in ipſo ſine limitibus exiſtere. Atque hi actus reflexi præcipua largiuntur objecta ratiociniorum noſtrorum.

XXX. Ratiocinia noſtra duobus magnis principiis ſuperſtructa ſunt. Unum eſt principium contradictionis, vi cujus falſum judicamus, quod contradictionem involvit, & verum, quod falſo opponitur, vel contradicit.

XXXI. Alterum eſt principium rationis ſufficientis, vi cujus conſideramus, nullum factum reperiri poſſe verum, aut veram exiſtere aliquam enuntiationem, niſi adſit ratio ſufficiens,

(8) Etiam hæ theſes cum c. 20. & 21. *Campanellæ* de Senſu rerum poſſunt comparari, aſt eas *Campanellæ* aſſertiones olim rejiciebat *Leibnitius* vid. Diſſ. de Ariſtot. recentioribus conciliabili §. 12. Tunc negabat, dari ens, quod neque extenſionis neque cogitationis ſit capax: agnoſcebatque in formis ſubſtantialibus eſſe appetitum & inſtinctum ſecundùm Ariſtotelicos,

tiens, cur potiùs ita ſit, quàm aliter, quamvis rationes iſtæ ſæpiſſimè nobis incognitæ eſſe queant. Celeberrimum hoc principium rationis ſufficientis factum eſt in orbe philoſophico, quàm primum reſuſcitatum & quaſi vita donatum ex ingenio Leibnitiano prodiit. Quod non ignotum fuiſſe Sinenſibus, qui ita virtutum præcepta naturæ humanæ inædificaverint, ut ratio inde ſufficiens earum conſtaret, contendit ill. *Wolfius* (9). Nos certiori jure ad omnium gentilium philoſophorum, maximè Græcorum, principia philoſophica provocari poſſe putamus, quæ axiomati huic inædificata ſunt, quærendam omnium rerum rationem ſufficientem, cur ſint magis, quàm non ſint. Hoc enim axioma illud: ex nihilo nihil fit, progenuit, cùm facilè intelligerent, ſi nulla ratio ſit, cur aliquid exiſtat, nihil quoque fieri atque exiſtere poſſe. Quod principium omnis ætatis gentiſque philoſophos tenuiſſe, alio loco indubitatis teſtimoniis probavimus (10). Nec obſtat, quod objici poſſe videtur, eos omnia ad neceſſitatem quandam, contingentiæ rerum oppoſitam, retuliſſe. Nam etſi hoc de pleriſque, non tamen de omnibus, verum ſit (11), nihil tamen id probat aliud, quàm homines hos hypotheſeos amore ſeductos ejuſmodi rationem ſufficientem naturæ rerum quæſiviſſe, quæ reverâ non datur, cùm hoc ipſo principio veriſſimo duce facilè ad id potuiſſent pervenire, ut intellexiſſent, cùm res omnes contingentes quæ exiſtunt, rationem ſufficientem, cur ſint, & ex ſtatu poſſibilitatis in ſtatum exiſtentiæ progreſſæ ſunt, in ſe non habeant, ideò quærendam eam eſſe in alia, quæ ultimam rationem extra ſeriem contingentium in ſe neceſſariò habeat, quo pacto ſyſtemati tum emanativo, tum dualiſtico, quæ omnem gentilem philoſophiam in præceps egere, nuncium miſiſſent, & ad veram DEI notionem per-

 veniſ-

(9) In Or. de Philoſophia Sinenſium.

(10) Amœnit. liter. T. VIII. p. 304. conf. cel. *De Beauſobre* Hiſt. Manich. P. II. L. V. c. 2. p. 166. ſeqq. & *Gaſſendus* Phyſ. S. I. L. III. c. 1. Opp. T. I. p. 231.

(11) Aliter enim *Epicurus*, qui, licet ſine ratione ſufficienti, contingentiæ atomorum concurſum permittebat, ſecus ac factum a *Democrito*, qui neceſſitatem intrinſecam ſive fatum agnoſcebat.

veniſſent. Vidit hujus rei aliquid *Seneca* (12), ſed ſyſtematis Stoici ineptiis deluſus, & ſeriem contingentium non rectè excutiens, malè ad errorem tranſtulit. Poſtquàm enim de cauſſis rerum longam enarrationem ex mente veterum inſtituiſſet, concludit: *Sed nos nunc primam & generalem cauſſam quærimus, hæc ſimplex eſſe debet; nam & materia ſimplex eſt. Quærimus*, quid ſit cauſſa? *ratio faciens, id eſt, Deus. Ita enim quæ nunc retuli, non ſunt multæ & ſingulæ cauſſæ, ſed ex una pendent, ex ea, quæ fuit.* Confundere in tota hac de cauſſis diſſertatione *Senecam* rationem ſufficientem cum cauſſa (13), manifeſtum; aſt ad illam potiſſimum reſpexiſſe, ex eo ſatis manifeſtum eſt, quod unam cauſſam Deum ponat, eo quod rationes rerum omnium intra ſe habeat. Ratio enim ſive cauſſa Stoicis eſt, propter quid aliud fit, cui effectum adjecerunt. Similia paſſim apud veteres deprehendi poſſent, ſi id ageremus (14). Obſervatum autem ipſi *Leibnitio Archimedem* huic principio dogma de æquilibrio corporum inædificaſſe. Tacemus recentiores alios, præcipuè inter Scholaſticos, qui paſſim ex hoc principio ratiocinantur. Ab *Euclide* verò idem ſe didiciſſe fatetur *Jordanus Brunus*. Quibus ipſe addendus *Carteſius* (15). Non novum itaque principium eſt, nunquamve auditum, ſed ſingulari tamen explicatione non excultum, quod, niſi fallimur, primus ad conſtituendas confirmandaſque veritates metaphyſicas *Leibnitius* adhibuit. Cùm autem ratio ſufficiens, cum cauſſa neceſſaria facilè confundi poſſit, hinc factum, ut axioma ſenſu recto egregium, contradictionem pateretur, quod vix e pulvere protraxerat *Leibnitius*. *Clarckius* enim,

(12) Ep. 65.

(13) Id omnes omninò veteres & recentiores plerique fecerunt, ipſe *Leibnitius* in Diſſ. de *Ariſtotele* recentioribus reconciliabili, aliquoties cauſſam & rationem pro eodem habuit.

(14) Paſſim axioma hoc occurrit apud *Ciceronem* de Divin. L. II. de Fin. bon. L. I. & de Fato, quo loco, quando ſcribit, contra *Epicurum* diſputans: „Rurſus autem, ne omnes a phyſicis irrideamur; „ſi dicamus, quicquam fieri ſine cauſſa &c. apertum facit, totam veterum phyſiologiam huic principio fuiſſe innixam. Nemo autem fortiùs hoc argumentum urſit, quàm *Lucretius* L. I. qui meretur conſuli, his enim inhærere hoc loco non licet.

(15) In Reſp. ad object. ſec. Medit. primæ p. 77. qui luculentus eſt.

enim; cùm libertatem indifferentiæ ita tolli videret, hacque ratione in Deo quoque quandam neceſſitatem poni ſuſpicaretur, infringere hoc principium, negare licet totum non auderet, conſtituit. Concedebat ille, indubitatum quidem eſſe, nihil exiſtere ſine ratione ſufficiente exiſtentiæ ſuæ, nihilque exiſtere hoc magis modo, quàm alio, cujus ratio ſufficiens non extet: Aſt urgebat, in rebus in ſe indifferentibus, ſimplicem nudamque voluntatem eſſe rationem ſufficientem, ut exiſtant, vel certam exiſtendi determinationem modumque accipiant, neque hanc voluntatem opus habere, ut a cauſſa aliena determinetur: id quod ex ordine particularum formati mundi probat, quem ex ſola voluntate DEI pependiſſe ſtatuit. Oppoſuit huic arieti principium identitatis indiſcernibilium, *Leibnitius*, & inductione uſus & ratione metaphyſica; nempe quòd duæ res, quæ diſcerni nequeant, eadem res ſint duobus nominibus, ex quibus exemplum ab ordine mundi allatum a *Clarckio* impoſſibile figmentum eſſe concluſit. Quibus repoſuit *Clarckius*, res duas ſibi perfectè ſimiles non tamen deſinere eſſe duas res; id quod ſpatii & temporis partibus æqualibus illuſtrat, quarum tamen momenta duo unum non ſint, nec ſola duo nomina unius momenti. Regeſſit ad hæc quoque *Leibnitius*, faſſus, ſi duæ res perfectè æquales, ut diſcerni nequeant, exiſterent, fore duas res; aſt ſupponi falſum aliquod, & a rationis principio alienum, decipique adverſarium cum philoſophis ex vulgo, qui ſolo numero res diſcerni poſſe credant, id eſt, quia numerum habeant, ex quo errore perplexa de principio individuationis diſputatio exorta ſit. Malle autem temporis & loci partes inter ſe æquales huc afferri, obſervat, eo quòd res ideales ſint, quæ in abſtracto conſiderentur, quod in concreto aliter ſe habeat. Adeò verò claritate ſua lucere rationis ſufficientis principium putat illuſtris philoſophus, ut negari a nemine poſſe contendat, & probatione opus haud habere exiſtimet, tantæ autem neceſſitatis eſſe credat, ut ſine eo neque Dei exiſtentiam probare, neque demonſtrare veritates alias maximi momenti liceat. Neque

que verò ſic quievit *Clarckius*, ſed rem ab ovo, quod aiunt, exorſus, exemplum æquilibrii rejicit, quod ad ſpiritum liberè ſponteque agentem applicari nequeat, quia inſtrumentum paſſivum ſit: contenditque negata libera voluntatis, virtute eligendi ex duobus bonis æqualibus, quodcunque voluerit, negari actionum humanarum principium, agendique virtutem & confundi cum motivis eorumque impreſſione in animum, qui circa ea paſſivè ſe habeat, & qualitas perceptiva ſit, quam ſequatur facultas agendi, id eſt ſe movendi, ex qua ſpontaneitas, & in agentibus rationalibus libertas oriatur. Et hinc omnem illum errorem profluere putat, quod principium actionis cum perceptione rationis commoventis confundatur, agensque liberum cum æquilibrio ponderis paſſivo miſceatur. Contendit etiam, poſſe habere agens liberum rationes valdè ſufficientes, quo minùs ceſſet agere, quamvis nullam rationem habeat determinandi, ut hoc vel illo modo agat. Et hinc omne argumentum *Leibnitii* petitionem principii eſſe declarat, eo quòd exempla in contrarium allata ex hoc ipſo principio refutet. Concedit autem Deum (de quo propriè diſputabatur,) licèt inter duas res abſolutè indifferentes & bonas æqualiter non aliam rationem determinantem quàm ſuam voluntatem habeat, non carere tamen rationibus commoventibus, rationeſque ſufficientes, quibus Deus commotus ex duobus æqualiter bonis & indifferentibus unum eligat, eſſe impulſivas ad eligendum. His *Leibnitius* morte præventus reſpondere non potuit, patet autem ex ultimo ratiocinio, rem tandem ad verborum pugnam abiiſſe. Et hæc quidem vivo *Leibnitio* diſputata ſunt; acriter verò & ſatis vehementer de veritate principii hujus Logici & Metaphyſici diſputatum eſt, cùm celeberrimus *Wolfius* illud inter veritates metaphyſicæ primarias referret (16), oſtenſoque diſcrimine inter cauſſam & rationem ſufficientem, hoc axiomate in demonſtrando, quod ſibi

(16) c. 2. §. 29. & T. II. p. 26. Metaph. Germ. qui etiam p. 29. oſtendit, quo ſenſu ejus axiomatis prima cultura tribui queat *Leibnitio*.

ſibi conceperat, ædificio metaphyſico uteretur. Ab eo enim tempore quiſquis *Wolfium* ſequutus eſt, pro hoc principio ſtetit, illud autem antagoniſtæ vehementer oppugnarunt, cujus utriuſque partis ſcripta cum adduxerit doctiſſimus *Ludovicus*, ad eum lectorem remittere, quàm longiore digreſſione a ſcopo deducere, malumus. Addimus id unum, metaphyſicos antiquiores rationem ſufficientem, quæ a cauſſa, rationem continente diſtingui ſolet, rationem ſimpliciter, vel etiam rationem cauſſandi vocaſſe; placuiſſeque rationis ſufficientis axioma, etiam aliis a *Leibnitio* ſatis liberè diſcedentibus, cujus exemplum dabit Cl. *Hollmannus* (17), qui acutè & perſpicuè rem expoſuit, recteque poſt ipſum *Leibnitium* monuit, falli eos, qui putant, rationem ſufficientem non adeſſe, quando interdum nulla a nobis cognoſcitur.

XXXII. Quando veritas neceſſaria, ratio reperiri poteſt per analyſin, dum eam reſolvimus in ideas & veritates ſimpliciores, donec ad primitivas perventum fuerit.

XXXIII. Dantur ideæ ſimplices, quarum definitiones dare non licet: dantur etiam axiomata & poſtulata, aut verbo, principia primitiva, quæ probari nequeunt, nec probatione indigent, atque iſta ſunt enuntiationes identicæ.

XXXIV. Enim verò ratio ſufficiens reperiri etiam debet in veritatibus contingentibus, vel facti, hoc eſt, in ſerie rerum, quæ reperitur in univerſo creaturarum, ubi reſolutio in rationes particulares progredi poſſet in infinitum, propter immenſam rerum naturalium varietatem & diviſionem corporum in infinitum.

XXXV. Quemadmodum tota hæc ſeries non niſi alia contingentia anteriora involvit, quorum unumquodque ſimili analyſi opus habet, ubi rationem reddere voluerimus, progreſſus nil juvat, neceſſe eſt rationem ſufficientem ſeu ultimam contingentium reperiri, quamtumvis infinita ponatur.

XXXVI. Propterea quoque ratio ultima rerum in ſubſtan-

(17) Metaphyſ. Part. I. cap. 4. §. 101. ſeqq. pag. 715. ſeqq.

tia quadam neceſſaria contineri debet, in qua ſeries mutationum non niſi eminenter exiſtat, tanquam in fonte ſuo.

XXXVII. Jam cùm ſubſtantia iſta ſit ratio ſufficiens omnis iſtius ſeriei, quæ etiam prorſus connexa eſt; non niſi unus datur Deus, atque hic Deus ſufficit.

XXXVIII. Judicare etiam licet, quod ſubſtantia iſta ſuprema, quæ eſt unica, univerſalis & neceſſaria, cùm nihil extra ſe habeat, quod ab ea non dependeat, & ſimplex rerum poſſibilium ſeries exiſtat, limitum capax eſſe nequit, & omnem realitatem poſſibilem continere debet.

XXXIX. Unde ſequitur, Deum eſſe abſolutè perfectum, cùm perfectio non ſit, niſi magnitudo realitatis poſitivæ, præcisè ſumta, ſepoſitis rerum limitationibus.

XL. Sequitur hinc etiam, creaturas habere perfectiones ſuas ab influxu DEI, ſed imperfectiones a propria natura, eſſentiæ ſine limitibus incapaci. In eo enim a Deo diſtinguuntur.

XLI. Verum etiam eſt, in Deo non modò eſſe fontem exiſtentiarum, verùm etiam eſſentiarum, quatenùs reales ſunt, aut ejus, quod in poſſibilitate reale eſt. Propterea intellectus Dei eſt regio veritatum æternarum aut idearum, unde dependent, & ſine ipſo nihil realitatis foret in poſſibilitatibus, & nihil non modò exiſteret, ſed nihil etiam opus foret.

XLII. Etenim opus eſt, ut ſi quid realitatis in eſſentiis aut poſſibilitatibus, aut potiùs in veritatibus æternis fuerit, hæc realitas fundetur in aliqua re exiſtente & actuali, & conſequenter in exiſtentia entis neceſſarii, in quo includit eſſentia exiſtentiam, aut in quo ſufficit eſſe poſſibile, ut ſit actuale.

XLIII. Ita Deus ſolus, ſeu ens neceſſarium hoc privilegio gaudet, quod neceſſariò exiſtat, ſi poſſibilis eſt. Et quemadmodum nihil poſſibilitatem ejus impedit, quod limitum expers, nec ullam negationem, conſequenter nec contradictionem involvit, hoc unum ſufficit, ad cognoſcendam exiſtentiam Dei a priori. Nos eam quoque probavimus per realitatem veritatum æternarum. Emendaviſſe hac ratione *Leibnitium*

argu-

argumentum *Carteſii* ab idea Dei pro ejus exiſtentia petitum ſuprà in ejus vita diximus. Sæpiùs hanc demonſtrationem DEI a priori repetiit *Leibnitius.*

XLIV. Enim verò eandem jam probabimus a poſteriori; quia ſcilicet res contingentes exiſtunt, quæ rationem ultimam, ſeu ſufficientem habere nequeunt, niſi in ente neceſſario, quod rationem exiſtentiæ ſuæ in ſe ipſo habet.

XLV. Nihilominùs tamen cum nonnullis nobis imaginari non debemus, veritates æternas, cùm a Deo dependeant, arbitrarias eſſe, & a voluntate ipſius pendere, quemadmodum *Carteſius* & poſtea *Poiretus* ſtatuit. Id verum non eſt, niſi de veritatibus contingentibus, cùm e contrario neceſſariæ dependeant ab intellectu ejus & ſint objectum ejus internum. Diximus de hoc dogmate *Carteſii* ſuo loco. Probè autem attendendum eſt ad verba *Carteſii*, & integram ejus hypotheſin, affirmationem atque negationem ad voluntatem referentem, quando ita pronuntiat (18): *Quantum ad veritates æternas, dico iterum, illas tantùm eſſe veras aut poſſibiles, quia Deus illas veras & poſſibiles cognoſcit, non autem contra veras a Deo cognoſci, quaſi independenter ab illo ſint veræ.* Aſt urgebat contra hæc *Leibnitius*, poſſibilia præſupponi, ſi electionis libertas in rebus producendis aſſerenda ſit, cùm electionis nulla ratio ſit, ubi unum tantùm poſſibile ſit. Ex quo concludebat, malè ad Dei voluntatem in quæſtione de poſſibili & neceſſario recurri (19).

XLVI. Deus ſolus eſt unitas primitiva ſeu ſubſtantia ſimplex, originaria, cujus productiones ſint omnes monades creatæ aut derivativæ & naſcuntur, ut ita loquar, per continuas divinitatis fulgurationes per receptivitatem creaturæ limitatas, cui eſſentiale eſt, eſſe limitatum. Primarium hoc exiſtentiæ & naturæ rerum contingentium átque finitarum fundamentum eſt, quod viro ſummo ponere placuit, ut & om-

 nium

(18) P. I. princ. phil. §. 33. 34. p. 9.

(19) Conferendus autem ipſe *Poiretus* Cogit. ration. L. II. c. 10. §. 5.

nium rerum exiſtentiam a Dei voluntate dependere oſtenderet, & accepiſſe eſſentiam atque naturam ex ideis in intellectu divino præſentibus doceret. Id quod a *Platone* eum mutuum accepiſſe, licet emendatum & ſenſu magis philoſophico pronuntiatum, nec ipſe negat, nec inficias iverit, quiſquis Platoniſmi paulo eſt peritior. Aſt, ut verum fateamur, vellemus, ut diſtinctiùs clariuſque vir illuſtris in aſſertione hac loqui, quàm incerta & ambigua loquutione veterum errores, a quibus eum alienum fuiſſe facillimè nobis perſuaderi patimur, palliare voluiſſe videri maluiſſet. Ipſa enim hæc aſſertio idem prorsùs, ſi verba ſpectes, dicit, quòd ſyſtema emanativum Alexandrinorum, Cabbaliſtarum, & quicunque ex orientali & Platonica ſchola prodierunt, inculcat, ex Deo ſubſtantia prima per fulgurationes divini luminis prodiiſſe, id eſt emanaſſe res omnes, & naturam ſuam limitationis carceribus circumſcriptam ex ideis in intellectu divino latentibus, & in divina natura neceſſariò exiſtentibus, ſed voluntate DEI, ut extra ipſum exiſterent, productis, accepiſſe. Quo pacto res omnes ratione exiſtentiæ quidem ſola DEI voluntate fuiſſe productas non negarunt, &, quod *Hierocles* (20) monuit, ex materia non præjacente ſola voluntate DEI fuiſſe formatas aſſeruerunt: aſt ipſam tamen eſſentiam rerum, ex DEI eſſentia velut ſubjecto & fonte ſuo fluxiſſe, adeoque non niſi limitatione & emanationis ordine a Deo differre ſtatuerunt. Quem deiſmi vel pantheiſmi errorem *Leibnitio* affricare eo magis iniquum putamus, quo magis is rerum eſſentias in poſſibilitate poſuit, quæ objectivè tantùm in Deo ſunt, nempe conſiderato intellectu divino, qui circa eas verſatur, quæ ad emanationem non ſufficiunt. Sed paulo diſtinctiùs pronuntiandum, & aſſerta ab hac ψευδερμηνείᾳ munienda erant. Unde prudentiùs & circumſpectiùs definivit θ. VIII. Cauſſæ Dei: *Actualia dependent a Deo, tum in exiſtendo, tum in agendo, nec tantùm ab intellectu ejus, ſed etiam a voluntate. Et quidem in exiſtendo, dum omnes res a Deo liberè ſunt creatæ, atque etiam a Deo conſervan-*

(20) De Fato apud *Photium* cod. 241.

conſervantur; *neque malè docetur*, *conſervationem divinam eſſe continuatam creationem*, *ut radius continuè a ſole prodit*: *ETSI CREATURÆ NEQUE EX DEI ESSENTIA*, *NEQUE NECESSARIO PROMANENT.* Ex his itaque theſis allata intelligenda & ſecundum rectos ſenſus explicanda eſt.

XLVII. Datur in Deo potentia, quæ eſt fons omnium, deinde cognitio, quæ continet idearum ſchema, & tandem voluntas, quæ mutationes efficit, ſeu productionem ſecundùm principium melioris.

XLVIII. Atque hoc eſt iſtud, quod reſpondet ei, quod in monadibus creatis facit ſubjectum ſeu baſin facultatis perceptivæ & appetitivæ. Sed in Deo hæc attributa ſunt abſolutè infinita, aut perfecta, in monadibus creatis non ſunt, niſi limitationes, pro menſura perfectionis, quam habent.

XLIX. Creatura dicitur agere extra ſe, quatenùs habet perfectionem, & pati ab alia, quatenùs eſt imperfecta. Ita monadi actionem tribuimus, quatenùs habet perceptiones diſtinctas, & paſſiones quatenùs confuſas habet.

L. Et una creatura perfectior eſt alterâ in eo, quòd reperiamus in ea, quod inſeruit rationi reddendæ in eo, quod in altera contingit, & propterea dicimus, quòd in alteram agat.

LI. Sed in ſubſtantiis ſimplicibus influxus unius monadis in alteram tantùm idealis eſt, qui effectum ſortiri nequit, niſi Deo interveniente, quatenùs in ideis Dei una monas cum ratione poſtulat, ut Deus ordinans ceteras, in principio rerum ipſius rationem habeat. Quoniam enim monas una phyſicè influere nequit in interius alterius; aliud non datur medium, per quod una ab altera dependere valeat.

LII. Atque ideò actiones & paſſiones creaturarum mutuæ ſunt. Deus enim duas ſubſtantias ſimplices inter ſe comparans, in una qualibet rationes deprehendit, quibus obligatur unam aptare alteri, & conſequenter id, quod activum eſt, quatenùs certo reſpectu paſſivum ſecundùm alium conſiderandi modum, activum nempe, quatenùs id, quod diſtinctè in eo cognoſcitur, inſeruit rationi reddendæ de eo, quod in alia

contingit, & paſſivum, quatenùs ratio de eo, quod in ipſa contingit, reperitur in eo, quod diſtinctè cognoſcitur in altera.

LIII. Quemadmodum verò infinita ſunt univerſa poſſibilia in ideis Dei, & eorum non niſi unicum exiſtere poteſt: ita neceſſe eſt, dari rationem ſufficientem electionis divinæ, quæ Deum ad unum potiùs, quàm ad alterum determinat.

LIV. Atque hæc reperiri nequit, niſi in gradibus perfectionis, quam hi mundi continent, cùm quodvis poſſibile habeat jus prætendendi exiſtentiam pro ratione perfectionis, quam involvit.

LV. Atque id ipſum cauſſa eſt exiſtentiæ melioris, quod Deus vi ſapientiæ cognoſcit, vi bonitatis eligit, vi potentiæ producit. Eſt hæc principium & fundamentum celeberrimæ illius aſſertionis de optimo mundo a Deo electo, quæ ſectatoribus *Leibnitii* pulcherrimus ejus fœtus viſus eſt, immò nonnullis quoque, quibus tamen incerta theſis creditur, talis tamen judicatur, quæ omnium pulcherrimè DEUM extollat: aſt quam ejus adverſarii neceſſitatem quandam inevitabilem & libertati ac perfectioni divinæ inimicam involvere conqueſti ſunt: quo nomine Optimiſmum hunc, quem vocant Trivultienſes velut Deiſmo vicinum condemnaviſſe, ſupra annotavimus. De quo tamen infra commodo magis loco dicemus.

LVI. Huic adaptationi rerum omnium creatarum ad unamquamque, & uniuſcujuſque ad ceteras omnes tribuendum, quod quælibet ſubſtantia ſimplex habeat reſpectus, quibus exprimuntur ceteræ omnes, & per conſequens ſpeculum vivum perpetuum univerſi ſit. Etiam hæc ex κυρίαις δόξαις *Leibnitii* eſt, in recentiſſimi temporis controverſiis valdè agitata, eo quòd idealiſtis favere vir ſummus videretur. Quod utrum ita ſe habeat, hic definiendi locus haud eſt, qui non controverſias, ſed hiſtoriam ſcribimus. Cujus gratiâ id potiùs obſervamus, ineunte jam ſeculo XVI ſimilem hypotheſin affirmaviſſe *Carolum Bovillum*, philoſophum Gallum, profundæ meditationis virum. Inter ejus enim opera primo loco extat liber

ber *de Intellectu angelico & humano*, *& utriuſque ſpeculari natura & illuſtratione a Deo*, *ita ut hominis intellectus*, *ſenſu poſterior lunam*, *angelicus prior*, *ſolem referat*, *& intellectus ſit unitas memoriæ*, *memoria verò unitas intellectûs.* Aſt quæ ille habet, ex Pythagoreis hypotheſibus orta ſunt, ut ex ejus libro *de Senſibilibus* patet.

LVII. Et ſicut eadem urbs, ex diverſis locis ſpectata alia apparet, & opticè quaſi multiplicatur, ita ſimiliter accidit, ut propter multitudinem infinitam ſubſtantiarum ſimplicium dentur quaſi totidem differentia univerſa, quæ tamen non ſunt, niſi ſcenographicæ repræſentationes unici ſecundùm differentia puncta viſus uniuſcujuſque monadis.

LVIII. Atque hoc ipſum medium eſt obtinendi tantum varietatis, quantum poſſibile, ſed cum maximo ordine, qui fieri poteſt, hoc eſt, medium obtinendi tantum perfectionis, quantum poſſibile.

LIX. Neque etiam alia datur, quàm hæc hypotheſis, quæ prout fieri debet, magnitudinem DEI elevat.

LX. Ceterum ex eo, quod modo retuli, de rationibus a priori, videmus, cùm res aliter ſe habere nequeant, quoniam Deus, totum ordinans, reſpexit ad quamlibet partem & imprimis ad unamquamque monadem, cujus natura cùm ſit repræſentativa, nihil eſt, quod eam limitare poſſet ad unam tantùm rerum repræſentandam, quanquam verum ſit, quòd hæc repræſentatio non ſit niſi confuſa, reſpectu partium univerſi, nec diſtincta eſſe poſſit, niſi quoad exiguam rerum partem, hoc eſt, earum, quæ aut propiores ſunt, aut majores reſpectu uniuſcujuſque monadis, alias quælibet monas foret aliqua divinitas. Non in objecto, ſed in modificatione cognitionis objecti monades limitatæ ſunt. Omnes confusè ad infinitum tendunt, ſed limitantur & diſtinguuntur per gradus perceptionum diſtinctarum.

LXI. Atque in eo compoſitæ cum ſimplicibus conveniunt. Quoniam enim omnia plena ſunt, & per conſequens omnis materia connexa, & quemadmodum in pleno omnis motus

effectum

effectum quendam ſortitur in corporibus diſtantibus, pro ratione diſtantiæ, ita ut unumquodque corpus non modò afficiatur ab iis, quæ ipſum tangunt, & quodammodo percipiat, quod ipſis accidit, verum etiam mediantibus ipſis adhuc percipiat ea, quæ prima tangunt, a quibus ipſum immediatè tangitur: ideò inde ſequitur, hanc communicationem procedere ad quamlibet diſtantiam. Et per conſequens omne corpus ab omni eo afficitur, quod in univerſo accidit, ita ut is, qui omnia perſpicit, in unoque legere poſſit, quod per totum accidit, immò etiam, quod jam factum aut adhuc futurum, in præſenti obſervans, quidquid tam ſecundùm tempus, quam ſecundùm ſpatium elongatur.

LXII. Enimverò anima in ſe ipſa legere nequit, niſi quod diſtinctè in ea repræſentatur non omnes ſuas perceptiones unà evolvere valet, quoniam ad infinitum tendunt.

LXIII. Quamvis itaque quælibet monas creata totum univerſum repræſentet, multo tamen diſtinctiùs repræſentat corpus, quod ipſi peculiari ratione adaptatum eſt, & cujus entelechia exiſtit. Et ſicuti hoc corpus exprimit totum univerſum per connexionem omnis materiæ in pleno, ita etiam anima totum univerſum repræſentat, dum repræſentat hoc corpus, quod ad ipſam ſpectat peculiari quadam ratione.

LXIV. Corpus ſpectans ad monadem, cujus entelechia vel anima exiſtit, conſtituit cum entelechia id, quod vivens appellatur, & cum anima id, quod animal ſalutatur.

LXV. Eſt verò corpus viventis vel animalis ſemper organicum. Etenim cùm quælibet monas ſit ſpeculum univerſi ſuo modo, & univerſum perfecto ordine gaudeat, ordo etiam eſſe debet in repræſentante, hoc eſt, in perceptionibus animæ, & per conſequens in corporibus, ſecundùm quæ univerſum in eis repræſentatur.

LXVI. Ita quodlibet corpus organicum viventis eſt ſpecies machinæ divinæ, aut automati naturalis, quod omnia automata artificialia infinitis modis antecellit, &c.

LXVII. Et fieri potuit, ut auctor naturæ hoc artificium divinum

divinum & prorſus mirabile in praxin deduceret; quia portio quælibet materiæ non modò diviſibilis in infinitum, ſicuti veteres agnovere, verùm etiam actu ſubdiviſæ in infinitum, qualibet parte peculiari motu gaudente aliàs fieri haud quaquam poſſet, ut quælibet portio materiæ totum exprimeret univerſum.

LXVIII. Liquet inde, in minima portione materiæ dari mundum creaturarum viventium animalium, entelechiarum, animarum &c.

LXIX. Ita nihil incultum, nihil ſterile, nihil mortuum datur in univerſo, nullum chaos, nulla confuſio, niſi ad apparentiam.

LXX. Videmus hinc, quodlibet corpus vivum habere entelechiam unam dominantem, quæ eſt anima in animali, ſed membra hujus corporis viventis plena ſunt aliis viventibus, plantis, animalibus, quorum unumquodque iterum ſuam habet entelechiam ſeu animam dominantem.

LXXI. Omnia corpora rivorum inſtar in perpetuo ſunt fluxu, & partes aliæ continuo ingrediuntur, aliæ egrediuntur. Vetuſtiſſima hæc phyſicorum ferè omnium hypotheſis, aſſerta a theogoniarum ſcriptoribus, *Thalete*, *Platone*, Stoicis, *Heraclito*, *Democrito*, *Epicuro*, Scepticis, aliiſque nec recentioribus ante *Leibnitium* ignota, ex quibus imprimis, qui toties cum *Leibnitio* concordat, *Jordanus Brunus* (21), *nihil variabile* dixit *atque compoſitum in duobus temporum momentis, eiſdem prorſus partibus eodemque partium ordine conſiſtere, cum effluxus influxuſque atomorum in omnibus hujuſmodi ſit continuus.* Quæ ita ad animam hominis, quam atomam naturam, & monada ipſe quoque vocat, transfert:

Ergò atomam tantùm naturam dixeris eſſe,
Perpetuò cujus nulla aut propria una figura eſt.
Ergò natura eſt animi divina reperta,

(21) De Minimo p. 72.

Quam non alteritas non paſſio conficit ulla,
Quæque ut ſub fato eſt obnoxia compoſitique
In partem veniens, momento vix manet uno.
Sorte affecta pari, numerique uno ordine perſtat.
Quotquot enim fiunt, mutantur lapſa ruuntque,
Continuè ad aliud atque aliud, non entia credes.
Atqui naturam in ſpecie meditando perenni
Unam cui conformari, ſervareque temet
Conſimilem debes, conſortem te eſſe deorum
Comperies vitæ, & dices: ſubſtantia noſtra hæc.

Referre ſe autem omnem ſubſtantiam ad atomum (non » molis, ſed naturæ, ut ipſe quoque vocat,) in ſequentibus » prolixè docet, ubi non animam modò in organico corpore » commemorat, ſed eam quoque, quæ eſt in toto vitæ tellu- » ris horizonte; a qua ad animos in horizonte majori, & » animum animorum Deum aſcendit. Cuilibet autem animæ, » ſive monadi atomove, quæ ſynonyma ſunt apud *Brunum*, » ſuam eſſe, quam agnoſcat materiam, aſſerit, & in eo il- » lius naturam conſtare ait, quòd compoſitionem intrinſecam » non habeat, & quòd, cùm non ſit, id fiat non per mo- » dum diſſolutionis ſeu diviſionis, impropriiſſimè autem ge- » nerari dicatur vel corrumpi, ea præſertim, quæ propriè » intrinſecaque natura æterna, immortalia, incomponibilia, » indiſſolubilia, animæ, Dii, Deus. « Hæc *Brunus*. Cujus monadologia meretur a viro quodam docto & laboris moleſti patiente ex ſcriptis ejus colligi, & cum monadologia Leibnitiana comparari. Verùm hæc ὡς ἐν παρόδῳ.

LXXII. Anima non mutat corpus niſi ſenſim ſenſimque & per gradus, ita ut nunquam omnibus ſuis organis uno quaſi ictu privetur. Et dantur ſæpiùs metamorphoſes in animalibus, ſed nunquam metempſychoſis ſeu tranſmigratio animarum locum habet, neque enim dantur animæ prorſus ſeparatæ. Etiam hoc ex veteri philoſophia translatum, quæ per omnes ferè ſectas ὄχημα & εἴδωλον animæ tribuebat, ut ſuis locis probatum.

LXXIII. Atque ideò etiam nulla datur generatio, nec mors per-

perfecta, rigoroſè loquendo. Sunt enim evolutiones & accretiones, quas generationes vocamus; quemadmodum involutiones & diminutiones, quod mortem appellamus. Etiam hoc veteribus multoties aſſertum, nempe quod ex fluxu materiæ perpetuo aliter conſtare non poſſet, ut ex iis, quæ *Tomo primo noſtræ Hiſt. Criticæ Philoſophiæ* paſſim dicta ſunt, liquere poteſt.

LXXIV. Quia hodie obſervationibus compertum eſt, corpora organica naturæ nunquam ex chao ſeu putrefactione prodire, ſed conſtanter per ſemina, in quibus ſine omni dubio datur quædam præformatio; hinc concluditur, corpus non modò organicum jam præextitiſſe ante conceptionem, ſed etiam animam in hoc corpore, h. e. animal ipſum. Et per conceptionem animal iſtud tantummodò diſponitur ad magnam quandam transformationem, ut fiat animal alterius ſpeciei. Nititur utraque hypotheſis præſuppoſito, ſtamina corporum ab initio rerum efformata præexiſtere, unde ſequitur, habere quoque ea animas ſuas ſeu entelechias, quibus informentur. Aſt haud levibus illa ſententia a magnis viris premi ſolet difficultatibus (22), unde ipſa quoque ratio adducta pro animarum exiſtentia cujus generis ponderiſque ſit, dignoſci poteſt. Quæ tamen nobis aliud agentibus, hoc loco curæ haud ſunt; id verò monendus lector, caveat, ne hanc Leibnitianam præexiſtentiam animarum, quæ ſuo modo *H. Moro* (23) & *Andr. Planero* (24) quoque placuit, confundat cum veterum theologorum phyſicorumque Græcorum, immò eorum omnium, qui μετεμψύχωσιν aſſerebant, animorum præexiſtentia. Hi enim animas certo numero creatas corpori, poſtea demùm efformando, in matris utero immitti ſtatuebant. Illi evolutionem & ſtaminum & animarum, atque translationem in alium perfectionis gradum, v. c. ex ſtatu bruto inſenſitivum, & ex hoc in rationalem aſſerunt. Quo jure vel veriſimilitudine? dicere hoc loco, nihil attinet.

 LXXV.

(22) Conf. quos laudat præſtantiſſimus *Hollmannus* Phyſ. P. II. c. 4. §. 517. p. *629*.

(23) Opp. phil. T. II. p. 365. ſeqq.

(24) In Diſſ. de propagat. animæ humanæ pr. V. p. 41.

LXXV. Animalia, quorum nonnulla elevantur ad gradum maximorum animantium, ope conceptionis, appellari poſſunt ſpermatica, ſed ea, quæ ſpeciem non mutant, naſcuntur, multiplicantur, & deſtruuntur, quemadmodum animalia magna. Parvus admodum numerus eſt electorum, qui ad theatrum majus progrediuntur.

LXXVI. Si animal nunquam naturaliter incipit, nec unquam naturaliter finiri debet: & non modò nulla datur generatio, verùm etiam nulla deſtructio totalis, ſeu mors rigorosè ſumta. Atque ratiocinia iſta a poſteriori deſumta, cum illis a priori deductis optimè concordant.

LXXVII. Ita aſſerere licet, non modò animam, mundi indeſtructibilis ſpeculum, eſſe indeſtructibilem, verùm etiam animal ipſum, quamvis machina ipſius ſæpiùs ex parte pereat, & involucra organica relinquat, vel capiat. Noverat *Leibnitius*, ut veterem philoſophiam apprimè didicerat, & intelligebat, veteribus hoc ſyſtema indeſtructibilitatis, ita enim compendii cauſsâ vocabat, non fuiſſe ignotum. Ut igitur ſententiæ valdè paradoxæ & invidiam toti hypotheſi conflare aptæ auctoritatem conciliaret, ad veterum conſenſum provocavit. Teſtem autem produxit *Leibnitius* auctorem libri *de Diæta*, qui *Hippocrati* tribui ſolet, veriùs autem a diſcipulo quodam Hippocraticis ſententiis innutrito profectus eſt. Is ubi τὰ ζῶα, ex igne & aqua conſtare dixiſſet, quorum ille omnia per omnia moveret, hæc omnia per omnia nutriret, id eſt, ille activum, hæc paſſivum principium ſuppeditaret, addit: » Particulatim utrumque ſuperare & ſuperari ad ſummum & minimum, quantum ejus fieri poſſit; nunquam autem ſimul in eodem conſiſtere, ſed ſemper alterari; nullum enim omninò corpus perire, neque fieri quod priùs non erat, verùm permixta & diſcreta alterari: homines autem putare, hoc quidem ex orco in lucem auctum generari, illud verò ex luce in orcum imminutum perire ac corrumpi. Oculis autem magis credere oportere quàm opinionibus: ſed animal neque mori poſſibile eſſe neque generari, ſed augeri omnia

» &

» & minui ad ſummum & ad minimum, quantum ejus fieri » poſſit. Generari autem idem eſſe ac perire ſive corrumpi, » nempe commiſceri & ſecerni : unumquodque ad omnia & » omnia ad unumquodque idem eſſe, ſeorſim autem omnia & » divina & humana ſurſum ac deorſum viciſſitudinem habe- » re, ac tranſire ; & hæc fieri per divinam neceſſitatem ; ac- » cedentibus autem illis huc, his verò illic, & inter ſe (igni » nempe & aqua) permixtis deſtinatum fatum explere & ad » majus & ad minus : corruptionem verò omnibus mutuo in- » ter ſe eſſe, majori a minore, & minori a majori : & augeſ- » cere majus a minore : reliqua autem omnia & hominis ani- » mam & corpus velut animam ornari ac gubernari. &c. « Diſplicuit cl. *Des Maizeaux* hæc comparatio, qui ſeductum a *Cornarii* verſione *Dacierium* & ab eo *Leibnitium* de generatione & morte animalium hæc perperam intellexiſſe contendit, cùm ζῶα hoc loco nihil aliud ſint niſi entia omnia, quæ ſunt, creſcunt, diminuuntur, ſolvuntur &c. quæ ſenſu populari ζῶα appellentur. Hinc nihil aliud velle auctorem putat, quàm falſum eſſe plebis præjudicium, res recens apparentes naſci aut incipere exiſtere, vel diſparentes eſſe ceſſare, nam cùm mundus quædam entium particularium congeries ſit, non poſſe aliquid perire ſine univerſi detrimento : adeoque entia hæc generationem & deſtructionem propriè non pati, ſed conſtare omnia commixtione, compoſitione, incrementis, unione, modificatione, diminutione, ſeparatione, & ſic porrò, & hoc naſci, hoc perire eſſe. Hæc nihil facere putat ad ſyſtema indeſtructibilitatis a *Leibnitio* animabus vindicatum. Nobis ſatis levis hæc *Leibnitii* cenſura videtur, ubi etiam concedamus, τὰ ζῶα non animantia, ſed entia in mundo omnia ſignificare, quod tamen nondum vir doctus evicit. Cùm enim ex hypotheſi *Leibnitii* res compoſitæ in mundo omnes, ex ſimpliciſſimis entibus ſive monadibus conſtent, quarum aggregatio novam ſubſtantiam non producat, ſed phænomenon materiæ ; adeoque rebus omninò omnibus ſuæ animæ inſint, quæ alterari mutarique nequeant, licèt modificationes patiantur ; rectè

ex mente illuſtris viri τὰ ζῶα in allato loco comparantur cum monadibus, quæ vitæ cauſſam, animam, in ſe habent, quæque ex eadem ratione perire non poſſunt; quia cùm ſemel eſſe cœperint mutationis omnis expertes perſtant, adeoque iſtam monadatorum congeries ubi apparet, non novam entium viventium exiſtentiam innuere poteſt, id eſt generationem, ſed modò novum φαινόμενον exſurgens ex transformatione ſtatûs &c. Verùm ipſum auctoris veteris ſyſtema intuentes, quod & *Tomo primo hiſt. Crit. Philoſ.* ex hoc loco adduximus, deprehendimus, eum de natura hominis & qualitatum tum corporis tum animi differere, & imprimis hæc ad *Heracliti* philoſophiam exigere, ſecundùm quam præter particulas ignis nihil certum fixumque manet, reliqua ἄνω καὶ κάτω, ſive divina ſunt, ſive humana, adeoque etiam ipſa anima hominis, inter ſe mutuo mutantur alteranturque: diſertè enim ait, de hac naturæ lege: Ὁ νόμος τῇ φύσει περὶ τούτων ἐναντίος, χωρὶς δὲ πάντα καὶ θεῖα καὶ ἀνθρώπινα (adeoque non entia tantùm in genere) ἄνω καὶ κάτω ἀμειβόμενος. Quæ obſcuriſſima verba nemo intelliget, niſi *Heracliti* philoſophiam conſuluerit. Aſt ille, teſte *Sexto Empirico* (25) ſtatuebat: & vitam & mortem eſſe cùm vivimus & morimur, nam cùm vivimus mortuas eſſe noſtras animas, & in nobis ſepultas, cùm autem morimur reviviſcere, & vivere: itemque mori & vivere perinde eſſe, quodvis enim mutari in ſuum contrarium: nempe ob naturalem ignis mundani ejuſque mutationum per rarefactionem & condenſationem legem, qua res omnes modificationem accipiant, nec vitam nec mortem, ſed alterationem dari, idque ad homines æquè pertinere. Rectè itaque hactenùs *Leibnitius* hunc ſcriptorem veterem *Heracliti* principia ſequentem in partes vocavit, poteratque ipſum *Heraclitum* advocare, quem idem ſtatuiſſe ſuo loco luculenter, niſi fallimur, demonſtravimus. Aſt, ut ingenuè quoque fateamur, ob aliam longè rationem pro *Leibnitii* monadibus hic locus non adeò militat. Nempe tantùm abeſt, ut principia ſimpliciſſima, ſtabilia, ſubſtantialia,

(25) Pyrrh. hyp. L. III.

ſtantialia, vitam animamque habentia ſtatuerit *Heraclitus*, quique ex ejus ſchola progreſſi ſunt Hippocratici diſcipuli, ex parte Heracliteæ phyſiologiæ adhærentes, ut potiùs naturis Pythagoreorum ſtabilibus ſive monadibus, τμήματα illa ſive particulas ignis ſubtiliſſimas opponerent, quæ ſemper eſſent in fluxu, unde animam quoque perpetuo fluere & κίνησιν eſſe *Heraclitus* ſtatuit, ut *Tomo primo noſtro* demonſtratum. Non itaque entia viventia, animata, ſimplicia durant, & novis tantum modificationibus prodeunt, ſuntque indeſtructibilia, ſed potiùs nihil prorſus habent ſtabile ſemperque mutantur, funduntur, alterantur, nec, ſi hos homines ſequeris, monades exiſtere poſſunt, cùm ipſæ animæ ex mobilibus ignis particulis conſtantes ejuſmodi mutationi ſint obnoxiæ. Quæ in aprico ponunt, ingens inter illud Hippocratici ſcriptoris & inter *Leibnitii* ſyſtema diſcrimen intercedere. Quòd ſi ex veteribus ſyſtemati indeſtructibilitatis quærenda eſſet auctoritas, rectiùs ad *Apollonium Tyaneum* provocare liceret, is enim diſertè: » Nulla omninò res interit, niſi in ſpeciem, quemad» modum nec gignitur quicquam, niſi ſpecie. Ubi enim » aliquid ex ſtatu eſſentiæ in naturæ ſtatum tranſit, id gene» ratio videtur, mors contrà, ubi ex ſtatu naturæ ad ſtatum » eſſentiæ redit. Cùm interea verè nihil generetur, aut cor» rumpatur, ſed tantùm conſpicuum ſit modò, modò con» ſpectui ſubducatur rurſum, illud quidem propter materiæ » craſſitiem, hæc verò propter eſſentiæ tenuitatem, quæ ſem» per eadem eſt, motu tantùm & quiete differt. « Sed & reliqua legenda ſunt, quæ apertum faciunt, ſecundùm *Apollonium* nec generationem nec mortem propriè dictam dari. Et poteſt hæc Tyanenſis philoſophi explicatio eo magis videri affinis hypotheſi Leibnitianæ, quia ex Pythagoreis fuit, ſecundùm quos ideæ, ſive rerum eſſentiæ, quas cum monadibus ſuis conſpirare faſſus eſt *Leibnitius*, æternæ, ſimplices, immutabiles ſunt, aſt accedente materiæ conformatione viſibiles fiunt, non verò demùm oriri incipiunt. Quo ſenſu *Apollonii* verba explicuit *B. Gottfridus Olearius*. Aſt, ut, quo

ſumus

ſumus candore, verum fateamur, & falſa hæc eſt explicatio; ut *Tomo ſecundo noſtro* demonſtratum, & Spinoziſticam magis eſſentiæ modificationem, quàm Leibnitianam præexiſtentiam iſta *Apollonii* verba innuunt: qua invidia virum optimum, ab hac impietate alienum onerare nolumus. Interim ex adductis locis certum eſt, veteres haud paucos mortem & generationem tantùm inter φαινόμενα retuliſſe, licèt ejus rationem ſecundùm diverſa ſyſtemata diversè explicuerint. Illud autem verum, quotquot monades, atomos, elementa ſimplicia &c. poſuerunt, ea ſtatuiſſe indeſtructibilia, & mutationes tantùm ad particularum modificationes retuliſſe.

LXXVIII. Ex his principiis, explicari poteſt unio, aut potiùs conformitas animæ ac corporis organici. Anima ſuas ſequitur leges, & corpus itidem ſuas: conveniunt verò inter ſe vi harmoniæ inter omnes ſubſtantias præſtabilitæ, quoniam omnes ſunt repræſentationes univerſi.

LXXIX. Animæ agunt ſecundùm leges cauſſarum finalium per appetitiones, fines & media; corpora agunt ſecundum leges cauſſarum efficientium, ſeu motuum. Et duo regna, alterum nempe cauſſarum efficientium, alterum cauſſarum finalium harmonica ſunt inter ſe.

LXXX. Cognovit *Carteſius*, animam non poſſe dare vim corporibus, quoniam eadem ſemper virium quantitas in materia conſervatur; credidit tamen, animam poſſe mutare directionem corporum. Id quidem ideo factum eſt, quòd ipſius tempore lex naturæ ignoraretur, quæ vult, eandem ſemper directionem totalem conſervari in materia. Quòd ſi hoc obſervaſſet, in ſyſtema harmoniæ præſtabilitæ incidiſſet.

LXXXI. In hoc ſyſtemate corpora agunt, ac ſi (per impoſſibile) nullæ darentur animæ, ac animæ agunt, ac ſi corpora nulla darentur, & ambo agunt, ac ſi unum influeret in alterum. Celeberrima hæc harmoniæ præſtabilitæ hypotheſis eſt, quæ noſtra ætate etiam tonſorum & fabrorum labiis decantata eſt. Cujus hiſtoriam integram hoc loco ſcribere, eſſet a via, quam ſectandam nobis propoſuimus, ad diverticula diſcedere;

diſcedere, ex quibus reditus non niſi longo itinere pateat. Pauca itaque ſeligenda, & ea tantùm afferenda ſunt, ſine quibus hiſtoria famigeratiſſimi ſyſtematis intelligi nequit. Occaſionem verò, *Leibnitio* ſuppeditatam de hac hypotheſi cogitandi, paſſim ipſe enarravit, faſſus: » cùm ſatis quidem jam » olim explicuiſſet intrinſecas animæ operationes, diù ſe hæ» ſiſſe, quid de commercio ejus cum corpore ſtatueret. Agno» viſſe quidem, animam quodammodo πρώτην ἐντελέχειαν eſſe: » ſeu primum principium activum internum, quod ſit in cor» pore; ſed cùm leges motûs veras eruiſſet, vidiſſetque, ta» lem eſſe naturam rerum, ut neque nova vis neque etiam » nova directio corporibus aliunde accedat; jam manifeſtè ſe » agnoviſſe, omnia in corporibus fieri mechanicè, ſed ita, » ut principia mechaniſmi ſint ab incorporeo, qui influxus » animæ metaphyſicus dici poſſit, unam completam ex anima » & corpore conſtituens ſubſtantiam; nec tamen animæ ul» lum poſſe in corpus eſſe influxum phyſicum, ſeu per quem » leges motûs turbentur, ſed conſentire operationes animæ » & corporis per harmoniam, ab initio rerum præſtabilitam, » cujus ope ſublatæ ſint difficultates de commercio animæ & » corporis, quæ hactenùs philoſophos exercuerint. « Alio loco vero ſimilia tradit. Leges motûs poſt *Carteſii* ætatem demùm detectas, ipſi falſitatem ſyſtematis influxus, aſſiſtentiæ, cauſſarumque occaſionalium detexiſſe, & ad hoc novum ſyſtema manu quaſi duxiſſe. Nempe ſtatuerat *Carteſius*, eandem in univerſo conſervari motûs quantitatem, ex maſſa mobilis in celeritatem ejus æſtimatam; ex quo ſuppoſito inferebat: non poſſe influxum realem animæ atque corporis habere locum, eo quod ſecundum eum, quantitas aliqua augeri, minuique poſſit. Hanc verò *Carteſii* regulam falſam eſſe, primus demonſtravit *Leibnitius*, luculenter oſtendens, magnum eſſe diſcrimen, inter vim motricem & quantitatem motûs, idque evidentibus ratiociniis contra *Catelanum* & *Papinum* aſſertum ivit. Agnovit id quoque magnus *Newtonus* (26) experientiâ

(26) Optic. P. III. q. ult. p. m. 404.

probans, ex variis binorum motuum compoſitionibus, manifeſtum eſſe, non ſemper eandem eſſe in mundo quantitatem motûs. Falſò itaque *Carteſii* canoni alium ſubſtituit *Leibnitius*, naturæ rerum convenientem (27), qui idenditatem quantitatis virium motricium ex maſſa mobilis in quadratum celeritatis æſtimandarum aſſerit, ex quo concluſit, ſi animæ volitiones motum efficiant in corpore noſtro, reliquis imprimendum, augeri ſic in corporibus, ſive in univerſo corporum complexu, vires motrices, & minui, cùm ex diverſorum corporum motu atque in ſenſoria noſtra impulſu oriantur perceptiones, quod canoni repugnat. Sed & porrò *Carteſio* placuerat, cùm in actione motrice diſtingui poſſe ipſam motûs quantitatem a directione obſervaviſſet, animam poſſe habere vim mutandæ directionis motuum, qui fiunt in corpore, ad eum ferè modum, quo eques, quamvis equo, quem inſidet, vim nullam largiatur, ejus tamen greſſum, vires, quo libuerit dirigendo, moderatur. Aſt hæc iterum falſa eſſe poſtea compertum fuit, cùm, obſervante *Leibnitio*, nihil neque in anima, neque in corpore, id eſt, neque in cogitatione, neque in maſſa ſit, quod ad explicandam hanc unius per alterum immutationem ſervire poſſit, & ſive anima quantitatem virtutis, ſive lineam directionis in corpore mutare dicatur, utrumque æquè inexplicabile ſit. Hinc his quoque canon a *Leibnitio* ſurrogatus alius, nempe: conſervari etiam eandem directionem in omnibus ſimul corporibus, quæ inter ſe agere ſupponuntur, quomodocunque demum ſibi mutuò occurrant, dum ſcilicet ſervatur directio centri gravitatis communis. His legibus naturæ ſuppoſitis, colligebat inde *Leibnitius*, corporum directionem æque ac virtutem imperio animæ ſubtrahendam eſſe, & non modò alterius ex his ſubſtantiis phyſicum influxum in alteram nulla ratione explicari, ſed & abſque omnimoda legum naturæ perturbatione in corpus animam phyſicè agere

(27) Journal des Savans 1698. p. 262. Primus hanc motus legem deprehendit in ſphæricis illuſtris Hugenius, vid. Journal des Savans 1669. p. 534.

agere non poſſe. Qua ratione ſyſtema quoque aſſiſtentiæ, quod *Carteſio* placuit, ſubruitur, quæ quoque cauſſa eſt, cur *Malebranchius*, *Cordemæus* aliique, eo relicto, ſyſtema cauſſarum occaſionalium excogitarint. Quo verò poſito, cùm miracula perpetua introducantur, nec caveatur eo perturbationi legum naturalium in utraque ſubſtantia conſtitutarum, quæ æquè violabantur, ſive Dei interpoſitio, ſive mutuus influxus interveniat, ratio autem ſufficiens ejus dari nulla poſſit: via plana ſe detexit *Leibnitio* ad harmoniam præſtabilitam deſcendendi, quæ nec leges motûs naturales confundat, nec Deum ex machina advocet, ſed animam pariter atque corpus ſuis motibus, ſecundùm regulas naturales permittat, & conſpirare tamen utramque ſubſtantiam amiciſſimè demonſtret. Qua in hypotheſi confirmatum, ſe ait *Leibnitius*, cùm de principio harmoniæ tum in genere, tum in ſpecie præformationis, itemque harmoniæ inter omnes res præſtabilitæ, v. c. inter naturam & gratiam, inter decreta Dei & actiones hominum prævifas inter omnes partes materiæ, & inter ipſum præteritum & futurum &c. ex natura ſapientiæ divinæ, quæ ſummam, quæ concipi modo poteſt, harmoniam involvit, eſſet convictus. Hinc enim ſe ſua ſponte delatum eſſe ad hoc ſyſtema ait, ſecundùm quod Deus animam initio ita creavit, ut ea, quæ in corpore fiunt, ſibi repræſentare & producere in ſe ipſa; & ſimiliter corpus illud per ſe facere dicatur, quod anima imperat. Ita leges, quibus cogitationes animæ uniuntur in ordine cauſſarum finalium, & ſecundùm evolutionem perceptionum, imagines producere debere, quæ concordent conveniantque cum impreſſionibus corporum, in organa ſenſoria; parique ratione leges motuum in corporibus, qui ſecundùm ordinem cauſſarum efficientium ſe conſequuntur, conſpirare quoque atque ita convenire debere, cum cogitationibus animi, ut corpus ad agendum promtum ſit, eo tempore, quo vult anima. Quo pacto anima perceptionum & appetituum ſuorum unus auctor eſt, ut corpus motuum, quæ tamen ut inter ſe concordent, harmoniæ a ſummæ ſapientiæ auctore

Deo, præſtabilitæ id opus eſt. Valdè commendavit *Leibnitius* hoc ſyſtema, quod & ſapientiam divinam, non diffitente *P. Baylio* (28), omnium maximè extollat, & libertati planè non refragetur, cùm ſecundùm illud anima ſuarum actionum auctor ſit liberrimus; animæ autem independentiam tantam faciat, quantam liceat, cùm quæcunque in anima fiunt, ab ea dependeant; eo quod ſtatus futurus ex præſente exſurgat. Non tamen in ipſo partu fœtum ingeniosè excogitatum in vulgus prodire juſſit, ſed ab anno cIↃIↃCLXXXIX, quo primum de eo cogitare cœpit, animo ruminatus eſt, etiam cum viris doctis in literis de eo egit; donec maturum jam iſtum pullum ſatiſque venuſtè ornatum anno cIↃIↃCXCV, in *Ephemeridibus Pariſienſibus* prodire juberet, inſerto *Syſtemate novo naturæ & communicationis ſubſtantiarum, itemque unionis inter corpus & animam.* Non poterat non fieri, ut tam inauditæ novitatis cogitationes contradictionem haud paterentur. Prodiit itaque in arenam in eodem diario erudito eruditiſſimus *Foucherius*, & objectiones nonnullas attulit, quibus ſatis; quod & facere paulo poſt conatus eſt *Leibnitius*. Deinde *P. Bayle* quoque, laudato eximio ingenii maximi, quod ex hac hypotheſi elucet, ſpecimine, quibus illam difficultatibus premere ſibi videretur, in *Dictionario Hiſtorico-Critico* expoſuit. Quas tam ſolvit quoque, & illuſtravit difficiles meditationes *Leibnitius*. Tertius ab his ex Benedictinorum, congregationis S. Mauri in Gallia, monachorum ſodalitio vir acutus *Franciſcus Lamius* habere ſe, quæ objiceret, in libro *de Cognitione ſui* faſſus eſt, & inimicum eſſe ſyſtema harmoniæ præſtabilitæ in libertatem contendit. Acceſſit his ex Jeſuitarum ſodalitio eruditiſſimus *Tourneminius*, qui pro ſyſtemate influxus contra harmoniam præſtabilitam eruditè & humaniter militavit (29). Parciùs eam aggreſſus *Jaquelotius* (30), nonnulla repre-

(28) Dict. T. IV. art. *Rorarius* not. Q. p. 1840. ſeqq.

(29) Memoires de Trevoux 1703. Mai p. 864. Juin p. 1063. Sept. p. 1661. Oct.

(30) Conformité de la foi avec la raiſon. conf. A. E. 1705. Oct.

reprehendit, in haud paucis ingenioſum εὕρημα laudavit. Reſpondit his quoque *Leibnitius*, & tum de *Lamii* & *Baylii* objectionibus in altera dictionarii editione repetitis nonnulla monuit, tum ad *Jaquelotii* obſervationes ſuas annotationes vulgavit. Interim cùm in theatro orbis eruditi *Theodicea* comparuiſſet, hac imprimis hypotheſi, cum reliquis, quas ad refellenda *Baylii* objectiones uſus eſt, qua ratione ad veritates magni momenti demonſtrandas uti liceat, more ſuo eruditiſſimè oſtendit. Interim novus contra fœtum ingenii Leibnitiani adverſarius prodiit, medicus celeberrimus *Georgius Erneſtus Stahlius*, qui ad communicatas ſecum ab ipſo *Leibnitio* meditationes, *Enodationes* ſcripſit, quibus *Replicationem* auctor oppoſuit. Tandem inter *Samuelem Clarckium* quoque & *Leibnitium*, ut de aliis metaphyſicæ capitibus, ita imprimis de harmonia quoque præſtabilita diſputatum eſt, ipſo illuſtri *Newtono* objiciente perpetuum eam miraculum ſupponere. Et hi quidem vivo harmoniæ præſtabilitæ parente contra eam inſurrexerunt. Poſt fata *Leibnitii* autem dici non poteſt, quam miris fortunæ viciſſitudinibus ea hypotheſis excepta ſit, poſtquàm cel. *Wolfius* ei ſubſcripſiſſet. Qui, ut ipſe narrat (31), cùm novum metaphyſicæ corpus conderet, initio conſtituerat apud ſe, totam quæſtionem de unione inter animam & corpus intercedente omittere; aſt cùm præter ſpem ex fundamentis poſitis ad hypotheſin hanc ſponte adduceretur, eam non retinuit modo, ſed majori etiam luce perfudit. Ex eo autem tempore cùm de placitis Wolfianis acerrimè diſputaretur, harmonia præſtabilita meta illa fuit, ad quam omnes, qui inimica adverſus præſtantiſſimum virum ſigna contulerant; tela dirigerent; pro qua omnibus viribus ſectatores *Wolfii* decertarent. Qui tamen harmonia præſtabilita ſe tantùm uti veluti hypotheſi, adeoque ei nullas veritates inædificare aliquoties monuit. Quæ tamen hoc loco enarrare omnia, & ſcriptorum omnium recenſum dare inſtituti ratio obſtat, conſulendus autem, qui diligenter in hoc ſtadio decurrit cl. *Ludovicus*.

 Sed

(31) In Præf. Metaphyſicæ Germ.

Sed non minus impoſſibile nobis, limitibus ſatis arctis conſtrictis, ea enarrare omnia, quæ contra hypotheſin elegantem quidem & ingenio maximè ſe commendantem, aſt paradoxam monuerint viri docti, regeſſerintque *Leibnitius*, *Wolfius* eorumque aſſeclæ. Comparari autem & attentè legi expendique meretur illuſtris viri *Georgii Bernardi Bulfingeri Commentatio hypothetica de harmonia animi & corporis humani maximè præſtabilita ex mente illuſtris Leibnitii*, qui diligenter & acutè ea enarravit quæ *Foucherius*, *Baylius*, *Lamius*, *Tourneminius*, *Newtonus*, *Clarkius*, *Stahlius*, quos vivus adverſarios *Leibnitius* habuit, objecerunt, & in id ingenii præſtantiſſimi nervos intendit, ut eorum objectionibus ſatisfaceret, demonſtraretque leges corporum & leges monadum, quantumvis diverſas, tamen inter ſe ſub generalibus legibus metaphyſicis convenire, ut harmonicas dicere, iiſdemque mediantibus effectus harmonicos ex cauſſis harmonicis derivare liceat : adeoque poſſibile eſſe, ut corpus atque anima conſpirent, etiamſi principium mutationis ſit unicuique intrinſecum ſaltim ; eo quòd experientiæ teſtimonio conſpirent mutationes corporis & animæ, ſed utrumque ſibi habeat res ſuas & ſuas ſequatur leges, neceſſeque ſit, ut a Deo ſemel ſint harmonicè conſtituta ab initio, ſic ut ex priori eorum harmonia conſequantur ceteræ. Hunc itaque eruditiſſimum virum eos adire oportet, qui rem omnem acumine philoſophico enarratam cupiunt. Nos, ut controverſiæ ſpecimen faciamus, ex innumeris objectionibus quibus omnis generis eruditi harmoniam præſtabilitam aggreſſi ſunt, eam unam adducimus, quæ inimicam eſſe libertati & fataliſmum quendam, id eſt fatalem neceſſitatem inferre, adeoque Spinoziſticæ impietati portam aperire confeſſa eſt. Nempe offendit viros doctos & pios, quod antecedentes perceptiones ſubſequentium parentes, & hæ appetituum animæ auctores dicantur, qua ratione dum nihil fieri, quod non in antecedente ſuam rationem habeat, aſſeratur, everti libertatem putant. Primus, niſi fallimur, *Franciſcus Lamius* hoc telum harmoniæ præſtabilitæ intentavit, quod ita repreſſit *Leibni-*

Leibnitius, ut liberas eſſe actiones animæ voluntarias contenderet, quarum diſtinctas ideas habet, & quæ pendent a ratione; diſtingueret autem inter naturale, quod naturæ rerum convenit, & inter neceſſarium, ſive eſſentiale, quod immutari non poteſt, legem autem ordinis, quæ in perceptionibus eſt, ut in motibus, libertatem non jugulare, ut exemplo ipſius DEI conſtet, affirmaret. Poſtea commotis controverſiis Wolfianis præcipuus venerandus *Joachimus Langius* (32) in id incubuit, ut effícto monſtro bicipiti materialiſmi & idealiſmi, mirâ harmoniâ præſtabiliti, neceſſitatem quandam fatalem confirmari, omnemque voluntatis humanæ libertatem & actionem moralem iſtâ hypotheſi everti evinceret. Quibus *Wolfius* præter alia *Commentationem de differentia nexûs rerum ſapientis & fatalis neceſſitatis nec non ſyſtematis harmoniæ præſtabilitæ & hypotheſium Spinozæ* oppoſuit. Tacemus innumeros, qui hoc quidem telo acerrimè iſtam hypotheſin confodere aggreſſi ſunt. Quibus haud pauciores reſponderunt, inter quos præcipuè conſulendus eſt ſummè reverendus *Bulſingerus* (33). Sed & tertia pars acceſſit, eorum, qui non repugnare quidem harmoniam præſtabilitam libertati humanæ voluntatis ut ſolet adſtrui, aſſeruerunt, aſt eſſe tamen in ea aliquid, quod crucem figat, & veram libertatis notionem evertat, conqueſti ſunt. Quo pacto nuper acutiſſimè de harmonia præſtabilita diſputavit celeberrimus *Hollmannus* (34), qui, licèt ſectatoribus *Wolfii* nomen non addixiſſet ſuum, contenderat tamen, in iſto harmoniæ præſtabilitæ ſyſtemate in ſe & præcisè ſpectato, in quo certas animæ humanæ repræſentationes, cogitationes & decreta certi in membris corporis motus, & certos in organis corporis ſenſoriis excitatos motus certæ quædam in anima humana conſequantur repræſentationes, ſenſationes, & perceptiones, nihil ſe deprehendere, quod in animæ humanæ

(32) Scripta huc pertinentia nominat *Ludovicus* Hiſt. phil. Wolfianæ P. I. c. XIV. §. 252. ſqq. p. 196. ſeqq. P. II. §. 540. ſqq. longior enim ſeries eſt, quàm hic exponi queat.

(33) In Dilucidat. philoſ. p. 357. ſeqq.

(34) In cogit. poſter. de Harmonia præſtabilita.

næ libertatem ullo modo ſit injurium: quæ aſſertio eum cum cel. *Langio* quoque commiſit. Poſtea autem conſiderato ſyſtemate in toto ſuo ambitu inveniſſe ſe, monuit, quæ libertati inimica ſint. » Nempe ſtatui obſervat, ſecundum iſtam hypo» theſin, animæ vim mundi repræſentativam, illi adeò intrin» ſecam & eſſentialem eſſe, ut non modò ſenſationes & per» ceptiones rerum nudæ, quibus mutationes a corporibus in » organa ſenſoria agentibus productæ in anima repræſentantur, » ex ea fluant, ſed & ea ita ad mundum repræſentandum de» terminata ſit, ut ex ea vi reliqua omnia, quæ in eadem con» tingunt, exoriantur. Ita verò omnem actionis contingen» tiam, quæ ſeparari a libertatis notione non poteſt, tolli » contendit, cùm omnia quæ in anima contingunt, ex vi illa » repræſentativa per eſſentiam ſuam determinata ſolùm conſe» quantur, vis autem illa omnimodè determinata ſit, ſiquidem » anima alias æquè facilè hanc, quàm aliam quamcunque » mundi partem, æquè facilè illam, quæ corporis ipſius ſta» tui reſpondet, quàm quamvis aliam, repræſentare ſibi poſ» ſet, quod contra ſyſtematis primarium ſuppoſitum eſt. Hinc » enim neceſſe eſſe, ut & omnia, quæ ex omnimodè deter» minata ejuſmodi vi fluunt, & ipſa omnimodè determinata » ſint: hæcque a Deo determinatio ſimul non minus ac ipſa » vis illa repræſentativa, ex ipſa animæ eſſentia fluat, ſicque » abſoluta porrò ſit & immutabilis. Et cogitationes ergò ani» mæ reliquas & volitiones atque decreta ejus omnia, per » eſſentiam ejus, quæque eſſentiam ejus conſtituit, vim illam » mundi repræſentativam ita jam futura eſſe determinata, ut » conſequi aliter in anima nequeant, unde ea contingentia il» larum omnis & cum illa ipſa animæ humanæ libertas col» lapſa ſit. « Quibus vir doctus in ſequentibus ita inſtat, ut demonſtret, ex hac prædeterminatione repræſentationum, ſequi neceſſario volitionum determinationes, eaſque eſſe non minus præſtabilitas, quàm motus corporis. Tandem neque iſtud tacendum hoc loco eſt, fuiſſe nonnullos, qui ex ipſis principiis Leibnitianis oſtendere ſategerunt (35), habere animam

(35) Cel. *Gottſchedius* in Vindiciis ſyſtem. influxus phyſici ſect. II. c. 2. §. 22. p. 70.

mam vim movendi corpus, non metaphyſicam modò, ſed & phyſicam, adeoque ſyſtema influxus ab ipſo *Leibnitio* everti non poſſe. Rationem eam adducunt, quod, præter voluntatem movendi, conatum quoque inſignem, producendi nonnunquam motus voluntarios in corpore ſentiamus, qui niſus atque conatus ejus virium nomine venit, & *Leibnitio*, id quod reale in motu eſt, dicitur. Ipſe ſanè *Leibnitius*, vim movendi corpora influxu phyſico non ex rationibus impoſſibilitatis derivavit, concedit enim Deum ita movere poſſe corpora, ſed quòd in anima humana rationes ejus rei ſufficientes non inveniret, ſuadeat autem ſapientia DEI in legibus motuum & appetituum ſive finium demonſtrata, fieri id tantùm metaphyſicè, & per harmoniam. Unde cautè prudenterque pronuntiavit, quem nuper ereptum nobis dolemus Ven. *Jo. Guſt. Reinbeckius* (36) etiamſi hypotheſis harmoniæ præſtabilitæ in religionem Chriſtianam injuria non ſit, non minoribus tamen, quàm reliquas de unione animæ & corporis hypotheſes difficultatibus premi, præſtareque fateri ignorantiam noſtram ad myſteria DEI revelata ſimplici fide recipienda ducentem, quàm modum ignotum myſterii naturalis conjecturis & hypotheſibus definire. Verùm de his prolixiùs in hiſtoria philoſophiæ & controverſiarum Wolfianarum diſſerendum eſt. Jam ad monadologiam Leibnitianam revertimur.

LXXXII. Quod ſpiritus, ſeu animas rationales concernit, quamvis ita ſe habeat res, ut animal & anima nec oriantur niſi cum mundo, nec intereant niſi cum mundo: id tamen peculiare eſt in animalibus rationalibus, quod ipſorum animalcula ſpermatica (37), qua talia, habeant tantùm animas ordinarias ſeu ſenſitivas, ſed quæ electa ſunt, ut ita dicam, & ad naturam humanam ope conceptionis actualis perveniunt, eorum

(36) In Diſq. de Harmonia præſtabilita, Germanicè edita Berolini 1737. 4.

(37) Subſcribit *Leibnitius* ſententiæ *Leuwenhoekianæ* de Animalculis ſpermaticis, quæ monadem eam conſtituere putat, ex qua exſurgit anima humana conf. *Hanſch.* l. c. p. 169. An verò id fiat ordinaria vel extraordinaria Dei operatione, non definit in cauſſa Dei §. 81.

eorum animæ ſenſitivæ elevantur ad gradum rationis & prærogativam ſpirituum. Valdè favebat *Leibnitius* præexiſtentiæ animarum, cùm & maximas circa ortum animarum difficultates cerneret, & innumeris diſputationibus quæſtionem de origine formarum ſubſtantialium expoſitam noſſet, ex qua controverſiæ quoque de anima vel per traducem vel per creationem producta exortæ ſunt; crederet autem non minori jure gaudere ſubſtantias ſimplices & immateriales, quàm atomos *Epicuri* vel *Gaſſendi*, quæ perpetuò durantes admittuntur. Hinc animas non niſi per creationem accepiſſe initium, & non niſi annihilatione finem quoque habere, ſtatuit; cumque corporis organici formationem ſine præformatione organica ſuppoſita explicari non poſſe, pro certo haberet, concluſit inde, generationem animalium non niſi transformationem eſſe, & habuiſſe corpus antea jam organiſatum animam eandem, nec poſſe eſſe animas, ſalvo naturæ ordine, a corporibus planè ſeparatas. Hæc cùm compararet cum harmonia, ſecundùm quam ſemper agit divina ſapientia, præexiſtentiam animarum ab initio creationis admittendam, & addendum illis eſſe neceſſario corpus organicum, in quo extiterint, concluſit. Veriſimile autem putavit, animas ante generationem merè ſenſitivas eſſe, & tum demum fieri in generatione rationales. Qua de re in ſe obſcuriſſima & difficili eleganter & ſatis perſpicuè in *Theodicea* diſſerit. Ita verò præexiſtentiam animarum, quod ſuprà jam tetigimus, a metempſychoſi diſcernebat, quæ ipſa quoque animarum προΰπαρξιν involvit, cùm ſaltem ejuſmodi, qualem animarum tranſmigratio innuit, legibus motûs; adeoque naturæ ipſi prorſus eſſe contrarium cerneret. Ut autem anima ex ſtatu ſenſitivo in ſtatum rationalem evehatur, mutationem & evolutionem materiæ machinæ corporis, quæ eſt in animali ſpermatico, requiri putabat; mutata enim corporis conditione, mutandum etiam animæ ſtatum eſſe ob harmoniam inter corpus & animam præſtabilitam; ob quam tamen harmoniam; ſtatus præſens ſit gravidus futuri, & homo futurus in illo animali jam latuerit, ut ipſe ad *Remondum* ſcripſit.

LXXXIII.

LXXXIII. Inter alias differentias, quæ inter animas ordinarias & ſpiritus intercedunt, etiam illa datur, quòd animæ in genere ſint ſpecula viventium, ſeu imagines univerſi creaturarum, ſed quòd ſpiritus inſuper ſint imagines ipſius divinitatis, ſeu auctoris naturæ, quæ ſyſtema univerſi cognoſcere & aliquid ejus per ſcintillulas architectonicas imitari poſſunt, cùm ſpiritus unuſquiſque ſit parva quædam divinitas in ſuo genere.

LXXXIV. Atque inde eſt, quòd ſpiritus ſint capaces ſocietatis alicujus cum Deo ineundæ, & quòd ipſe eorum reſpectu non ſolùm ſit inventor, qualis eſt reſpectu creaturarum ceterarum, ſed inſuper princeps & parens, hoc eſt, eam habeat ad ipſos relationem, quem princeps ad ſuos ſubditos, & parens ad liberos ſuos.

LXXXV. Inde haud difficulter infertur, omnes ſpiritus ſimul ſumtos conſtituere civitatem DEI, hoc eſt, regnum omnium perfectiſſimum ſub perfectiſſimo monarcha.

LXXXVI. Hæc civitas DEI, hæc monarchia verè univerſalis eſt mundûs moralis in mundo naturali, & id maximè ſublime & divinum eſt in operibus DEI, atque in hoc reverâ gloria DEI conſiſtit, quoniam nulla daretur, niſi magnitudo & bonitas a ſpiritibus cognoſceretur, ipſiſque admirationi eſſet. Reſpectu hujus civitatis divinæ datur bonitas propriè ſic dicta, cùm e contrario ſapientia & potentia ubique eluceant.

LXXXVII. Intercedit ergò harmonia quoque inter regnum phyſicum naturæ, & regnum morale gratiæ, hoc eſt, inter Deum, quatenùs conſideratur ut architectus machinæ, & inter Deum eundem, quatenùs ut monarcha civitatis divinæ ſpirituum ſpectatur.

LXXXVIII. Ab hac harmonia pendet, quod res deducant ad gratiam per ipſas vias naturæ, & quod hic globus e. g. deſtrui & reparari debeat per media naturalia iis momentis, quando regimen ſpirituum id poſtulat ad aliquos puniendos, ceteros remunerandos.

LXXXIX. Aſſerere etiam licet, Deum tanquam architectum, ſatisfacere Deo tanquam legislatori, ex aſſe, atque ſic peccata conſequi debere pœnas per ordinem naturæ & ſtructuræ mechanicæ rerum, bonas etiam actiones ſecum trahere remunerationes per media machinalia reſpectu corporum, quamvis idem nec poſſit nec debeat conſtanter extemplo accidere. Etiam in hac harmonia regni naturæ & gratiæ aſſerenda, viſus eſt nonnullis gratiæ ſe inimicum oſtendiſſe. Aſt monuerunt amici ejus (38), etiamſi leges naturæ, ad exequenda gratiæ & juſtitiæ decreta valere dicat, illis tamen non dicere, quod opus gratiæ, abſolvatur, ſed minimè ſufficientia declaraviſſe, cùm & miracula fieri propter regnum gratiæ aſſerat, & naturæ viribus peccatorem converti poſſe neget.

XC. Tandem ſub perfectiſſimo hoc regimine nulla datur actio bona ſine remuneratione, nulla mala ſine pœna, & omnia vergere debent in ſalutem bonorum, hoc eſt eorum, qui regimine divino contenti ſunt in hoc magno regno, qui confidunt in providentia divina, & qui amant & imitantur, ut par eſt, auctorem omnis boni, voluptatem percipientes ex conſideratione perfectionum ipſius, ſecundùm naturam amoris puri & veri, vi cujus voluptatem percipimus ex ejus, quem amamus, felicitate. Atque ideò perſonæ ſapientes ac virtuoſæ perficere conantur, quicquid voluntati divinæ præſumtivæ & antecedenti conforme apparet, & hoc non obſtante, in iis acquieſcunt, quæ per voluntatem ſecretam; conſequentem & deciſivam acta contingunt, quoniam agnoſcunt, quòd ſi ordinem naturæ ſatis intelligeremus, deprehenſuri ſimus, eadem vota ſapientiſſimi longè ſuperare, nec fieri poſſe, ut meliora reddantur ſive intuitu totius univerſi in genere, ſive etiam reſpectu noſtrum in ſpecie. Siquidem, prout par eſt, auctori omnium adhæremus, non modò tanquam architecto & cauſſæ efficienti eſſentiæ noſtræ, verùm etiam, tanquam Magiſtro noſtro

(38) Vid. *Kortholt* Diſſ. de Phil. Leibnit. Chriſtianæ religioni non pernicioſa, quæ hanc vitæ hiſtoriam ſequitur.

noſtro atque cauſſæ finali, cujus eſt, efficere quod volumus, & qui ſolus nos felices reddere valet. Aperuit vir ſummus in his ultimis aſſertionibus veſtibulum philoſophiæ moralis, quale monadum atque harmoniæ univerſalis hypotheſibus ſine dubio inædificaturus erat. Eam autem non perfecit: nonnulla tamen in *Theodicea* attulit, quæ dicta illuſtrare poſſunt. Pleraque illuſtravit ex fundamentis Leibnitianis *Hanſchius*.

§. XXXVIII. Præſtantiſſimum metaphyſicæ Leibnitianæ caput theologia naturalis ſive doctrina de Deo, eſt, quod ſtudiosè excoluit *Leibnitius*. Qui non tantùm emendare Carteſianam exiſtentiæ DEI rationem aggreſſus eſt, ut ſupra dictum, ſed & applicatione principii rationis ſufficientis recta & acuta ex rerum exiſtentium contingentia, unicum & veriſſimum quod ſtringat & impietatem evertat argumentum deduxiſſe ſibi viſus eſt. Sed attributorum quoque divinorum harmoniam tum inter ſe, tum in relatione ad animam humanam inſigni acumine, ſuis tamen hypotheſibus uſus, in *Theodiceæ* opere explicuit, quod totum excerpere, & quæ ad philoſophiam ſpectant, huc adducere, operæ pretium eſſet, niſi paginarum noſtrarum anguſtia tantam prolixitatem refugeret, liberque eruditiſſimus & elegantiſſimus in omnium manibus verſaretur. Quoniam tamen ejus ſummam in *Cauſſa DEI* tractationi ſubjuncta in nervum contraxit auctor, acuteque de Deo, ejus intellectu, voluntate, decretis concurſuque ad actiones hominum diſſeruit, excerpemus, qua licet brevitate, ea quæ ad theologiam naturalem pertinent: eæ enim, quas de corruptione hominis & peccato, de ejus propagatione & imputatione, de auxiliis gratiæ & doctrinæ revelatæ capitibus aliis explicationes & conjecturas attulit, ad limites noſtros non pertinent, merentur autem legi expendique a Lectore curioſo omnia, ut, qualis fuerit *Leibnitius*, appareat. *Theologia naturalis Leibnitii.*

I. Omnipotentia complectitur tum Dei independentiam ab aliis, tum omnium dependentiam ab ipſo.

II. Independentia DEI in exiſtendo elucet & in agendo; & quidem in exiſtendo, dum eſt neceſſarius & æternus, &,

ut vulgo loquuntur, ens à ſe: unde etiam conſequens eſt, immenſum eſſe.

III. In agendo independens eſt naturaliter & moraliter, naturaliter quidem, dum eſt liberrimus, nec niſi a ſe ipſo ad agendum determinatur: moraliter verò dum eſt ἀνυπεύθυνος, ſeu ſuperiorem non habet.

IV. Dependentia rerum a Deo extenditur tum ad omnia poſſibilia, ſeu quæ non implicant contradictionem, tum etiam ad omnia actualia.

V. Ipſa rerum poſſibilitas, cum actu non exiſtunt, realitatem habet fundatam in divina exiſtentia: niſi enim Deus exiſteret, nihil poſſibile foret; & poſſibilia ab æterno ſunt in ideis divini intellectûs.

VI. Actualia dependent a Deo tum in exiſtendo, tum in agendo, nec tantùm ab intellectu ejus, ſed etiam a voluntate. Et quidem in exiſtendo, dum omnes res a Deo liberæ ſunt creatæ, atque etiam a Deo conſervantur; neque malè docetur, conſervationem divinam eſſe continuatam creationem, ut radius continuè a ſole prodit: etſi creaturæ neque ex eſſentia Dei, neque neceſſariò promanent.

VII. In agendo res dependent a Deo, dum Deus ad rerum actiones concurrit, quatenùs ineſt actionibus aliquid perfectionis, quæ utique a Deo manare debet.

VIII. Concurſus autem Dei, etiam ordinarius, ſeu non miraculoſus ſimul & immediatus eſt; & ſpecialis. Et quidem immediatus, quoniam effectus non ideò tantùm a Deo dependet, quia cauſſa ejus a Deo orta eſt, ſed etiam quia Deus non minùs, neque remotiùs in ipſo effectu producendo concurrit, quàm in producenda ipſius cauſſa.

IX. Specialis autem eſt concurſus, qui non tantùm ad exiſtentiam rei actuſque dirigitur, ſed & ad exiſtendi modum & qualitates, quatenùs aliquid perfectionis illis ineſt, quod ſemper a Deo profluit, patre luminum, omniſque boni datore.

X. Sapientia DEI ob immenſitatem vocatur omniſcientia. Hæc cùm & ipſa ſit perfectiſſima, complectitur omnem ideam, &

& omnem veritatem; id eſt omnia tam incomplexa quàm complexa, quæ objectum intellectus eſſe poſſunt: & verſatur itidem tam circa poſſibilia, quàm circa actualia.

XI. Poſſibilium eſt, quæ vocatur ſcientia ſimplicis intelligentiæ, quæ verſatur tam in rebus, quàm in earum connexionibus; & utræque ſunt tam neceſſariæ, quàm contingentes.

XII. Poſſibilia contingentia ſpectari poſſunt tum ut ſejuncta, tum ut coordinata in integros mundos poſſibiles infinitos, quorum quilibet Deo eſt perfectè cognitus, etſi ex illis non niſi unicus ad exiſtentiam perducatur: neque enim plures mundos actuales fingi ad rem facit, cùm unus nobis totam univerſitatem creaturarum, cujuſcunque loci & temporis complectatur, eoque ſenſu hoc loco mundi vocabulum uſurpetur.

XIII. Scientia actu alium, ſeu mundi ad exiſtentiam perducti, & omnium in eo præteritorum præſentium, futurorum, vocatur ſcientia viſionis, nec differt a ſcientia ſimplicis intelligentiæ hujus ipſius mundi, ſpectati ut poſſibilis, quàm quod accedit cognitio reflexiva, qua Deus novit ſuum decretum de ipſo ad exiſtentiam perducendo. Nec alio opus eſt divinæ præſcientiæ fundamento.

XIV. Quod ſi ſcientia ſimplicis intelligentiæ reſtrictiùs ſumatur, nempe ut agat de veritatibus poſſibilibus & neceſſariis; tunc ſcientia media eſt, quæ de veritatibus poſſibilibus & contingentibus, & ſcientia viſionis, quæ de veritatibus contingentibus & actualibus agit.

XV. Ut ſapientia, ſeu veri cognitio eſt perfectio intellectûs, ita bonitas, ſeu boni appetitio eſt perfectio voluntatis. Et omnis quidem voluntas bonum habet pro objecto, ſaltem apparens, at divina voluntas non niſi bonum ſimul & verum.

XVI. Ad voluntatis naturam requiritur libertas, quæ conſiſtit in eo, ut actio voluntaria ſit ſpontanea, ac deliberata, atque adeò ut excludat neceſſitatem, quæ deliberationem tollit.

XVII. Neceſſitas excluditur metaphyſica, cujus oppoſitum eſt, impoſſibile; ſeu implicat contradictionem; ſed non moralis, cujus oppoſitum eſt inconveniens. Etſi enim Deus non poſſit errare

errare in eligendo, adeoque eligat ſemper quod eſt maximè conveniens, hoc tamen ejus libertati adeò non obſtat, ut eam potiùs maximè perfectam reddat. Obſtaret ſi non niſi unum foret voluntatis objectum poſſibile, ſeu ſi una tantùm poſſibilis rerum facies fuiſſet, nec ſapientia bonitaſque agentis laudari poſſet.

XVIII. Itaque errant, aut certè incommodè admodum loquuntur, qui ea tantùm poſſibilia dicunt, quæ actu fiunt, ſeu quæ Deus elegit (39).

XIX. Voluntas dividi poteſt, in antecedentem ſeu præviam, & conſequentem ſeu finalem, ſive quod idem eſt, in inclinatoriam & decretoriam. Illa minùs plena, hæc plena vel abſoluta eſt.

XX. Voluntas antecedens omninò ſeria eſt, & pura, non confundenda cum velleitate, ubi quis vellet ſi poſſet, velletque poſſe, quæ in Deum non cadit; nec cum voluntate conditionali. Tendit autem voluntas antecedens in Deo ad procurandum omne bonum, & ad repellendum omne malum, quatenùs talia ſunt, & proportione gradus, quo bona malave ſunt.

XXI. Voluntas conſequens oritur ex omnium voluntatum antecedentium concurſu, ut ſcilicet, quando omnium effectus ſimul ſtare non poſſunt, obtineatur inde quantus maximus effectus per ſapientiam & potentiam obtineri poteſt. Hæc voluntas etiam decretum appellari poteſt.

XXII. Voluntates antecedentes non omninò irritæ ſunt; ſed efficaciam ſuam habent, qui, etſi effectus earum obtinetur, non ſemper ſit plenus, ſed per concurſum aliarum voluntatum antecedentium reſtrictus. At voluntas decretoria ex omnibus inclinatoriis reſultans, ſemper plenum effectum ſortitur, quoties potentia non deeſt in volente, quemadmodum certè in Deo deeſſe nequit. Neque verò aliquid felicitati perfectionique volentis Dei decedit, dum non omnis ejus voluntas effectum plenum ſortitur: quia enim bona non vult, niſi pro

(39) Innuit *Diodorum* Stoicum, *Abælardum*, *Wiclefum*, *Hobbium.*

pro gradu bonitatis, quæ in unoquoque eſt, tum maximè ejus voluntati ſatisfit, cùm optimum reſultans obtinetur.

XXIII. Porrò voluntas dividitur in productivam circa proprios actus, & permiſſivam circa alienos. Quædam enim interdum permittere licet, id eſt, non impedire quæ facere non licet; & permiſſæ voluntatis objectum proprium non id eſt, quod permittitur, ſed permiſſio ipſa.

XXIV. Bonum & malum, ſeu ratio volendi triplex eſt, metaphyſicum, phyſicum, morale.

XXV. Metaphyſicum generatim conſiſtit in rerum etiam non intelligentium perfectione & imperfectione.

XXVI. Phyſicum accipitur ſpeciatim de ſubſtantiarum intelligentium commodis & incommodis, quo pertinet malum pœnæ.

XXVII. Morale de earum actionibus virtuoſis & vitioſis, quo pertinet malum culpæ: & malum phyſicum hoc ſenſu a morali oriri ſolet, etſi non ſemper in iiſdem ſubjectis, ſed hæc tamen, quæ videri poſſit, aberratio cum fructu corrigitur, ut innocentes nollent paſſi non eſſe.

XXVIII. Deus vult bona per ſe antecedenter ad minimum; nempe tam rerum perfectiones in univerſum, quàm ſpeciatim ſubſtantiarum intelligentium omnium felicitatem & virtutem, & unumquodque bonorum pro gradu ſuæ bonitatis.

XXIX. Mala etſi non cadant in voluntatem DEI antecedentem, niſi quatenùs ea ad remotionem eorum tendit, cadunt tamen interdum, ſed indirectè, in conſequentem: quia interdum majora bona ipſis remotis obtineri non poſſunt, quo caſu remotio malorum non planè perducitur ad effectum, & conſiſtens intra voluntatem antecedentem, non prorumpit in conſequentem.

XXX. Mala metaphyſica & phyſica, velut imperfectiones in rebus, & mala pœnæ in perſonis interdum fiunt bona ſubſidiata, tanquam media ad majora bona.

XXXI. At malum morale ſeu malum culpæ nunquam rationem medii habet, ſed interdum tamen conditionis, quam vocant, ſine qua non, ſive colligati & concomitantis, id eſt,

ſine quo bonum debitum obtineri nequit, ſub bono autem debito etiam privatio mali debita continetur. Malum autem admittitur, non ex principio neceſſitatis abſolutæ, ſed ex principio convenientiæ. Rationem enim eſſe oportet, cur Deus malum permittat potiùs, quàm non permittat; ratio autem divinæ voluntatis non niſi a bono deſumi poteſt.

XXXII. Malum culpæ nunquam in Deo objectum eſt voluntatis productivæ, ſed tantùm aliquando permiſſivæ, quia ipſe nunquam peccatum facit, ſed tantùm ad ſummum aliquando permittit.

XXXIII. Generalis autem eſt regula permittendi peccati, Deo hominique communis, ut nemo permittat peccatum alienum, niſi, impediendo ipſemet actum, pravum excitaturus eſſet.

XXXIV. Deus itaque inter objecta voluntatis habet optimum, ut finem ultimum; ſed bonum ut qualecunque, etiam ſubalternum; res verò indifferentes itemque mala pœnæ ſæpè, ut media; at malum culpæ non niſi ut rei alioqui debitæ conditionem, ſine qua non eſſet.

XXXV. Communia magnitudinis & bonitatis hic ſunt, quæ non ex ſola bonitate, ſed etiam ex magnitudine, id eſt ſapientia & potentia, proficiſcuntur, facit enim magnitudo, ut bonitas effectum conſequatur ſuum. Et bonitas refertur vel ad creaturas in univerſum, vel ſpeciatim ad intelligentes. Priore modo cum magnitudine conſtituit providentiam in univerſo creando & gubernando poſteriore, juſtitiam in regendis ſpeciatim ſubſtantiis ratione præditis.

XXXVI. Quia bonitatem DEI in creaturis ſeſe generatim exerentem dirigit ſapientia, conſequens eſt, providentiam divinam ſeſe oſtendere in tota ſerie univerſi; dicendumque Deum ex infinitis poſſibilibus ſeriebus rerum elegiſſe optimam, eamque adeò eſſe hanc ipſam, quæ actu exiſtit. Omnia enim in univerſo ſunt harmonica inter ſe, nec ſapientiſſimus niſi omnibus perſpectis decernet adeò non niſi de toto. In partibus ſingulatim ſumtis voluntas prævia eſſe poteſt, in tota decretoria intelligi debet.

XXXVII.

XXXVII. Accuratè loquendo unicum tantùm fuit decretum Dei, ut hæc ſcilicet ſeries rerum ad exiſtentiam veniret.

XXXVIII. Immutabile eſt decretum Dei, quia omnes rationes quæ ei objici poſſunt, jam in conſiderationem venerunt, ſed hinc non alia oritur neceſſitas, quàm conſequentiæ, quam hypotheticam vocant, ex ſuppoſita ſcilicet prævifione & præordinatione, nulla autem ſubeſt neceſſitas abſoluta vel conſequentis, quia alius etiam rerum ordo poſſibilis erat, & in partibus, & in toto; Deusque contingentium ſeriem eligens, contingentiam eorum non mutavit.

XXXIX. Neque ob rerum certitudinem preces laboreſque ſunt inutiles ad obtinenda futura quæ deſideramus. Nam in hujus ſeriei rerum, tanquam poſſibilis repræſentatione apud Deum, antequàm ſcilicet decerni intelligeretur, utique & preces in ea, ſi eligeretur futuræ, & aliæ effectuum in ea comprehendendorum cauſſæ inerant, & ad electionem ſeriei, adeoque & ad eventus in ea comprehenſos, ut par erat, valuere. Et quæ nunc movent Deum ad agendum aut permittendum, jam tum eum moverunt ad decernendum, quid acturus eſſet aut permiſſurus.

XL. Sapientia autem infinita omnipotentis bonitati ejus immenſæ juncta, fecit, ut nihil potuerit fieri melius, omnibus computatis, quàm quod a Deo ſit factum, atque adeò, ut omnia perfectè ſint harmonica conſpirentque pulcherrimè inter ſe.

XLI. Proinde quotieſcunque aliquid reprehenſibile videtur in operibus Dei, judicandum eſt, id nobis non ſatis noſci, nec optari a ſapiente poſſe meliora.

XLII. Unde porrò ſequitur, nihil eſſe felicius, quàm tam bono Domino ſervire, atque adeò Deum ſuper omnia eſſe amandum, eique penitùs confidendum.

XLIII. Bonitas relata ſpeciatim ad creaturas intelligentes cum ſapientia conjuncta juſtitiam conſtituit, cujus ſummus gradus eſt ſanctitas. Itaque tam lato ſenſu juſtitia non tantùm jus ſtrictum, ſed & æquitatem, atque adeò & miſericordiam laudabilem comprehendit.

XLIV. Eſt autem vel juſtitia ſpecialiùs ſumta, vel ſanctitas. Illa verſatur circa bonum malumque phyſicum, aliorum nempe intelligentium, ſanctitas circa bonum malumque morale.

XLV. Bona malaque phyſica eveniùnt tam in hac vita, quàm in futura: In hac vita magna malorum pars fluit ex culpa hominis; aliæ proſunt & compenſabuntur.

XLVI. In futura vita, quamvis pauci ſint electi, tota amplitudo regni cœleſtis non eſt ex noſtra cognitione æſtimanda, cum tanta gloria beatorum eſſe poſſit, ut mala damnatorum comparari cum hoc bono non poſſint. Nihilque prohibet vel ſoles, vel maximè regionem trans ſoles, ut in noſtra ſit tellure habitari felicibus creaturis. Itaque argumentum a multitudine damnatorum non eſt fundatum, niſi in ignorantia noſtra. Pœnæ etiam damnatorum ob perſeverantem eorum malitiam perſeverant.

XLVII. Objectiones contra ſanctitatem Dei ſeu circa perfectionem ad bona malaque moralia aliorum relatam, deſumtæ ex concurſu Dei ad malum morale ex ſuprà dictis commodè ſolvi poſſunt.

XLVIII. Nempe permiſſio peccati eſt licita, ſeu moraliter poſſibilis, cùm debita, ſeu moraliter neceſſaria invenitur. Id de Deo intelligendum eſt Θεοπρεπῶς, quando aliter ſuis perfectionibus derogaſſet. Si Deus optimam univerſi ſeriem, in qua peccatum intercurrit, non elegiſſet, admiſiſſet aliquid pejus omni creaturarum peccato, nam propriæ perfectioni, & quod hinc ſequitur, alienæ etiam derogaſſet: divina enim perfectio a perfectiſſimo eligendo diſcedere non debet cùm minùs bonum habeat rationem mali.

XLIX. Nihil perfectionis & realitatis purè poſitivæ eſt in creaturis earumque actibus bonis & malis, quod non Deo debeatur, ſed imperfectio actûs in privatione conſiſtit, & oritur ab originali limitatione creaturarum, quàm jam tum in ſtatu puræ poſſibilitatis, id eſt in ideis Dei, habent ex eſſentia ſua: nam quod limitatione careret, non creatura ſed Deus foret. Limitata autem dicitur creatura, quæ terminos perfectionis habet,

habet. Ita fundamentum mali eſt neceſſarium, ſed ortus tamen contingens; id eſt, neceſſarium eſt, ut mala ſint poſſibilia, ſed contingens eſt, ut ſint actualia: non contingens autem per harmoniam rerum a potentia tranſit ad actum ob convenientiam cum optima rerum ſerie, cujus partem facit. Sunt itaque bona a Dei vigore, mala a torpore creaturæ; & defectu attentionis errat intellectus: defectu alacritatis refringitur voluntas, quoties mens cum ad ſummum bonum tendere debeat, per inertiam creaturæ adhæreſcit.

L. Propagatio contagii a lapſu protoplaſtarum non videtur commodiùs explicari poſſe, quàm ſtatuendo, animas poſterorum in *Adamo* jam fuiſſe infectas: idque per præexiſtentiam animarum.

LI. Reliquiæ divinæ imaginis conſiſtunt tum in lumine innato intellectûs, tum etiam in libertate congenita voluntatis. Utrumque ad virtuoſam vitioſamque actionem neceſſarium eſt, ut ſcilicet ſciamus velimuſque, quæ agimus, & poſſimus etiam ab hoc peccato, quod committimus abſtinere, ſi modò ſatis ſtudii adhibeamus.

LII. Lumen innatum conſiſtit tum in ideis incomplexis, tum in naſcentibus inde notitiis complexis. Ita fit, ut Deus & lex DEI æterna inſcribatur cordibus noſtris, etſi negligentia hominum & affectibus ſenſualium ſæpè obſcurentur.

LIII. Probatur hoc lumen etiam ex ratione, quia veritates neceſſariæ ex ſolis principiis menti inſitis non ex inductione ſenſuum demonſtrari poſſunt. Neque enim inductio ſingularium unquam neceſſitatem univerſalem infert.

LIV. Libertas quoque in quantacunque humana corruptione ſalva manet, ita ut homo, etſi haud dubiè peccaturus ſit, nunquam tamen neceſſariò committat hunc actum peccandi, quem committit.

LV. Libertas exemta eſt tam a neceſſitate, quàm a coactione. Neceſſitatem non faciunt futuritio veritatum, nec præſcientia & præordinatio Dei, nec prædiſpoſitio rerum.

LVI. Non futuritio: licèt enim futurorum contingentium

ſit determinata veritas, certitudo tamen objectiva, ſeu infallibilis determinatio veritatis, quæ illis ineſt, minimè neceſſitati confundenda eſt.

LVII. Nec præſcientia aut præordinatio Dei neceſſitatem imponit, licèt ipſa quoque ſit infallibilis. Deus enim vidit res in ſerie poſſibilium ideali, quales futuræ erant, & in iis hominem liberè peccantem; neque hujus ſeriei decernendo exiſtentiam, mutavit rei naturam, aut, quod contingens erat, neceſſarium fecit.

LVIII. Neque etiam prædiſpoſitio rerum aut cauſſarum ſeries nocet libertati. Licèt enim nunquam quicquam eveniat, quin ejus ratio reddi poſſit, neque ulla unquam detur indifferentia æquilibrii, (quaſi in ſubſtantia libera & extra eam omnia ad oppoſitum utrumque ſe æqualiter unquam haberent: cùm potiùs ſemper ſint quædam præparationes in cauſſa agente, concurrentibuſque, quas aliqui prædeterminationes vocant;) dicendum tamen eſt, has determinationes eſſe tantùm inclinantes, non neceſſitantes, ita ut ſemper aliqua indifferentia ſive contingentia ſit ſalva. Nec tantus unquam in nobis affectus appetituſve eſt, ut ex eo actus neceſſariò ſequatur; nam quamdiu homo mentis compos eſt, etiamſi vehementiſſimè, ab ira, ſiti, vel ſimili cauſſa ſtimuletur, ſemper tamen aliqua ratio ſiſtendi impetum reperiri poteſt, & aliquando vel ſola ſufficit cogitatio exercendæ ſuæ libertatis & in affectus poteſtatis.

LIX. Coactio non eſt in voluntatis actionibus: etſi enim externorum repræſentationes plurimùm in mente noſtra poſſint, actio tamen noſtra voluntaria ſemper ſpontanea eſt, ita ut principium ſit in agente. Id quod per harmoniam inter corpus & animam ab initio præſtabilitam, luculentius, quam hactenus, explicatur.

Potiora hæc ſunt, quæ ad naturalem theologiam referri poſſunt, reliqua quæ attexuit vir acutiſſimi ingenii & profundarum meditationum, propriè ad revelatam theologiam pertinent, & cùm humanam corruptionem, tum ejus emendationem,

nem, ordinemque DEI in eligendis fidelibus reſpiciunt. In illis verò, ut hypotheſibus nonnullis inſerviendum ſibi eſſe, ad ſolvendos hos nodos, quos ſtruxit malè curioſa hominum diligentia, vir ſummus probè vidit, ita factum, ut & ea quæ de libertate diſſeruit, licèt eam magnis conatibus aſſertum iret, haud paucis diſplicerent. Quamvis enim neceſſitatem abſolutam a libertate accuratè removeat, putarunt tamen, neceſſitatem hypotheticam, quæ ex antecedente & prædeterminante cauſſa oritur, re ipſa libertatem evertere. Reſponderunt his viri celeberrimi ſectatores, & inter eos imprimis acutiſſimus *Bulſingerus* (40), » non eum prædeterminationis ſenſum apud » *Leibnitium* eſſe, qui eſt apud eos, qui ita prædeterminatio- » nem introducunt, qua poſita cauſſa prædeterminante, non » poteſt non ſequi effectus: ſed eam tantum hoc loco præde- » terminationis, quæ & præordinatio vel connexio rerum di- » ci queat, ideam eſſe, qua poſita, facultas, etſi alterum » præ altero eligat in ipſo ſui exercitio, & conſtanter qui- » dem; ſuo tamen id faciat arbitrio poſſitque in hiſce omni- » bus circumſtantiis agere aliud atque aliud. Ideoque *Leibni-* » *tium* ſupra monuiſſe, has determinationes eſſe inclinantes » tantùm non neceſſitantes, ita ut ſemper aliqua indifferentia » ſive contingentia ſit ſalva. « Sed & alterum illud dogma, quod *Baylio Leibnitius* oppoſuit, de mundo optimo innumerarum controverſiarum ſemina in orbe philoſophico & theologico ſparſit, longumque eſſet, ſcripta ea enarrare omnia, quibus ex utraque parte de hoc argumento decertatum eſt. Otium ea in re nobis fecit Cel. *Ludovici* diligentia, qui literariam hujus quæſtionis hiſtoriam ſcire cupientibus adeundus eſt. Quo ſenſu autem mundum præſentem, mali mixtura temperatum ex ſerie infinitorum mundorum poſſibilium Deum velut optimum elegiſſe dixerit, ex *θ*. XXXI. & ſequentibus liquet. Nempe malum etiam ad optimi mundi naturam requiri, indignum videtur viris doctiſſimis Dei bonitate & juſtitia. Aſt habent hic quoque,

(40) In Dilucid. phil. S. I. c. 4. §. 88. p. 81.

quoque, quid regerant *Leibnitii* ſectatores: nempe id voluiſſe philoſophum: ſeriem contingentium omnium, præſentium, præteritorum atque futurorum, quam mundus exhibet, optimam eſſe, quia ab ente & ſummo bono & ſapientiſſimo conditus mundus eſt: neque optimum eſſe deſinere, licet in eo ſit malum, quum & mala ab ente ſapientiſſimo in optimum finem dirigantur. Rationem autem divinæ voluntatis atque electionis non niſi a ſummo bono ſumi poſſe. Nos in tantis animorum motibus agitata controverſia arbitrii partes non ſumimus, qui hiſtoriam tantùm ſcribimus, fatemur autem, ſuſpicari nos, viros præſtantiſſimos, qui de hoc argumento diſceptarunt, diſputationis fervore abreptos occupatoſque non ſe ſemper ſatis perſpicuè accurateque inter ſe intellexiſſe. Ceterùm ipſum dogma novum haud eſt, ſed vidit ipſe *Leibnitius* (41), ut acutiſſimè conjiciebat, ſyſtema *Zoroaſtris* parum abludere, quem ex *Mithra* non lucem tantùm ſed & tenebras, id eſt limitationem & privationem deduxiſſe, hincque ex limitatis creaturis mali cauſſam derivaviſſe ſuo loco oſtendimus: quamvis fatendum, ſobriè magis & prudenter philoſophatum fuiſſe *Leibnitium*, quàm *Zoroaſtrem*, qui eſſentiarum omnium emanationem ex DEI eſſentia tanquam ex ſubjecto ſtatuebat, a qua alienum fuiſſe *Leibnitium* ſuprà ipſius verbis evicimus. Ipſum verò mundum optimum Deum elegiſſe, at talem, cui malum ex natura ſua, non DEI, inſit, feciſſeque Deum, quicquid poterat ut malum hoc emendaret, & ad optimos fines dirigeret, ex *κυρίαις δόξαις Platonis* fuit, quem ideò *Leibnitius* (42), ipſe laudavit. Aſt longè meliùs tamen puriuſque in eo dogmate aſſerendo verſatus eſt *Leibnitius*, qui nec materiam demiurgo adjunxit, nec malum aliter niſi in limitatione & privatione quæſivit, cùm *Plato* neſcio quam naturam mali poſitivam & eſſentialem materiæ tribueret. Ex quo conſtare poteſt, quouſque in comparatione veteris doctrinæ cum Leibnitiana ſit progrediendum. Nullum autem malum eſſe

(41) Vid. præf. Theodiceæ. (42) Ep. ad Hanſch.

eſſe in mundo, quod non reſpectu totius bonum evadat, adeoque mundum hunc eſſe optimum dixit jam *Brunus.*

Theſes Leibnitianæ Clarckio oppoſitæ.

§. XXXIX. Diſputatum quoque eſt de his & nonnullis aliis metaphyſicæ capitibus inter *Leibnitium*, & qui *Newtoni* placita ſequebatur *Clarckium*: quæ tota quidem diſputatio ex antecedentibus intelligi poteſt. Quoniam tamen in ea nonnulla occurrunt, in quibus *Leibnitius* a priſtina ſententia ſibi diſcedendum putavit, ea quoque hoc loco ὡς ἐν παρόδῳ tangemus; commendamus autem lectionem ipſam epiſtolarum a duumviris his acumine metaphyſico inſignibus ſcriptarum, quæ in plena luce rem omnem, etiam ſuperiora collocant. Nuper quoque pugnam renovavit ingenioſiſſimus *Voltairius*, inſtituta *comparatione inter metaphyſicam Leibnitianam & Newtonianam*, quæ negligi prorſus potuiſſet, cum *Newtono*, de matheſi & naturali diſciplina artibus mathematicis & obſervationibus inædificata immortaliter meritò nunquam in mentem venerit, ſyſtema metaphyſicum condere. Quoniam tamen, quod argumentis & rationibus parum valuit, ingenii elegantia efficere conatus eſt, laudanda eſt doctiſſimi *Kahlii* induſtria, qui Leibnitiana dogmata de Deo, de ſpatio & duratione, de libertate Dei, de principio rationis ſufficientis, de libertate hominis, de religione naturali, de anima ejuſque commercio cum corpore, de origine perceptionum, de materia & elementis ſive monadibus, de vi activa in apricum poſuit, & vindicare ab inſultibus Voltairianis ſtuduit (43). Eum itaque illos conſulere juvat, qui de hac controverſia notitiam paulo ampliorem cupiunt. Nos inſtituti memores paucas quaſdam aſſertiones notamus, quæ ad cognoſcendam metaphyſicam Leibnitianam pertinent. Sunt vero iſtæ:

I. Vis in operibus divinis ſemper eadem ſubſiſtit, tranſitque ex materia in materiam, ſecundùm leges naturæ, & pulcherrimum ordinem præſtabilitum. Quando itaque Deus facit mi-

(43) Prodiit Examen comparationis Voltairianæ Gottingæ 1741. 8.

racula, fit id non naturæ ſed gratiæ cauſsâ. Qui aliter judicat, abjectè de ſapientia & potentia Dei ſentit.

II. Non mathematica principia ſed metaphyſica opponenda ſunt impietati materialiſtarum.

III. Fundamentum omnium veritatum mathematicarum eſt principium contradictionis ſive identitatis, ut verò matheſis traducatur ad phyſicam, opus adhuc eſt principio rationis ſufficientis.

IV. Quo plus eſt materiæ in mundo, eo plus habet occaſionis Deus, exercendæ ſapientiæ & potentiæ ſuæ. Vacuum itaque ſine ratione ſufficienti ponitur.

V. Ratio omniſcientiæ divinæ non eſt ſola præſentia, ſed & operatio; conſervat enim res actione illa, quæ perpetuò id producit, quicquid in eis & bonitatis & perfectionis.

VI. Creaturæ opus habent influxu Dei perpetuo, ſed non ad emendandam & corrigendam mundi machinam; Deus enim qui prævidit omnia, etiam in anteceſſum medicinam attulit; eſt enim in operibus ejus pulchritudo præſtabilita.

VII. Qui ſpatium pro ente quodam abſoluto habent, ingentibus difficultatibus premuntur, ſequitur enim, debere eſſe ens æternum & infinitum, adeoque ipſe DEUS. Aſt Deus ſpatium habet partes, adeoque Deus eſſe nequit.

VIII. Spatium itaque eſt relativum quid, ut tempus. Nempe ſpatium eſt ordo coexiſtentium, ut tempus ordo ſucceſſionum.

IX. Quod ſupernaturale eſt, omnes creaturarum vires ſuperat, hinc miracula.

X. Simplex voluntas ſine ratione movente eſt figmentum, & contradictorium, naturæque voluntatis adverſum, & perfectioni divinæ contrarium.

XI. Animæ non operantur in corpora, niſi quatenus conſpirant corpora cum eorum appetitu per harmoniam præſtabilitam.

XII. Nemo novas vires poteſt naturæ addere præter Deum, idque tantùm facit ſupernaturaliter.

XIII. Imagines, quibus anima immediatè afficitur, ſunt in ea

ea ipſa, ſed conſpirant cum corpore; præſentia animæ autem imperfecta tantùm eſt, nec poteſt aliter explicari, quàm per harmoniam & concordiam.

XIV. Qui contendunt vires activas & viventes minui in mundo, neque primarias naturæ leges, neque pulchritudinem operum divinorum intelligunt.

XV. Dantur miracula, quæ minora vel inferiora dici poſſunt, quæque efficere angelus poteſt; quæ verò ſupra omnem naturæ virtutem ſunt, e. g. creare & annihilare, Deo ſoli competunt.

XVI. Quod neceſſarium eſt, tale eſt per eſſentiam ſuam, quia oppoſitum contradictionem implicat; quod autem contingens eſt, debet exiſtentiam ſuam principio melioris, quæ eſt ratio ſufficiens rerum.

XVII. Inde ſequitur rationes moventes inclinare, non cogere, eſſeque certitudinem infallibilem, non verò neceſſitatem abſolutam in contingentibus.

XVIII. Voluntas noſtra non ſequitur ſemper præcisè intellectum practicum, poteſt enim invenire rationes ſuſpendendi judicium, donec rem altiùs expenderit.

XIX. Res relativæ, non minùs quantitatem habent quàm abſolutæ. Hinc quamvis tempus & ſpatium relationes ſunt, poſſunt tamen eſſe quantæ.

XX. Non dantur ſubſtantiæ creatæ, quæ omni prorſus materia carent; nam angelos quoque & intelligentias, quamvis incorporeas, & craſſo corpore deſtitutas, ſubtilius corpus habere vetus eſt & vera ſententia.

XXI. Materia & ſpatium idem non ſunt; verùm non eſt ſpatium, ubi non eſt materia, nec eſt illud aliquid reale abſolutum. Differunt ſpatium & materia, ſicut tempus & motus; quamvis autem diverſa ſint, nunquam tamen ſeparantur.

XXII. Neque tamen inde ſequitur, materiam eſſe æternam & neceſſariam, niſi ſupponatur falſo & ineptè, ſpatium eſſe æternum & neceſſarium.

XXIII. Hypotheſis atomorum & corporum ſimilarium evertitur per principium indiſcernibilium.

XXIV. Ab extenſione ad durationem non valet conſequentia.

XXV. Si natura rerum univerſi eſt, ut uniformiter perfectio earum creſcat, neceſſariò inde fluit, univerſum habuiſſe initium.

XXVI. Initium mundi non derogat infinitæ ejus durationi a parte poſt, ſed limites univerſi derogant infinitati extenſionis ejus. Convenit itaque magis auctori rerum infinito, ponere rerum initium, quàm limites ejus admittere.

XXVII. Æternitas mundi non tollit ejus dependentiam a Deo.

XXVIII. Cauſſa harmoniæ univerſalis quærenda eſt in natura ſubſtantiæ ſimplicis, ſive monadis veræ, quæ in eo conſiſtit, ut ſtatus ſequens exoriatur ex ſtatu antecedente.

XXIX. Omne agens quod ſequitur cauſſas finales eſt liberum, licet conſpiret cum eo, quod agit modo per cauſſas efficientes ſine cognitione, ſive per machinam, quia Deus, qui prævidit, quid cauſſa libera ſuſceptura ſit, ita diſpoſuit machinam, ut non poſſint non harmonicè conſpirare.

XXX. Supernaturale eſt, quando corporum univerſitas novam vim accipit, ſicque corpus aliquod novas vires nanciſcitur, & tamen alia tot virium non amittunt.

XXXI. Sine creaturis immenſitas & æternitas Dei locum non habuiſſent, nempe ſine ulla dependentia temporis & loci; ſi enim creaturæ nullæ eſſent, eſſet nec tempus, nec locus, adeoque nec ſpatium actuale.

XXXII. Immenſitas Dei eſt independens a ſpatio, ut æternitas a tempore. Id verò tantùm involvunt, Deum reſpectu iſtarum rerum præſentem & coëxiſtentem rebus eſſe exiſtentibus omnibus. Si itaque Deus ſolus exiſteret, non exiſterent tempus & locus, niſi ut poſſibilia, in ideis divinis.

XXXIII. Immenſitas & æternitas Dei aliquid majus & eminentius involvunt, quàm durationem & extenſionem creaturarum, cùm in relatione ad magnitudinem, tum in relatione ad naturam rei. Nec opus habent re quadam extra Deum ſita, ut ſunt tempus & locus, quæ actu exiſtunt.

XXXIV.

XXXIV. Subjiciendæ ſunt attractiones, & operationes aliæ, quæ explicari nequeunt per naturam creaturarum: illæ enim aut miraculum ſupponunt, aut qualitates Scholaſticorum occultas, quæ nos in regnum tenebrarum retrahunt.

XXXV. Qui principium rationis ſufficientis negat, ad abſurdum compulſus eſſe rectè creditur.

§. XL. Moralis philoſophiæ præcepta non tradidit *Leibnitius*, fundamenta tamen ejus in fine monadologiæ tetigit, quæ inde repetenda. Quæ verò ad juris naturæ diſciplinam & virtutis inter homines exercendæ rationem requirantur, his aſſertionibus explicuit (44). *Juris naturalis præcepta Leibnitiana.*

I. Jus eſt quædam potentia moralis, & obligatio neceſſitas moralis. Intelligitur autem moralis, quæ apud virum bonum æquipollet naturali.

II. Vir bonus autem eſt, qui amat omnes, quantum ratio permittit.

III. Juſtitia igitur, quæ virtus hujus affectus rectrix eſt, quem Græci φιλανθρωπίαν vocant, eſt caritas ſapientis, hoc eſt, ſequens ſapientiæ dictata.

IV. Caritas eſt benevolentia univerſalis, & benevolentia amandi ſive diligendi habitus.

V. Amare eſt felicitate alterius delectari, vel felicitatem alterius adſciſcere in ſuam.

VI. Nempe quum res pulchra ſimul felicitatis eſt capax, tranſit affectus in verum amorem.

VII. Superat autem divinus amor alios amores, quòd Deus cum maximo ſucceſſu amari poteſt, quando Deo ſimul & felicius nihil eſt, & nihil pulchrius felicitateque dignius intelligi poteſt. Et quum idem ſit potentiæ & ſapientiæ ſummæ, felicitas ejus non tantùm ingreditur noſtram, ſi ſapimus, id eſt, ipſum amamus, ſed & facit.

VIII. Sapientia nihil aliud eſt, quàm ipſa ſcientia felicitatis.

IX. Ex hoc jam fonte fluit jus naturæ, cujus tres ſunt gradus,

(44) In Præf. ad Cod. J. G. diplomaticum.

dus, jus ſtrictum in juſtitia commutativa, æquitas, vel, anguſtiori ſenſu, caritas in juſtitia diſtributiva; denique pietas vel probitas in juſtitia univerſali.

X. Inde pervulgata juris præcepta naſcuntur: neminem lædere, ſuum cuique tribuere, honeſtè, vel potiùs piè, vivere.

XI. Juris meri ſive ſtricti præceptum eſt, neminem lædendum eſſe, ne detur ei in civitate actio, extra civitatem jus belli. Hinc naſcitur juſtitia commutativa.

XII. Superior gradus vocari poteſt æquitas, vel ſi mavis caritas, quæ ultra rigorem juris meri, ad eas quoque obligationes porrigitur, ex quibus actio iis, quorum intereſt, non datur, qua nos cogant.

XIII. Quemadmodum infimi gradûs eſt, neminem lædere, ita medii eſt, cunctis prodeſſe, ſed quantum cuique convenit, aut quantum quiſque meretur, quando omnibus favere non licet.

XIV. Itaque hujus loci eſt juſtitia diſtributiva, & præceptum juris, quod ſuum cuique tribui, jubet.

XV. Atque huc in republica politicæ leges referuntur, quæ felicitatem ſubditorum procurant, efficiuntque paſſim, ut qui aptitudinem tantùm habeant, acquirant facultatem, ut petere poſſint, quod aliis æquum eſt præſtare. In hoc gradu merita ponderantur, unde privilegia, præmia, pœnæ locum habent.

XVI. Ex his conſtat æquitatem nobis in negotiis ſtrictum jus, id eſt, hominum æqualitatem, commendare, niſi cùm gravis ratio boni majoris ab eo recedi jubet. Perſonarum autem, quæ vocatur, acceptio, ſuam non in alienis bonis commutandis, ſed in noſtris vel publicis diſtribuendis ſedem habet.

XVII. Supremus juris gradus probitatis vel pietatis nomine venit. Jus enim ſtrictum miſeriam quidem vitat, jus ſuperius ad felicitatem tendit, ſed qualis in hanc mortalitatem cadit: & intra mortalis vitæ reſpectus coërcentur.

XVIII. Ut verò univerſali demonſtratione conficiatur, omne honeſtum eſſe utile, & omne turpe damnoſum, aſſumenda eſt immortalitas animæ, aut univerſi auctor Deus.

XIX.

XIX. Ita fit, ut omnes in civitate perfectiſſima vivere intelligamur, ſub Monarcha, qui nec ob ſapientiam falli, nec ob potentiam vitari poteſt, idemque tam amabilis eſt, ut felicitas ſit tali Domino ſervire.

XX. Hujus potentia providentiaque efficitur, ut omne jus in factum tranſeat, ut nemo lædatur, niſi a ſe ipſo, ut nihil rectè geſtum ſine præmio ſit, nullum peccatum ſine pœna.

XXI. Nihil enim negligitur in hac republica univerſi.

XXII. Ex hac conſideratione fit, ut juſtitia univerſalis appelletur, & omnes alias virtutes comprehendat; quæ enim alioqui alterius intereſſe non videntur, veluti, ne noſtro corpore aut noſtris rebus abutamur, etiam extra leges humanas, naturali jure, id eſt, æternis divinæ monarchiæ legibus vetantur, quum nos noſtraque Deo debeamus, & univerſi interſit, ne quis re ſua malè utatur.

XXIII. Itaque hinc ſupremum illud juris præceptum vim accepit, quod honeſtè, id eſt, piè vivere jubet.

XXIV. Præter æterna naturæ rationalis jura ex divino fonte fluentia jus etiam voluntarium habetur, receptum moribus, vel a ſuperiore conſtitutum.

XXV. Et in republica quidem jus civile ab eo vim accepit, qui ſummam poteſtatem habet, extra rempublicam verò inter eos, qui ſummæ poteſtatis participes ſunt, locus eſt juri gentium voluntario tacito populorum conſenſu recepto.

XXVI. Non verò neceſſe eſt, ut ſit omnium gentium vel omnium temporum, non enim omnia omnibus placent.

XXVII. Baſis juris fecialis inter ipſum naturæ jus eſt.

XXVIII. Perſonam juris gentium habet, cui libertas publica competit, ita ut in alterius manu de poteſtate non ſit, ſed per ſe jus armorum fœderumque habeat, quanquam fortè obligationum vinculis ſuperiori ſit adſtrictus, & homagium, fidem, obedientiam profiteatur.

XXIX. Quòd ſi magna ſit ejus auctoritas, potentatus nomine venit, unde ſupremauts exſurgit, qui tamen ſuperiorem in republica non excludit.

XXX.

XXX. Suprematum habere creditur, qui ſatis & libertatis & potentiæ habet, ut rebus gentium per arma & fœdera cum auctoritate intervenire poſſit.

XXXI. In liberis rebuspublicis civilis perſona ad inſtar naturalis intelligitur, quoniam voluntatem habet.

XXXII. Quòd ſi legibus fundamentalibus non ſatis proviſum ſit reipublicæ, ut ad certam ejus voluntatem perveniri poſſit, habet aliquid irregularitatis forma ejus.

XXXIII. Actus ſunt vel diſpoſitiones jure efficaces, vel pertinent ad viam facti.

XXXIV. Qui juris effectum habent, ſunt extrajudiciales vel judiciales: atque illi vel ab uno latere fiunt, ut teſtamenta, vel ſunt conventiones.

DISPUTATIO
DE
PHILOSOPHIA LEIBNITII
CHRISTIANÆ RELIGIONI HAUD PERNICIOSA,

AUCTORE

CHRISTIANO KORTHOLTO, M. A.

S. R. M. DANIÆ LEGAT. VIENNENSIS V. D. M.

CONSPECTUS.

I. Nemo Leibnitii *in eruditionem merita in dubium vocat.*
II. De philoſophia ejus eruditi maximè diverſa ratione pronuntiant.
III. & IV. Chriſtianæ religioni non eſt pernicioſa.
V. Leibnitii *de libertate doctrina recenſetur.*
VI. & VII. Libertati non adverſatur, quòd liberum agens illud ſemper eligat, quòd optimum eſſe judicat.
VIII. Ad Warburtoni *objectiones reſpondetur.*
IX. Principium rationis ſufficientis libertati non eſt inimicum.
X. Neque prædiſpoſitio rerum libertati nocet.
XI. Hypotheſis de harmonia præſtabilita inter animam & corpus libertatem non tollit.
XII. Doctrina de origine mali ſummi Numinis ſanctitati non adverſatur.
XIII. Confeſſio fidei Leibnitianæ.

XIV. Philoſophia Leibnitii *operationibus Spiritus ſancti immediatis non refragatur.*
XV. Leibnitius *Naturaliſmum non fovet.*
XVI. Neque ejus doctrina ad Naturaliſmum ducit.
XVII. Deo vim movendi corpus non denegat.
XVIII. Hypotheſis de harmonia inter animam & corpus præſtabilita non requirit, ut ſpiritibus creatis omnibus vis corpus movendi denegetur.
XIX-XXI. Harmonia univerſalis inter regnum naturæ & gratiæ operationibus Dei immediatis locum relinquit.
XXII. & XXIII. Neque, quòd præſtabilita ſit, iiſdem nocet.
XXIV-XXVI. Leibnitii *de miraculis doctrina cum religione Chriſtiana conſentit.*
XXVII. De diverſa miraculorum in regno naturæ & in regno gratiæ ratione.
XXVIII. De aliis contra philoſophiam Leibnitii *objectionibus.*

§. I.

OMnes, qui eruditioni aliquid ſtatuunt pretii, in *Leibnitium* hoc conſentiunt elogium, quòd præclarè de litterarum ſtudiis meruerit. Nemo eſt, quin ejus rerum mathematicarum ſcientiam admiretur. Ipſi Angli, qui gloriam inventi Calculi Differentialis *Leibnitio* invident, eamque civi ſuo *Iſaaco Newtono*, ſummo utique viro, vindicare ſtudent, in dubium tamen vocare non audent, quòd in matheſi eminuerit. De ſcriptis ejus, quæ ad hiſtoriam illuminandam publicavit, nemo non judicat, hæc inſigni utilitate ſe commendare. Quoties non ad eadem provocant rerum geſtarum conſulti? atque hoc ipſo teſtantur, illum in colligendis monumentis hiſtoricis operæ feciſſe pretium. Hoc tantùm dolent, illum Commentarios rerum Germanicarum, & præcipuè Brunſvicenſium, quos publicare illi animus erat, non abſolviſſe, neque publicæ expoſuiſſe luci. Quod quidem non facerent, niſi præclara quæque *Leibnitii* prudens ſollertia promiſiſſet.

ſiſſet. Nemo eſt, quin in conſiliis ejus, quæ de emendanda Juriſprudentia civili dedit, ingenium atque eruditionem agnoſcat, & *Leibnitii* rem publicam ſibi devinciendi voluntatem laude cenſeat digniſſimam. Quamvis non deſint, qui emendationes ejus correctione indigere cenſeant. Idem de obſervationibus Philologicis atque Etymologicis viri ſummi feras judicium. Humaniorum litterarum eum fuiſſe peritiſſimum, omnia ejus ſcripta loquuntur. Neque enim vulgare quid eſt de rebus Metaphyſicis ſcitè atque venuſtè diſputare, & modo ſuo proponendi efficere, ut lectores ſine tædio & cum voluptate Philoſophicas de rebus graviſſimis atque a ſenſu remotis penſitent demonſtrationes. Quod tamen in Theodicæa ſua præſtitit. Neque in arte Poetica illum hoſpitem fuiſſe, ex poematibus atque epigrammatibus, quæ paſſim ſcriptis ſuis inſeruit, intelligimus. Felici etiam ſucceſſu non caruere conſilia ejus, quæ ad incrementum ſcientiarum atque ad amplificandam rem publicam litterariam ſpectant. Teſtor, Societatem ſcientiarum Berolinenſem illo auctore conditam, atque ſub ejus Præſidio florentiſſimam. Provoco ad laude digniſſimum eruditiſſimorum in magna Britannia virorum inſtitutum, qui id agunt, ut editionem utiliſſimorum librorum promoveant, atque conjunctis viribus cavent, ne ex Bibliopolarum judicio ſolùm pendeat, quinam libri publicæ luci exponendi ſint, & ne optimis ſcriptis orbis eruditus privetur. Id quod *Leibnitius* ad emolumentum rei publicæ litteratæ ſalutariter ſuaſerat. Sed jam non eſt animus, illuſtria *Leibnitii* in omnem eruditionem merita recenſere. Illud tantùm obſervo, eum in tot ſcientiarum generibus excellere non potuiſſe, ſi in Philoſophia fuiſſet hoſpes. Uſus enim Philoſophiæ tam latè patet, ut reliquis diſciplinis omnibus facem præferat, & quò præſtantior quis eſt philoſophus, eò inſignius etiam de aliis ſcientiis mereatur, ſi ad eaſdem animum applicet.

II. Licet autem eruditi tantum non omnes amicè conſpirent, in laudandis *Leibnitii* in Matheſin, Hiſtoriam, Juriſprudentiam & universè in rem publicam litteratam meritis:

 de

de ejus tamen in Philoſophia conatibus maximè diverſa ratione pronuntiant. Non exiguus quidem eorum eſt numerus, qui *Leibnitium* ſummum philoſophum venerantur; ſed neque deſunt, qui principia ejus philoſophica periculi pleniſſima & Chriſtianæ religioni pernicioſa judicant, magnaque cum animi concitatione monent, ab iiſdem ſibi cavere debere omnes, quibus ſanctiſſima Salvatoris noſtri doctrina curæ cordique eſt. Fortè Leibnitiana philoſophia in tot controverſias adducta non fuiſſet, niſi lites ob philoſophiam celeberrimi *Chriſtiani Wolfii* ortæ occaſionem dediſſent (a). Hic enim ſummus philoſophus diverſas *Leibnitii* hypotheſes ſuo ſyſtemati inſeruit, eademque, qua *Leibnitius*, philoſophandi ratione & via uſus eſt. Qui igitur *Wolfii* ſyſtema philoſophicum fontem atque ſcaturiginem exitialium errorum ferventiore animo nominant, neque *Leibnitii* principiis philoſophicis ſtudere poſſunt.

III. Mea quidem non fert ratio, huic controverſiæ me immiſcere. Illos enim melius ſibi conſulere exiſtimo, qui utiliſſimas aliorum demonſtrationes philoſophicas in uſus ſuos vertunt, &, ubi opus eſt, ea, quæ in deteriorem partem accipi poſſunt, vel obſcurius dicta ſunt, vel addita limitatione, vel explicatione a conſequentiis vindicant, quas nonnulli, invito auctore, ex iiſdem eliciunt, quam ii ſibi proſpiciunt, qui ex inſtituto diverſis ſcriptis polemicis ſententiam philoſophi tuentur. Quamvis etiam hiſce vindiciis nonnumquam opus ſit, quibus & *Leibnitii* & *Wolfii* philoſophiam multi præclarè defen-

(a) E. c. Viri docti, qui *Leibnitii* hypotheſin de Harmonia inter animam atque corpus præſtabilita ſuam non fecere, æquiſſimum tamen, ante motas controverſias Wolfianas, de eadem tulere judicium. *Diarii Trevultienſis* auctores, quum Theodicæam recenſent, tuentur, hanc hypotheſin libertati humanæ valdè favere. Celeberr. *Jaquelotus*, in libro *de fidei & rationis conſenſu*, fatetur; ſyſtema cauſſarum occaſionalium *Carteſii*, a tot jam dudum Philoſophis & Theologis in hunc uſque diem defenſum, majoribus, quàm Leibnitianum difficultatibus premi; Syſtema Leibnitianum, ſi benè intelligatur, libertatem non deſtruere; atque exemtum eſſe difficultatibus, quæ in aliis, ipſo etiam ſyſtemate communi influxus phyſici, reperiuntur. Conf. *Chriſtianus Wolfius Comment. de differentia nexûs rerum ſapientis & fatalis neceſſitatis*, Sect. II. §. XVIII, p. 57. 59. & 65. (NOTA *Kortholti*).

ſenſitarunt. Neque de illis mihi judicium ſumo, qui contra *Leibnitium* de induſtria diſputarunt, atque omnibus votis expetiere, ut ejus philoſophia ab omnibus Chriſtianis rejiciatur. Non ignoro, in iis eſſe eruditiſſimos viros, quorum in civitatem Dei merita alia veneror, & ab errore immunis non eſſem, ſi ad unum omnes *Leibnitii* philoſophiæ inimicos pravo ductos affectu exiſtimarem. Argumentum potiùs teneri in verbum Dei & doctrinam Salvatoris ſanctiſſimi amoris apud nonnullos interpretor, quòd novas philoſophi opiniones ſub examen vocarint, atque alios ſincerè monuerint, ab ejuſmodi hypotheſibus atque ſententiis ſibi caveant, quas periculi pleniſſimas cenſuerunt. At verò, quàm ſæpè evenit, ut quis, philoſophicæ methodo atque demonſtrationi non aſſuetus, philoſophi alicujus dogmata ſecùs, ac par erat, interpretetur, illaque Scripturæ ſacræ inimica declaret, quæ tamen, ſi ritè explicentur, ad Chriſtianam religionem defendendam maximè faciunt. Multum etiam valet auctoritatis præjudicium, & difficulter a nobis impetramus, ut a viris ſummis, quos vel patronos vel præceptores veneramur, diſſentiamus, qui ſyſtema aliquod philoſophicum judicio ſuo jam damnarunt. Ut propterea mirum non ſit, & optimos viros nonnumquam a recta via aberrare, ubi de philoſophi alicujus doctrina animi ſui ſententiam expromunt. Quæ quum ita ſint, neque mihi vitio verti poſſe exiſtimo, quòd, quum quartum *Leibnitii* Epiſtolarum volumen foras emitto, obſervationes aliquot de philoſophia ejus præmittam, *ſummatim* declaraturus; non eſſe, quod ab illa ſibi metuant, qui ſanctiſſimæ noſtræ religioni benè cupiunt. Tantum enim abeſt, ut *Leibnitius* ejus fundamenta evertere ſtuduerit, ut potiùs in illa defendenda atque communienda non vulgarem poſuerit operam. Meretur utique *Leibnitius* ejuſmodi defenſionem, quum hac laude conſpicuus ſit, quòd de aliis æquiſſimum atque benigniſſimum judicium tulerit, & illorum etiam, a quibus diſſenſit, opiniones in optimam partem interpretatus ſit.

IV. Triplici ratione principia *Leibnitii* philoſophica cœleſti Servatoris noſtri doctrinæ iniqua eſſe, diverſi ejus adverſarii contendunt. Alii, eadem omnem tollere libertatem, queruntur. Alii ſibi videntur obſervaſſe, ſanctitatem ſummi Numinis illis lædi. Neque deſunt, qui tuentur, ſi vel maximè cum libertate & ſummi Numinis ſanctitate conſiſteret *Leibnitii* doctrina, nihilominùs tamen eam omnem evertere Chriſtianam religionem, ejus loco theologiam quamdam naturalem introducere, & præſertim motibus Spiritus ſancti repugnare. Ab hiſce igitur periculi plenis conſequentiis ſyſtema ejus vindicabo, præcipuè declaraturus, illos in *Leibnitium* injurios eſſe, qui, ejus dogmata ad omnem JESU CHRISTI doctrinam evertendam comparata eſſe, neque cùm operationibus Dei immediatis conſiſtere poſſe, opinantur.

V. Numquam *Leibnitio* in mentem veniſſe, libertatem velle evertere, in qua defendenda quàm maximè fuit occupatus, omnia ſcripta, præcipuè autem Theodicæa ejus clamitant. Unicum tantum locum, qui huc facit, exempli cauſſa adducam. » Cenſeo, inquit, voluntatem noſtram non ſolùm a » coactione, ſed etiam a neceſſitate, immunem eſſe. Dudum » notavit *Ariſtoteles*, in libertate duo eſſe, ſcilicet ſpontanei» tatem & electionem, & in hoc ſitum eſt noſtrum in actio» nes noſtras imperium. Quòd ſi liberè agimus, non cogi» mur, uti quidem fieret, ſi quis nos in præcipitium ageret, » deque loco ſublimi in terram deturbaret: nec obſtat, quo » minùs animus noſter ſit liber, ubi deliberationem inſtitui» mus, quod fieret, ſi quis per propinatum pharmacum ju» dicandi vim nobis eriperet. Nimirum in innumeris naturæ » operationibus *contingentia* locum habet; ſed ubi judicium » deeſt agenti, deeſt quoque libertas. Et ſi judicium habere» mus, abſque ullâ ad agendum inclinatione ſtipatum, mens » noſtra foret intellectus ſine voluntate. « Intelligimus igitur, ejus inſtitutum eſſe, diſtinctam libertatis notionem tradere. Videlicet ad libertatem requirit, ut quis e diverſis ſecundùm intellectûs ſui judicium ſua ſponte illud eligat, quod optimum

mum eſſe ſibi videtur. Neque quidquam hic requiritur, niſi quod, experientiâ teſte, ad omnem libertatem pertinet. Quodſi enim ſpontaneitas abeſſet, ceſſaret etiam libertas, & coactè aliquid fieret. Quodſi unicum tantùm poſſibile eſſet, locum non inveniret electio, ſine qua ſibi nulla libertas conſtat. Et quum brutis animantibus libertatem denegemus, quoniam intellectu atque ratione carent, Deo autem perfectiſſimam libertatem tribuamus, quoniam perfectiſſimo intellectu præditus eſt, neque ex libertatis definitione omittendum, quod liberè agens ſecundùm intellectûs ſui judicium eligat. Quemadmodum verò ipſe diſtinctam libertatis notionem ſuppeditat; ſic nonnullorum ſcholaſticorum ſemet ipſam evertentem de libertate definitionem refellit, atque ex ea indifferentiam æquilibrii arcet. Cujus quidem inſtituti ſui ſolidas rationes ipſe profert. » Non tamen inter hæc exiſtimandum, inquit, li-
» bertatem noſtram in indeterminatione, aut *indifferentiâ* qua-
» dam *æquilibrii* ſitam eſſe, quaſi æqualiter in utramque par-
» tem, & adfirmativam, & negativam, ac in plures partes
» diverſas propendere oporteret, cùm plura nobis eligenda
» proponuntur. Hoc æquilibrium uſquequaque impoſſibile eſt:
» nam ſi æqualiter propenderemus in tria eligibilia, A, B &
» C, non poſſemus æqualiter propendere in A, & non A.
» Hoc æquilibrium etiam prorsùs adverſatur experientiæ, &
» ubi noſtra ſcrutabimur adtentiùs, ſemper aliquam cauſam,
» ſive rationem, adfuiſſe deprehendemus, quæ nos in eam,
» quam amplexi ſumus, partem inclinavit, quamvis frequen-
» ter id, quod nos movet, non percipiamus; planè ſicut vix
» percipimus, quare, portâ aliquâ egredientes pedem dex-
» trum ſiniſtro, vel ſiniſtrum dextro, præpoſuerimus. « Etſi autem *Leibnitius*, quid de libertate ſentiat, perſpicuè ſatis expoſuit, impedire tamen non potuit, quo minùs ei objicerent, & ipſam ejus libertatis definitionem, & quæ de principio rationis ſufficientis & de harmonia inter animam atque corpus præſtabilita tradit, veram libertatem omnem tollere, illumque, libertatem defendendo, lectoribus ſuis fucum facere.

VI.

VI. Ægrè ferunt, quod tradit; liberum agens illud ſemper eligere; quod optimum eſſe judicat. Sibi enim perſuadent, inde ſequi; illud unicum, quod optimum videtur, neceſſariò eligi. At verò, qui ita concludunt, planè non perpendunt, ingens eſſe diſcrimen inter ea, quæ certò, & quæ neceſſariò eveniunt. Utique ſequitur, ſemper unum certò eligi atque reliquis anteferri. Sed quod certò eligitur, propterea non neceſſariò eligitur. Reliqua enim ad electionem propoſita etiam eligi potuiſſent. Atque hæc eſt cauſſa, quare unicum eligatur, quoniam optimum videtur. Quum verò propterea eligatur, quoniam optimum videtur, ſponte atque cum voluptate eligitur. Nulla igitur hic eſt coactio, nulla neceſſitas. Quis diceret, mercatorem neceſſariò atque vi adductum agere, qui negotium, quod ſibi magis utile judicat, præ alio eligit, quod ſibi minùs utile cenſet? Licet certò eligat, & nemo non ſciat, eum illud electurum.

VII. Veriſſimum eſt, ex eo, quoniam liberum agens ſemper illud eligit, quod ſibi optimum videtur, ſequi; ens ſapiens, cui indoles atque omnes circumſtantiæ hominis alicujus eligentis cognitæ ſunt atque perſpectæ, præſcire, quid aliquis in hiſce vel illis circumſtantiis conſtitutus electurus ſit. Quodſi verò præſcientia certò futuri libertati noceret, omnis libertas, etiam ſecundùm illorum principia, qui contra *Leibnitium* diſputant, inter impoſſibilia eſſet referenda. Quis enim eorum non concedet, quod in Codice ſacro toties traditur, Deum futura contingentia omnia, quæ ex libero hominis arbitrio pendent, ab æterno prævidiſſe? Et præterea neceſſum eſt, ea, quæ eveniunt, aut certis de cauſſis, aut caſu, evenire. Non enim datur tertium. Quodſi actio quædam caſu eveniret, liberè non eſſet electa. At verò, ſi cauſſæ ſunt, quare evenit, certa eſt atque prædeterminata, & ille, qui cauſſas illas novit, actionem etiam futuram prævidet.

VIII. Quæ quum ita ſint, miror excellentiſſimum Theologum Anglum, *Warburtonum*, qui ſummi & philoſophi & poëtæ *Alexandri Pope de homine* obſervationes contra *Crouſazii*

argumenta

argumenta in contrarium adducta egregiè defendit, de *Leibnitii* philoſophia judicare, quod ad fatalem neceſſitatem ducat. » Fatemur, inquit, *Leibnitius* eamdem ſententiam, vi-» delicet de mundo optimo, defendit, ſed eo conſilio, ut » ad periculi plenam & inevitabilem neceſſitatem viam ſter-» nat. *Plato* dicit: Deus optimum mundum elegit. *Leibnitius* » verò: Deus non aliter potuit, quàm optimum mundum » eligere. *Plato* perfectiſſimam ſummi Numinis libertatem in » eo collocat, quod ex duobus æquè bonis unum eligere po-» tuerit. *Leibnitius* contendit, inconveniens eſſe hanc opinio-» nem præſupponere. In hoc enim caſu Deum ſemet ipſum » determinare non poſſe. « Perperam hiſce verbis *Warburtonus* *Leibnitio* tribuit, quod exiſtimet; Deum mundum optimum neceſſariò creaſſe. Quodſi enim neceſſariò creaſſet, mundus optimus unicus poſſibilis eſſet. At verò *Leibnitius* præ reliquis philoſophis contingentiam hujus mundi, & creationem innumerabilium aliorum poſſibilem eſſe, ex inſtituto ſolidis argumentis propugnat. Utique igitur, de *Leibnitii* ſententia, ſummum Numen, vi ſuæ omnipotentiæ, alium mundum, qui non fuiſſet optimus, creare potuiſſet, ſed quum ſit ens ſapientiſſimum, certiſſimè ſcimus, eum optimum mundum creaſſe, neque minùs bonum majori antetuliſſe. Creavit mundum optimum, quod cum ſapientia ejus ſumma convenit bonum majus bono minori anteferre, & contra ſapientiam ſuam egiſſet, niſi mundum optimum præ minùs bono elegiſſet. Sed quæ propterea agit, quod optima & ſapientiæ ſuæ convenientiſſima judicat, ea ſine omni coactione, ſponte, cum voluptate, &, quod conſequens eſt, liberrimè perpetrat. Neque *Warburtonus* ſibi conſulit, dum hanc eſſe libertatis ſummi Numinis rationem tuetur, quod e duobus æquè bonis unum eligat. Nam aliquas res eligibiles omni reſpectu æquè bonas & tamen diverſas eſſe, contradictorium eſt. Ubi enim diverſitas, ibi unum magis, alterum minùs ad propoſitum obtinendum idoneum eſt. Et licèt concederetur diverſa eligibilia omni reſpectu æquè bona eſſe, & pro æquè bonis haberi,

 jure

jure meritoque defendendum eſſet, unum alteri non anteferri. Nulla enim eſſet ratio, quæ permoveret, ut unum alteri anteponatur. Ubi autem nulla eſt ratio, cur unum alteri præferatur, unum alteri non præfertur.

IX. Qui ex eo confici poſſe exiſtimant, *Leibnitii* philoſophiam veræ libertati eſſe inimicam, quoniam defendit; *nihil fieri ſine ratione ſufficiente*, ſatis declarant ſe *Leibnitium* non intelligere. Dudum omnes philoſophi, nemine repugnante, docuere, *nihil fieri ſine cauſſa.* Neque quiſquam ſuſpicatus eſt hanc doctrinam libertatem evertere. *Leibnitii* autem poſitio; nihil fit ſine ratione ſufficiente, ab illa; nihil fit ſine cauſſa, aliter non differt, quàm quòd eamdem veritatem accuratiùs exprimit. Exceptionem patitur illud ſcholaſticorum: nihil fit ſine cauſſa. Nam Deus ens ſummum atque primum cauſſam ſe priorem non admittit. At verò illud *Leibnitii*; nihil fit ſine ratione ſufficiente, ſine ulla exceptione verum eſt. Deus enim non exiſtit ſine ratione ſufficiente. Quum enim ſit ens neceſſarium rationem exiſtentiæ ſuæ in ſemet ipſo continet. Quo autem *Leibnitii* ſententia ritè intelligatur, obſervandum eſt; quemadmodum diverſa ſunt cauſſarum genera; ita rationem ſufficientem alio atque alio modo ſe habere. Alia eſt ratio ſufficiens ad id, ut aliquid fieri poſſit, alia ad id, ut aliquid fiat. In corporibus nulla eſt ratio ſufficiens niſi neceſſitans. In ſpiritibus tantùm movens atque inclinans locum invenit. Quæ ſi expendantur, vereor, ut objectiones eorum aliquid valeant, qui, dum principium rationis ſufficientis impugnant, ſibi pro libertate certare videntur. Illos potiùs, qui univerſalitatem hujus principii aliquid habere dubitationis putant, quædam caſu, & quidem abſolutè tali, evenire defendere oportet, &, quod conſequens eſt, libertati parum conſulunt. Ceterùm ipſe *Leibnitius* principium rationis ſufficientis contra omnes objectiones jam ſatis munivit, & ſigillatim declaravit, libertati illud non adverſari. » Præſto ſemper eſt, » inquit, aliqua ratio prævalens, quæ voluntatem ad eligen» dum permovet, cujus libertati ſalvandæ ſufficit, quòd ratio

» iſta inclinet non neceſſitet. Et hæc eſt ſententia priſcorum
» omnium, *Platonis*, *Ariſtotelis*, & S. *Auguſtini.* Nunquam
» voluntas ad agendum perducitur, niſi repræſentatione boni,
» repræſentationibus contrariis prævalente. Hoc in Deo, bo-
» nis Angelis, beatiſque mentibus, verum eſſe in confeſſo eſt,
» nec ideò tamen minùs eſſe liberæ agnoſcuntur. Deus nunquam
» non eligit optimum, quamvis nulla ad id abſolutâ neceſſi-
» tate adſtringatur, nec in electionis divinæ objecto neceſſitas
» hujuſmodi adpareat, cùm alia rerum ſeries æquè ſit poſſi-
» bilis. Atque ob hoc ipſum electio eſt libera, & a neceſſita-
» te independens, quia illa fit inter plura poſſibilia, & volun-
» tas tantùm bonitate objecti prævalente determinatur. Tan-
» tùm verò abeſt, ut hæc doctrina Deo, Beatiſque, defectum
» tribuat, ut contra ingens futurus eſſet defectus, aut potiùs
» manifeſta abſurditas, ſi aliter ſe res haberet, etiam apud ho-
» mines in hac vitâ, ſi quæ ſine ratione inclinante agere poſ-
» ſent. Certè ejus exemplum nullum unquam invenietur, &
» dum quis fortaſsè ex repentino animi impetu quid eligit, ut
» libertatem ſuam oſtendat, ipſa voluntas, vel commodum,
» quod in hâc adfectatione reperire ſe putat, una eſt ex ra-
» tionibus quibus impellitur.

X. Facilis igitur etiam ad illorum objectionem reſponſio eſt: *Leibnitii* de libertate doctrinam a neceſſitate quidem abſoluta vindicari, negari tamen non poſſe, eum neceſſitatem ex antecedente & prædeterminante cauſſa defendere, quæ omninò libertati infeſta ſit. Sed dudum huic objectioni illuſtris *Bulfingerus* ſatis fecit (b). » Quoniam, inquit, fuerunt eru-
» diti, qui prædeterminationem introduxerunt neceſſitantem,
» ubi poſita cauſſa prædeterminante, non poteſt non ſequi
» effectus; inde factum eſt, ut vocabulo prædeterminationis
» adjunctus ſit ab aliis horror & idea neceſſitatis. Rectè id
» contra iſtos, qui poſita prædeterminatione putant actionem
» non poſſe non fieri, qui adeoque facultatem agendi ipſam,

 » &

(b) Conf. *Bulfingeri Dilucidationes philoſophicas*, Sect. I. Cap. IV. §. 88. p. 81.

» & poſſibilitatem actionis ex eo fonte conſtringunt. Sed an » idem contra illos valet, ſi qui prædeterminationis, vel præ» ordinationis, vel connexionis rerum forment ideam ejuſ» modi, qua poſita, facultas, etſi alterum præ altero eligat, » in ipſo ſui exercitio, & conſtanter quidem; ſuo tamen id » faciat arbitrio, poſſitque in hiſce omnibus circumſtantiis » agere aliud & aliud. « Atque hanc eſſe *Leibnitii* ſententiam, non ſolùm verba ejus modò (§. IX.) adducta docent, verùm etiam idem quavis occaſione profitetur. Exempli cauſsâ; » neque etiam, inquit, prædiſpoſitio rerum aut cauſſarum ſe» ries nocet libertati. Licet enim numquam quicquam eve» niat, quin ejus ratio reddi poſſit, neque ulla unquam detur » indifferentia æquilibrii, (quaſi in ſubſtantia libera & extra » eam omnia ad oppoſitum utrumque ſe æqualiter unquam ha» berent:) quum potiùs ſemper ſint quædam præparationes » in cauſſa agente, concurrentibuſque, quas aliqui prædeter» minationes vocant: dicendum tamen eſt, has determina» tiones eſſe tantùm inclinantes, non neceſſitantes ita ut ſem» per aliqua indifferentia ſive contingentia ſit ſalva. Nec tan» tus unquam in nobis affectus appetituſve eſt, ut ex eo actus » neceſſariò ſequatur. Nam quamdiu homo mentis compos » eſt, etiamſi vehementiſſimè ab ira, a ſiti, vel ſimili cauſſa » ſtimuletur: ſemper tamen aliqua ratio ſiſtendi impetum repe» riri poteſt, & aliquando vel ſola ſufficit cogitatio exercendæ » ſuæ libertatis, & in affectus poteſtatis. «

XI. Sunt inter Leibnitianæ philoſophiæ adverſarios, qui univerſalitatem principii rationis ſufficientis ipſi agnoſcunt. Ex hypotheſi autem ejus, de harmonia præſtabilita inter animam atque corpus, manifeſtum eſſe tradunt, quod omnem libertatem tollere ſtuduerit. Ita verò non judicarent, ſi animi ſenſus *Leibnitii* rectè intellexiſſent. Tuetur, mutuum eſſe inter ea, quæ in anima & quæ in corpore eveniunt, conſenſum, ſed animam omnes ſuas ſenſationes ex ſe ipſa, ſine ulla corporis ope producere, & ſuper illas reflectere, eaſdem ſenſationes habituram, ſi ſine corpore exiſteret. Deum autem, qui

omnes

omnes animæ futuras ſenſationes, propenſiones, judicia atque liberas electiones prævidet, animæ corpus dediſſe, quod ſecundùm leges phyſico-mechanicas viribus ſibi conceſſis propriis agat, & cujus motus iis, quæ in anima eveniunt, exactè reſpondeat. Licèt igitur *Leibnitius* defendat, perpetuam eſſe inter animam atque corpus harmoniam, non tamen tenet neceſſariò, omnia in anima evenire, quemadmodum in corpore. Explanatè enim monet, animam ſecundùm leges logico-morales, corpus ſecundùm leges phyſico-mechanicas agere. Neque tradit eos motus, qui in anima contingunt, ex corpore pendere, verùm Deum animæ corpus dediſſe, cujus motus cum iis, qui in anima contingunt, exactè conſpirent. Salva ergò eſt animæ libertas. Neque quidquam valet objectio: quodſi anima ex ſe atque ſua eſſentia ſenſationes ſuas evolvat, electio libera illi tribui nequeat. Quod enim ex eſſentia entis ſequitur, neceſſarium eſt. Etenim hypotheſis de harmonia præſtabilita inter animam & corpus non requirit, ut ſine diſcrimine omnes cogitationes ex eſſentia animæ ſequantur. Senſationes tantùm ex ſemet ipſa evolvit; & quidem eo ipſo ordine, eodemque tempore, quo objecta externa organa ſenſoria corporis movent. Super has ipſas autem ſenſationes ex ſe productas anima reflectit, de iis judicat, atque ſecundùm judicium ſuum eligit, & quod conſequens eſt, libertatem ſervat. Nulla major hic animæ tribuitur agendi neceſſitas, quàm in hypotheſi de influxu phyſico. Quis enim ejus fautorum non defendit animæ ſenſationes de rebus externis aliter comparatas eſſe non poſſe, quàm quidem organorum ſenſoriorum beneficio ſiſtuntur. Neque quiſquam propterea libertatem animæ negari defendet. Non in ſenſationibus conſiſtit libertas, ſed ſeſe exſerit in judicio ſuper illas inſtituto, illudque ſequente electione. Nemo, opinor, Leibnitianam hypotheſin libertati dicet inimicam, quia ſecundùm illam actiones corporis neceſſariæ ſunt. Nam quis umquam ſedem libertatis in corpore quæſivit? Quodſi verò quis ab hac hypotheſi libertati metuat, quoniam ſupponit; Deum omnes ani-

mæ cogitationes prævidiſſe, is omnem ipſe tolleret libertatem. Dubitatione enim caret; omnia contingentia umquam futura a Deo ab æterno prævisa. Sed opus non eſt, ut plura hanc in rem verba faciam, quum doctiſſimi viri jam ſatis ſuperque evicerint a periculi plenis conſequentiis hypotheſin de harmonia inter animam & corpus præſtabilita eſſe immunem. E quibus ſummè venerabilem *Reinbeckium* nominaſſe ſufficit. Cujus quidem judicio, quod de eadem tulit, non poſſum non ſubſcribere (c). Quamvis enim religioni Chriſtianæ non nocere cenſeat, eam tamen non approbat, quum non ſolùm ſolidis argumentis non ſit munita, verùm etiam non minoribus, quàm reliquæ hypotheſes ad explicandam inter animam & corpus unionem excogitatæ, nempe Influxus phyſici & Cauſſarum occaſionalium, prematur difficultatibus. Et poteſt utique hæc hypotheſis negligi, ſalvis reliquis ſyſtematis Leibnitiani veritatibus. Sufficit ſcire, mutuum eſſe inter operationes animæ atque corporis conſenſum, licet modum unionis ignoremus: Sanè hæc ignorantia noſtra inſigni non caret uſu. Quoties perpendo acutiſſimorum philoſophorum ſollertia modum unionis animæ & corporis explicari non potuiſſe, toties ſummum Numen veneror, qui hac ignorantia noſtra ad religionis Chriſtianæ myſteria amplectenda nos præparat. Quomodo nos in verbo Dei revelata propterea in dubium vocare poſſumus, quoniam modus, quo evenire poſſunt, nobis incognitus eſt, quum ne quidem ea, quæ in nobiſmet ipſis contingunt, explicare valeamus!

XII. Qui ſanctitati ſummi Numinis *Leibnitii* philoſophiam adverſari contendunt, alio atque alio modo ratiocinantur. Vel ex doctrina ejus de libertate argumenta repetunt, atque ſecundùm ejus principia homines neceſſariò peccare contendunt. Ad quorum quidem argumenta in contrarium adducta in antecedentibus jam reſpondi. Vel ab iis, quæ de mundo optimo

(c) Conf. ven. *Jo. Guſtav. Reinbecks Erörterung der philoſophiſchen Meynung von der ſogenannten Harmonia præſtabilita.* Berlin, 1737. in 4.

mo tradit, ſanctitati divinæ metuunt. Videlicet in errore verſantur, *Leibnitium* propterea hunc mundum optimum appellare, quoniam in eo eſt malum, atque inde concludunt; de ſententia *Leibnitii* ſummum Numen malum eligere atque illud objectum ejus voluntatis eſſe, quum tamen ſæpiùs alienum ab hac ſententia animum ſuum profeſſus ſit. Hæc enim doctrinæ ejus ſumma eſt, mundum, i. e. ſeriem contingentium omnium præſentium, præteritorum atque futurorum optimum eſſe, quoniam ab ente ſapientiſſimo conditus eſt; neque optimum eſſe deſinere, licèt in eo ſit malum, quum & mala ab ente ſapientiſſimo in optimum finem dirigantur. Rationem autem divinæ voluntatis atque electionis non niſi a bono ſumi poſſe. Atque hoc ipſum præſtantiſſimus Theologus *Jo. Gerhardus* tuetur: » Exactiſſimè, inquit, obſervandum, quando » ſtatuitur decretum permiſſionis ratione malarum actionum, » ibi vocem decreti referendam eſſe non ad actiones malas » per ſe, ſed NB. ad bonos illos fines, quos ex malis homi- » num actionibus Deus ſua ſapientia & bonitate elicere novit. » Decrevit Deus permittere lapſum *Adæ*, & reliqua hominum » peccata, lapſum illum conſequuta, non quaſi delectetur iſto » lapſu, & iſtis peccatis, non quaſi adprobet ea, non quaſi » impellat ad ea, ſed NB. quia novit bonum finem ex iis eli- » cere (d). « Neque aliter ſentit apoſtolus *Paulus* Rom. V. 15-21. Quid igitur ſibi velint, qui a *Leibnitio* peccati gravitatem extenuari opinantur, quoniam docet in relatione ad mundum integrum non dari mala, me ignorare fateor. Nihil enim aliud hiſce verbis propugnat, quàm omnia mala atque etiam moralia, h. e. peccata, quorum gravitatem alibi ſatis oſtendit ſub provida ſapientiſſimi Numinis cura in optimum finem dirigi. Sed nolo hiſce diutiùs immorari, quum ſummè vener. *Reinbeckius* (e) objectionibus, contra *Leibnitii*

de

(d) *Jo. Gerhardus de providentia* §. 53.

(e) Vid. *Jo. Guſt. Reinbecks Beantwortung der Einwürffe, welche ihm in einer Abhandlung von der Unſchuld Gottes bey der Zulaſſung des Böſen ſind gemacht worden.* Berlin 1736. in 8. conf. quæ *Alexander Pope* Epiſtola I. *de homine*, & ejus defenſor *Warburtonus* de hac materia tradunt. Uterque enim in relatione ad mundum univerſum non dari mala ſolidè, ſcitè atque venuſtè tutatur. (N. K.)

de origine mali doctrinam motis, ſolidè atque perſpicuè jam ſatisfecerit.

XIII. Ad illorum venio objectiones, qui ſibi aliiſque perſuadere ſtudent, *Leibnitii* principia philoſophica ad omnem Jesu Christi doctrinam evertendam, ejuſque loco religionem quamdam naturalem introducendam eſſe comparatam, præcipuè autem operationibus Spiritûs ſancti immediatis refragari. Quum verò non ſolùm, ex *Leibnitii* poſitionibus Naturaliſmum ſequi, exiſtiment, verùm etiam querantur, illum nuſquam ſe a Naturaliſmo alienum profeſſum eſſe, neque quid de præcipuis religionis Chriſtianæ capitibus ſentiat, expoſuiſſe, e re atque operæ pretium erit, ipſis *Leibnitii* verbis docere, quid de doctrinis Chriſtianæ religionis, propriis præcipuè autem de operationibus Spiritûs Sancti ſtatuerit. En igitur brevem fidei Leibnitianæ confeſſionem ex ſcriptis ejus adornatam.

ARTICULUS I.

De iis quæ ſunt ſupra rationem.

Uſitata diſtinctio inter ea, quæ ſunt ſupra Rationem, & ea quæ ſunt contra Rationem, ſatis congruit cum eo diſcrimine, quo, paullo antè duo neceſſitatis genera inſignivimus. Nam id quod contra Rationem eſt, veritatibus abſolutè certis, & omni exceptione majoribus, adverſatur; at id quod ſupra rationem eſt, cum iis ſolùm pugnat, quæ experiri aut intelligere conſuevimus. Quare miror, dari nonnullos, haudquaquam obeſæ naris homines, qui hanc diſtinctionem impugnare non dubitent, interque eorum claſſem ipſum conſpici *Bælium.* Ea profectò optimis fundamentis innititur. Veritas ſupra rationem eſt, quæ a noſtra mente (immò ab ullâ mente creata) comprehendi nequit: hujuſque ordinis, ſecundùm meam ſententiam, eſt Sancta Trinitas, & miracula, ſoli Deo propria &c. V. *Diſſertat. de conformitate Fidei cum Ratione.*

ARTI-

ARTICULUS II.

De Scripturâ Sacrâ.

Hinc apud Theologos, ſuo muneri pares, extra aleam omnem poſitum eſt, per motiva credibilitatis, coram tribunal rationis, ſemel omninò comprobari auctoritatem Scripturæ Sacræ, ita ut ratio ipſi, tanquam luci novæ, locum cedat, omneſque ſuas veriſimilitudines conſecret. V. *Diſſert. de conformitate Fidei cum Ratione. §. 29.*

ARTICULUS III.

De Trinitate.

Omnium, opinor, partium Theologi, (ſi diſceſſeris a ſolis Fanaticis) ſaltem conveniunt, nullum fidei articulum involvere poſſe contradictionem, aut demonſtrationibus, mathematicas certitudine æquantibus adverſari; ubi videlicet oppoſitum concluſionis *ad abſurdum,* hoc eſt, ad contradictionem deduci poteſt: ut proinde *S. Athanaſius* jure merito irriſerit nugas quorundam ſui ævi auctorum, *Deum ſine paſſione, paſſum eſſe,* dictitantium. *Paſſus eſt impaſſibiliter. O ludicram doctrinam, ædificantem ſimul, & demolientem!* Unde ſequitur, nimiam eſſe facilitatem quorundam ſcriptorum, concedentium, Sanctam Trinitatem repugnare grandi iſti principio, quod effert, quæ ſunt eadem uni tertio, eadem etiam eſſe inter ſe, hoc eſt, ſi A ſit idem cum B, & C ſit idem cum B, neceſſe eſſe, ut A & C ſint quoque eadem inter ſe. Hoc namque principium immediatè conſequitur ex principio illo contradictionis, eſtque totius Logicæ baſis atque fundamentum; id ſi ceſſat, ratiocinandi cum certitudine, via nulla ſupereſt. Itaque cùm dicitur, quòd Pater ſit Deus, quòd Filius ſit Deus, & quòd Spiritus Sanctus ſit Deus, & quòd tamen unicus tantùm ſit Deus, quamvis hæ tres perſonæ inter ſe diverſæ ſint; judicandum eſt, hanc vocem, *Deus,* non ean-

dem utrobique, & in initio, & in fine, ſignificationem obtinere. Et certè, jam ſubſtantiam divinam, jam unam Deitatis perſonam ſignificat. In univerſum igitur pronunciari debet, cavendum nobis eſſe, ne, veritates neceſſarias atque æternas ad tuenda myſteria deſerentes, hoſtibus religionis anſam exhibeamus, Religionem ac Myſteria ipſa explodendi. V. *Diſſertat. de conformit. Fidei cum Ratione* §. 22.

ARTICULUS IV.

De Peccato Originali.

Peccatum originale tantam vim habet, ut homines reddat in naturalibus debiles, in ſpiritualibus mortuos ante regenerationem; intellectu ad ſenſibilia, voluntate ad carnalia verſis; ita ut naturâ filii iræ ſimus. V. *Cauſſa Dei.* §. 86.

ARTICULUS V.

De Chriſto.

Optimæ ſeriei rerum (nempe hujus ipſius) eligendæ maxima ratio fuit Chriſtus θεάνθρωπος, ſed qui, quatenùs creatura eſt ad ſummum provecta, in ea ſerie nobiliſſima contineri debebat, tamquam Univerſi creati pars, imo caput, cui omnis tandem poteſtas data eſt in cœlo & in terra, in quo benedici debuerunt omnes gentes, per quem omnis creatura liberabitur a ſervitute corruptionis, in libertatem gloriæ filiorum Dei. Vid. *Cauſſa Dei* §. 49.

Præter Chriſtum, & prævisam ſtatûs ſalutaris ultimam perſeverantiam, qua ipſi adhæretur, nullum Electionis aut dandæ fidei fundamentum nobis innoteſcit. Vid. *Cauſſa Dei.* §. 140.

ARTI-

ARTICULUS VI.

De Miraculis.

Miraculorum (rigidiſſimè ſumtorum) character eſt, ut per rerum conditarum naturas explicari non poſſint. V. *Tentam. Theodiceæ* §. 207. conf. §. 249.

Selon mon ſentiment, la même force & vigueur y ſubſiſte toujours, & paſſe ſeulement de matiére en matiére, ſuivant les loix de la nature, & le bel ordre préétabli. Et je tiens, quand Dieu fait des miracles, que ce n'eſt pas pour ſoutenir les beſoins de la nature, mais pour ceux de la grace. V. *Extrait d'une lettre à S. A. R. Madame la Princeſſe de Galles.* §. 4. *dans le recueil de lettres entre Leibniz & Clarke.*

ARTICULUS VII.

De Operationibus Spiritûs Sancti.

In negotio Gratiæ & Prædeſtinationis tuemur expreſſiones maximè probatas, verbi gratiâ: quòd non, niſi per gratiam prævenientem, convertamur, nec quid boni agere, niſi ejus adjutorio valeamus: &c. Fides eſt Dei donum: V. *Præfat. Theodiceæ.* §. 24.

Quod eò faciliùs admitti poteſt, (de transcreatione animarum loquitur) quò frequentius revelatio multas alias operationes immediatas Dei in animas noſtras docet. V. *Theodic.* §. 91. conf. *Cauſſa Dei.* §. 81.

In negotio electionis non jam videtur primaria difficultas in eo eſſe, an Deus decernat ſalvare, quos fidem vivam finalem præſcit habituros, ſed præterea in ipſo decreto conferendæ gratiæ, ex qua naſcitur talis fides. Neque enim ad eam ex ſolis viribus humanis devenitur, quum ſit donum Dei, ſed opus eſt tum gratiâ internâ, tum gratiâ, ut ſic dicam, externâ, i. e. occaſionibus & circumſtantiis, quibus mentes hominum ad bona vel mala, ſalvo licet libero arbi-

trio, plurimum inclinantur. V. *Epiſtola XX. ad Jo. Fabricium. Vol. V.*

ARTICULUS VIII.

De teſtimonio Spiritus Sancti interno.

Fides ipſa divina, ſi quando menti adfulſerit, aliquid, pluſquàm opinionem, adfert, nec ab occaſionibus, vel motivis impellentibus, iiſque præviis, dependet, aut robur ſuum ab illis mutuatur; ultra intellectum ea progreſſa, voluntatem & cor occupat, ut nos ardentes & lubentes efficiat ad agendum legi divinæ conformiter, nec amplius neceſſe ſit rationes curare, aut ratiociniorum, quæ menti objici poſſunt, difficultatibus immorari. *V. Diſſertat. de conformitate Fidei cum Ratione §. 29.*

ARTICULUS IX.

De virtutibus Chriſtianis.

Neque dubitandum, quin hæc fides, hæcque in Deum fiducia, quæ nobis bonitatem ejus infinitam, conſiderandam offert, noſque ad ejus amorem præparat, fruſtrà obnitente duritatis ſpecie, quæ deterrere nos poſſet, ſit excellens virtutum Theologiæ Chriſtianæ exercitium, quando gratia divina in Jesu-Christo hos in nobis motus excitat. Quod & *Lutherus* contra *Eraſmum* benè notavit. *Loc. cit. §. 45.*

§. XIV. Nullo negotio etiam de aliis fidei Chriſtianæ articulis *Leibnitii* ſententiam ex ſcriptis ejus declarare poſſem, pluresque locos congerere, qui teſtantur, ejus præcipuum inſtitutum fuiſſe cæleſtem ſalvatoris noſtri doctrinam contra adverſariorum objectiones tueri. Sed ea, quæ modò protuli, jam ſufficiunt, ut ex illorum numero eximatur, qui Naturaliſmum fovent. An is ad Naturaliſmum propendet, quid id præcipuè agit, ut ſolidè demonſtret, nihil quidem in Chriſtiana religione eſſe, quod contra rationem ſit, licet jure meritoque

toque requiratur, ut illa, quæ in CHRISTI doctrina traduntur, & ſupra rationis humanæ captum ſunt, piè credamus? Quodnam ab illo Naturaliſtæ præſidium exſpectare poſſunt, qui myſterium Trinitatis defendit, homines ante regenerationem in ſpiritualibus mortuos & natura filios iræ eſſe docet, naturæ viribus hominem converti poſſe negat, ad converſionem peccatoris gratiam Dei, quæ eſt in CHRISTO JESU θεανθρώπῳ, requirit, fidem in CHRISTUM JESUM tantùm ſalvificam donum Dei dicit, atque ſummam inter pietatem philoſophicam & pietatem Chriſtianam differentiam eſſe oſtendit? Nonne his ipſis doctrinis Chriſtiana religio ab omni Naturaliſmo diſcernitur, atque vera ejus ratio abſolvitur?

XV. Equidem non ignoro, illos, qui in *Leibnitii* ſcriptis Naturaliſmum ſtudiosè quærunt, omnibus illis locis, quibus Chriſtianæ religionis dogmata tradit, lectoribus ſuis fucum feciſſe, neque veram explicaſſe animi ſui ſententiam, contendere. Qua tamen ſuſpicione parum ſibi conſulunt. Nam quis umquam ex inſtituto ejuſmodi doctrinas *ſolidis* argumentis contra adverſariorum objectiones defendit, a quibus ipſe alienus eſt. At vero *Leibnitius* non in tranſitu tantùm præcipua Chriſtianæ religionis capita tangit, verùm data opera tuetur, atque totus in eo eſt, ut objectiones contra eadem motas refellat. Et quis, quæſo, ab hæreſeos crimine ſe immunem præſtabit, ſi ejuſmodi valeret ſuſpicio. Quodſi accuſare ſufficit, quis innocens erit?

XVI. Neque eſt, quod objiciant, ſi vel maximè ipſe *Leibnitius* e Naturaliſtarum numero ſit eximendus, præcipua tamen ejus dogmata eadem culpa non vacare, cum Chriſtiana religione conciliari non poſſe, ſed ad Naturaliſmum ducere. Negari quidem nequit, ſæpiſſimè evenire, ut aliquis doctrinam defendat, a cujus tamen conſequentiis, quas non perſpicit, alienus eſt. Sed argumenta adverſariorum ita non ſunt comparata, ut idem de ſententiis Leibnitianis dicendum ſit.

XVII. Primum ad hypotheſin de harmonia inter animam atque corpus præſtabilita iterum provocant, atque quum ſe-

cundùm illam animæ humanæ vis movendi corpus denegetur, concluſionem faciunt, omnibus ſpiritibus, immo ipſi Deo Spiritui perfectiſſimo, hanc vim denegari, &, per conſequens, omne inter Deum atque homines commercium tolli, neque ullum immediatis & ſupernaturalibus Spiritus ſancti operationibus in regno gratiæ, tam illis, quæ ordinariæ, quàm illis, quæ extraordinariæ a Theologis vocantur, locum relinqui. At quis ferret ejuſmodi argumentandi rationem? Utique poteſt vis movendi corpus aliis ſpiritibus competere, licet animæ humanæ denegetur. Et dubium non eſt, quin ſummo Numini competat, qui omnia creavit, & a ſe creata provida cura gubernat, quam quidem providentiam conſentientibus ſummis Theologis continuatam creationem rectiſſimè dixeris.

XVIII. *Leibnitius* quidem ſpiritibus creatis ômnibus vim movendi corpus denegat (f), quo jure nunc non diſputo (g). Sed abſit, ut idem de ſummo Numíne, ſpiritu increato atque abſolutè perfectiſſimo, quem Creatorem totius univerſi veneratur, teneat. Ipſa vero de harmonia inter animam atque corpus præſtabilita hypotheſis ne quidem requirit, ut de ſpiritibus

(f) Ex vi movendi corpus a *Leibnitio* ſpiritibus creatis omnibus denegata nonnulli concludunt, eum omnem ſpirituum in ſpiritus alios actionem tollere. Sed hi ipſi non perpendunt, eum tantùm negare ſpiritus *per influxum phyſicum* in alios ſpiritus agere. Ceterùm veram ſpirituum in ſpiritus alios actionem defendit, atque illam eodem modo explicat, quo ſecundùm ſuam de harmonia inter animam & corpus præſtabilita hypotheſin homines in alios homines agere, atque cum illis cogitata ſua communicare declarat. conf. *Monadologia* §. 51. ſ. Miror verò objici; *Leibnitium* modum, quo ſpiritus in ſpiritum agit, non ritè explicaſſe, quum, quantum memini, eum hucuſque nemo definiverit. Equidem quæ ſcriptura ſacra de angelorum actionibus tradit, piè credo. Modum verò, quo agant, me cum ignariſſimis ſcire lubens profiteor. (N. K.)

(g) Perplacet viri doctrina ornatiſſimi *Jo. Chriſtophori Gottſchedii* diſputatio, qua ex ipſis philoſophiæ Leibnitianæ principiis animæ humanæ vim movendi corpus vindicat. » Sentimus ſanè, inquit, in mente » noſtra non voluntatem tantùm, ſed conatum quoque inſignem, producendi » nonnumquam motus voluntarios in corpore, qui niſus atque conatus ejus virium nomine venit, & a *Leibnitio* id » quod in motu reale eſt, adpellatus fuit. « *Vindic. Syſtematis Influxus Phyſici ſect. poſt.* Cap. II. §. XXII. p. 70. Licet omnes, quæ Syſtema Influxus phyſici adhuc premunt difficultates ſuſtuliſſe mihi quidem nondum videatur. (N. K.)

ritibus creatis omnibus tradatur, eos vi corpus movendi deſtitui. Nimirum etiam propter hoc animæ humanæ vim movendi corpus competere dubium eſt, quoniam ex iis, quæ de mentis humanæ operationibus experiundo diſcimus, hæc vis motrix derivari nequit, & quoniam planum atque perſpicuum eſt, numero multas in corpore humano mutationes evenire, quæ ex anima humana non pendent, immo illâ inſciâ atque ſæpiùs invitâ eveniunt. Exempli gratiâ huc referas, circulationem ſanguinis, concoctionem ciborum in ſtomacho, quod infans in utero matris creſcat, ſpaſmos & rel. Igitur ex rei veritate vir celeberrimus *Chriſtianus Wolfius*: *Ich habe nirgends behauptet, daſs es der Natur eines Geiſtes zuwider ſey, in einen Leib zu würcken. Am allerwenigſten aber habe ich einem Geiſte überhaupt und Gott ſelbſt die Würkung in Côrper abgeſprochen* (h).

XIX. Quemadmodum verò hypotheſi de harmonia inter animam atque corpus præſtabilita operationibus Dei immediatis non refragatur; ita illuc adduci non poſſum, ut credam; iis, quæ de harmonia univerſali, & ſigillatim de harmonia naturæ & gratiæ præſtabilita, *Leibnitius* tradit, revelatam doctrinam everti. Qui enim ab his Theologiam Chriſtianam ſibi præcipuè metuere debere cenſent, ita concludunt. Quodſi Deus ab initio & corporum ſtructuras & ſubſtantiarum, animarum & ſpirituum naturam ita formavit, ut per ſe ipſas in omnem æternitatem omnia ipſius conſilia exſequantur, atque ad actum deducant omnia, quæ pro ſua vel juſtitia, vel gratia & ſapientia ab æterno fieri decrevit, conſequens eſt; neque in hoc, neque in futuro mundi ſæculo ſupernaturalia eſſe, & nullam operationibus Dei immediatis locum relinqui. Et utique hoc ſequeretur, ſi *Leibnitius* eam defendiſſet ſententiam, quam adverſarii illi tribuunt. Sed manifeſtum eſt, illos *Leibnitii* ſententiam minùs rectè interpretari, & in proponenda ea

(h) Vid. *Chriſtian Wolfens Ausführliche Nachricht von ſeinen eigenen Schriften*, §. 99, p. 280.

ea multa miſcere atque confundere, quæ ex ſententia *Leibnitii* accuratè ſegreganda & diſcernenda ſunt. Idcircò veram ejus de harmonia univerſali præſtabilita ſententiam exponam. Primùm de harmonia univerſali dicam. Tum explicabo, quare eam præſtabilitam nominet, quo certiùs intelligatur, *Leibnitium* a negandis operationibus Dei immediatis alienum fuiſſe.

XX. Atque univerſalis omnino eſt de ſententia *Leibnitii* harmonia omnium eorum, quæ in hoc mundo, ſive in toto univerſo eveniunt. Omnia inter ſe apta atque colligata ſunt, ut mutuo ad finem ultimum tendant. Nulla hic addenda eſt limitatio. » Sapientia, inquit, infinita omnipotentis, bonitati ejus immenſæ juncta, fecit, ut nihil potuerit fieri melius, omnibus computatis, quàm quod a Deo eſt factum; atque adeò, ut omnia ſint perfectè harmonica, conſpirentque pulcherrimè inter ſe: cauſſæ formulas, ſeu animæ, cum cauſſis materialibus ſeu corporibus: cauſſæ efficientes ſeu naturales cum finalibus ſeu moralibus; regnum gratiæ cum regno naturæ. « (i) Atque alio loco: » Licet præter machinas naturæ multa videamus opera, quæ rudia ſunt & ruderibus ſimilia, in quibus non apparent fines ſpeciales; dubium tamen nullum eſſe debet, Deum auctorem ſpectantibus, ipſa quoque ad fines ſpeciales, etſi nobis ignotos, exquiſitiſſimè ordinata eſſe, & omnia concurrere ad finem generalem. « (k) Immò tanta cum harmonia res creatæ omnes ad ſcopum ultimum obtinendum conſpirant, quanta concipi poteſt maxima (l). Quod quidem, ut defendamus, ſapientia Dei ſumma requirit, quæ nihil fruſtrà facit, ſed convenientiſſima media

(i) V. *Cauſſa Dei* §. 46.

(k) *Leibnitius in Animadverſionibus ad Aſſertiones quaſdam Theoriæ medicæ veræ* p. 4.

(l) Eleganter *Cicero*: » Ac mihi quidem veteres illi majus quiddam animo complexi, multo plus etiam vidiſſe videntur, quàm quantum noſtrorum ingeniorum acies intueri poteſt: qui omnia hæc, quæ ſuprà & ſubter, unum eſſe, & una vi, atque una conſenſione naturæ conſtricta eſſe dixerunt. Nullum eſt enim genus rerum, quod aut avulſum a ceteris per ſe ipſum conſtare, aut, quo cetera, ſi careant, vim ſuam atque æternitatem conſervare poſſint. « *de Oratore* lib. III. p. 512, ex edit. *Jo. Aug. Erneſti*. (N. K.)

media eligit, quibus finis ultimus obtinetur. Sed non perſpicio, quid hæc a *Leibnitio* defenſa harmoniæ univerſalitas juvet eos, qui volunt ab illo operationes Dei ſupernaturales excludi. Sanè non valet conſequentia: Omnia, quæ in univerſo eveniunt, mutuò conſpirant ad finem ultimum obtinendum, ergò operationes Spiritus Sancti, quas in converſione, regeneratione & ſanctificatione Theologia Chriſtiana ſtatuit, locum non inveniunt. Quaſi verò hæ ipſæ Spiritus S. operationes non quàm maximè valerent ad ſummi Numinis gloriam; neque ad finem ultimum obtinendum conſpirarent, aut impedirent, quo minus illa, quæ ſecundùm leges naturæ eveniunt, ad ſcopum ultimum vel tendant, vel dirigantur.

XXI. At, inquiunt, quodſi *Leibnitius* harmoniam univerſalem ſtatuit, neceſſe eſt illum etiam harmoniam naturæ & gratiæ admittere. Atque ita ſe res habet. Utique totidem verbis regnum naturæ cum regno gratiæ conſpirare dicit. „Quemadmodum, inquit, ſuprà harmoniam perfectam ſtabilivimus » inter duo regna naturalia, alterum cauſſarum efficientium, » alterum finalium: ita hic nobis alia harmonia commemoranda venit, quæ inter regnum phyſicum naturæ, & regnum morale gratiæ intercedit, h. e. inter Deum quatenus » conſideratur ut architectus machinæ, & inter Deum eundem, quatenus ut monarcha civitatis divinæ ſpirituum ſpectatur. Ab hac harmonia pendet, quòd res deducant ad gratiam per ipſas vias naturæ, & quòd hic globus e. g. deſtrui & reparari debeat per media naturalia iis momentis, » quando regimen ſpirituum id poſtulat ad aliquos puniendos, ceteros remunerandos. Aſſeverare etiam licet, Deum » tamquam architectum ſatisfacere Deo, tamquam legiſlatori, » ex aſſe, atque ſic peccata conſequi debere pœnas per ordinem naturæ & ſtructuræ mechanicæ rerum; bonas etiam » actiones ſecum trahere remunerationes per media machinalia reſpectu corporum, quamvis idem nec poſſit, nec debeat conſtanter extemplo accidere. « Et alibi: » Reſpublica » Dei quum juſtiſſimè & pulcherrimè regatur, conſequens

» eſt, ut per ipſas naturæ leges, ob parallelifmum regni gra-
» tiæ & naturæ, animæ vi ſuarum actionum ad præmia &
» pœnas reddantur aptiores. « Apoſtoli *Paulli* doctrinam tenet πᾶσαν κτίσιν, totam creaturam, ſine omni exceptione, ſuos cum filiis Dei gemitus jungere, & dum glorioſior enaſcatur ſtatus quaſi parturientis dolores ſuſtinere. Velim autem attendatur, diverſiſſima eſſe; omnia, quæ ſecundùm leges naturæ contingunt, valent ad gratiæ & juſtitiæ decreta Dei exequenda, & præter ea, quæ ſecundùm leges naturæ eveniunt, nihil quidquam aliquid confert ad hæc decreta exequenda. Illud tuetur *Leibnitius*. Hoc negat atque pernegat. Videlicet explicatis verbis declarat, ea, quæ in regno naturæ eveniunt, licèt cum iis, quæ in regno gratiæ contingunt, exactè conſpirent, non tamen ſufficere, ut omnis finis, quem Deus in regno gratiæ ſibi propoſuit obtineatur. Propter regnum gratiæ enim miracula fieri, neque naturæ viribus peccatorem poſſe converti.

XXII. Periculo igitur caret harmonia univerſalis inter regnum naturæ & gratiæ, neque religioni Chriſtianæ atque operationibus Dei ſupernaturalibus adverſum eſt, eam præſtabilitam dicere. *Leibnitius*: » Quia bonitatem Dei in creaturis
» ſeſe generatim exſerentem dirigit ſapientia; conſequens
» eſt providentiam divinam ſeſe oſtendere in tota ſerie uni-
» verſi; dicendumque Deum ex infinitis poſſibilibus ſeriebus
» rerum elegiſſe optimam; eamque adeo eſſe hanc ipſam,
» quæ actu exiſtit. Omnia enim in univerſo ſunt harmonica
» inter ſe, nec ſapientiſſimus niſi omnibus perſpectis decernit,
» atque adeo non niſi de toto. In partibus ſingulatim ſump-
» tis, voluntas prævia eſſe poteſt, in toto decretoria intelligi
» debet. Unde accuratè loquendo non opus eſt ordine decre-
» torum divinorum; ſed dici poteſt unicum tantùm fuiſſe
» decretum Dei, ut hæc ſcilicet ſeries rerum ad exiſtentiam
» perveniret; poſtquàm ſcilicet omnia ſeriem ingredientia fue-
» re conſiderata, & cum rebus alias ſeries ingredientibus
» compa-

» comparata. « (m) Sicuti enim hæc *Leibnitii* doctrina cum Scriptura Sacra conſentit, qua traditur, nota eſſe Deo ab æterno omnia opera ſua; ſic ex ſuppoſita prævifione atque præordinatione non ſequitur, negandas eſſe operationes Dei ſupernaturales. Ipſe *Leibnitius* jam ſatis cavit, ne fortè hoc objici poſſet. » Dicet aliquis præterea, inquit: Si omnia or» dinata ſunt, Deus non poterit facere miracula. Verùm ſcien» dum eſt miracula, quæ in mundo eveniunt etiam fuiſſe in» voluta, & repræſentata tanquam poſſibilia in hoc ipſo mun» do conſiderato in ſtatu puræ poſſibilitatis; & Deus, qui ea » poſtea patravit, jam tunc, cùm mundum hunc elegiſſet, » ea facere decrevit. « (n)

XXIII. Quo verò reliqua etiam repellamus tela, obſervamus decretum ſive præordinationem Dei aliter ſeſe habere ratione regni naturæ, aliter ratione regni gratiæ. In regno naturæ & ſigillatim in mundo corporeo, ubi omnia mechanicè fiunt, jam in creatione Deus omnia ſic conſtituit, ut ex primo illo ſtatu, omnia, quæ pro ſua bonitate atque ſapientia futura decrevit, uno continuo ordine & nexu ſequantur & evolvantur, neque NB. *ob indigentiam naturæ* manu vel medica vel auxiliari opus ſit, neque ſubſidiaria demùm correctio requiratur. In regno gratiæ aliter ſeſe res habet. Potuiſſent quidem etiam in illo homines libertate præditi atque ad imaginem Dei conditi, viribus naturæ ſibi conceſſis, finem a Deo ſibi præſcriptum obtinere. Quum verò libertate ſua abuſi ſint, atque peccando ſemet ipſos imagine Dei privarint; Deus, qui eorum lapſum ab æterno prævidit, alium præordinavit *ordinem ſalutis*, cujus hæc eſt ratio, ut non naturæ viribus, ſed propter ſatisfactionem a CHRISTO JESU θεανθρώπῳ præſtitum, Spiritûs S. gratiâ propoſitum ſuum conſequantur. *c. Eph. I.* 4-12.

 XXIV.

(m) Vid. *Cauſſa Dei* §. 41. 42.

(n) *Theodicea* §. 54. Licet igitur, ut in tranſitu hoc addam, miracula iis, quæ ſecundùm naturæ ordinem contingunt, mutationem utique inferant, neceſſe tamen non eſt, ut hæc mutatio per aliud miraculum iterum tollatur, quo Deus finem ſuum, per ordinem naturæ obtinendum, conſequatur. Etenim miracula etiam a Deo prævifa & præordinata ſunt. (N. K.)

XXIV. Nihil protuli, niſi quod *Leibnitii* principiis conſentaneum eſt. Quod enim ad regnum naturæ attinet, contra *Iſaacum Newtonum* defendit, hunc mundum, *quatenus machina eſt*, emendatione non indigere. Nimirum *Newtonus*, „ veriſimile eſt, inquit, fore ut Planetarum irregularitates quæ„ dam longinquitate temporis majores uſque evadant, donec „ hæc Naturæ compages manum emendatricem tandem ſit „ deſideratura. (o) Quam quidem *Newtoni* ſententiam ſummi Numinis ſapientiæ adverſam eſſe *Leibnitius* propugnat. „ Mon„ ſieur *Newton*, *inquit*, & ſes ſectateurs, ont encore une fort „ plaiſante opinion de l'ouvrage de Dieu. Selòn eux Dieu a „ beſoin de remonter de tems en tems ſa montre, autrement „ elle ceſſeroit d'agir. Il n'a pas eu aſſez de vuë, pour en „ faire un mouvement perpétuel. Cette machine de Dieu eſt „ même ſi imparfaite ſelon eux, qu'il eſt obligé de la décraſ„ ſer de tems en tems par un concours extraordinaire, & „ même de la raccommoder, comme un horloger ſon ouvra„ ge; qui ſera d'autant plus mauvais maître, qu'il ſera plus „ ſouvent obligé d'y retoucher & d'y corriger. Selon mon „ ſentiment, la même force & vigueur y ſubſiſte toûjours, „ & paſſe ſeulement de matiére en matiére, ſuivant les loix „ de la nature, & le bel ordre préétabli. Et je tiens, *quand* „ *Dieu fait des miracles, que ce n'eſt pas pour ſoutenir les be*„ *ſoins de la nature, mais pour ceux de la Grace.* En juger au„ trement, ce ſeroit avoir une idée fort baſſe de la Sageſſe „ & de la Puiſſance de Dieu. « (p) Idem *Leibnitius* contra Socinianos defendit: „ Je ne dis point, *inquit*, que *le Mon*„ *de corporel* eſt une machine ou montre, qui va ſans l'inter„ poſition de Dieu, & je preſſe aſſez que les créatures ont „ beſoin de ſon influence continuelle: mais je ſoutiens que „ c'eſt une montre qui va ſans avoir beſoin de ſa correction: „ autrement il faudroit dire que Dieu ſe raviſe. Dieu a tout „ prévû,

(o) Newtonus *Opticæ quæſt. ult.* p. 346.

(p) *V. Extrait d'une Lettre de Mr.* Leibniz *à S. A. R. Madame la Princeſſe de Galles.* Ubi *Leibnitius* ex inſtituto ſuam de hac materia animi ſententiam exponit.

» prévû, il a remédié à tout par avance. Il y a dans ſes ouvrages une harmonie, une beauté déja préétablie. Ce ſentiment n'exclut point la providence ou le gouvernement de Dieu: au contraire, cela le rend parfait. Une véritable providence de Dieu demande une parfaite prévoyance: mais de plus elle demande auſſi, non-ſeulement qu'il ait pourvû à tout par des remédes convenables préordonnés: autrement il manquera ou de ſageſſe pour le prévoir, ou de puiſſance pour y pourvoir. Il reſſemblera à un Dieu Socinien, qui vit du jour à la journée, comme diſoit M. *Jurieu*. Il eſt vrai que Dieu, ſelon les Sociniens, manque même de prévoir les inconvéniens; au lieu que, ſelon ces Meſſieurs, qui l'obligent à ſe corriger, il manque d'y pourvoir. Mais il me ſemble que c'eſt encore un manquement bien grand; il faudroit qu'il manquât de pouvoir, ou de bonne volonté. (q)

XXV. Qua vero ratione hæc, quæ de mundo corporeo *Leibnitius* diſputat, operationibus Dei ſupernaturalibus, de quibus in doctrina JESU CHRISTI agitur, contraria eſſe poſſunt, quum hoc tantùm doceat, *propter indigentiam naturæ* nulla miracula fieri. Dubitatione enim carere exiſtimat, Deum illa opera ſua, quæ neceſſariò agunt, tam perfectè conſtituiſſe, ut ſemper ejus voluntatem exequantur, atque cum ejus fine ultimo conſpirent. Aliter autem ſe rem habere cum rebus creatis aliis, quibus ipſe Deus liberum arbitrium conceſſit, & ſigillatim cum hominibus. Ob horum enim cauſſam, quam legem divinam tranſgredi poſſint, & revera tranſgreſſi ſint, ſupernaturales Dei operationes locum invenire, atque miracula fieri. Nuſquam verò docuit *Leibnitius*, homines poſt lapſum ex ſe atque ſua natura finem ſibi præſcriptum conſequi poſſe. Contrarium potiùs perſpicuè tradit; nempe peccatores naturæ viribus converti non poſſe, ante regenerationem in ſpiritualibus mortuos eſſe eorumque converſionem eſſe ſingulare donum Dei.

(q) V. *Second Ecrit de Mr.* Leibniz *à Mr.* Clarke.

XXVI. Neque contra ſe dicit *Leibnitius*, creationem, incarnationem & *nonnullas* alias actiones Dei veri nominis eſſe miracula. Sanè hæc ipſa verba firmant atque ſtabiliunt, me in antecedentibus animi Leibnitiani ſententiam rectè expoſuiſſe. Sequitur enim ex illis, eum præter creationem atque incarnationem alia miracula crediſſe. Neque divinaſſem ex hiſce verbis aliquid contra *Leibnitium* concludi poſſe, niſi eſſent, qui ex illis ſequi exiſtimarent, de *Leibnitii* ſententia vera miracula eſſe longè pauciſſima. Sed numquam illi animus fuit miraculorum numerum definire. Id tantummodò meritò atque optimo jure contendit, Deum miraculum non deſignare, niſi eo caſu, quo idem finis obtineri naturaliter nequeat. Neque ab hoc diverſum eſt, quod alibi tradit: „ Sapientia Dei ſumma paſſa non eſt, ut Deus vim ordini „ rerum naturiſque *ſine lege menſuraque* inferret, ut turbare- „ tur harmonia univerſalis, ut alia ac optima rerum ſeries „ eligeretur. " (r)

XXVII. Ceterùm mihi perplacet illuſtris *Bulſingeri* obſervatio: „ Puto, inquit, commodiſſimè ſic diſtingui duas crea- » toris & redemtoris œconomias, ut in regno naturæ dicatur » miraculum (quatenùs ex naturalibus viribus fieri non poteſt,) » id, quod in regno gratiæ eſt ordinarium, h. e. ſupernatura- » le quidem, ſed in ordine gratiæ ſemel conſtituto perpe- » tuum. In regno gratiæ autem demum illud dicatur miracu- » lum, quod non eſt perpetuum & ordinarium, cujuſmodi „ forent inſpirationes immediatæ, converſiones Paulinæ ſimi- » les &c. " (s)

XXVIII. Sunt aliæ etiamnunc objectiones, quibus *Leibnitii* adverſarii evincere adnituntur; ab ejus principiis philoſophicis Theologiæ Chriſtianæ periculum imminere. Sed quum illi ipſi, a quibus proferuntur, magnum iis pretium non ſtatuant, vel ex ſiniſtra verborum interpretatione oriantur, vel ab

(r) Vid. *Cauſſa Dei* §. 126.

(s) Vid. *Bulſingeri Dilucidat. Philoſoph.* Sect. II. §. 231. p. 224.

ab invidia ductæ ſint, iis refutandis operam dare ſupervacaneam judico. E ſupra dictis enim perſpicuum eſt, non ſolùm *Leibnitii* principia philoſophica iis, quæ de vera libertate, ſummi Numinis ſanctitate & operationibus Dei ſupranaturalibus litterarum ſanctiſſimæ tradunt non refragari; verum etiam ad has ipſas doctrinas diſtinctè tradendas, illuminandas atque defendendas multum conferre, atque egregiè comparata eſſe.

FINIS.

DIVISIO
TOTIUS OPERIS.

TOM. I.

Opera Theologica.

TOM. II.

P. I. Logica & Metaphyſica.
P. II. Phyſica generalis, Chymia, Medicina, Botanica, Hiſtoria Naturalis, Artes.

TOM. III.

Opera Mathematica.

TOM. IV.

P. I. Hiſtoria & Philoſophia Sinenſium, Philoſophia in genere.
P. II. Hiſtoria & Antiquitates.
P. III. Juriſprudentia.

TOM. V.

Opera Philologica.

TOM. VI.

P. I. Philologicorum Continuatio.
P. II. Collectanea Etymologica.

In primis cujuſque voluminis frontiſpicii paginis, inveniet Lector Indicem ſingularem opuſculorum in eo contentorum, & indicationem locorum, ex quibus excerpta fuerunt.

CATA-

CATALOGUS
OPERUM TOMI PRIMI.

LUDOVICI DUTENS Præfatio Generalis. Pag. 1
Eloge de M. Leibniz par M. de Fontenelle. xix
LEIBNITII Vita, a Celeb. Bruckero exarata. LIV
Diſputatio de Philoſophia Leibnitii, Chriſtianæ Religioni haud perniciosâ, Auctore Chriſtiano Kortholto: (Tom. IV. Leibnitii Epiſtolar. Collectioni præmiſſa.) CCIX

L. DUTENS Præfatio in G. G. Leibnitii opera Theologica. pag. 1
G. G. LEIBNITII Confeſſio naturæ contra Atheiſtas. (Spizelii Theop. de atheiſmo eradicando. 8. Aug. Vindel. 1669.) 5
Defenſio Trinitatis per nova reperta logica, contra Epiſtolam Ariani. (Apparatus literarius 8. *Witteb.* 1717.) 10
Duæ Epiſtolæ ad Loeflerum; *De Trinitate, & Definitionibus Mathematicis circa Deum, Spiritus &c.* (Kortholt. Collectio.) 17

Remarques ſur le livre d'un Antitrinitaire Anglois, qui contient des *conſidérations ſur pluſieurs explications de la Trinité, publié l'an 1693.* (Felleri Otium Hanoveranum.) pag. 24

Lettre *ſur le péché originel*: (Felleri Monument. inedit.) 27

Epiſtola ad Amicum *De Amore Dei.* (Otium Hanover.) 28

Lettre à M. Burnet; *De l'amour de Dieu* 1697. (Loc. cit.) 29

Remarques *ſur la perception réelle & ſubſtantielle du corps & du ſang de notre Seigneur.* (Kortholti Collect.) 30

De Conſecratione Euchariſtiæ; occaſione Diſſertationis Pfaffii. (Acta Eruditor. A. 1715.) 32

Excerptum ex Epiſtolâ ad amicum, *De ſtatu innocentium Infantum, & de iis qui Chriſtum non cognoverunt.* (Otium Hanoveranum.) 32

Excerptum ex aliâ epiſtolâ, *de infantibus ſine baptiſmo mortuis, & de Peccato philoſophico.* (Loc. citat.) 33

Præfatio ad Tentamina Theodiceæ. (Exemplar Francof. & Lipſiæ edit. ann. 1739.) 35

Diſſertatio de conformitate Fidei cum Ratione: (Adnexa Theodiceæ.) 60

Tentamina Theodiceæ. pars I. 117

——— ——— pars II. 193

——— ——— pars III. 297

Epitome controverſiæ ad ſyllogiſmos redactæ. (Adnex. Theodiceæ.) 404

Conſiderationes ad opus Hobbeſii, in Angliâ evulgatum, de Libertate, de Neceſſitate, & caſu fortuito. (Loc. cit.) 415

Annotationes in librum de origine mali, haud ita pridem in Angliâ evulgatum. (Loc. cit.) 430

Cauſa

Cauſa Dei adſerta, per juſtitiam ejus, cum cæteris ejus perfectionibus, cunctiſque actionibus conciliatam. (Loc. cit.) p. 470

Epiſtolæ duæ ad Cornel. Diet. Kochium; (Annales Academiæ Juliæ.) 501

Epiſtola ad Jo. Frid. Buddeum; *De Diſſertatione, ſub Buddei præſidio, de origine mali habita.* (Kortholti Collect.) 502

Remarques philoſophiques de M. Leibniz, ſur ſa Théodicée. (Kortholt. Coll. Gallica.) 503

Remarques ſur la VI. Lettre philoſophique imprimée à Trevoux en 1703. (Journal de Trevoux, Juillet 1712.) 504

Recueil de pluſieurs Diſſertations & Lettres, écrites ſur le projet de réunir les Proteſtans d'Allemagne, de la Confeſſion d'Augsbourg, à l'Egliſe Catholique, par Meſſieurs *J. Benigne Boſſuet* Evêque de Meaux, *Molanus* Abbé de Lokkum, & *Leibniz.* (Tiré du volume des Oeuvres poſthumes de Mr. Boſſuet.) 507

Lettres de M. Leibniz, & de M. Peliſſon; *De la Tolérance, & des différens de la Religion.* (Réflexions ſur les différens de la Religion par M. Peliſſon.) 678

Excerptum ex Epiſtolâ ad Amicum, *De unione Proteſtantium.* (Otium Hanoveranum.) 734

De Unione Proteſtantium, Molani, & Leibnitii Judicium: ſive, *Jugement impartial ſur l'utilité que les Luthériens peuvent eſpérer de leur réunion avec les Reformés, reſultant de la délibération que M.* Gerhard Molanus *Abbé de Lokkum, & M.* Leibniz *ont tenue ſur cette matiére, en conſéquence d'un ordre ſouverain:* Traduit de l'Allemand. (Kortholt. Collect.) 735

Lettre à Madame de Scudery, 17. Nov. 1697. (Otium Hanoveranum.) p. 738

Extrait d'une Lettre à la même, *ſur la pieté.* (Felleri monumenta varia ined.) 739

Reflexion de M. Leibniz, *ſur l'Eſprit ſectaire,* 740

Index Materiarum Tomi primi. 741

G. G. LEIB-

G. G. LEIBNITII
OPERA THEOLOGICA.

LUDOVICI DUTENS
PRÆFATIO IN THEOLOGIAM.

QUUM primum de hac Editione adornanda cogitavi, nihil mihi potius fuit, quam ut etiam atque etiam viderem, quatenus valere poſſet ea criminatio, qua nonnulli contenderent, *Leibnitianam* Philoſophiam cum aliquot Chriſtianæ Religionis principiis pugnare, & cum iis præſertim, quæ bonitatem Dei ſpectant, mali originem, atque hominis libertatem. Neque equidem hoc conſilium unquam exſecutus eſſem, niſi omnibus accuratiſſime, atque æqua lance penſitatis, tandem perſuaſum habuiſſem, non modo nihil in *Leibnitii* ſententiis ineſſe eorum, quæ ipſi affinguntur, verum etiam nulla hactenus argumenta in medium prolata fuiſſe, quæ magis hominum ſtudiis ſatisfaciant, quam quibus Auctor noſter utitur ad ea refellenda, quæ ſuper difficilibus adeo rebus objecta fuerunt. Fatendum eſt, nos ad perſpicuam obſcurarum adeo quæſtionum, cujuſmodi ſunt de origine mali, hominiſque libertate, cognitionem fortaſſe nunquam perventuros, dum vitam hanc vivimus, ac difficultates, quæ in iis occurrunt, humano intellectui impervias, ſolo divini luminis

beneficio ſuperari. Quicumque tamen attento animo expendet, quæ *Leibnitius* argumenta adhibuit ad eas difficultates, quantum fieri poterat, de medio tollendas, eorumque vim prorſus aſſequetur, fatebitur, ante eum neminem unquam majorem attuliſſe lucem iis, quæ pro Religione dicta fuerunt; ac nova ab ipſo præterea arma ſuppeditata ad illam defendendam ea ratione, quæ magis ſupremi numinis dignitatem, ſapientiam, atque infinitam bonitatem decet. Qui penitus *Leibnitium* noverunt, hanc ejus meritis tribuere laudem, eum, quanto maximo poterat ſtudio, ac ſingulari veneratione ſemper proſecutum fuiſſe ea omnia, quæ ad majeſtatis Divinæ gloriam conferre poterant. Cujus rei vel ab ineunte adoleſcentia, non obſcura indicia præbuit. En quomodo in quodam ex primis ſuis juvenilibus operibus, quod inſcribitur: *Theoria motus abſtracti*, de hac egregia ſua voluntate loquitur: » Sed etſi oſtendam, maximas de fi-
» nito, & infinito, de vacuo, & pleno, de compoſitione continui, de
» motu, aut ſtatione terræ controverſias nonniſi abſtracti motus rationi-
» bus probe cognitis definiri poſſe, non erunt hæc, opinor, tanti apud
» hos cenſores. Quid ergo? niſi ut ultima experiamur, oſtendamuſque
» aliquando ad ſolidas de Deo, & mente demonſtrationes, confirmanda-
» que fidei myſteria (*cui negotio ego, ſi quis unquam, ſumma animi con-*
» *tentione incubui, nihilque fere aliorum inexcuſſum, nihil de meo intentatum*
» *reliqui*) non aliter aſcendi poſſe. «

Idem animus in cœteris ejus ſcriptis omnibus elucet, adeo ut, ſi ejus inimici conſecutiones inde quaſdam ducere ſe putarunt, quæ tum principiis, tum maxime menti ejus, ac conſilio repugnent, falſæ illorum ratiocinationes neutiquam auctori ipſi tribui debeant, vel admitti, neglectis contrariis indiciis omnibus, & quidem evidentiſſimis, quæ ex ejus operibus peti poſſunt, inſignibuſque iis locis plurimis, quibus rite, & perquam apertiſſime contrarium omnino teſtatum reliquit. Videbit lector in Diſſertatione, quæ Præfationem hanc conſequetur, quomodo *Leibnitianarum* opinionum orthodoxia ab adverſariorum criminationibus vindicetur. Neceſſarium duxi illam in hujuſce partis limine collocare, ut lectorum animi præparentur ad ejus placita æquius, & ſanius excipienda. Ejus, quam dico, orthodoxiæ notam vel inſcriptione ſola præſeferunt hæc duo opuſcula, dubiumque omne removent, ſi quis ſerio operis cujuſque œconomiam, ac texturam animadvertat. In priori, quod inſcribitur *Confeſſio naturæ contra Atheiſtas*, feliciſſime utitur *Leibnitius* Philoſophiæ præſidio ad impios repellendos, atque in eorum extremas veluti latebras adigendos. Alteri, cui titulus eſt: *Sacroſancta Trinitas per nova inventa logica defenſa*, cauſam dedit epiſtola quædam, quam *Wiſſowatius* Socini ſorore natus, ſcripſerat, & clariſſimus *Boineburgius* cum *Leibnitio* communicaverat. In hac epiſtola ille Socinianorum dogmata confirmare conabatur, ſubtilioriquè dialectica Trinitatis myſterium oppugnabat. Verum *Leibnitius* argumentorum, quibus *Wiſſowatius* eſt uſus, vitia omnia retexit,

xit, veramque Logicam pro fide orthodoxorum ſtare demonſtravit. Verum quo facilius videre queat lector, quid de *Leibnitiana* Theologia ſentire debeat, ejus doctrinæ ſummam in breviſſimum compendium contractam hoc loco ob ejus oculos ponamus.

Deus utpote infinita præditus intelligentia, ſapientia, potentia, ac bonitate, præ mundis omnibus, qui exiſtere poterant, illum debuit eligere, qui ei omnium optimus, & digniſſimus qui exiſteret, viſus fuit; atque ille quidem mundus noſter hic eſt. Quod ſi quis objiciat mundum alium à Deo condi potuiſſe mali phyſici, ac moralis expertem, non diffitetur *Leibnitius*; ſed mundum hujuſmodi hoc noſtro meliorem futurum fuiſſe negat (a). Jamvero Deus neque mali eſt auctor, neque id voluit, ut contingeret: ſed mundum creare conſtituit, in quo maxima pars eſſet boni; quo inductus fuit, ut omnium optimum anteponeret. Neutiquam probavit malum, quod in optimi hujus *idea* continebatur, ſed conſtituit illud permittere tantum, ad finem dirigens, qui bonus eſſet. Itaque in hoc rerum ordine, quo malum permittitur, gratia continetur ſalutis per Jesum Christum, cui locus in alio minime fuiſſet.

Deus igitur mundum conditurus ipſum vidit cum relationibus omnibus, quæ cauſas inter, & effecta intercedunt; futura omnia proſpexit, univerſa hominum facta bona æque ac mala; actiones tum naturales, tum *ſupernaturales* condendarum rerum &c. Poſt quæ mundum creare decrevit, in quo nihil immutare amplius poſſet: ſecus namque mundus idem jam non eſſet, quem principio mente ſua geſſit.

Prætereundæ ſunt inanes querelæ, quibus deploratur, amplificaturque magnitudo mali, quo ima terra hæc laborat. Eæ quidem quo ſpectant alio, niſi ad malum ipſum augendum, quum ad illud mentem noſtram attentiorem faciant? Si autem bonum cum malo comparetur, multo plus boni ineſt in hoc mundo, quam mali. Namque etſi quis rationem ineat eorum, qui in orbe hoc noſtro degentes in interitum ruunt ſempiternum, qui ſane multo plures ſunt, quam electi, nihilo tamen ſecius malum hoc nonniſi exiguum veluti punctum eſt, ſi cum immenſo numero electorum univerſi totius conferatur. Jamvero notio infinitæ Dei bonitatis, quæ ineſt in animis noſtris, illud nobis ſuadet, ſtellas, ſatellites, eorumve ſolum incolas habere ſuos rationis participes, qui nobis feliciores eſſe poſſunt, quo beatorum numerus multo major efficeretur, quam miſerorum. Poſſunt itidem ultra ſtellarum regionem immenſa ſpatia protendi, gloriæ ac felicitatis plena, domicilium viventium, qui ſuperiori longe, pleniorique beatitate fruantur. Præterea malum ipſum, quatenus malum eſt, cauſa efficienti caret; neque res eſt, ſed boni privatio tan-

 tum,

(a) Hæreditas centum millium libellarum, cum decem millibus æris alieni ſolvendi, nonne anteponenda eſt hæreditati quinquaginta millium, ſine ullo alieno ære diſſolvendo?

tum, atque inde proficiſcitur, quod conditarum rerum facultas neceſſario circumſcripta, ac finita ſit, adeoque habeant ab ipſa origine, vel ante peccatum, defectus quoſdam; quo fit, ut multa ignorare, ut errare, ut labi poſſint. Quamobrem non jam neceſſarium eſt malum, ſed poſſibile; & quando reipſa eſt, ita eſt, ut plane non eſſe poſſit; neque ab infinita Dei ſapientia permittitur, niſi quod in *idea* contineatur mundi omnium optimi, quotquot exiſtere potuerant.

Tandem neutiquam vult Deus morale malum, neque univerſim quidem malum ipſum phyſicum, ſed illud permittit quandoque tamquam peccati pœnam, quandoque vero tamquam modum, viamque magni boni conſequendi, vel majoris mali evitandi.

Concludit *Leibnitius*, Deum velle bonum univerſum per ſe, voluntate, ut ajunt, antecedenti; conſequenti autem præſtantius bonum, veluti finem; ac velle tantum morale malum permittere, quatenus eſt cum meliori bono hypothetica, quam dicunt, neceſſitate conjunctum.

Ad libertatem quod attinet, eam *Leibnitius* ponit in facultate, qua homo ultro, ac ſponte agat, & ex duobus, quæ ſibi propoſita ſint, utrum velit eligat; non vero in eo, quod *indeterminationem*, & *æquilibrii indifferentiam* vocant. Hujuſmodi *ἰσοσταθμία*, pergit ille, eſſe nequit, & omnino experientiæ ipſi repugnat: ac quotieſcumque noſmetipſi excuſſerimus, penituſque expenderimus actiones noſtras, reperiemus extitiſſe ſemper cauſam aliquam, rationemve, quæ animum ad illud flexit, quod ſecuti ſumus; quamquam ſæpiſſime ea, quibus movemur, minime ſentimus, quemadmodum vix ſentire quis poteſt, cur ex oſtio quopiam egrediens, dextrum ante lævum, vel lævum ante dextrum pedem promoveat. Ratio quædam eſt ſemper, qua voluntas inclinatur, ac movetur, nulla tamen neceſſitate cogente. Nunquam ad agendum movetur voluntas, niſi objecta boni ſpecie, quæ, plus quam contrariæ, apud eam momenti habeat. In id omnes conſentiunt, quum de Deo agitur, de bonis Angelis, animiſque Beatorum, quos tamen nihilominus liberos nemo non agnoſcit. Meliora Deus nunquam non deligit; ſed eo minime cogitur; neque item neceſſitas eſt ulla in iis, quæ præfert Deus; namque alia rerum ſeries, atque ordo æque eſſe poteſt. Eamdem ob cauſam fit, ut libera ſit electio, neque ulli neceſſitati obnoxia, quia cadit in plura, quæ eſſe poſſunt, ac voluntas nonniſi majore, ac quodammodo præponderante rei, quam deligit, bonitate ducitur. Hoc igitur imbecillitas minime eſt in Deo, ac Beatis, ſed defectus contra, atque evidentiſſime abſurdum eſſet, ſi res aliter ſe haberet, vel in hominibus ipſis, qui in hoc orbe degunt, ſi agerent citra cauſam ullam, quæ ad agendum eos induceret. Cujus quidem rei exemplum nunquam reperiri poterit, & vel quum conſilium aliquod quis capit cœco, ac temerario animi impetu ad propriam libertatem oſtentandam, illa ipſa voluptas, ſive utilitas, quæ inde percipitur, una eſt ex iis cauſis, quibus ad illud impellitur.

Neſcio

Neſcio an hæc una ſit ratio clarius explicandæ tum Dei, tum hominum libertatis, qua hic *Leibnitius* utitur ad implicatas adeo quæſtiones ſolvendas de origine mali, ac libertate. Difficultates, quæ maximum negotium faceſſerent, declinavit; & ſi quis, præjudicata omni opinione depoſita, judicare velit, non invitus fatebitur, hanc ratiocinandi viam humano intellectui ſatisfacere, etiam ultra quam argumentum, de quo agitur, pati poſſe videretur.

G. G. LEIBNITII

CONFESSIO NATURÆ CONTRA ATHEISTAS.

PARS I.

Quod ratio Phænomenorum Corporalium reddi non poſſit, ſine incorporeo Principio, id eſt DEO.

DIvini ingenii vir *Franciſcus Baconus de Verulamio* recte dixit, philoſophiam obiter libatam à DEO abducere, penitùs hauſtam reducere ad eundem. Experimur hoc ſeculo noſtro, feraci pariter ſcientiæ & impietatis. Cum enim excultis egregiè mathematicis artibus, & rerum interioribus per Chemiam & Anatomiam tentatis appareret, plerorumque rationes ex corporum figurâ motûque velut mechanicè reddi poſſe, quos veteres vel ad ſolum Creatorem vel ad neſcio quas incorporales formas retulerant; tum verò ingenioſi quidam primum tentare cæperunt, poſſent ne phœnomena naturalia, ſeu ea, quæ in corporibus apparent, ſalvari & explicari, Deo non ſuppoſito, nec ad ratiocinandum aſſumto: mox ubi paulum res ſucceſſit (antequam ſcilicet ad fundamenta & principia veniſſent) velut gratulantes ſecuritati ſuæ permaturè prodiderunt, ſe neque Deum, neque immortalitatem animæ naturali ratione reperire, ſed fidem ejus rei vel præceptis civilibus vel hiſtoriarum relationi deberi, ita cenſuit ſubtiliſſimus *Hobbes*, inventis ſuis meritus hoc loco ſileri, niſi autoritati ejus in deterius valituræ nominatim obviam eundum eſſet. Atque utinam non alii, longius progreſſi, jamque de Scripturæ ſacræ autoritate, de veritate hiſtoriarum, de hiſtoriarum relatione dubitantes Atheiſmum mundo non obſcurè invexiſſent.

Hoc vero mihi admodum indignum viſum eſt animum noſtrum ſua ipſius luce, id eſt, Philoſophia præſtringi. Cæpi igitur ipſemet inquiſitioni rerum incumbere, tanto vehementius, quanto ferebam impatientius, me

maximo vitæ bono, certitudine ſcilicet æternitatis poſt mortem, & ſpe divinæ beneficentiæ in bonos ac innocentes aliquando appariturae, dejici per ſubtilitates novatorum.

Sepoſitis igitur præjudiciis & dilata Scripturæ & hiſtoriæ fide anatomen corporum mente aggredior, tentaturus an eorum quæ in corporibus ſenſu apparent, rationem reddere poſſibile ſit, ſine ſuppoſitione cauſæ incorporalis.

Ac principio hodiernis philoſophis *Democriti* & *Epicuri* reſuſcitatoribus, quos *Robertus de Boyle* corpuſculares non ineptè appellat, ut *Galilæo*, *Bacono*, *Gaſſendo*, *Carteſio*, *Hobbeſio*, *Digbaeo* facile condeſcendendo aſſenſus ſum, in reddendis corporalium Phænomenorum rationibus neque ad Deum, neque aliam quamcunque rem, formamque aut qualitatem incorporalem ſine neceſſitate confugiendum eſſe.

(Nec Deus interſit, niſi dignus vindice nodus - - - inciderit.) Sed omnia quoad ejus fieri poſſit, ex natura corporis, primiſque ejus qualitatibus, magnitudine, figura & motu deducenda eſſe.

Sed quidſi demonſtrem, ne harum quidem primarum qualitatum originem in natura corporis reperiri poſſe? Tum verò fatebuntur, ut ſpero, naturaliſtæ noſtri, corpora ſibi non ſufficere nec ſine principio incorporeo ſubſiſtere poſſe. Demonſtrabo verò nec obſcurè nec flexuosè.

Si ſcilicet qualitates iſtæ ex definitione corporis deduci non poſſunt, manifeſtum eſt eas in corporibus ſibi relictis exiſtere non poſſe. Omnis enim affectionis ratio vel ex re ipſa, vel ex aliquo extrinſeco deducenda eſt. Definitio autem corporis eſt ſpatio inexiſtere. Et omnes homines illud dicunt, corpus, quod in ſpatio aliquo reperiunt, & contra quod corpus eſt, in ſpatio aliquo reperiunt. Conſtat hæc definitio duobus terminis ſpatio, & exiſtentia.

Ex ſpatii termino oritur in corpore magnitudo & figura. Corpus enim eandem ſtatim magnitudinem & figuram habet cum ſpatio quod implet. Sed reſtat dubium cur tantum potius & tale ſpatium impleat, quam aliud, & ita cur exempli cauſa ſit potius tripedale quam bipedale, & cur quadratum potius quam rotundum. Cujus rei ratio ex corporum naturâ reddi non poteſt, eadem enim materia ad quamcunque figuram ſive quadratam ſive rotundam indeterminata eſt. Duo igitur tantum reſponderi poſſunt, vel corpus propoſitum quadratum fuiſſe, ab æterno, vel ab alterius corporis impactu quadratum factum eſſe, ſiquidem ad cauſam incorpoream confugere nolis. Si dicis: ab æterno fuiſſe quadratum eô ipſo rationem non aſſignas, quidnî enim potuerat ab æterno eſſe ſphæricum? æternitas quippe nullius rei cauſa intelligi poteſt. Sin dicis alterius corporis motu quadratum factum eſſe, reſtat dubium cur figuram talem vel talem ante motum illum habuerit; & ſi iterum rationem refers in motum alterius, & ſic in infinitum, tum per omne infinitum reſponſiones tuas novis quæſtionibus proſequendo, apparebit nunquam materiam deeſſe quærendi rationem

tionem rationis, & ita rationem plenam redditam nunquam eſſe. Apparebit igitur ex natura corporum rationem certæ in iis figuræ & magnitudinis reddi non poſſe. Diximus definitionem corporis duas habere partes: ſpatium & inexiſtentiam; ſed ex voce ſpatii oriri magnitudinem aliquam & figuram, ſed non determinatam; ad terminum verò inexiſtentiæ in illo ſpatio pertinet motus, dum enim corpus incipit exiſtere in alio ſpatio quam prius, ex ipſo movetur. Sed re accuratius perpensâ apparebit ex natura quidem corporis oriri mobilitatem, ſed non ipſum motum. Eo ipſo enim dum corpus propoſitum eſt in ſpatio hoc: etiam eſſe poteſt in alio æquali & ſimili prioris, id eſt poteſt moveri. Nam poſſe eſſe in alio ſpatio quam prius, eſt poſſe mutare ſpatium, poſſe mutare ſpatium eſt poſſe moveri. Motus enim eſt mutatio ſpatii. Actualis autem motus ab inexiſtentia in ſpatio non oritur, ſed potius corpore relicto ſibi contrarium ejus, nempe permanſio in eodem, ſeu quies. Ratio igitur motus in corporibus ſibi relictis reperiri non poteſt. Fruſtraneum igitur eſt illorum effugium, qui rationem motus ſic reddunt: Omne corpus vel motum eſſe ab æterno vel moveri ab alio corpore contiguo & moto. Nam ſi dicunt corpus propoſitum motum eſſe ab æterno, non apparet cur non potius quieverit ab æterno, tempus enim, etiam infinitum, cauſa motus intelligi non poteſt. Sin dicunt corpus propoſitum moveri ab alio contiguo & moto; idque iterum ab alio, ſine fine; nihilo magis rationem reddiderunt, cur moveatur primum & ſecundum & tertium vel quotumcunque, quandiù non reddidêre rationem cur moveatur ſequens, à quo omnia antecedentia moventur. Ratio enim concluſionis tam diu planè reddita non eſt, quamdiu reddita non eſt ratio rationis. Præſertim cum hoc loco idem dubium ſine fine reſtet.

Satis igitur, opinor, demonſtratum eſt: determinatam figuram & magnitudinem, motum verò omnino illum in corporibus ſibi relictis eſſe non poſſe. Jacebo hoc loco, quia altioris indaginis res eſt, ne cauſam quidem conſiſtentiæ corporum hactenus ab ullo ex ipſa corporum natura redditam eſſe.

A conſiſtentia autem corporum eſt 1°. quod corpus grande parvo impellenti non cedit, 2°. quod corpora aut partes corporum ſibi invicem cohærent, ex quo oriuntur qualitates iſtæ tactiles quas vulgo ſecundas vocant, nempe ſoliditas, fluiditas; durities, mollities; glabrities, aſpritudo; tenacitas, fragilitas; friabilitas, ductilitas, malleabilitas, fuſibilitas: 3°. quod corpus durum corpori non cedenti impingens reflectitur. Breviter à conſiſtentia tria ſunt, reſiſtentia, cohærentia, reflexio. Quarum rationem qui ex materiæ figura magnitudine & motu mihi reddiderit, eum ego magnum philoſophum libens fatebor. Unica prope via apparet, nempe corpus ideò corpori impellenti reſiſtere, & ipſum repercutere, quia ipſius partes in ſuperficie inſenſibiliter in occurſum ejus moveantur. Sed ſupponamus corpus impingens non ea linea, qua partes corporis

poris impellendi occurſura ſunt, ſed alia, obliqua fortaſſe incidere; eo ipſo ſtatim omnis reactio, reſiſtentia, reflexio ceſſabit contra experientiam. Sed cohærentiæ ratio à reactione & omnino motu, plane reddi non poteſt. Nam ſi chartæ partem impello, pars quam impello, cedit, ideò aliqua reactio & motus reſiſtentiæ fingi non poteſt. Sed non cedit ſola, ſed reliquas partes ſibi adhærentes ſimul aufert. Sanè verum eſt, & rationem habet, quod olim *Democritus*, *Leucippus*, *Epicurus*, & *Lucretius*, hodie ſectatores eorum *Petrus Gaſſendus* & *Joh. Chryſoſt. Magnenus* prodiderunt: Omnem in corporibus cohærentiæ cauſam eſſe naturaliter figuras quaſdam implicatorias, nempe, hamos, uncos, annulos, eminentias, breviter, omnes duorum corporum curvitates vel ſtationes ſibi invicem inſertas. Sed hæc ipſa inſtrumenta implicatoria ſolida, & tenacia eſſe neceſſe eſt, ut ſuum faciant officium & corporum partes contineant. Sed unde ipſis tenacitas? an hamos hamorum ſupponemus in infinitum? Sed quæ dubitandi ratio in primis erit, ea & in ſecundis & tertiis erit ſine fine, ad has difficultates acutiſſimis iſtis philoſophis nihil aliud ſuperfuit quod reſponderent quam ut ſupponerent in ultima corporum reſolutione inſecabilia quædam corpuſcula, ipſi atomos vocant, quæ variis ſuis figuris variè combinatis varias corporum ſenſibilium qualitates efficiant. Sed in iſtis ultimis corpuſculis nulla apparet ratio cohærentiæ & inſecabilitatis.

Reddidere aliquam veteres, ſed ita ineptam, ut ejus recentiores pudeat. Scilicet partes atomorum ideo cohærere, quia nullum intercedat vacuum; ex qua ſequitur, omnia corpora quæ ſe ſemel contigerunt, inſeparabiliter ad atomorum exemplum cohærere debere, quia in omni contactu corporis ad corpus nullum intercedit vacuum. Quâ perpetuâ cohærentia nihil eſt abſurdius, nihil ab experientiâ magis alienum. Recte igitur in reddenda atomorum ratione confugiemus ad Deum denique, qui ultimis iſtis rerum fundamentis firmitatem præſtet. Et miror neque *Gaſſendum* neque alium inter acutiſſimos hujus ſeculi philoſophos, præclaram hanc demonſtrandæ Divinæ exiſtentiæ occaſionem animadvertiſſe. Apparet enim in extrema corporum reſolutione Dei auxilio carere naturam non poſſe.

Cum autem demonſtraverimus corpora determinatam figuram & quantitatem, motum verò illum habere non poſſe, niſi ſuppoſito Ente incorporali, facilè apparet illud Ens incorporale pro omnibus eſſe unicum, ob harmoniam omnium inter ſe, præſertim cum corpora motum habeant, non ſingula à ſuo ente incorporali, ſed à ſe invicem. Cur autem Ens illud incorporale hanc potius quam illam magnitudinem, figuram, motum eligat; ratio reddi non poteſt, niſi ſit intelligens, & ob rerum pulchritudinem ſapiens, ob earum obedientiam, ad nutum, potens. Tale igitur Ens incorporale erit Mens totius mundi Rectrix, id eſt Deus.

PARS II.

Mentis humanæ immortalitas continuo ſorite demonſtrata.

Mens humana eſt ens cujus aliqua actio eſt cogitatio.

Ens cujus aliqua actio eſt cogitatio, ejus aliqua actio eſt res immediate ſenſibilis ſine imaginatione partium.

Cogitatio enim eſt res (1°.) immediate ſenſibilis, mens quippe ſe cogitantem ſentiens ſibi immediata eſt. (2°.) Cogitatio eſt res ſenſibilis ſine imaginatione partium. Hoc experienti clarum eſt. Cogitatio enim eſt hoc ipſum neſcio quod, quod ſentimus, quando ſentimus nos cogitare. Quando autem verbi gratiâ ſentimus nos cogitaſſe de Titio, non ſolum ſentimus nos Titii imaginem, quæ ſanè partes habet, habuiſſe in animo, quia hoc non ſufficit ad cogitationem.

Habemus enim imagines in animo etiam quando de iis non cogitamus; ſed ſentimus præterea, nos illam Titii imaginem advertiſſe, in qua advertentiæ ipſius imaginatione nullas partes deprehendimus.

Cujus aliqua actio & res immediate ſenſibilis ſine imaginatione partium.

Ejus aliqua actio eſt res ſine partibus.

Nam quale quid immediatè ſentitur, tale eſt. Erroris enim cauſa eſt medium, quia ſi objectum ſenſus eſſet cauſa erroris, ſemper falſo ſentiretur; ſin ſubjectum, ſemper falſo ſentiret.

Cujus aliqua actio eſt res ſine partibus, ejus aliqua actio non eſt motus.

Omnis enim motus habet partes per demonſtrata Ariſtotelis & omnium confeſſionem.

Cujus aliqua actio non eſt motus illud non eſt corpus.

Omnis enim corporis actio eſt motus. Omnis enim rei actio eſt eſſentiæ variatio.

Corporis eſſentia eſt: eſſe in ſpatio, exiſtentiæ in ſpatio variatio eſt motus.

Omnis igitur corporis actio eſt motus.

Quicquid non eſt corpus, non eſt in ſpatio.

Corporis enim definitio eſt eſſe in ſpatio.

Quicquid non eſt in ſpatio, non eſt mobile.

Motus enim eſt mutatio ſpatii.

Quicquid non eſt mobile eſt indiſſolubile.

Diſſolutio enim eſt motus ſecundum partem.

Omne indiſſolubile eſt incorruptibile.

Corruptio enim eſt diſſolutio intima.

Omne incorruptibile eſt immortale.

Mors enim eſt corruptio vivéntis, ſed diſſolutio ejus machinæ per quam quid apparet ſe movere.

Igitur
Mens humana eſt immortalis.
Quod erat demonſtrandum.

DEFENSIO TRINITATIS
PER NOVA REPERTA LOGICA,
CONTRA EPISTOLAM ARIANI.
Ad Baronem Boineburgium Dedicatio.

IBit tecum in Poloniam ſi pateris, Illuſtr. Domine, quod a Polono ad Te venit. Nomini ejus parcere & ſcripturæ privatæ jura jubent, & ſuadet magna, ſed, ut nos credimus, infelix viri doctrina, cujus non perſonæ ſed ſententiæ nocere volo. Is ergo a Te, pro ea, qua erga omnes literarum amantes voluntate es, inter alia eruditionis commercia appellatus de deponenda ſententia exoſa & periculoſa, & a conſenſu eccleſiæ catholicæ, id eſt, tempore perpetuæ, loco univerſalis, abhorrente; argumento quidem, quo tu potiſſimum nitebaris, in conſenſu Chriſtianorum poſito non reſpondit, id enim leve illis videtur, qui aſſueti ſunt in eccleſia & republica ſummam judicandi poteſtatem ſibi ſumere; at vero in ſe ſuoſque verſus ex ſcriptis eorum hunc velut ſuccum contundendo expreſſit, quo ego fidenter dico robur omne ſophiſmatum contra trinitatem contineri. Et profecto ſic adſtringit nodos, ſic difficultates exaggerat, ſic proſequitur pugnam, ſic ictus ictibus ingeminat; ut qui his repellendis par fuerit, reliqua e pharetra Socini tela, poſſit fortaſſis audacter contemnere. Ego, illuſtris Domine, cum primum ea & beneficio Tuo vidi, & auctoritate ad tentandam reſponſionem impulſus ſum, tum demum cepi & fructum & voluptatem maximam, ex profundiore illa philoſophia, cui ego me meopte ingenio a puero immerſi. Hæc mihi, niſi amore veritatis fallor, in ſacris meditationibus, in civilibus negotiis, in natura rerum ea documenta ſuggeſſit, quibus ad vitam tranquille agendam nihil in me ſentio efficacius: quædam etiam tunc curioſa magis quam utilia, ſed quæ nunc in tollendis Antitrinitariorum difficultatibus eam lucem attulerunt, ut jam non dubitem, quicquid verum eſt idem utile eſſe.

RES-

RESPONSIO AD OBJECTIONES WISSOWATII

Contra Trinitatem & Incarnationem Dei altiſſimi.

(a) Quia objectiones & reſponſiones priſtinas non vidi, judicare non poſſum, an contradictionem ſententiæ Antitrinitariæ probaverint vel diluerint.

(b) Dicis ex *Virgilio*: Aſpice num mage ſit noſtrum penetrabile telum. Ego ex eodem reſpondeo: Poſtquam arma Dei ad Vulcania ventum eſt mortalis mucro glacies ceu futilis ictu diſſiluit.

(c) Ad argumentum I. præmitto in genere, quod & in ſequentibus obſervandum eſt, copulas in ſyllogiſmorum præmiſſis vulgo non recte concipi. (Hæc obſervatio etiam prodeſt ad diſtinguendum infinitam a negativa, v. g. qui non credunt, damnantur; Judæi non credunt; Ergo damnantur. Videtur eſſe ſyllogiſmi minor negativa, ſed non eſt, quia ſyllogiſmus fit talis: Qui ſunt illi, qui non credunt, damnantur; Judæi ſunt illi, qui non credunt; Ergo damnantur.) Diſtinguendum autem inter propoſitiones per ſe & per accidens, v. g. recte ſimpliciter dicimus: Omnis homo eſt albus. Etſi verum ſit; quia albedo humanitati immediate non cohæret. Sed dicendum, omnis, qui eſt homo, eſt albus. Quæ etiam ex parte obſervavit *Johannes Raven* Berolinenſis in peculiaribus ſuis de copula ſpeculationibus. Deinde obſervandum eſt ex eodem fundamento omnes propoſitiones ſingulares eſſe virtute latentis ſigni univerſales, quod & ab auctore diſſertationis de arte combinatoria eſt annotatum, v. g. hæc propoſitio: *Petrus* Apoſtolus fuit primus Epiſcopus Romanus, ſignis & copula recte poſitis ita formabitur: Omnis qui eſt *Petrus* Apoſtolus fuit Epiſcopus Romanus. Juxta hæc igitur formabimus primum argumentum.

Omnis qui eſt unus Deus altiſſimus, eſt pater ille, ex quo omnia. Filius Dei non eſt pater ille, ex quo omnia.

Ergo Filius Dei Jeſus Chriſtus non eſt is, qui eſt unus Deus altiſſimus. Ita Syllogiſmus erit in *Cameſtres*. Reſpondeo diſtinguendo: Per omnia intelliguntur vel creaturæ, vel etiam ſimil filius. Si creaturæ cæteræ tantum, concedo majorem, quod omnis ille, qui eſt unus Deus altiſſimus, ſit pater ille, ex quo omnia, ſcilicet omnes creaturæ. Et ita negatur minor, quod filius Dei non ſit pater ille, ex quo omnia, ſcilicet omnes creaturæ. Quia vos ipſi conceditis, omnes creaturas per filium creatas eſſe. Si vero ſub omnium voce intelligitur etiam ipſe filius, tunc conceſſa minore, quod filius Dei non ſit pater ille, ex quo omnia nempe ipſe etiam filius, negabitur major, quod omnis ille, qui eſt unus Deus altiſſimus ſit pater ille ex quo omnia, etiam filius, oriuntur. Nos enim donec contrarium melius probetur, manemus in hac ſententia, quod filius & Spiritus S. ſunt ille, qui eſt unus Deus altiſſimus, & tamen non ſunt

pater ille, ex quo omnia, & in iis ipſe filius & Spiritus S. quoque oriuntur.

(d) Non eſt ſcriptoribus ea neceſſitas imponenda, ut cujus dicendi etiam maxima occaſio eſt, id ſtatim dicant.

(e) D. *Paulus* l. c. per Patrem, ex quo omnia, & Dominum, per quem omnia, poteſt intelligere, unum idemque ens, nempe Deum altiſſimum. Nam alioqui jure naturali, qui pater, idem Dominus eſt liberorum, & præpoſitiones *ex* & *per* non ita diſparatæ ſunt, ut prohibeantur ita loqui: Ex quo ſunt omnia, per eum quoque ſunt omnia. Nam & *Paulus* alibi de uno eodemque Deo altiſſimo duas has particulas una cum tertia *In*, ſimul enunciat, cum inquit: Ex quo, per quem & in quo ſunt omnia. Quam phraſin quidam ad adumbrationem Trinitatis merito trahunt; Verum non eſt meum argumentari, ſed reſpondere.

(f) Non neceſſe eſt, ut *Paulus* I. Cor. VIII. 6. & *Petrus* Act. II. 36. vocem *Dominum* de Chriſto eodem reſpectu uſurpent, poteſt ille de Chriſto quatenus Deus eſt, hic, quatenus homo eſt, loqui.

(g) Non vacat nunc loca citata omnia evolvere, & ex ipſis exſculpere, ſi qua in illis difficultas latet, oſtendatur.

(h) Argumentum, quod implicite proponis, ne diſſimulemus, eſſet tale: Omnis per quem ille, qui eſt unus Deus altiſſimus, facit omnia, is non eſt Deus altiſſimus.

Filius Dei eſt ille, per quem ille, qui eſt unus Deus altiſſimus, facit omnia.

Ergo Filius Dei non eſt Deus altiſſimus.

In hoc argumento negatur major. Poteſt enim Deus altiſſimus, nempe pater, per Deum altiſſimum, nempe filium, omnia facere, & tamen non per ſe ipſum, licet per eum, qui etiam eſt id, quod eſt ipſe. Et ita reſpondimus, opinor, argumento primo, ut tamen ad oculum conſtet, nervum ejus inciſum eſſe, aliud ad ejus imitationem fabricabimus.

Omne trilineum habet pro abſtracto immediato trilineitatem.

Triangulum non habet pro abſtracto immediato trilineitatem. Habet enim trianguleitatem potius, quæ ſi cum trilineitate eſſet immediate idem, eſſet etiam idem anguleitas & lineitas, quæ demta ternitate remanent.

Jam vero anguleitas & lineitas adeo non ſunt idem, ut poſſint etiam duæ lineæ ſine angulo eſſe v. g. parallelæ.

Ergo Triangulum non eſt trilineum, quod eſt abſurdum. Reſpondeo ex fundamento præmiſſo, majorem ita formandam: Omne quod eſt trilineum, habet pro abſtracto immediato trilineitatem. Et ſic negatur major. Nam & triangulum eſt trilineum, & tamen non habet pro abſtracto immediato trilineitatem. Hoc principio adhibito, Scholaſticorum tædioſis circa ſuppoſitiones præceptis carere poſſumus. v. g. Animal eſt genus, *Petrus* eſt animal; Ergo *Petrus* eſt genus. Reſp. majorem non eſſe univerſalem, neque enim is, qui eſt animal, eſt genus.

(i) Ar-

(i) Argumentum ſecundum, ut formale ſit, ſic formandum eſt.

Qui eſt ille qui neſcivit diem judicii, is non eſt ille, qui eſt Deus altiſſimus.

Filius Dei neſcivit diem judicii. Ergo Filius Dei non eſt ille, qui eſt Deus altiſſimus.

Et ſic negatur major. Nam poteſt quis ex noſtra hypotheſi ſimul eſſe ille, qui neſcit diem judicii, nempe homo, & ille, qui eſt Deus altiſſimus. Quæ hypotheſis noſtra, quod idem ſimul poſſit eſſe Deus & homo, quamdiu non evertitur tamdiu contrarium argumentum petit principium. Quidlibet autem poſſibile præſumitur, donec contrarium probetur.

(k) Interpretes textum contorquentes nihil ad nos, utri plus textum torqueant, & ex pluribus interpretationibus poſſibilibus eligant improbabiliorem, dummodo ſibi faveat, alibi demonſtrandi occaſio erit.

(l) Vulgatam hanc reſponſionem, neque qui ſe Catholicos, neque qui Evangelicos, neque qui Reformatos vocant, quod ſciam, averſantur.

(m. 1.) Diſparata neque de ſe neque de eodem tertio prædicari non poſſe plane nego, dummodo, quæ circa copulam admonuimus, ſerventur. Etſi enim minus bene dicatur, ferrum eſt lignum, & anima eſt corpus: tamen poteſt caſus contingere, in quo recte dicatur: quoddam quod eſt ferrum, (ſcilicet ex parte) id eſt lignum, (ſcilicet ex alia parte.) Nec abſurdum eſt, eundem eſſe & non eſſe Deum altiſſimum pro diverſis partibus; nec video, cur non pars de toto proprie prædicari poſſit, dummodo reduplicatio addatur, vel ſubintelligatur. Proprie enim totum nihil aliud eſt quam ſingulæ partes de eodem prædicatæ cum unione v. g. Homo eſt anima & corpus. Quicquid autem anima & corpus eſt, illud utique eſt anima & idem utique corpus. Quidni liceat reſolvere copulationem in duas ſimplices: Homo eſt anima, & homo eſt corpus? Igitur ſimiliter, ſi ex noſtra hypotheſi, Chriſtus eſt unum ex Deo & homine, licebit dicere: Chriſtus eſt Deus & homo, & ita: Chriſtus eſt Deus & Chriſtus eſt homo.

(m. 2.) Quod objicitur, inconveniens eſſe, ut Chriſtus ſimpliciter intelligatur dixiſſe, ſe neſcire, ideo quia pars ſui inferior neſcivit, id cur inconveniens ſit, non video. Inprimis eo tempore, quo functio parti inferiori ordinarie ineſſe ſolita ei ſubtracta eſt. Sciendum enim ordinarium quidem eſſe, ut divinitas ſcientiam humanitatis ſibi conjunctas perficiat, ſi non per communicationem ejus numero idiomatis, ſaltim per excitationem accidentis novi. Id tamen quod ordinarium eſt in ſtatu humilitatis Chriſti, antequam humanitas ejus reciperetur in gloriam ſuam, ei ſubtrahebatur. Quæ res multum ventilata eſt inter Theologos quoſdam Lutheranos, qui & libros ſcripſere.

Poteſt ea ſubtractio intelligi *Ecſtaſeos*, quo tempore anima functiones, quas alioqui corpus peragit, nempe ratiocinari, cogitare, exequitur quaſi ſeparata ſine corporis concurſu. Eo igitur tempore durantis *Ecſtaſeos* non

inepte dicetur hominem non ratiocinari, etiamſi pars ejus ignobilior, nempe corpus tantum, a ratiocinatione ceſſet, quia functio illa, quam anima ordinarie per corpus peragit, & quam homo ordinarie efficit, quatenus ex anima & corpore unitus eſt; nunc ab eo non quatenus anima & corpus eſt, & ita non quatenus homo eſt, ſed tantum quatenus anima eſt, peragitur. Similiter igitur Chriſtus recte dicetur aliquid neſcire, quando functionem ſciendi non per Deitatem cum humanitate ut alias, & ita nec quatenus Deus homo eſt, & ita nec quatenus Chriſtus eſt, exercet.

(n) Ad verba: an ipſi concedunt; imo concedemus filium Dei non creaſſe mundum &c. dummodo ſubaudiatur: ſecundum humanitatem.

(o) Quæris 2. cur divinitas ſecretum de tempore extremæ diei non communicaverit humanitati ſibi tam arcte unitæ. Ideo, inquam, quia eam nondum glorificatam humiliari & pati oportuit.

(p) 3. Argumentaris: Perſona filii divina ſcivit diem judicii. Perſona filii eſt filius. Ergo Filius ſcivit diem judicii. Concedo. Quomodo ergo neſcivit. Scivit Deus, neſcivit homo.

(q) 4. Repetitur quod ſupra objiciebas: quod parti inferiori competit, toti non tribuendum ſimpliciter, reſponſum eſt lit. m. 2.

(r) Objicis 5. filium Dei neſciviſſe diem judicii, quatenus eſt filius Dei, quia opponitur hic Patri. Reſp. etiam humanitatem non inepte dici filium Dei, quamvis ei non ὁμουσιότης, quia & vos qui *homouſion* Patri negatis, tamen filium Dei dicitis.

(s) In argumento illo negatur Minor: quod filius Dei etiam ſecundum Deitatem non ſit Pater Jeſu Chriſti. Imo tota Trinitas recte dicetur Pater Jeſu Chriſti hominis. Ideo miror, cur opponens dicat minorem eſſe apud omnes in confeſſo.

(t) Argumentum illud eſſet tale: Quicunque non facit omnia a ſe ipſo, ille non eſt omnipotens. Filius Dei non facit omnia a ſe ipſo. Ergo. Negatur major. Perinde ac ſi argumentari vellem. Pater non facit omnia per ſe ipſum, ſed per filium, ut vos conceditis. Ergo non eſt omnipotens. Imo ſunt cauſæ ſociæ in agendo, & ſi altera ſit prior natura in eſſendo.

(u) Poteſt eſſe Deus altiſſimus etiam, qui omnia ab alio habet, quando nimirum in alterius poteſtate non eſt ipſi denegare. Et non minus filius Patri, quam filio Pater eſt neceſſarius. Cum enim proprie pater ſit intellectivum, filius intelligibile, & Spiritus S. intellectio, & in æternis atque divinis idem ſit eſſe & poſſe, non erit intellectivum in Deo, quod non actu intelligat; intellectio autem ſine intelligibili eſſe non poteſt. Contra nullum erit intelligibile in Deo, quod non intelligatur, & ita non habeat correſpondens ſibi intellectivum. Igitur ut ſecunda perſona ſine ſecunda eſſe non poteſt.

(x) Ad argumentum tertium reſpondeo concedendo totum. Deus altiſſimus eſt ſingulare, nec prædicatur de multis, ſed hoc nihil officit Trinitati.

nitati. Nam is qui eſt Deus altiſſimus (ſeu perſona Dei altiſſimi) poteſt nihilominus de multis prædicari, quia is, qui eſt Deus altiſſimus ſeu perſona divinitatis eſt univerſale, non ſingulare. Ex hoc etiam apparet, quod etſi tres ſint, quorum quilibet eſt id, quod eſt Deus, tamen non ſint tres Dii. Non eſt enim ter unus Deus ab altero diſtinctus, ſed eſt ter unus, quorum quilibet eſt id quod eſt Deus, ſeu ter una perſona. Igitur nec tres Dii ſunt, ſed tres perſonæ. Quanquam hæc vulgo obſervata non ſit temere reperire.

(y) Non poteſt dici, Deum ita ſtrictiſſime unum eſſe, ut non dentur in eo realiter ſeu ante operationem mentis diſtincta. Si enim mens eſt, impoſſibile eſt, quin ſint in eo intelligens, intellectum & intellectio, & quæ cum his coincidunt: poſſe, ſcire, & velle. Horum vero reale diſcrimen non eſſe implicat contradictionem. Cum enim formaliter differant, erit eorum differentia rationis ratiocinatæ; talis autem differentia habet fundamentum in re, erunt igitur in Deo tria fundamenta realiter diſtincta. Vellem huic argumento reſponderi. Neque hoc imperfectionem in Deo infert, quia multitudo & compoſitio per ſe imperfecta non eſt, niſi quatenus continet ſeparabilitatem & ita corruptibilitatem totius, ſed ſeparabilitas hinc non infertur. Quin potius ſupra lit. u. demonſtratum eſt, impoſſibile eſſe & implicare contradictionem, ut una Deitatis perſona ſine alia exiſtat. Nec multiplicatur Deus. Quemadmodum enim, ſi differunt realiter in corpore magnitudo, figura & motus, non ſequitur ideo etiam neceſſario tria eſſe corpora, unum quantum, alterum figuratum, tertium motum. Cum idem lapis cubitalis rotundus & gravis eſſe poſſit: ita ſi differant realiter in mente judicium, idea & intellectio, non ſequitur tres eſſe mentes. Cum una ſit mens, quæ quando reflectitur in ſe ipſam, eſt id quod intelligit, id quod intelligitur, & id quod intelligit & intelligitur. Neſcio an quidquam clarius dici poſſit.

(z) Formabo Syllogiſmum ut ſit formalis ex præſuppoſitis.

Quicunque eſt Deus ille altiſſimus unicus individuus, eſt pater filii Dei Domini Jeſu Chriſti.

Deus ille altiſſimus unicus individuus eſt filius Dei Dominus Jeſus Chriſtus.

Ergo filius Dei Dominus Jeſus Chriſtus eſt pater filii Dei Domini Jeſu Chriſti.

(aa) Nego Deo altiſſimo aut potius ei, qui eſt Deus altiſſimus repugnare, eſſe ab alio, v. ſupra u.

(bb) Non eſt abſurdum, Deum altiſſimum, aut potius eum, qui eſt Deus altiſſimus, generari. Sempiternam ſubſtantiam in tempore generari abſurdum eſt, non vero eſt abſurdum, eum eſſe generatum ante datum quodlibet tempus, id eſt, ab æterno. Deo altiſſimo, aut potius ei, qui eſt Deus altiſſimus, poteſt quis prior eſſe natura non tempore, alius nempe, qui etiam eſt Deus altiſſimus. Nam non datur alius & alius Deus, ſed alius & alius, qui eſt Deus.

(cc)

(cc) Quando Deus Deum generat, generat eum, qui eſt idem numero Deus cum ipſo, etſi non ſimpliciter ſit idem numero cum ipſo. Non generat eundem numero Deum, ſed eum qui eſt idem numero Deus licet ſit alia perſona.

(dd) Si filius Dei generabatur ex ſubſtantia Patris ab æternitate aut deſiit generari, aut non deſiit, ſi non, adhuc generatur, & ita nunquam eſt, ſemper fit: ſin deſiit generari finem temporis habet ejus generatio. Adeoque & initium temporis, ergo non eſt æterna. Reſp. deſiit generari, & tamen illa generatio non habet finem temporis, nam & incœpit & deſiit generari ante quodlibet tempus. Simul enim generari incœpit & deſiit.

(ee) Quæris an tota an non tota Trinitas ſit incarnata? Reſp. non tota. Ergo, inquis, Trinitas a ſe diviſa eſt ſ. diverſa continet. Quid tum? E. & Deus a ſe diviſus eſt; Hoc non ſequitur, ſed diviſi a ſe ſ. differentes ſunt illi qui ſunt Deus.

(ff) Syllogiſmum formas.

Deitas, quæ eſt in Deo Patre, non eſt incarnata.
Deitas, quæ eſt in Deo filio, eſt incarnata.
E. Deitas, quæ eſt in Deo filio, non eſt Deitas ea, quæ eſt in Deo Patre.
E. dantur plures Deitates.

Nego minorem. Non Deitas ſed perſonalitas potius filii Dei incarnata eſt, i. e. filius Dei incarnatus eſt non qua Deus, ſed qua filius.

(gg) Nodos Te propoſuiſſe non nego, & quidem quantos maximos quiſpiam tui ſimilis poſſit. Reperto ſimul principio fili, id eſt, natura copulæ propoſitionis in Syllogiſmo, videmur nobis eos perfecte ſolviſſe. Idem Tibi viſum iri, ſi recte attendas, non dubito. Tum vero dabis, opinor, gloriam Deo, dabis hoc veritati & ſententiam orbi Chriſtiano tot ſeculis receptam non abſurdam confitebere. Sin aliter ſentis, effice, ut aut nos, cur diſſentias, aut tu, cur diſſentire non debeas, ambo tandem ſentiamus.

DUÆ

DUÆ EPISTOLÆ AD LOEFLERUM

DE TRINITATE ET DEFINITIONIBUS MATHEMATICIS CIRCA DEUM, SPIRITUS &c.

EPISTOLA I.

I. *In Anglici Antitrinitarii libro refutando methodum mathematicam ſequi poſſe dubitat. II. Artem demonſtrandi pauci tenent. III. De definitione Spiritus. IV. Hiſtorica quædam de Anglici Antitrinitarii libello. V.* Sherlockius *ad Tritheiſmum inclinare viſus eſt. VI.* Walliſius *confuſionem perſonarum in Trinitate inducere eſt viſus.*

I. CONſilium tractandæ materiæ Theologiæ gravis laudo. Angli ordinem merito non ſequeris, ſed an Mathematicum commode ſequi poſſis, dubito; cum res minus rationibus quam vindicatione textuum Scripturæ & Eccleſiaſticæ antiquitatis tranſigatur. Præter definitiones & axiomata ponuntur interdum obſervationes, quæ facti ſunt, & ex hiſtoria ſumuntur, itemque hypotheſes. Sed poſtremæ iſtæ minus ſunt frequentes, & reddunt etiam demonſtrationem non niſi hypotheticam. Propoſitiones aliæ potius ad concluſiones ſunt referendæ, quæ ex illis principiis demonſtrantur. Sed ut verum fatear, neſcio, an ſatis apud vos in hac materia plauſibilis futura ſit methodus mathematica. Facilis certe eſſe non poteſt, & præſtat præſtare, quod promittas, quam promittere demonſtrationes, quas non præſtes.

II. Artem certe demonſtrandi pauciſſimi tenent, & plerique paralogiſmos conſuunt ſub demonſtrationis ſchemate.

III. Definitio illa, quod ſpiritus ſit ſubſtantia immaterialis, dicit tantum, quid non ſit, non, quid ſit. Deinde poſſunt eſſe ſubſtantiæ immateriales, quæ non ſunt ſpirituales, ut ſecundum aliquos ſpatium eſt ſubſtantia, & tamen non eſt materiale quiddam, ſed materia potius collocatur in ſpatio. Etſi ego revera non putem ſpatium eſſe ſubſtantiam, definitiones tamen tales eſſe debent, ut ab omnibus poſſint admitti, ſpiritus rectius videtur definiri *ſubſtantia immaterialis ratione prædita.*

IV. Non inutiliter in diſputatione quædam referes pertinentia ad hiſtoriam libri, quem refutas. Nimirum fuiſſe exemplaria ejus, durante Parlamento anni præcedentis, ab ignota manu inter ipſos Parlamentarios

 ſparſa,

ſparſa, atque ideo ad rogum damnata. Multum autem famæ habuiſſe, jactantibus Antitrinitariis, comburi talia facilius quam refutari; veritatem autem comburi non poſſe.

V. Cum *Sherlockius*, Theologus celebris apud Anglos, de Trinitate nuper ſcripſiſſet, & tres ſubſtantias ſui conſcias ſtatuiſſet, nonnullis viſus eſt inclinare ad Tritheiſmum.

VI. Contra *Walliſius*, explicans Trinitatem per tres ejuſdem ſubſtantiæ relationes, viſus eſt aliis confuſionem inducere perſonarum. Et hoc ab Antitrinitariis per ſparſos libros utique eſt exprobratum, ſed revera conciliari hæ ſententiæ poſſunt, ſi recte intelligantur. Han. 13. Dec. MDCXCIV.

Non incommodum videtur cum Ben. Lect. communicare formulam mathematice tradendi doctrinam Trinitatis, quam Vir Illuſtr. cognato ſuo præſcripſit, & hæ litteræ reſpiciunt.

SCELETON DEMONSTRATIONIS.

I. *Definitiones ſeu explicationes terminorum.*

Def. 1. *Deus* eſt ſubſtantia perfectiſſima, ſeu habens omnes perfectiones.
Def. 2. *Spiritus* eſt ſubſtantia immaterialis intellectiva.
Def. 3. *Angelus* eſt Spiritus completus.
Def. 4. *Plures perſonæ* in eadem numero ſubſtantia abſoluta ſignificant plures ſubſtantias ſingulares intelligentes eſſentialiter relativas.
Def. 5. *Æternitas* eſt exiſtendi neceſſitas.

II. *Axiomata ſeu propoſitiones univerſales, quæ non indigent probatione.*

Ax. 1. *Inter perfectiones eſt eſſe communicativum.* Hic in ecthesi adduci poteſt, quod vulgo dicitur, bonum eſſe communicativum ſui.
Ax. 2. *Ubi de periculo ſalutis agitur, proprietas verborum ſenſuſque Eccleſiæ vere catholicæ non debet deſeri ſine manifeſta neceſſitate.*

III. *Hypotheſes ab adverſariis conceſſæ.*

Hyp. 1. *Scriptura Sacra, qualem Proteſtantes admittunt, eſt verbum Dei.* Hanc hypotheſin ab adverſariis conceſſam eſſe, conſtat; nam eandem Scripturam, quam Proteſtantes admittunt, eam admittunt etiam Antitrinitarii, exceptis tamen pauciſſimis textibus, quos in dubium revocant, qualis eſt ille *Johannis* de tribus, qui teſtimonium perhibent. Sed de eo nunc non quæritur.
Hyp. 2. *Patri competit divinitas ſumma.* In hoc omnes Antitrinitarii nobiscum conſentiunt.

IV.

IV. Lemmata prædemonſtranda.

Lem. 1. *Deus eſt unicus.*

Demonſtratio: Si plures eſſent Dii, aut eaſdem involverent perfectiones, & ita nullum inter eos eſſet diſcrimen, atque adeo eſſet tantum Deus unicus, quod intenditur; aut haberent diverſas, & ita alter non haberet omnes perfectiones, id eſt, non eſſet perfectiſſimus, quod eſt contra *Def.* 1. idem etiam oſtendi poteſt ex lemmate ſequenti.

Lem. 2. *Solus Deus omnes alias res creat ex nihilo, & quidem tam initio quam continuata creatione conſervativa, quamdiu ſubſiſtunt.*

Demonſtratio: Niſi ſolus Deus alias res crearet ex nihilo & quidem dicto modo, res *aliquando quaſdam* ſuas realitates ſeu perfectiones haberent aliunde, ſed debent *omnes* & *ſemper* accipere a Deo, quia alioqui ejus communicatio eſſet limitata, adeoque ejus perfectio, (per Ax. 1.) quod eſt contra *defin.* 1.

Lem. 3. *Creatura non poteſt eſſe creandi inſtrumentum.*

D. Nam omnis creatura continue creatur, (per Lem. 2.) ergo quævis cum alia quavis ſimul creatur, adeoque ad ipſam creandam non occurrit operando.

Hic in ecthesi ſeu ſcholio explodendus eſt *Arianus*, qui Chriſtum facit creaturam, ſed primariam, per quam creatæ ſint aliæ creaturæ, cui opinioni etiam favet Autor novi libri, inſcripti *Seder Olam*, qui etiam vult, Meſſiam ab initio fuiſſe quodammodo medium inter Deum & ceteras creaturas, ita ut per ipſum omnia ſint creata.

Lem. 4. *Solus Deus eſt æternus.*

D. Nam omnia alia creantur a Deo, (per Lem. 2.) ergo non habent exiſtentiam ex ſua eſſentia ſeu exiſtendi neceſſitatem, id eſt (per Def. 5.) non ſunt æterna.

Lem. 5. *Secundum proprietatem verborum ſolus Deus ſupremus dicitur religioſe adorandus.*

Hoc oſtendendum eſt ex locis Scripturæ, & illuſtrationis majoris cauſſa ex locis Patrum.

V. Propoſitiones.

Prop. I. *Scriptura ſacra tribuit Chriſto attributa ſolius Dei veri ſeu ſummi.*

Hæ proprietates Dei ſummi ſunt, eſſe æternum, (per lem. 4.) eſſe creatorem aliarum rerum omnium, (per lem. 2.) omnia per ipſum eſſe facta, quod non poteſt intelligi de creatura, tanquam creandi inſtrumento. (per L. 3.) &c. Sed hæc & alia ſimilia Scriptura S. tribuit Chriſto, ut prolati textus docent.

Prop. II. *Scriptura Sacra tribuit Chriſto, quæ proprie magis & apte explicantur de Deo ſummo, quam de creatura.*

Talia ſunt, eſſe filium Dei excellenti modo, eſſe characterem hypoſtaſeos divinæ, eſſe genitum ante ſecula, opponi angelis in univerſum & Diis inferioribus, &c. quæ oſtendenda ſunt locis Scripturæ, ſimulque demonſtrandum, hæc loca aptiſſime de Deo ſummo intelligi, nec niſi violente aliorſum trahi. Huc pertinet initium Evangelii *Johannis*. Adhibeatur etiam interpretatio ſacræ antiquitatis ad hæc illuſtranda.

Prop. III. *Nulla eſt neceſſitas in locis divinitatem Chriſti indicantibus recedendi a proprietate verborum.*

Hic reſpondendum eſt effugiis adverſariorum & objectionibus, quibus oſtendere conantur, ex propria verborum acceptione ſequi abſurditates, & eadem opera occurretur novo Ariano Anglo.

Prop. IV. *Chriſtus eſt adorandus.*

Hoc oſtendatur ex Scriptura & Eccleſia antiqua vere catholica.

Prop. V. *Antiquitas vere catholica Chriſto tribuit ſummam divinitatem.*

Hoc oſtendendum eſt ex locis veterum etiam ante Concilium Nicænum & contraria diluenda.

Prop. VI. *Summa divinitas Chriſto eſt attribuenda.*

Nam, Scriptura S. quæ eſt verbum Dei ſummi, (per Prop. 1.) itemque ea, quæ proprie magis & apte explicantur de Deo ſummo, (per prop. 2.) idemque facit antiquitas vere catholica (per prop. 5.) & ſpeciatim ei attribuitur adoratio, (per prop. 4.) quæ proprie de ſolo Deo ſupremo eſt intelligenda. (per lem. 5.) Eſt autem hic negotium, in quo de periculo ſalutis agitur, cum agatur de cultu Dei ſupremi Zelotæ. Itaque ſine neceſſitate, (quæ hic nulla eſt) (per prop. 3.) non eſt recedendum a proprietate verborum Dei & ſenſu Eccleſiæ vere catholicæ; (per ax. 2.) divinitas igitur ſuprema Chriſto eſt tribuenda.

Prop. VII. *Chriſtus non eſt Angelus.*

Quia ei attribuitur divinitas ſuprema, (per prop. 6.) Angelus autem eſt quidem ſubſtantia immaterialis intellectiva, (per def. 2.) ſed tamen creata. (per def. 3.) Nec dici poteſt divinitatem ejus habitare in natura angelica, quia non angelos, ſed ſemen *Abrahæ* aſſumſit, ut ait Scriptura.

Hic in ecthesi vel ſcholio refutari poteſt fuſius paradoxum Neo-Ariani Angli, qui vult, Chriſtum eſſe Angelum proprie dictum, ſeu (per def. 1. 2. 3.) ſubſtantiam immaterialem intellectivam, completam creatam, & reſponderi poteſt ejus qualibuſcunque argumentis.

Totidem propoſitiones eadem plane methodo poſſunt formari de Spiritu S. & ita prodibunt propoſitiones VIII. IX. X. XI. XII. XIII.

XIII. XIV. tantum pro Chriſto ſubſtituendo Spiritum S. Et in prop. XIV. ubi probabitur, Spir. S. non eſſe angelum, refutari poterit *Sandii* paradoxon (refutatum etiam a *Wittichio*) quod per Spiritum S. intelligatur chorus Angelorum.

Prop. XV. *Pater, Filius & Spiritus S. ſunt perſonæ inter ſe diverſæ.*

Hoc oſtendendum eſt contra Sabellianos & Socinianos.

Prop. XVI. *Deus eſt unica numero ſubſtantia abſoluta cum Trinitate perſonarum.*

Unicum eſſe Deum ſeu unicam talem eſſe ſubſtantiam abſolutam, oſtenſum eſt lem. 1. tres tamen ſunt, quibus ſuprema ſeu vera divinitas competit, Pater (per hyp. 2.) Filius (per prop. 7.) & Spiritus S. (per prop. 14.) & horum quilibet a quolibet eſt diverſus, (per prop. 15.) nec dantur plures omnium conceſſione. Sunt autem ſubſtantiæ ſingulares intelligentes eſſentialiter relativæ per relationes paternitatis generationis & proceſſus, ex dictis Scripturæ ſenſuque Eccleſiæ vere Catholicæ, ideoque dicuntur tres perſonæ divinitatis in eadem ſcilicet ſubſtantia ſingulari abſoluta perfectiſſima, ſeu (per def. 4.) Deo, ſcilicet abſolute ſumto.

Scholion. Natæ ſunt nuper in Anglia lites inter ipſius Eccleſiæ Anglicanæ Theologos celebres, quos ideo Neo-Arianus noſter ſuggillat. Scilicet *Walliſius* perſonas diſtinxit relationibus, ideoque Arianus ei imputat, quod diverſitatem tollat, nec aliter intelligat, quam cum in humanis idem reſpectu diverſo duplicem perſonam ſuſtinet Patris & Filii. *Sherlockius*, dicens, in Deo tres eſſe ſubſtantias ſui conſcias, eidem Ariano viſus eſt inducere tritheiſmum; imo & nonnullorum ſuæ partis reprehenſionem incurrit. Sed charitatis eſt, durius fortaſſe dicta, quantum licet, in optimam partem interpretari. Et utraque ſententia ſanum ſenſum recipit. Sunt enim tres ſubſtantiæ, diverſæ quidem, non tamen niſi relationibus eſſentialibus, non vero attributis eſſentialibus abſolutis. Hinc demonſtratio unitatis Dei in lem. 1. non tollit pluralitatem perſonarum. Etſi enim non niſi una ſubſtantia detur, habens omnes perfectiones tam abſolutas quam reſpectivas, nempe Deus abſolute ſumptus, poſſunt tamen in hac dari plures perſonæ perfectionibus relativis differentes.

EPISTOLA II.

I. *De definitionibus mathematicis.* II. *In definitione mathematica Dei, Spiritus non poni poteſt, ut genus.* III. *De definitione æternitatis.* IV. *De definitione perſonæ divinæ.* V. *De Mathematicorum more in definiendo.*

I. QUoniam voluiſti mathematice ſcribere, cogitandum fuit de definitionibus, quales volunt Mathematici, in quibus nihil poni debet facile, quod ex ipſa definitione jam tum poteſt demonſtrari.

II. Itaque etſi certo modo dici poſſit, ſpiritum in definitione Dei poni poſſe, ut genus; qui tamen mathematice ſcribet, potius mentione ſpiritus in definitione abſtinebit, quia ſubſtantiam perfectiſſimam ſpiritualem eſſe, poteſt demonſtrari. Et hinc etiam tuto poteris ſpiritum explicare poſt definitionem Dei, etſi Deus ſit ſpiritus, quia hoc prædicatum ex definitione a Te poſita derivatur.

III. Optime notaſti, definitionem æternitatis noſtram eſſe cauſſalem & magis a priori. Et ſequitur ex ea non tantum vulgaris deſcriptio, quod ſit permanentia interminabilis, ſed etiam Boetiana, quod ſit tota & perfecta ſimul, quæ ex ſola interminabilitate permanentiæ non ita ſequitur. In ipſa autem Boetiana deſcriptione incommoda eſt mentio vitæ & poſſeſſionis. Nam vita non magis apte ingredietur definitionem ejus, quam ſpiritualitas definitionem Dei noſtram.

IV. Quod ad perſonas divinas attinet, tutiſſime feceris, ſi nihil poſueris, niſi cum Præſide Tuo prius communicatum, eſt enim materia delicatiſſima. Compendia Theologica dicunt, perſonam eſſe ſubſiſtentem ὑφιστάμενον, non vero tantum ſubſiſtentiam aut ſubſiſtendi modum appellare ſolent; relationes perſonales ſunt potius τρόποι ὑπάρξεως, quam ipſæ perſonæ. Sed quoniam iſtæ in divinis potius noſtro modo cognoſcendi, quam re ipſa, diſtinguuntur, poſſes fortaſſe abſtinere utroque & dicere: plures perſonæ in eadem numero ſubſtantia abſoluta ſingulari intelliguntur per plures in ea modos ſubſiſtendi relativos incommunicabiles. Relativi & abſoluti mentionem libenter addo, ob rationes, quæ ibi apparent. Tutius autem ſic loqueris, meo judicio, quam ſi perſonas dicas eſſe modos, & ex iis entia modalia ſeu incompleta facias, ſimulque etiam formulas loquendi, quæ nimis concretæ videri poſſunt, evitabis, & rem tamen ipſam conſequere, cum id omne exprimas, per quid perſona conſtituitur.

V. Mathematicorum mos eſt, definitiones ita concipere, ut nihil eas ingrediatur, quod dubitationem vel difficultatem recipiat, & ſit tamen in illis id omne, quod ſufficiat ad controverſias deinde decidendas. In

expo-

expoſitione ſeu ſcholiis reddes rationem tuarum definitionum, ut intelligatur, receptas definitiones ex iſtis fluere, has vero eſſe poſitas tanquam eorum compendia & magis aptas ad demonſtrandum, imo ſimul ad hoc ſufficientes. Denuo inſpiciens, quæ tibi miſeram, video, me lemma, quod ſolus Deus ſit æternus, demonſtraſſe ex definitione æternitatis mea; ipſe autem notabis, non ita commode poſſe demonſtrari ex vulgaribus. Si voles mutare definitionem perſonæ eo modo, quo dixi, poteris etiam mutare aliquid in propoſitione XVI. ubi pro verbis: *Sunt autem ſubſtantiæ ſingulares intelligentes eſſentialiter relativæ*, potes ponere: *intelliguntur autem per modos ſubſiſtendi relativos incommunicabiles*, (a) ſeu per relationes; ut & ibidem in ſcholiis, pro verbis: *Sunt enim tres ſubſtantiæ diverſæ*, potes dicere: *Sunt enim tres diverſi ſeu.* cet. Hæc ideo ſcribo, quo minus alios veri uſus terminorum ſæpe non admodum gnaros offendas, alioqui enim optime dici poterit, unamquamque perſonam eſſe ſubſiſtentem ſeu ſubſtantiam ſingularem; & conſtat, quod humanitas ſubſiſtat per ſubſiſtentiam τῦ λόγυ (b). Han. 24. Febr. MDCXCV.

(a) Ut viro Ill. in hac cauſſa ſua conſtet autoritas rerumque divinarum cognitio, quædam definitionem vocis perſonæ illuſtrantia addere cognato viſum eſt. Duæ ejus allatæ ſunt definitiones, quarum altera dicit, eſſe ſubſtantiam, altera modum. Utraque recte ſe habet & approbanda eſt, modo notetur, vocem perſonæ vel *concretive* vel *abſtractive* accipi poſſe. Priori modo eſt ſubſtantia ſingularis completa intelligens certo ſubſiſtendi modo eoque incommunicabili determinata; poſteriori eſt ſubſiſtentia ſeu modus ſubſiſtendi incommunicabilis ſubſtantiæ ſingularis completæ & intelligentis. Si quis velit *Patrem* definire, reſpiciendo ad Filium voce perſonæ concretive accepta, dicat: eſt ſubſtantia ſingularis, completa, intelligens, certo ſubſiſtendi modo determinata eodemque incommunicabili & ipſi proprio, qui paternitas ſeu ἀγεννησία. Et ſi *Filium*: eſt ſubſtantia ſingularis completa, intelligens, certo ſubſiſtendi modo, qui eſt generatio paſſiva. Qua ratione etiam definitio Spiritus S. confici poterit. Abſit vero, ut inde colligatur, ut fit a Tritheitis, ergo tres ſunt Dii Deusque eſt compoſitus. Eſt enim in illis unum materiale nempe ſingulariſſima Deitas, etſi formaliter in perſonis ſingulis alio modo ſubſiſtens. Qua ratione diſtinguuntur, non ut aliud atque aliud, nec ut alia atque alia eſſentia, nec ſolum ut alius atque alius modus, quoniam quælibet perſona agit & operatur, & quævis eſt Deus Iſraelis, ſed perſona concretive accepta, ut una res ab una eademque re cum diverſo modo habendi & ſubſiſtendi ante omnem intellectus operationem. Perſtat nihilominus perſonarum diſtinctio, ut modus eminens a modo oppoſito & incommunicabili, quæ eſt perſonæ in abſtracto. Ex quo etiam intelligitur *Sherlockium* in Tritheiſmo, & *Walliſium* a Sabellianiſmo poſſe abſolvi.

(b) Graves cognato fuere cauſſæ, cur diſputationem de Trinitate methodo mathematica conſcriptam exhibere intermiſerit; a quo tamen Neo-Arianus eſt refutatus. Factum id in diſputatione anno MDCXCVII. duce *Jo. Ben. Carpzovio* habita, in qua locus *Rom. IX. 5.* de divinitate Chriſti eſt expoſitus, e locis Doctorum veteris Eccleſiæ illuſtratus, & verus ejus ſenſus ſtabilitus.

IV.

REMARQUES DE Mr. LEIBNIZ,

Sur le livre d'un Antitrinitaire Anglois, qui contient des conſidérations ſur pluſieurs explications de la Trinité: publié l'an 1693-4.

N'Ayant point vû ce que Meſſieurs *Wallis*, *Sherlock*, & le *Dr. S-ht* ont écrit ſur la Trinité, & n'ayant pas préſentement en main le *Siſtême intellectuel du feu Docteur Cudworth*, où j'ai lû quelque choſe autrefois, & que j'ai trouvé fait par un très habile homme, je ne veux pas entrer dans la diſcuſſion de leurs ſentimens, & je parlerai de la choſe en elle-même.

Premiérement je demeure d'accord, que le commandement du culte ſuprême d'un ſeul Dieu eſt le plus important de tous, & doit être conſidéré comme le plus inviolable. C'eſt pourquoi je ne crois pas, qu'on doive admettre trois ſubſtances abſoluës, dont chacune ſoit infinie, toute-puiſſante, éternelle, ſouverainement parfaite. Il paroit auſſi que c'eſt une choſe très dangereuſe pour le moins de concevoir le Verbe & le S. Eſprit, comme des ſubſtances intellectuelles, inférieures au grand Dieu, & néantmoins dignes d'un culte, qui approche du culte que les Payens rendoient à leurs Dieux, ou qui le ſurpaſſe plutôt. Ainſi *je crois, qu'on ne doit rendre des honneurs divins, qu'à une ſeule ſubſtance individuelle, abſoluë, ſouveraine & infinie.*

Cependant l'opinion *Sabellienne*, qui ne conſidère le Père, le Fils, & le S. Eſprit, que comme trois noms, comme trois regards d'un même être, ne ſauroit s'accorder avec les paſſages de la ſainte Ecriture, ſans les violenter d'une étrange maniére. Auſſi faut-il avouer, que de même les explications, que les *Sociniens* donnent aux paſſages, ſont très violentes. Quant à nous, lorſqu'on dit, le Père eſt Dieu, le Fils eſt Dieu, & le S. Eſprit eſt Dieu, & l'un de ces trois n'eſt pas l'autre, & avec tout cela il n'y a pas trois Dieux, mais un ſeul; cela pourroit paroître une contradiction manifeſte, car c'eſt juſtement en cela que conſiſte la notion de la pluralité. Si A eſt C. & B eſt C. & ſi A n'eſt pas B, ni B n'eſt pas A, il faut dire qu'il y a deux C. c'eſt-à-dire; Si Jean eſt homme & ſi Pierre eſt homme, & Jean n'eſt pas Pierre, & Pierre n'eſt pas Jean, il y aura deux hommes, ou bien il faut avouer, que nous ne ſavons pas ce que c'eſt que deux. Ainſi ſi dans le *Symbole* attribué à *S. Athanaſe*, où il eſt dit, que le Père eſt Dieu, que le Fils eſt Dieu, & que le S. Eſprit eſt Dieu, & que cependant il n'y a qu'un Dieu, le mot ou

ou terme de DIEU étoit toujours pris au même ſens, tant en en nommant trois dont chacun eſt Dieu, qu'en diſant qu'il n'y a qu'un Dieu; ce ſeroit une contradiction inſoutenable. Il faut donc dire, que dans le premier cas il eſt pris pour une perſonne de la Divinité, dont il y en a trois, & dans le ſecond pour une ſubſtance abſoluë, qui eſt unique. Je ſçai qu'il y a des Auteurs Scholaſtiques, qui croyent, que ce principe de Logique ou de Métaphyſique: *Quæ ſunt eadem uni tertio, ſunt eadem inter ſe*, n'a point de lieu dans la Trinité: Mais je crois, que ce ſeroit donner cauſe gagnée aux *Sociniens* en renverſant un des premiers principes du raiſonnement humain, ſans lequel on ne ſauroit plus raiſonner ſur rien, ni aſſurer aucune choſe. C'eſt pourquoi j'ai été fort ſurpris de voir que des habiles gens parmi les Théologiens Scholaſtiques ont avoué, que ce qu'on dit de la Trinité ſeroit une contradiction formelle dans les créatures. Car je crois, que ce qui eſt contradiction dans les termes, l'eſt par-tout. On pourroit ſe contenter ſans doute d'en demeurer là, & de dire ſeulement, *qu'on ne reconnoit & n'adore qu'un ſeul & unique Dieu tout-puiſſant*, & que dans l'eſſence unique de Dieu il y a trois perſonnes, le Père, le Fils, ou Verbe, & le S. Eſprit; que ces trois perſonnes ont cette relation entre elles, que le Père eſt le principe des deux autres, que la production éternelle du Fils eſt appellée *naiſſance* dans l'Ecriture, & celle du S. Eſprit eſt appellée *proceſſion*; mais que leurs actions extérieures ſont communes, excepté la fonction de l'Incarnation avec ce qui en dépend, qui eſt propre au Fils, & celle de la Sanctification, qui eſt propre au S. Eſprit d'une maniére toute particuliére.

Cependant les objections des Adverſaires ont fait, qu'on eſt allé plus avant, & qu'on a voulu expliquer ce que c'eſt que *perſonne*. En quoi il a été d'autant plus difficile de réuſſir, que les explications dépendent des définitions. Or ceux qui nous donnent des ſciences ont coutume de nous donner auſſi des définitions; mais il n'en eſt pas ainſi des légiſlateurs, & encore moins de la Religion. Ainſi la Ste. Ecriture auſſi-bien que la tradition nous fourniſſant certains termes, & ne nous en donnant pas en même tems des définitions préciſes, cela fait qu'en voulant expliquer les choſes, nous ſommes réduits à faire des hypothèſes poſſibles, à peu près comme on en fait dans l'Aſtronomie. Et ſouvent les Juriſconſultes ſont obligés d'en faire autant, cherchant à donner au mot un ſens, qui puiſſe ſatisfaire en même tems à tous les paſſages & à la raiſon. La différence eſt, que l'explication des myſtères de la Religion n'eſt point néceſſaire, au lieu que celle des Loix eſt néceſſaire pour juger les différens. Ainſi *en matiére de myſtére le meilleur ſeroit de s'en tenir préciſément aux termes revélés, autant qu'il ſe peut.* Je ne ſçai pas aſſez, comment s'expliquent Meſſieurs *Cudworth* & *Sherlock*, mais leur érudition qui eſt ſi connuë, fait que je ne doute point qu'ils n'ayent donné un bon ſens à ce qu'ils ont avancé. Cependant j'oſerois bien dire, que trois Eſprits

infinis étant poſés, comme des ſubſtances abſoluës, ce ſeroient trois Dieux; nonobſtant la parfaite intelligence, qui feroit que l'un entendroit tout ce qui ſe paſſe dans l'autre. Il faut quelque choſe de plus pour une unité numérique, autrement Dieu qui entend parfaitement nos penſées, ſeroit auſſi uni eſſentiellement avec nous, juſqu'à faire un même individu. De plus ce ſeroit une union de pluſieurs natures, ſi chaque perſonne a la ſienne, ſavoir, ſi elle a ſa propre infinité, ſa ſcience, ſa toute-puiſſance: & ce ne ſeroit nullement l'union de trois perſonnes qui ont une même nature individuelle, ce qui devroit pourtant être.

Je n'ai point vû non plus ce que Monſieur *Wallis* & le Docteur *S-ht*, qui ont été cités ici, ont écrit ſur ce ſujet, & je ne doute point, qu'ils ne ſe ſoient expliqués d'une maniére conforme à l'orthodoxie; car je connois la pénétration de Mr. *Wallis*, qui eſt un des plus grands Geométres du ſiécle, & qui ne ſe démentira jamais, de quelque côté que ſon eſprit ſe puiſſe tourner, outre que l'Auteur de ce livre avoue que l'explication de Mr. *Wallis* a eu l'approbation publique. Cependant j'oſe dire qu'une perſonalité ſemblable à celle dont *Ciceron* a parlé, quand il a dit: *Tres perſonas unus ſuſtineo*, ne ſuffit pas. Ainſi ſuis-je comme aſſuré, que Mr. *Wallis* aura encore ajouté autre choſe. Il ne ſuffit pas non plus de dire, que le Père, le Fils, & le S. Eſprit différent par des relations ſemblables aux modes, tels que ſont les poſtures, les préſences ou les abſences. Ces ſortes de rapports attribués à une même ſubſtance, ne feront jamais trois perſonnes diverſes exiſtentes en même tems. Ainſi je m'imagine que ce Mr. *S-ht*, quel qu'il puiſſe être, ne ſe ſera point contenté de cela. Il faut donc dire, » qu'il y a des relations dans la ſub- » ſtance divine, qui diſtinguent les perſonnes, puiſque ces perſonnes ne » ſauroient être des ſubſtances abſolues. Mais il faut dire auſſi, que » ces relations doivent être ſubſtantielles, qui ne s'expliquent pas aſſez » par des ſimples modalités. « De plus il faut dire, que les perſonnes divines ne ſont pas le même concret ſous différentes dénominations ou relations, comme ſeroit un même homme, qui eſt poëte & orateur, mais *trois différens concrets reſpectifs dans un ſeul concret abſolu.* Il faut dire auſſi, que les trois perſonnes ne ſont pas des ſubſtances auſſi abſoluës que le tout.

Il faut avouer, qu'il n'y a aucun exemple dans la nature, qui reponde aſſez à cette notion des perſonnes divines. Mais il n'eſt point néceſſaire qu'on en puiſſe trouver, & il ſuffit que ce qu'on en vient de dire n'implique aucune contradiction ni abſurdité. La ſubſtance divine a ſans doute des priviléges, qui paſſent toutes les autres ſubſtances. Cependant comme nous ne connoiſſons pas aſſez toute la nature, nous ne pouvons pas aſſurer non plus qu'il n'y a, & qu'il n'y peut avoir aucune ſubſtance abſolue, qui en contienne pluſieurs reſpectives.

Cependant pour rendre ces notions plus aiſées par quelque choſe d'appro-

prochant, je ne trouve rien dans les créatures de plus propre à illuſtrer ce ſujet, que la *réfléxion des eſprits*, lorſqu'un même eſprit eſt ſon propre objet immédiat; & agit ſur ſoi-même, en penſant à ſoi-même, & à ce qu'il fait. Car le redoublement donne une image ou ombre de deux ſubſtances reſpectives dans une même ſubſtance abſolue, ſavoir de celle qui entend, & de celle qui eſt entendue; l'un & l'autre de ces êtres eſt ſubſtantiel, l'un & l'autre eſt un concret individu, & ils différent par des rélations mutuelles, mais ils ne font qu'une ſeule & même ſubſtance individuelle abſolue. Je n'oſe pourtant pas porter la comparaiſon aſſez loin, & je n'entrepreńs point d'avancer que la différence, qui eſt entre les trois perſonnes divines, n'eſt plus grande que celle qui eſt entre ce qui entend & ce qui eſt entendu, lorſqu'un eſprit fini penſe à ſoi, d'autant que ce qui eſt modal, accidentel, imparfait, & mutable en nous, eſt réel, eſſentiel, achevé & immutable en Dieu. C'eſt aſſez que ce redoublement eſt comme une trace des perſonalités divines. Cependant la Ste. Ecriture appellant le Fils, *Verbe* ou λόγος, c'eſt-à-dire, verbe mental, paroit nous donner à entendre que rien n'eſt plus propre à nous éclaircir ces choſes, que l'analogie des opérations mentales. C'eſt auſſi pour cela que les Pères ont rapporté *la volonté* au S. Eſprit, comme ils ont rapporté *l'entendement* au Fils, & la *puiſſance* au Père, en diſtinguant *le pouvoir*, *le ſavoir*, & *le vouloir*, ou bien le Père, le Verbe, & l'Amour.

LETTRE DE Mr. LEIBNIZ

A un ami, ſur le péché originel.

JE vous renvoye Mr. avec remerciment les conjectures ſur le péché originel. L'auteur a droit de rejetter l'opinion de *Flacius*, & il a raiſon de dire, que ce qui eſt ſubſtantiel à l'ame, n'eſt point corrompu, & je crois même qu'on peut accorder, que la dépravation de la nature humaine par le péché n'eſt autre choſe que l'infection de la ſource des penſées. Mais lorſque l'Auteur veut que le péché originel ne conſiſte que dans les penſées mêmes, & qu'il n'y a point d'autre déréglement, il ſemble qu'il dit un peu trop. Je crois pourtant, qu'on le doit expliquer favorablement par lui-même, puiſqu'il entend par penſées non ſeulement l'acte de la penſée, mais encore les habitudes & les diſpoſitions; & c'eſt je crois ce qu'il appelle penſées habituelles.

Il faut faire diſtinction dans l'ame entre l'eſſence & les proprietés eſſentielles d'un côté, & les modifications accidentelles de l'autre; mais il

faut encore diſtinguer les modifications en qualités, & en actions ou paſſions. Les qualités ſont durables, mais les actions ou paſſions ſont tranſitives. Ces qualités ſont des diſpoſitions, des habitudes, ou des inclinations à l'action & à la paſſion, & ſont encore ou nées avec nous, ou acquiſes. Ainſi quand on conſidére bien ces diſtinctions, toutes difficultés diſparoiſſent d'elles-mêmes. Il eſt manifeſte que ce qui eſt eſſentiel à l'ame, n'eſt point changé, autrement l'ame ſeroit détruite. Donc le péché originel ne ſauroit être autre choſe, que ce qui s'appelle chez les Philoſophes *habitus innatus*, dont le ſujet eſt la ſubſtance même avec ſes facultés, où le mal a pris racine, puiſqu'il eſt durable, & conſiſte ainſi non ſeulement dans les penſées, mais encore dans la ſource qui les produit. Maintenant pour rechercher plus particuliérement ce que c'eſt que cette habitude, on peut dire, qu'il y a des idées dans l'entendement, & des inclinations dans la volonté, qui ſont nées avec l'homme, & qui en répondant aux imperfections du corps, font que l'homme eſt porté au mal. Et l'Auteur reconnoit lui-même, qu'on peut naître non-ſeulement avec l'idée de quelque choſe, mais encore avec une inclination ou averſion, qui accompagne une idée corporelle. Ainſi l'homme dans cet état de la nature corrompuë a la diſpoſition de n'être frappé aiſément que par les ſentimens confus des biens & des maux ſenſibles, juſqu'à-ce qu'il ſe déſabuſe par l'expérience ou par l'inſtruction : au lieu que dans un état plus ſublime, il avoit des ſentimens plus diſtincts, qui l'empêchoient de ſe borner aux ſens & autres biens particuliers. Cependant il faut croire, qu'il y avoit encore dans cet état de la nature entiére une viciſſitude de penſées, & que l'eſprit ne pouvant pas être toujours bandé aux choſes intelligibles, s'abaiſſoit quelquefois pour jouïr des objets ſenſuels, & ce fut dans cet état qu'il fut ſurpris par le péché. Ainſi lorſque l'Auteur demande *l'origine du péché d'Adam*, il faut répondre, qu'il eſt venu de l'imperfection ou limitation originelle des créatures, qui les empêche d'être des Dieux.

EPISTOLA AD AMICUM,

De Amore Dei.

AMoris conceptus optime hauritur ex Germanico. Germani *amare* exprimunt, *gern ſehen*; *odiſſe*, *nicht gern ſehen*. Huic amare eſt contemplatione alicujus rei delectari. Jam quanto profundior cognitio, tanto major delectatio. Juvat uſque morari & conferre cum amore divino. Ergo qui Deum vult ſuper omnia amare, cognoſcat ejus pulchritudinem præ aliis rebus neceſſe eſt. Pulchritudo alicujus virginis, exempli gratia ut

ut cognoſcatur, non ſufficit contemplari ejus digitum, nec omnes ejus articulos ad poros uſque & crines contemplari neceſſe eſt, ſed ictu quaſi oculi tota obeunda eſt. Ita Dei opus aliquod contueri non ſufficit, nec omnia ejus opera perluſtraſſe neceſſe, aut poſſibile eſt, ſed ſufficit ideam quandam in univerſum ſibi de eo ſolidam formaſſe; eſſe nimirum ens ſapientiſſimum & » potiſſimum univerſi. Hujus entis amor in eo conſiſtit, » ut credamus, quicquid agit, bonum eſſe, contenti ſatis, non queruli, » non moroſi, non repugnantes, & contra ſtimulum calcitrantes, tum ut non negligamus occaſionem promovendi boni univerſi; ſi violaverimus illas leges, ſarcire eas omni ope conemur.

LETTRE A Mr. BURNET,

De l'Amour de Dieu. 1697.

LA *queſtion*, que vous dites être chez vous *ſur l'amour de Dieu*, eſt auſſi agitée en France entre l'Archevêque de Cambray, Précepteur du Duc de Bourgogne, & l'Evêque de Meaux, ci-devant Précepteur du Dauphin. Il y a longtems que j'ai examiné cette matiére, car elle eſt de grande importance; j'ai trouvé, que pour décider de telles queſtions, il faut avoir de bonnes définitions. Vous trouverez ma définition dans la préface de mon code diplomatique, où je dis: *amare eſt felicitate alterius delectari*, trouver ſon plaiſir dans la félicité d'autrui. Et par cette définition on peut réſoudre cette grande queſtion, comment l'amour véritable peut être deſintereſſé, quoique cependant il ſoit vrai que nous ne faiſons rien que pour nôtre bien. C'eſt que toutes les choſes que nous déſirons pour elles-mêmes, & ſans aucune vuë d'intérêt, ſont d'une nature à nous donner du plaiſir par leurs excellentes qualités; de ſorte que la félicité de l'objet aimé entre dans la nôtre. Ainſi vous voyez, Monſieur, que la définition termine la diſpute en peu de mots, & c'eſt ce que j'aime.

REMARQUES

Sur la perception réelle & ſubſtantielle du corps & du ſang de nôtre Seigneur.

POur voir s'il y a moyen de convenir que Meſſieurs les Reformés admettent une perception véritablement réelle du corps & du ſang de nôtre Seigneur,

1. Il faut ſavoir préalablement s'ils ſe tiennent à la Confeſſion de l'Egliſe Gallicane, faite du tems du Colloque de Poiſſy, & à ce que *Calvin* a dit dans ſes Inſtitutions, & dans pluſieurs autres endroits de ſes écrits, touchant la perception réelle & ſubſtantielle du corps de Jeſus Chriſt.
2. S'ils reconnoiſſent, que dans le myſtère du Saint Sacrement, & dans la manducation des fidelles, il ſe paſſe quelque choſe de ſurnaturel, comme *Calvin* le reconnoit en termes exprès.
3. Puiſque nous ſommes nourris, ſuivant la Liturgie Gallicane, de la ſubſtance de Jeſus Chriſt, s'ils ne reconnoiſſent, que cette ſubſtance ne conſiſte pas dans la ſeule divinité.
4. S'il n'eſt raiſonnable de ſuivre l'explication literale, s'il eſt poſſible, pour ne pas ouvrir la porte aux Sociniens.
5. D'autant plus que l'Egliſe a toujours cru une perception réelle, comme le croyent aujourd'hui toutes les Egliſes Orientales.
6. La ſeule choſe, qui nous pourroit diſpenſer de nous attacher à la lettre du Teſtament de Jeſus Chriſt, ſeroit s'il y avoit une abſurdité ou impoſſibilité dans le ſens literal. Et c'eſt ce qui reſte à examiner.
7. On vient donc à l'examen de la nature du corps. Pluſieurs mettent en fait, qu'ils ne connoiſſent que deux attributs, la penſée & l'étenduë; & ils diſent, que la penſée conſtituë l'eſprit, & que l'étenduë conſtituë le corps. Si cela étoit, il ſeroit très ſûr qu'il y auroit implication de contradiction de dire, qu'un corps ou ſa ſubſtance ſoit unie immédiatement à quelque autre ſubſtance éloignée.
8. Mais il s'enſuivroit auſſi, que Dieu ne pourroit faire agir les corps *in diſtans*, ni les faire paſſer à travers d'un autre corps &c. ce qui paroit hardi.
9. D'autant plus qu'on ne s'appuye que ſur des hypothèſes précaires ou arbitraires toutes pures. Car il n'eſt point vrai, il n'a point été prouvé, il eſt même éloigné des ſentimens de l'ancienne Philoſophie, que la nature du corps conſiſte dans l'étendue.

10. Monſ.

10. Monſ. *Huygens* diſoit fort bien que l'idée que quelques-uns ſe forment du corps, eſt juſtement celle qu'il a du vuide.

11. Au contraire il eſt aiſé de faire voir, qu'on ne ſauroit expliquer par la ſeule notion de l'étenduë, ni la force, ni les loix du mouvement, ni l'inertie naturelle du corps, ni pluſieurs autres phénomènes.

12. Bien loin que l'étendue ſoit quelque choſe de primitif dans le corps, on voit clairement, que ſa notion eſt réſoluble, & enferme multitude, continuité, diffuſion; qu'ainſi elle eſt rélative, & ſuppoſe quelque choſe, qui doit être multiplié, réſolu, diffus ou étendu, comme l'étendue de la couleur, de la peſanteur, de la réſiſtance. Ainſi c'eſt en cela que l'eſſence ou conſtitution primitive du corps conſiſte.

13. Or ce qui eſt continué & répété dans le corps eſt proprement la réſiſtance, ſans laquelle il n'y auroit point de corps, mais ſeulement un eſpace vuide, incapable de changement.

14. Ainſi pour revenir aux anciens, & à la vérité, l'eſſence du corps conſiſte dans la force primitive de pâtir & d'agir, dans la paſſivité & activité, en un mot dans la réſiſtance. La paſſivité primitive eſt ce que j'apelle forme, ou ce qu'*Ariſtote* apelle antelechie première.

15. L'expérience fait voir, qu'il y a de l'activité & de la réſiſtance dans les corps, & qui fait que ceux, qui les mettent dans la ſeule étendue, ſont obligés de les dépouiller de toute l'action, & de Dieu, que c'eſt Dieu ſeul qui agit. Ce qui eſt un ſentiment étrange, & montre bien le défaut de l'hypothèſe.

16. L'eſſence du corps conſiſtant dans la force, l'application de la force aux dimenſions s'enſuit naturellement, par l'intention de Dieu, qui a voulu, que tout ſe fit ſuivant certaines régles mathématiques, *pondere*, *numero*, *menſurâ.* Et c'eſt en conſéquence de cela, que les corps ordinairement n'opèrent point *in diſtans*, qu'ils n'occupent pas tantôt un plus grand, tantôt un moindre eſpace &c.

17. Mais ce que Dieu a voulu pour le bon ordre des choſes, ne l'oblige pas lui-même, qu'il ne puiſſe changer par des raiſons d'un ordre ſupérieur.

DE

DE CONSECRATIONE EUCHARISTIÆ,

Occaſione Diſſertationis Pfaffii.

VIr Celeberrimus, *Chriſtianus Matthæus Pfaffius*, ſuis *Irenæi Fragmentis* nuper editis, de quibus dicemus (*), cum primum ad nos pervenerint, adjecit Diſſertationem *de conſecratione Euchariſtica.* Ibi p. 459. 466. quædam in Diſſertatione *de Conſenſu Fidei & Rationis*, laudatiſſimo a nobis operi Theodicææ præmiſſo, ſibi diſplicere notavit: ſed nunc gratum ſibi fore teſtatus eſt, ſi publice ſignificemus, melius edoctum eſſe de mente Illuſtris Autoris, qui operationis immediatæ comparatione utatur, ita ut veram præſentiam corporis & ſanguinis Domini in Sacramento Euchariſtiæ non excludat, & *unionem* inter rem cœleſtem & terreſtrem negando, non neget earum *conjunctionem* in actu perceptionis, in qua conſiſtit unio ſacramentalis noſtrorum Theologorum, ſed tantum rejiciat vinculum quoddam ſeu tertium rebus ſuperadditum, quod per unionem ſæpe intelligunt Philoſophi, tanquam modificationem res uniendas connectentem, ſive localem incluſionis aut adhæſionis, ſive hypoſtaticam, qualis eſt animæ & corporis, verbi & humanitatis, ſive aliam his analogam, quoniam hoc foret Entia multiplicare præter neceſſitatem & in perplexitates philoſophicas ſeſe induere, & fortaſſe conjunctionem ultra actum perceptionis extendere, cum ſine ullo alio rebus ſuperaddito, ſufficiat divina inſtitutio ad conjunctionem efficiendam, ut rem terreſtrem ſumentes ſimul cœleſtis veriſſime participes fiamus.

(*) Ce Morceau-ci ayant été donné aux Auteurs du Journal de Leipſick pour y être inſeré, il paroit que ce ſont eux qui parlent, quoique ce fût M. *De Leibniz* qui eût compoſé lui-même cet article.

EXCERPTUM EX EPISTOLA
LEIBNITII AD AMICUM.

De Stato Innocentium Infantum &c. Et de iis qui Chriſtum non cognoverunt. A. 1697. menſe Novembri ſcripta.

INprimis placet optimum virum *Cardinalem Sfondratum* poſt fata defenſorem reperiſſe &c. Duo potiſſimum à Galliæ Prælatis quibuſdam reprehendi

prehendi video. Primum eſt, quod dixerit, *ſtatum innocentium infantum*, qui ad gloriam non perveniunt, præſtare ipſi regno. Ego tametſi aliorſum inclinem, nihil tamen in ea ſententia eſſe puto, quod cenſuram mereatur. Nam ob horrorem peccati putaſſe videtur Eminentiſſimus Cardinalis, præſtare nunquam peccare actualiter, quam cœlorum regno potiri. Sane ſi cui offeratur optio, utrum malit, non poterit peccatum eligere, eo ipſo enim perderet regnum; itaque certa ratione ſuſtineri excuſarive ſententia Cardinalis poteſt.

Alterum, quod potiſſimum reprehendunt, in eo conſiſtit, quod Cardinalis *illos, qui invincibili quadam ignorantia fide Chriſti caruerunt, etiam Ethnicos, non damnet.* Ea vero ſententia non eſt nova aut ipſi propria, ſed a multis viris præclaris defenſa. Unum nunc nominabo *Jacobum Payvam Andradium*, Luſitanum, qui in Concilio Tridentino inter Doctores inſignis fuit & ſcriptis contra Proteſtantes inclaruit. Is in libro, cui titulus, *explicationes orthodoxæ de diverſis religionis capitibus*, cui *Chemnitius* ſuum celebre *examen Concilii Tridentini* oppoſuit, ſententiam *Clementis Alexandrini* defendens multis docet, Dei juſtitiam non permittere, ut homines damnet, quod fide culpa non ſua caruere. Nec dubito innumeros alios facile inveniri poſſe eadem ſentientes, nec melius defendi poterit *Sfondratus*, quam adductis conſpirantibus gravium Theologorum locis, quod etiam à R. P. *Portero* non neglectum puto. Ubi ejus apologia ad te deferetur, judicabis rectius de toto negotio, & me quoque reddere poteris inſtructiorem.

EX ALIA EPISTOLA.

De Infantibus ſine Baptiſmo mortuis, & de Peccato Philoſophico.

CArdinalem *Sfondratum*, virum a doctrina & pietate laudatum, defenſorem reperiſſe libenter intelligo, & miror opus fuiſſe, ut Benedictinis Italiæ Germaniæque auxilio veniret Franciſcanus & Hibernus. Sed tanto minus ſuſpectus habebitur *Apologiſta egregius*, quem nec ordinis nec nationis, ſed veritatis & juſtitiæ cura excitavit. Itaque & R. P. *Portero*, quem rem bene geſſiſſe confido & gratulor & gratias agendas cenſeo. Eſt is mihi fama doctrinæ, virtutis, illuſtriſque familiæ cognitiſſimus. Et licet occaſio propioris notitiæ defuerit, magni tamen ſemper feci virum. Cæterum quæ dixit Cardinalis *de infantibus ſine baptiſmo & peccato actuali mortuis*, facilius puto defendi poſſe vel excuſari; nam beatitudinem quandam naturalem illis jam multi celebres doctores attribuerunt, & innocentiam actualem cœlorum regno prætuliſſe videtur optimus

Cardinalis horrore peccati, & quia nemo, ſi optio detur, cœlum potius quam innocentiam eligere licite poſſet, quanquam id, fateor, theſin, quam ille aſſerit, non ſatis firmare videatur. Quod etiam dubitaſſe Cardinalis videri poteſt *de neceſſitate fidei explicitæ*, id puto R. P. *Porterum* aliorum Theologorum Romanæ Eccleſiæ inſignium exemplo potuiſſe vel defendere vel certe excuſare. Cum etiam *Jacobus Payva Andradius*, ut alios non memorem, qui in ipſo Concilio Tridentino inſignis inter Theologos fuit, & ſcriptis contra Proteſtantes inclaruit, eadem ſenſerit, fuſeque deduxerit in libro, cui titulus; *Explicationes orthodoxæ de diverſis capitibus*; qui liber ſuo tempore magno adeo applauſu fuit exceptus, ut ei *Martinus Chemnitius* potiſſimum celebre *examen Concilii Tridentini* oppoſuerit, ut ipſe teſtatur. Itaque inprimis noſſe velim, quid ea de re judicaverit R. P. *Porterus*. Unum mihi videtur excuſatu difficilius, quod Eminentiſſimus Cardinalis *peccato philoſophico* faviſſe nimis videtur, quaſi non peccet mortaliter, qui Deum non agnoſcit. Fortaſſe ſcripſit hæc ante *Alexandri VIII.* edictum, & morte præventus locum non correxit. Fortaſſe etiam hunc caſum peccati philoſophici tantum ut fictionem impoſſibilem tractavit, cum ipſe paulo ante ignorantiam Dei excuſabilem in barbaris ample refutaſſe. Utcunque ſe res habeat, quæ ad hæc duo objecta de fide implicita ſufficiente, & de peccato philoſophico dixerit R. P. *Porterus*, libenter noſſe velim.

PRÆ-

PRÆFATIO
ILLUSTRIS LEIBNITII
AD
TENTAMINA THEODICÆÆ.

ARGUMENTUM.

§. 1. DE *Formalitatibus Devotionis*, *quarum aliæ ad ceremonias practicas*, *aliæ ad formularia fidei redeunt.* §. 2. *De formalitatibus devotionis apud Gentes.* §. 3. *Apud Ebræos. Doctrina* Abrahami, Moſis, Jeſu Chriſti, *Religionem naturalem in legem tranſire jubentis*; Mahometi. §. 4. J. Chriſtus *ſtitit nobis Deum*, *non ut timendum ſolum*, *ſed & ut amandum.* §. 5. *In amore Dei conſiſtit vera pietas*, *veraque hominum felicitas*; *loquimur autem de amore illuminato*, *cujus ardor nempe comitem habeat lucem.* §. 6. *Patet hinc neceſſitas bonorum principiorum*; *Deus enim amari nequit*, *niſi cognoſcantur ejus perfectiones*, *ſed hæc cognitio ſinceræ pietatis principia includit. Scopus veræ Religionis eſſe debet*, *ea infigere animis*, *ſed proh dolor! videmus*, *ipſos perſæpe Religionis Doctores ab hoc ſcopo procul aberraſſe. Medelas adferre laboravimus Tentaminibus hiſce Theodicææ.* §. 7. *De duobus inſignibus Labyrinthis Rationis*, *quorum alter quæſtionem practicam de libero & neceſſario*, *potiſſimum in productione mali*, *alter quæſtionem theoreticam de continuo & infinito reſpicit.* §. 8. *De Ratione ignava*, *ſophiſmate*, *ab omni tempore homines conturbante.* §. 9. *De idea neceſſitatis male intellecta*, *quæ peperit Fatum Mahumetanum. Quid illud? & quid Fatum Stoicum?* §. 10. *De Fato Chriſtiano.* §. 11. *Magna hominum turba*, *Chriſtianorum etiam*, *quandam Fati Mahumetani ſpeciem colunt.* §. 12. *Quidam fortunam ſequuntur ducem*, *neque infelici quandoque ſucceſſu.* §. 13. *A multis autem tum jactatur hæc Fati neceſſitas*, *ubi vitiis quæritur tegumentum.* §. 14. *Qui quis abſurdas fatalis neceſſitatis ſequelas intueri poſſit?* §. 15. *Hujus notione falſa quidam decepti*, *ipſam Divinitatem ſuorum ſcelerum conſortem fecerunt*; *ac* Bælius *reſuſcitavit dogma de duobus principiis*, *altero bono*, *& altero malo.* §. 16. *Difficultas circa concurſum*, *circa præſcientiam divinam*, *ſi etiam daretur*, *nullum Dei ad pravas actiones concurſum eſſe.* §. 17. *Quidam*, *relicto juſtitiæ bonitatiſque divinæ connubio*,

nubio, totam rem conſideratione voluntatis & potentiæ Dei conficere volunt. §. 18. *Sed hæc ratiocinia pari ambulant paſſu cum illo* Thraſymachi *apud* Platonem, *juſtum, dicentis, nihil aliud eſſe, quam id, quod potentiori placet.* §. 19. *De Peccato Originis, de Gratia, de Prædeſtinatione.* §. 20. *De* S. Auguſtini *ſententia circa hanc materiam.* §. 21. *De permiſſione lapſus.* §. 23. *Quomodo dubiis atque difficultatibus, quæ in his capitibus obverſantur, digne occurri poſſit?* §. 22. §. 23. *& quidem in argumento de origine mali.* §. 24. *in negotio Gratiæ & Prædeſtinationis.* §. 25-30. *Occaſionem ſcribendæ Theodicææ dederunt Controverſiæ, cum* Petro Bælio *reciprocatæ, inprimis circa Harmoniam præſtabilitam.* §. 31. 32. *De Diſcurſu præliminari, Rationem cum Fide circa originem mali conciliante.* §. 33. *Qualem Auctor illuſtris ſtatuat influxum animæ in corpus, vel corporis in animam, Metaphyſicum puta.* §. 34. *Quo ſenſu dicatur, hominem in converſione uti auxilio Gratiæ.* §. 35. *Finis totius commentationis ædificatio.* §. 36. *Conjectura quædam de duobus veterum principiis,* Oromaſda & Arimanio. §. 37. *Concluſio.*

1. AB omnibus retro ſæculis obſervatum eſt, vulgus hominum devotionem poſuiſſe in formalitatibus: *ſolida pietas*, hoc eſt, lux animi ac virtus, nunquam plurimorum ſors fuit. Neque id mirum; nihil enim imbecillitati humanæ magis conſentaneum; percellimur externa rerum facie, & forma interior diſcuſſionem requirit, cujus pauci ſe capaces reddunt. Quemadmodum vera pietas cernitur in ſenſibus animi, exercitioque virtutis: ita eam imitantur *devotionis formalitates*, ſuntque duplicis generis; aliæ nimirum redeunt ad *ceremonias practicas*, aliæ vero ad *fidei formularia*. Ceremoniæ referunt actus, ad virtutem pertinentes, & formularia ſunt veluti quædam umbræ veritatis, ac plus minuſve ad puram mentis lucem accedunt. Omnes hæ formalitates forent laudabiles, ſi earum inventores reddidiſſent eaſdem ſatis aptas ad tuendum & exprimendum id, quod ipſæ imitantur; ſi ceremoniæ religioſæ, diſciplina Eccleſiaſtica, regulæ Communitatum, Leges humanæ, ſemper uſum ſepimenti cujuſdam præſtarent, Legi divinæ, ad ſubmovendos nos a vitiorum inſultibus, ad adſuefaciendos rebus honeſtis, & ad virtutem in noſtram familiaritatem adducendam. Scopus hic fuit *Moſis*, aliorumque bonorum Legislatorum, ſapientum Ordinum religioſorum Fundatorum, immo vero quam maxime Jeſu Chriſti, divini Religionis caſtiſſimæ & luminoſiſſimæ conditoris. Eadem ratione ſe habent formularia fidei; tolerari poſſent, ſi nihil in iis daretur, quod veritati ſalutari adverſum iret, quamvis non omne verum, quod quæritur, in ſe complecterentur. Sed pluries contingit, ut devotio ritibus ſuffocetur, lumenque divinum humanis obſcuretur opinionibus.

2. Ethnicæ gentes, ante fundatam Religionem Chriſtianam terrarum incolæ, unum tantum formalitatum genus habebant; uſurpabant quidem

cere-

ceremonias in cultu ſuo, ſed articulos fidei nullos agnoſcebant, nec per ſomnium unquam de condendis Theologiæ ſuæ dogmaticæ formularibus cogitabant. Fugiebat eas, utrum ſua Numina perſonæ revera eſſent, an vero potentiarum naturalium, veluti Solis, planetarum, elementorum, ſymbola. Neque myſteria illarum in dogmatibus difficilibus, verum in certis quibuſdam & arcanis ritibus conſiſtebant, quibus profani, hoc eſt, ii, qui initiati non erant, intereſſe omni tempore vetabantur. Ritus iſti ridiculi ſæpe erant & abſurdi, adeoque occultandi, ne in contemtum venirent. Habebant Ethnici ſuas ſuperſtitiones, jactabant miracula; omnia apud ipſos plena oraculorum, auguriorum, præſagiorum, divinationum; Sacerdotes comminiſcebantur ſigna quædam iræ clementiæque Deorum, quorum volebant haberi interpretes. Spectabat hoc ad regendos animos ſpe metuque eventuum humanorum, ſed gravis illa alterius vitæ futuræ conſideratio paucos habebat ſollicitos, veros de Deo atque anima ſenſus hominibus inſtillare neminem coquebat (a).

3. Inter antiquos populos omnes ſoli Ebræi publica ſuæ Religionis dogmata habuiſſe comperiuntur. *Abrahamus* & *Moſes* credendum unum Deum, omnis boni fontem, rerum omnium auctorem, ſanciverunt. Ebræi de eo loquuntur ratione Subſtantiæ Supremæ adprime convenienti, ut ſtupeas exigui terrarum anguli incolas videre omni reliquo hominum genere ſapientiores. Fortaſſis & aliarum gentium Sapientes de Deo idem interdum dixerunt, verum haud contigit ipſis eſſe tam felicibus, ut ſufficientes nanciſcerentur ſectatores, dogmatique vim legis tribuere poſſent. Interim *Moſes* doctrinam de immortalitate animorum Legibus ſuis non immiſcuerat (b): conformis quidem ea illius ſenſibus erat, & a manu

 in

(a) Arbitramur, etiam Gentes ſyſtema Theologiæ dogmaticæ habuiſſe, & excoluiſſe, ſed veritates illæ non admodum in vulgus notæ erant, manebantque apud Philoſophos, quos egregie de unitate DEI, de immortalitate animæ, de præmiis, in altera vita pietati juſtitiæque hominum paratis, loquentes reperimus, ac per eorum diſcipulos non ſolum in ſcholis propagabantur; ſed &, quantum per ruditatem atque motus populorum turbidos fieri poterat, cum vulgo, ſparſim certe, ſi non amplius, tradebantur. Hæc etiam doctrina, arcana quandoque & recondita pro temporum varietate, viam paravit Apoſtolis, animos de veritatibus Evangelicis facilius convincendi. Fabulæ quidem multas doctrinas obſcurarunt; conſentio; ſed, cum plurimæ a Viris doctis & Philoſophis excogitatæ ſint, indice quaſi digito ad ſanas veritates animos diſcendi cupidos ducebant. *Fabulæ*, ex vero dicit nonnemo; *non levia quædam & frugis expertia, otioſorum hominum commenta ſunt: immo vero ſub eis, velut involucris atque integumentis, omnis doctrina elegans, omnis ingenuo homine digna cognitio, omnis denique ſapientia, continetur.* Omnia hæc fuſius docuimus *in Parte II. Tract. noſtri de Trinitate*, 1737. *ed.* ubi conſenſum Gentium in doctrina de DEO Uni-Trino luculentis exemplis confirmavimus.

(b) Moſes non quidem iſtiuſmodi veritates tam aperte, multiſque verbis, ſermoni ſuo immiſcuit, ſed illas, uti & alias, v. g. de exiſtentia DEI, tanquam manifeſtas, omnibus cognitas, a nemine unquam inter ipſos in dubium vocatas, ſuppoſuit, ſuppoſitaſque hinc inde, indice velut digito & uno tantum aliquo ſigno, in memoriam ſui populi revocare, novit, uti L. cit. oſtendimus.

in manum tradebatur, ſed tamen populari ratione nondum ſancita fuerat, donec tandem Jeſus Chriſtus, ſublato velo, utut nulla vi externa munitus, omni tamen virtute legislatoria docuit, animos immortales ad alteram tranſire vitam, ubi ſuarum actionum mercedem fas ſit recipere. *Moſes* præclaras jam tunc protulit notiones de DEI magnitudine ac bonitate, quibus complures excultæ nationes hodie conſentiunt: at Jeſus Chriſtus omnia iſtorum attributorum conſectaria firmabat, divinamque bonitatem ac juſtitiam in iis, quæ DEUS animabus præparat, pleniſſime effulgere demonſtrabat. Non adtingo hic alia doctrinæ Chriſtianæ capita; tantum ob oculos pono, quo pacto Jeſus Chriſtus Religionem naturalem in legem tranſire juſſerit, publicique ipſi dogmatis efficaciam dederit. Solus ipſe præſtitit, quod tot tantique Philoſophi fruſtra tentaverant, cumque tandem Chriſtianis Romanum cederet Imperium, quod potiori terræ cognitæ parti dominabatur, Religio Sapientum facta eſt Religio populorum. *Mahometus* ſuperveniens a magnis illis Theologiæ naturalis præceptis non receſſit: illius ſectatores adeo ea ad remotiſſimas Aſiæ Africæque gentes diffuderunt, ad quas Religio Chriſtiana nondum pervenerat, inque locis non paucis ſuperſtitiones ethnicas, veræ de DEI unitate, & animorum immortalitate, doctrinæ contrarias, aboleverunt.

4. Patet, Jeſum Chriſtum, perfectis iis, quæ *Moſes* inchoaverat, voluiſſe, ut ſupremum Numen fieret typus non noſtri ſolum timoris, noſtræque venerationis, ſed amoris etiam noſtri, tenerrimique adfectus. Hoc erat homines in anteceſſum beatos reddere, inque hac mortalitate ipſis prælibandam præbere futuræ vitæ felicitatem. Nihil enim acceptius, quam amare id, quod amore dignum eſt. Amor eſt adfectus ille, qui facit, ut oblectemur perfectionibus rei, quam amamus: at DEO nihil eſt perfectius, nihilque ſuavius. Ut ametur, ſufficit ejus perfectiones intueri; quod quidem facile eſt, cum earum ideas in nobis ipſis reperiamus. Perfectiones Dei ſunt perfectiones animarum noſtrarum, ſed abſque limitibus ab illo poſſeſſæ: Oceanus is eſt, a quo nos ſtillas tantum accepimus: eſt in nobis aliquanta potentia, aliquanta cognitio, aliquanta bonitas; ſed in Deo omnes plenæ ſunt atque integræ. Ordo, proportiones, harmonia mirifice nos adficit, exemplo eſſe poteſt Pictura & Muſica: Deus totus ordo eſt, proportionum concinnitatem nunquam non ſervat, præſtat harmoniam univerſalem: omnis pulchritudo radiorum ejus eſt effluvium (c).

5. Ma-

(c) Via hæc inveſtigandi attributa divina, dicitur *Eminentiæ* & *Perfectionis*, qua perfectiones, in entibus finitis obvias, liberamus limitibus, & Deo tribuimus, adeoque a perfectionibus finitis argumentamur ad perfectiones Dei infinitas. Sedulo autem hic inveſtigandum eſt, quid in attributis noſtris vere & proprie ſit reale, ne Deo imperfectiones adſcribamus. Altera via eſt *Cauſalitatis*, qua ad effectus attributorum Dei adtendimus, atque ex iis cauſſæ rationem inferimus. Vid. *illuſtris Bilfingeri* Dilucid. Philoſoph. Sect. V. Cap. III. §. 418.

5. Manifeſte hinc conficitur, veram pietatem, immo veram felicitatem, conſiſtere in amore Dei, ſed in amore illuminato, cujus ardor comitem habeat lucem. Hoc amoris genus illud in bonis actionibus delicium gignit, quod virtutem altius attollit, omniaque ad Deum, tanquam ad centrum, referendo, humana transvehit ad divina. Dum enim officii noſtri partes exſolvimus, dum Rationi obtemperamus, ſupremæ Rationis mandata exſequimur, omnia noſtra conſilia ad commune bonum dirigimus, a Dei gloria haud quaquam diverſum; perſentiſcimus, utilitatem privatam longe maximam effulgere in cura utilitatis generalis, nobiſque ipſi ſatisfacimus, dum veris hominum commodis procurandis lætamur. Sive res ex voto ſuccedat, ſive non ſuccedat, eventu ſumus contenti, ubi in Dei voluntate acquieſcimus, haud neſcii, id, quod ipſe velit, eſſe optimum: at, priuſquam voluntatem ſuam eventu certo declaraverit, conamur eidem obviam ire, agendo id, quod mandatis ſuis videtur eſſe quam maxime conſentaneum. Quando animus ita adfectus eſt, ſiniſtris caſibus nihil offendimur, non niſi vitiis noſtris angimur, nec ingrati hominum mores beneficæ liberaliſque indolis noſtræ exercitium ſuſpendunt. Charitas noſtra humilis & modeſtiæ plena eſt, nec adfectat imperium: ad defectus noſtros & aliorum dotes ex æquo attenti, carpere noſtras actiones contendimus, & excuſare atque corrigere alienas, tum ut nos ipſi perficiamus, tum ne cuiquam faciamus injuriam. Nulla viget pietas, ubi nulla eſt charitas, & ſine animo, ad beneficentiam officiaque parato, ſinceram exhibere devotionem haud quaquam poſſumus (d).

6. Egregia indoles, educatio commoda, hominum piorum, ac virtute inſignium, conſuetudo, plurimum quidem ad felicem hunc animi ſtatum comparandum conferre poſſunt; ſed id, quod maxime mentes adlicit, ſunt bona principia. Jam ante dixi, lumen ardori jungendum eſt, perfectionibus intellectus perfectiones voluntatis ſunt conſummandæ. Actus, virtuti perinde atque vitio conformes, nudæ conſuetudinis effectus eſſe queunt; adfici iis animus poteſt: at virtus, quæ cum ratione conſentit, quæ ad DEUM, ſupremam omnium rerum Rationem, refertur, in cognitione fundata eſt. Nequit amari DEUS, niſi ejus perfectiones cognoſcantur, hæcque cognitio ſinceræ pietatis *principia* includit. *Scopus veræ Religionis* eſſe debet, eadem infigere animis: ſed neſcio, quo pacto perſæpe acciderit, ut homines, ut ipſi Religionis Doctores, ab hoc ſcopo procul aberrarint. Contra intentionem divini noſtri Magiſtri, devotio ad ceremonias

(d) Socrates, Princeps & communis Pater antiquorum Philoſophorum, ſimili ratione iis jam temporibus philoſophatus eſt, docens, hominem, quem unice ipſius Philoſophia ſpectabat, duabus fere rebus occupari, *Contemplatione Dei*, & *Converſatione cum hominibus*: doctrinam illius hinc bifariam partiendam. *Metaphyſica* ea eſt, in quantum ſpectat primum illud: Moralis, in quantum poſterius. Vid. *Stanleji* Hiſtor. Philoſ. in Vita Socrat.

monias reducta eſt, doctrinaque formulis onerata. Sæpiſſime ceremoniæ iſtæ non admodum aptæ fuerunt ad alendum virtutis exercitium, formulæque interdum ſufficienti deſtituebantur lumine. Quis credat? Chriſtiani ſibi perſuaſerunt, ſe poſſe devotos eſſe citra dilectionem hominis ſocii, & pios citra amorem DEI; aut certe crediderunt, diligi hominem ſocium poſſe ſine ſtudio ejus inſerviendi commodis, & amari DEUM ſine ipſius cognitione. Plurima effluxerunt ſæcula, antequam publicum hunc errorem ſatis perſpectum ſibi reddidit; & etiamnum reſtant ingentes regni tenebrarum reliquiæ. Videmus quandoque homines, de pietate, de devotione, de religione multa verba facientes, quin & earum magiſterium profeſſos, de divinis tamen perfectionibus haud ſatis digne inſtructos. Supremi univerſitatis Arbitri bonitatem & juſtitiam ſiniſtre concipiunt, fingunt ſibi DEUM, imitatione & amore indignum. Hoc eſt, quod mihi periculoſis obnoxium eſſe videbatur conſectariis; quandoquidem maxime intereſt, ipſum pietatis fontem nullo eſſe veneno infectum. Antiqui errores eorum, qui Divinitatem adcuſarant, aut qui eam in malum principium tranſmutarant, hac noſtra ætate ſubinde renovati ſunt: ad potentiam DEI, cui nihil reſiſtere poteſt, converſus gradus, quando de ſuprema illius bonitate manifeſtanda potius agebatur; & auctoritas quædam deſpotica introducta eſt, ubi potentia, perfectiſſimæ ſapientiæ legibus temperata, concipienda erat. Obſervavi has ſententias, damnum haud incertum minantes, ſuffulciri præſertim notionibus quibuſdam perplexis, quas ſibi de Libertate, Neceſſitate, & Fato, nonnulli efformaverant; ac pro re nata non una vice calamum adripui ad capita tanti momenti in majore luce collocanda. Tandem vero neceſſum habui, cogitationes meas de omnibus his argumentis, inter ſe connexis, colligere, publicoque ante oculos ponere. Hoc autem a me ſuſceptum eſt in *Tentaminibus*, quæ nunc divulgo, *de Bonitate Dei*, *Libertate Hominis*, *& Origine Mali.*

7. Duo dantur Labyrinthi inſignes, in quibus Ratio perſæpe aberrat: alter reſpicit grandem *de Libero & Neceſſario* quæſtionem, potiſſimum in productione & origine *Mali*; alter cernitur in diſcuſſione *Continuitatis & Indiviſibilium*, quæ illius elementa eſſe videntur, in qua quidem diſcuſſione ſub cenſum venire debet conſideratio *Infiniti.* Prior quæſtio totum pene genus humanum diſturbat; poſterior autem ſolos exercet Philoſophos. Erit forſitan alias occaſio explicandi, quid de Continuo ſentiam, atque monendi, quod, ob non bene conceptam ſubſtantiæ materiæque naturam, falſæ poſitiones fabricatæ ſint, quæ ad inſuperabiles difficultates ducunt, quarum uſus eſſe deberet harum ipſarum poſitionum everſio. Quodſi vero cognitio Continuitatis magni eſt ad Theoriam momenti, Neceſſitatis certe intelligentia non eſt minoris ad praxin, atque hoc cum capitibus adnexis, Libertate ſcilicet Hominis, & Juſtitia DEI, erit hujus meæ Commentationis argumentum.

8. Ab omni vero tempore conturbavit homines ſophiſma quoddam, quod

quod Veteres *Rationem ignavam* adpellarunt, propterea quod ad deſidiam incuriamve ad minimum omnium rerum, & ad ſequendum præſentis voluptatis impetum, tendebat. Quodſi namque, ajebant, futurum eſt neceſſarium, id, quod evenire debet, eveniet, quidquid ego agam. Atqui, pergunt, futurum eſt neceſſarium, ſive quia Divinitas omnia prævidet, eaque præfinit etiam adminiſtrando, quæcunque in univerſo ſunt, ſive quod omnia eveniunt neceſſario, per nexum cauſarum; ſeu denique per naturam ipſam veritatis, determinatæ in enunciationibus, quæ de futuris eventibus formari queunt, quemadmodum videre eſt in omnibus aliis enunciationibus, cum enunciatio in ſe ipſa ſemper debeat eſſe vera vel falſa, quamvis nos, utrum eorum locum habeat, non ſemper dignoſcamus. Atque omnes hæ determinationis rationes, quæ diverſæ videntur eſſe, veluti lineæ ad idem centrum tandem concurrunt; eſt enim in eventu futuro veritas aliqua, per cauſas prædeterminata, quam Deus has conſtituendo cauſas præſtituit.

9. Idea Neceſſitatis, male intellecta, ad uſum adplicata, peperit id, quod *Fatum Mahumetanum* adpello; quoniam Turcæ, ob rationes jam relatis ſimiles, diſcrimina non vitare, nec loca lue infecta relinquere, perhibentur. *Fatum* enim, quod vocant *Stoicum*, non erat tam atrum, quam vulgo depingitur, nec homines a cura rerum ſuarum avocabat, ſed tendebat ad præſtandam illis tranquillitatem in eventibus, ex conſideratione neceſſitatis, quæ ſollicitudinem anxietatemque noſtram inutilem reddit: qua in parte Philoſophi iſti a doctrina noſtri Soſpitatoris non penitus recedebant, quippe qui iſtiuſmodi ſollicitudines intuitu craſtini diei diſſuadet, comparans eas cum curis inutilibus, quas homo ſibi crearet, ad ſtaturam ſuam acceſſionem facere molitus.

10. Verum quidem eſt, quod placita Stoicorum (& fortaſſis etiam aliquorum noſtri temporis Philoſophorum celebrium,) qui jactatæ huic neceſſitati inſiſtunt, non niſi patientiam coactam mentibus inſtillare poſſint (e), cum contra Soſpitator noſter, ſublimiora cogitata inſpirans, artem nos inſuper doceat ſemper gaudendi, confirmando, dum Deus, perfecte bonus & ſapiens, omnium rerum tam ſedulam curam gerat, ut ne capillum quidem capitis noſtri unicum negligat, omnimodam in illo ponendam eſſe fiduciam: quin immo deprehenſuros nos, ſi capere rerum ſeriem poſſemus, melius aliquid, quam quod facit, ne optari quidem poſſe, ſive res abſolute, ſive comparate ad nos, ſpectentur. Itaque res perinde ſe habet, ac ſi diceretur: Explete officii veſtri partes ſtrenue, & in eo

Tom. I. F dein-

(e) Huc v. g. referenda ipſa *Zenonis*, Stoicorum Anteſignani, agendi ratio. Hic, cum e ſchola exiret, lapſus, digitum fregit. Manu igitur terram feriens, Niobes iſtud ex Tragœdia repetiit:

En adſum, quid me, oro, vocas?

Atque ſic domum ſe conferens, vel, ut alii perhibent, eo ipſo loco, laqueo vitam finivit. Vid. *Diogenis Laertii* Vita Zenon. p. 454. ed. Steph.

deinceps acquieſcite, quod eveniet, non ſolum, quia divinæ providentiæ, aut naturæ rerum, reſiſtere non valetis, (quod quidem ad *tranquillitatem*, non item ad gaudium ſufficit,) ſed etiam, quia cum optimo Domino vobis eſt negotium. Atque hoc nuncupari poteſt *Fatum Chriſtianum.*

11. Interim palam eſt, maximam hominum vim, etiam Chriſtianorum, quamvis ipſi non ſatis agnoſcant, in actionibus quandam Fati Mahumetani ſpeciem immiſcere. Conſtat quidem, eos haud feriari, aut pigrari, ubi pericula evidentia, vel ſpes manifeſtæ & ingentes ſe offerunt; ſubducent namque ſe tectis, ruinam minitantibus, ac præcipitium, in via occurrens, cavebunt; fodient item terram, quo thеſaurum ſemiconſpicuum eruant, neque exſpectabunt, dum ille a Fato penitus expediatur. At ubi bonum vel malum procul diſſitum, & dubium & remedium moleſtiam parit, aut parum eſt ad palatum noſtrum, tum vero Ratio ignava nobis eſſe bona videtur; exempli gratia, ſi de conſervanda valetudine, immo & vita ipſa victu ſobrio tuenda, agatur, ii, quibus iſtud conſilium datur, perſæpe reſpondent, dies noſtros eſſe numeratos, & nequicquam ſe adverſus deſtinatam ſibi a Deo ſortem luctaturos. At iidem iſti homines, malo, quod neglexerant, imminente, ad remedia vel maxime ridicula confugiunt. Eodem fere modo ratiocinantur, ſi quando deliberatio eſt paullo ſpinoſior, veluti, ut exemplo rem illuſtremus, dum quis apud ſe quærit, *Quod vitæ ſectabor iter?* quod inſtitutum amplectendum? cum de uxore ducenda, de bello gerendo, de prælio ineundo, agitur: his enim in caſibus plurimi, diſcuſſionis laborem pertæſi, ſorti vel inclinationi ſe ſuæ permittent, quaſi Ratio non, niſi in caſibus facilibus, vocanda in conſilium foret. Tunc ergo ſæpius ratiocinationem inſtituent more Turcarum, (quamvis id nonnulli male adpellent divinæ ſe Providentiæ permittere, quod tum demum locum habet, quando quis officio ſuo probe defunctus eſt,) & valebit Ratio ignava, deſumta a fato, impediri neſcio, quo legitimi ratiocinii onus excutiatur, neque conſiderabunt, ſi ratiocinium hoc contra Rationis uſum acceptandum eſſet, id ſemper habiturum locum, ſive deliberatio facilis foret, ſive non. Hæc ignavia ex parte fons eſt ſuperſtitioſorum rituum, Hariolis frequentium, in quos homines æque facile incidunt, atque in lapidem philoſophicum, quod compendioſas ad felicitatem ſine labore perveniendi vias vellent.

12. Non hic loquor de iis, qui fortunæ ſe totos committunt, quia fortuna prius favente uſi ſunt, quaſi quid conſtans in ea firmumque reperiretur. Eorum argumentandi ratio a præterito ad futurum tam exile fundamentum habet, quam Aſtrologiæ, aliarumque divinationum, principia; nec ſecum exputant, eſſe communiter in fortuna fluxum refluxumque, *una marea* (æſtum quaſi maris) quemadmodum Itali ludum illum chartarum ludentes, quem *Baſſettam* nuncupant, adpellitare illud conſueverunt, inſtituuntque hinc in eo quaſdam ſingulares obſervationes, quibus tamen nimium fidere nemini ſuaſerim. Interim hæc in fortunam fiducia

cia

cia ſæpius animum adfert hominibus, & præſertim militibus, & reapſe illis bonam fortunam, quam ſibi tribuunt, conciliat; uti ſæpe numero prædictiones prædicta efficiunt, & uti Mahumetani ſua de Fato opinione fieri feruntur audaces. Ita ipſi errores interdum ſuam habent utilitatem; ſed plerumque ut aliis erroribus medeantur, & Veritas in univerſum longe nobiliore ſtat pretio (f).

13. Verum enim vero tunc præcipue jactata hac Fati neceſſitate abutimur, cum eam vitiis noſtris, effrænatæque licentiæ excuſandæ, obtendimus. Audivi ſæpe excitati ingenii juvenes, audacia eorum judicia æmulantes, quos Animos fortes adpellare ſolent, incaſſum prædicari virtutem, vitia vituperari, præmiorum ſpem concipi, pœnarumque metu excruciari, cum de fatorum libro dici queat, *Quod ſcriptum, ſcriptum eſt*, nec in eo quidquam vitæ noſtræ ratio mutare poſſit; atque ita ſatius eſſe, indulgere ſuo ingenio, eaque tantum perſequi, quæ nos in præſens oblectare valeant. Illi rationem nullam habebant abſurdarum argumenti hujus, nimium probantis, conſequentiarum: probaret enim, exempli cauſa, abſorbendam eſſe ſuavem potiunculam, etiamſi illam veneno infectam probe noſſem. Etenim eadem ratione, ſi valeret, dicere potero: ſi ſcriptum ſit in diphtera Parcarum, toxicum illud mihi nunc exitium adlaturum, aut certe nociturum, id eſſe eventurum, quamvis potionem iſtam non deglutierim; ſin vero ſcriptum id non ſit, nihil eventurum, etiamſi potionem hauſerim; atque ſic impune me genio meo gerere morem poſſe, ſumendo id, quod delectat, utut ſit perniencioſiſſimum, quod quidem manifeſtam abſurditatem prodit. Objectio hæc reprimebat eos aliquantulum, at ſemper tamen ad ratiocinium ſuum, variis modis inflexum, reveriebantur, donec tandem illis oſtenſum fuit, in quo conſiſteret vitium ſophiſmatis. Nimirum falſum eſt, quod res eventura ſit, quicquid agas; eveniet illa, quia facis, quod ad eam ducit: &, ſi eventus ſit ſcriptus, cauſa quoque, illum promovens, ſcripta erit. Itaque effectuum cauſarumque nexus tantum abeſt, ut doctrinam neceſſitatis, moribus infenſæ, ſtabiliat, ut potius ei profligandæ adprime inſerviat.

14. Verum, licet pravæ, & ad effrenem licentiam ducentes, intentiones abeſſent, poterit tamen quis aliter abſurdas fatalis neceſſitatis ſequelas intueri; ſi nimirum perpendit, ea deſtrui libertatem arbitrii, moralitati actionis tam intime innexam; cum neque juſtitia, neque injuſtitia, nec laus, nec vituperium, nec pœna, nec præmium, in actionibus neceſſariis locum habere poſſint, nec quiſquam ad faciendum id, quod fieri nequit, aut ad omittendum, quod ſine diſcrimine neceſſarium eſt, adſtringi queat. Aberit forſan animus abutendi cogitatione hac in vitii patroci-

(f) Multis forſan placebit illud Philoſophi: præſtat rationabiliter eſſe infelicem, quam abſque ratione felicem.

trocinium, ſed anceps tamen atque attonitus interdum hærebis, ubi judicium de actionibus alienis ferendum erit, aut potius, ubi reſpondendum objectionibus, quarum aliquæ ipſum quoque Deum ſpectant, de quibus ſtatim loquar. Et quoniam neceſſitas inſuperabilis impietati januam aperiret, ſive ob ſcelerum impunitatem, quæ ex illa concludi poſſet, ſive quia inutile foret, torrenti, cuncta rapienti, reſiſtere velle, magni profecto refert, diverſos notare gradus neceſſitatis, & oſtendere, quod eorum aliqui nocere non poſſint, uti e contrario alii admitti nequeant, quin pernicioſis locus cedatur conſequentiis.

15. Nonnulli longius adhuc progrediuntur, & ad probandum, quod virtus ac vitium nec proſint, nec obſint, neceſſitatis obtentu abuti minime contenti, audent Divinitatem ſcelerum ſuorum conſortem facere, antiquos imitantes Paganos, qui cauſam ſuorum criminum in Diis quæſiverunt, quaſi Numine aliquo ad peccandum compulſi eſſent. Philoſophia Chriſtianorum melius, quam illa veterum, dependentiam rerum a primo Auctore, ejuſque ad omnes Creaturarum actiones concurſum, agnoſcens, difficultatem hanc augere viſa eſt. Viri quidam docti noſtræ ætatis eo provecti ſunt, ut omnem rebus creatis actionem denegarent: ac Cl. *Bælius*, a paradoxa hac opinione non alieniſſimus, eandem adhibuit ad reſuſcitandum pridem ſepultum dogma de duobus Principiis, altero bono, altero malo, quaſi iſtud dogma difficultatibus de mali origine felicius ſatisfaceret; etſi alioqui agnoſcat, hancce ſententiam nullo pacto defendi poſſe, unitatemque principii manifeſtiſſime in rationibus, *a priori* deſumtis, fundari; verum inde inferre ſatagit, quod Ratio noſtra confundatur, neque objectionibus ſatisfacere poſſit, quodque tamen nihilominus firmiter adhærendum ſit dogmatibus revelatis, de exiſtentia unius Dei, perfecte boni, perfecte potentis, ac perfecte ſapientis, nos certos reddentibus. At verendum, ne Lectores non pauci, quibus de inſolubilitate objectionum perſuaſum eſſet, quique eas ſaltem cenſerent æque fortes, atque argumenta, Religionis veritatem roborantia, pernicioſas inde conſequentias deducant.

16. Quanquam autem daretur, nullum Dei ad pravas actiones concurſum eſſe, haud levis tamen ſuperſtes maneret difficultas in eo, quod prævidet, quodque eis permittit, cum prohibere omnipotentia ſua poſſit. Hinc factum, ut quidam Philoſophi, quin & Theologi nonnulli, denegare Deo ſingularum rerum, & futurorum maxime eventuum, cognitionem maluerint, quam concedere, quæ bonitati ejus fraudi eſſe ducebant. Sociniani, nec non *Conradus Vorſtius* (g), eam in partem inclinant; & *Thomas*

(g) Innuit *Conradi Vorſtii* Librum de Deo, ſeu Diſputationes, de Natura & Attributis Dei, diverſo tempore Steinfurti publice habitæ, & ibid. 1610. ed. qui quantos dederit ſtrepitus, notum eſt.

Thomas Bonartes, Jeſuita Anglus Pſeudonymus, ſed oppido eruditus, qui *de Concordia Scientiæ cum Fide* Librum conſcripſit, de quo infra ſermo recurret, idem quoque inſinuare videtur.

17. Male illi profecto, ſed nihilo melius alii, qui, dum exploratum habent, ſine Dei voluntate ac potentia nihil fieri, ipſi tamen adtribuunt conſilia & actiones, omnium Entium maximo atque optimo prorſus indignas, ut cogitari poſſet, iſtos Auctores revera doctrinæ, juſtitiam bonitatemque divinam urgenti, renuntiaſſe. Crediderunt enim, ipſum, cum ſit ſupremus univerſi Moderator, ſine ullo ſuæ ſanctitatis diſpendio, efficere poſſe, ut committantur peccata, ſolum quia ita placet, aut ut delinquentes punire poſſit; immo poſſe eum æternis innocentum cruciatibus delectari, nec alicujus injuſtitiæ inſimulari, quoniam nemo jus aut poteſtatem habeat actiones illius examini ſubmittendi cenſorio. Quin immo quidam eo prolapſi ſunt, ut adſerere auderent, Deum revera ſic agere, & quæſito ſententiis colore in eo, quod ad Deum relati, quaſi nihilum ſimus, nos cum vermiculis terræ comparant, quos conterere homines penſi nihil habent; aut in genere cum animantibus diverſæ a noſtra ſpeciei, quæ male mulctare religioni ſibi non ducunt.

18. Arbitror equidem, homines complures, non perverſe cæteroquin animatos, his cogitationibus tangi, quia earum conſectaria non ſatis pervident. Haud animadvertunt, his adſertis juſtitiam Dei reapſe deſtrui, iſti Juſtitiæ ſpeciei, cui voluntas ſola pro regula eſt, hoc eſt, ubi voluntas nullis æqui bonique regulis dirigitur, immo in malum ipſum recta via fertur, quam quæſo notionem tribuemus? niſi forte expreſſam in tyrannica illa definitione *Thraſymachi* apud *Platonem*, dicentis, *juſtum* nihil aliud eſſe, quam id, quod potentiori placet (h). In quod imprudentes recidunt, quicunque omnem obligationem in coactione fundant, atque adeo potentiam pro menſura juris adſumunt. Enimvero placita tam abſurda, tamque inepta ad homines imitatione Dei bonos ac beneficos reddendos, brevi abjicientur, ubi rite ponderatum fuerit, Deum, qui ex malo alieno voluptatem captaret, a malo Manichæorum principio diſtingui non poſſe, ſi ſumeretur, Principium hoc univerſi dominatum ſolum tenere; atque adeo vero Deo non niſi ea tribuenda eſſe ſenſa, quæ boni Principii adpellatione dignum illum præſtent.

Commode accidit, ut adfectata hæc dogmata apud Theologos tantum non exoleverint: interim viri quidam ingenioſi, qui difficultates ſuſcitare amant, ea iterum in lucem producunt: conjungentes Theologiæ Chriſtianæ controverſias cum Philoſophiæ diſceptationibus, perturbationem no-

(h) *Plato* de Republ. L. I. ed. Franc. Græco-Lat. fol. 579. Lepide ſatis ibidem carpit Thraſymachum Præceptor, *Neque enim*, inquiens, *tale quid dicis Thraſymache! ſi Polidamas nobis fortior athleta ſit, & illi quidem conferat bubula ad corpus, hunc cibum eſſe & nobis, illo debilioribus, utilem ſimul & juſtum*.

ſtram augere ſtudent. Philoſophi tractarunt Quæſtiones de Neceſſitate, de Libertate, deque Origine Mali; Theologi Quæſtiones de Peccato Originis, de Gratia, deque Prædeſtinatione, iis junxerunt. Originaria humani generis, ex primo peccato enata, corruptio, videtur nobis naturalem quandam, niſi Gratia divina auxilio venerit, peccandi neceſſitatem impoſuiſſe: ſed, quia cum afflictione pœnæ neceſſitas ſtare nequit, inferetur inde, Gratiam ſufficientem omnibus hominibus dari debuiſſe, id quod experientiæ non ſatis reſpondere videtur.

19. Sed ingens eſt difficultas, præſertim ſi referatur ad Dei deſtinationem circa hominum ſalutem. Pauci ſunt ſalvandi ſive electi; igitur Deus decretoriam multos eligendi voluntatem non habet. Et, cum in confeſſo ſit, eos, quos elegerit, præ cæteris, quos non elegerit, electionem ipſam meritos haud fuiſſe, nec per ſe ipſos minus aliis malos eſſe, quia, quicquid boni in illis eſt, divino muneri acceptum referendum, augetur difficultas. Ubi ergo Dei juſtitia, dixerit quiſpiam, aut certe, ubi ejus bonitas? Studium partium, ſive prolepſia, juſtitiæ adverſatur, & qui beneficentiam ſuam ſine cauſa limitibus circumſcribit, eum non ſatis habere bonitatis oportet. Verum quidem eſt, eos qui electi non ſunt, ſua ipſorum culpa perire, deeſt illis bona voluntas aut fides viva, at eam largiri, unice penes Deum erat. Notum eſt, præter gratiam internam homines ſolere diſcerni per occaſiones externas, & educatione, converſatione, exemplo, ſæpe ingenia corrigi vel corrumpi. Verum enim vero quis non miretur, quod his quidem circumſtantias faventes pariat, illos vero permittat occaſionibus, infelicitatem ſuam procuraturis? Neque ſufficere videtur, quod nonnulli dicunt, gratiam internam eſſe univerſalem, & cunctis ex æquo conceſſam, quandoquidem iidem Auctores ad exclamationes *divi Pauli* confugere cogantur, ac dicere, *O Profunditas*! quando mente complectuntur, quantum homines diſtinguantur per Gratias, ut ita loquar, externas, hoc eſt, quam magna in diverſitate conditionum, a Deo excitatarum, homines conſpiciantur, quarum illi ſane arbitri non ſunt, & quæ tamen ad eorum ſalutem tantam vim habent.

20. Neque longius pedem promovebis, ſi cum *S. Auguſtino* dicas, cum homines univerſi ſub damnatione per Adami peccatum comprehenſi ſint, Deum eos omnes in miſeria ſua relinquere potuiſſe, atque ita merum eſſe beneficium, quod ea quoſdam exemerit. Nam, præterquam quod abſurdum ſit, alienum peccatum damnare quempiam debere, remanet ſemper quæſtio, cur Deus non omnes eximat, cur partem minimam tantum eximat, & cur hos potius, quam illos? Omnium Dominus eſt, conſentio, ſed Dominus eſt bonus ac juſtus: potentia ejus omnibus omnino caret limitibus, ſed ſapientia non patitur, ut ea ratione quadam arbitraria atque deſpotica exerceatur, quæ revera tyrannica foret.

21. Præterea, cum primi hominis lapſus non, niſi permittente Deo, contigerit, nec Deus eum permittere decreverit, niſi poſt expenſas illius ſequelas,

ſequelas, quæ in totius maſſæ generis humani corruptione, nec non exigui ſalvandorum numeri electione, ac cæterorum omnium excluſione cernuntur, fruſtra diſſimulatur difficultas, detinendo ſe in maſſa jam corrupta; ſiquidem vel ingratiis noſtris, altius adſurgendum eſt ad ſequelarum primi peccati cognitionem, anteriorem decreto, quo Deus peccatum permiſit, quoque ſimul permiſit, reprobos maſſa perditionis involvi, non ea liberandos: Deus enim, atque Sapiens, nihil, niſi rei expenſis omnibus conſectariis, decernunt.

22. Speramus, fore, ut omnes hæ difficultates tollantur. Oſtendemus, *Neceſſitatem abſolutam*, quæ etiam Logica, & Metaphyſica, interdum Geometrica adpellatur, quæque ſola timenda eſſet, in actionibus liberis minime reperiri, atque adeo Libertatem non a coactione ſolum, ſed & inſuper a vera neceſſitate immunem eſſe. Palam faciemus, Deum ipſum, quanquam ſemper eligat optimum, ex abſoluta tamen neceſſitate non agere; & leges Naturæ, a Deo ipſi præſcriptas, in convenientia fundatas, medium tenere inter veritates Geometricas, abſolute neceſſarias, & decreta arbitraria, id quod *Bælius*, aliique recentes philoſophi, non ſatis intellexerunt. Porro expediemus, quandam etiam in Libertate indifferentiam eſſe, quia nulla reperitur ab alterutra parte neceſſitas abſoluta; nunquam tamen indifferentiam perfecti æquilibrii locum adinvenire. Præterea adſeremus, in actionibus liberis perfectam ſpontaneitatem eſſe, ſupra quam hactenus conceptum ſit. Denique demonſtrabimus, neceſſitatem hypotheticam, & neceſſitatem moralem, in liberis actionibus ſuperſtites, nihil habere, quod eſſet incommodum, ac *Rationem ignavam* purum putum ſophiſma eſſe.

23. Quod vero adtinet Originem Mali, ex parte Dei conſideratam, perfectionum ipſius apologiam condemus, qua Dei ſanctitas, juſtitia, & bonitas non minus, quam illius magnitudo, potentia independentiaque extollantur. Monſtrabimus, quo pacto fieri poſſit, ut ab illo cuncta pendeant, ut ad omnes rerum creatarum actiones ipſe concurrat, ut res creatas etiam, ſi ita placet, continuo creet, nec tamen ideo ſit Auctor peccati; ubi etiam palam facimus, qua ratione concipienda ſit natura mali privativa. Quod adhuc amplius eſt, oſtendimus, quo modo malum originem habeat, a voluntate Dei diverſam, & quod ideo jure meritoque dicatur Deus malum culpæ minime velle, ſed id permittere tantum. Aſt, quod omnium eſt graviſſimum, in lucem ponimus, Deum non permittere tantum peccatum atque miſeriam, ſed & ad id concurrere, idemque promovere potuiſſe, abſque aliquo ſuæ ſanctitatis & bonitatis detrimento; licet, abſolute loquendo, omnia hæc mala cavere ipſi fuiſſet integrum.

24. In negotio Gratiæ & Prædeſtinationis tuemur expreſſiones maxime probatas, verbi gratia: quod non, niſi per gratiam prævenientem, convertamur, nec quid boni agere, niſi ejus adjutorio, valeamus; quod Deus omnium hominum ſalutem velit, nec ullos condemnet, niſi qui

pravæ

pravæ fuerint voluntatis; quod cunctis gratiam ſufficientem largiatur, modo ea uti velint: quod, cum Jeſus Chriſtus electionis ſit principium ac centrum, DEUS electos ad ſalutem deſtinaverit, quia illos viva fide Jeſu Chriſti doctrinæ adhæſuros eſſe prævidit; quamvis concedendum, hanc electionis rationem non eſſe rationem ultimam, & ipſam hanc prævifionem anterioris adhuc ſui decreti ſequelam cenſeri debere; cum fides ſit Dei donum, idemque eos ad habendam fidem prædeſtinarit, ob rationes decreti alicujus ſuperioris, quod gratias & circumſtantias ſecundum ſupremæ ſuæ Sapientiæ profunditatem diſpenſat.

25. Poſtquam igitur unus ex Viris noſtrorum temporum dexterrimis, cujus eloquentia non inferior erat ingenii acie, quique maxima vaſtiſſimæ eruditionis ſpecimina edidit, neſcio qua animi adplicatione inſtituit omnes difficultates hujus materiæ, quam, craſſa quidem Minerva, adtigimus, mirum in modum extollere, ampliſſimus periclitandarum virium noſtrarum campus adapertus eſt, ſi cum eo congredi per partes vellemus. Adparet, *Bælium*, (quis enim non agnoſcit hominem, de quo loquimur?) omnes ad latus habuiſſe opportunitates, ea excepta, quæ rei fundamentum adtingit; ſed ſpes tamen eſt, veritatem, (quam ipſe a noſtris partibus ſtare profitetur,) quantumvis nudam, triumphaturam eſſe de quibuſcunque ornamentis eloquentiæ atque eruditionis, ſi modo conſentaneo fuerit evoluta; eoque major etiam oſtenditur, quod ea, quam peroramus, cauſa Dei eſt, quodque ex uno momentorum, quæ hic ſuſtinemus, efficitur, auxilium divinum illis non deeſſe, quorum bona voluntas haud deficiat. Auctor ſermonis hujus ſpecimina ejus rei dediſſe ſibi perſuadet, adlata ad argumentum mentis adplicatione. Meditatus id fuit ab adoleſcentia, primarios quoſque Viros noſtræ ætatis de eo conſuluit, inſuperque optimorum Auctorum lectione ſe confirmavit. Succeſſus etiam, quem Deus illi fuit largitus, (ſententia plurimorum legitimorum judicum,) in profundis quibuſdam aliis meditationibus, quarum aliquæ cum hac materia intime ſunt connexæ, fortaſſe jus quoddam ipſi confert, pollicendi ſibi adtentionem Lectorum, qui veritatem amant, eamque inveſtigare norunt.

26. Habuit adhuc Auctor rationes aliquas privatas, eaſque ſatis ponderoſas, quibus adductus, argumento huic manum admovere cœpit. Converſationes, quibus in iſto genere uſus eſt cum Litteratis atque Politicis, in Germania Galliaque, inprimis vero cum femina Principe, inter omnes maxima & conſummatiſſima, plus ſimplici vice ipſum eo deduxerunt. Dignata Virum hæc Princeps eſt communicare cum illa cogitationes, de pluribus mirifici *Dictionarii Bæliani* locis conceptas, ubi Religio atque Ratio inter ſe pugnare videntur, & *Bælius* Rationi ſilentium imperare incipit, poſtquam nimis multa loqui iſtam contigiſſet; quod ille Triumphum Fidei adpellat. Auctor jam tum ſignificabat, ſe in aliam inclinare ſententiam, haud mediocriter tamen lætari, quod a tanto ingenio fuerit excitatus ad materias has tam arduas atque difficiles luculenter explanandas.

Profite-

Profitebatur, eas ſe jam dudum ſerio ſubjeciſſe examini, interdum & ſibi propoſuiſſe, in hoc argumento publicas reddere cogitationes, quarum primarius finis eſſe debebat cognitio Dei, & ea quidem, quæ pietatem excitare, & alere virtutem poſſet. Hæc femina Princeps de executione antiqui ſui conſilii illum conſtanter admonebat, adjungebant ſe quidam amici, nec ipſe illorum petitioni ſatis quod eſt, facere multum tardabat, quod dubitare nullus poterat, quin in continuatione examinis lumina *Bæliana* non parum adjumenti adlatura eſſent ad materiam tantæ luci exponendam, quantam ab ipſorum opera atque ſollicitudine exſpectari fas foret. Verum obſtacula plurima conſilium ſuſpenderunt, quæ inter haud minimum fuit fatum incomparabilis Reginæ. Interea factum eſt, ut *Bælius* a Viris excellentibus oppugnaretur, idem argumentum ſub incudem vocantibus; quibus ille ampliter & ingenioſe ſemper reſpondebat. Animus erat intentus huic diſputationi, eo etiamnum tempore, quo miſceri controverſiæ cœpit. Res ita cecidit.

27. Divulgaveram Syſtema novum, quod explicandæ unioni animæ atque corporis adcommodum videbatur: haud mediocrem id adplauſum tulit etiam apud illos, qui ſecus ſentiebant, fueruntque viri dexterrimi qui ſe jam ante in mea ſententia fuiſſe profitebantur, quamvis ad explicationem tam diſtinctam haud adſcendiſſent, antequam mea de illo Syſtemate ſcripta vidiſſent. *Bælius* in Dictionario Hiſtorico-Critico, Articulo *Rorarius*, illud ſuo examini ſubjecit. Cenſuit, aditus, quos paraveram, dignos eſſe, qui excolerentur; patefecit eorum utilitatem circa certa quædam capita, & ea etiam expoſuit, quæ adhuc moleſta eſſe poſſent. Non potui non, uti par erat, reſpondere verbis tam officioſis, & meditationibus tam utilibus, quas ipſe protulit, utque majorem ex iis fructum perciperem, Hiſtoriæ Operum Eruditorum menſi Julio, A. MDCXCVIII. aliquas Elucidationes inſerendas curavi. *Bælius* in altera Dictionarii ſui Editione ſuas animadverſiones repoſuit. Miſi deinceps illi iteratam reſponſionem, quæ lucem necdum vidit, cui an aliquid ipſe repoſuerit, me præterit.

28. Interim cum accidiſſet, ut *Joannes Clericus* Bibliothecæ ſuæ ſelectæ Excerptum quoddam ex *B. Cudworthi* Syſtemate Intellectuali (i) inſereret, ibidemque Naturas aliquas plaſticas, ad animalium formationem ab excellente hoc Auctore adhibitas, exponeret; cenſuit *Bælius*, (Videatur Continuatio Cogitationum diverſarum, Cap. XXI. Artic. XI.) quoniam hæ Naturæ cognitione carent, earum adſumtione infirmari argumentum, quo

(i) *Radulphi Cudvvorthi* Syſtema Intellectuale hujus Univerſi, ſeu de veris Naturæ rerum Originibus Commentarii, quibus omnis eorum Philoſophia, qui Deum eſſe negant, funditus evertitur. Ex Anglico Latine vertit, & A. 1733. Ienæ prodire juſſit, doctrina & meritis in Rem Litterariam illuſtris, ſumme Rev. Abbas, *Jo. Laur. Moshemius.*

quo ex mirabili rerum formatione probatur, neceſſum eſſe, ut cauſa Univerſi ſit intellectu prædita. Reſpondit Clericus (Art. IV. Tom. V. Bibliothecæ ſuæ ſelectæ) Naturas iſtas indigere Sapientiæ divinæ directione. Inſtitit *Bælius* (Artic. VII. Hiſtoriæ Operum Eruditorum, Auguſt. MDCCIV.) nudam directionem cauſæ cognitione deſtitutæ haud ſufficere, niſi pro mero Dei inſtrumento eam habere velis, quo caſu inutilis foret. Atque hic Syſtema meum obiter perſtrinxit, quod mihi anſam dedit Celebri Operum Eruditorum Hiſtoriæ Auctori brevem mittendi ſchedam, quam ipſe menſis Maii MDCCV. Articulo IX. inſeruit, qua contendebam palam facere, Mechaniſmum revera ad organica animantium corpora producenda ſufficere, abſque aliarum Naturarum plaſticarum præſentia, modo adjungatur *præformatio*, jam tum prorſus organica in corporum naſcentium ſeminibus, quæ in corporibus, ex quibus prodiere, continentur, uſque ad prima retro ſemina, id quod non, niſi ab infinite potente & infinite ſapiente rerum Auctore proficiſci poterat, qui ab initio ſtatim ordinis ſtudioſus, ordinem omnem, ac omne artificium futurum, in illis jam præſtituiſſet. Scilicet in intima rerum conſtitutione nullum datur Chaos, & organiſmus eſt ubique in materia, cujus diſpoſitio Deum Auctorem habet. Hic organiſmus tanto amplius in ea eluceſceret, quo major in corporum Anatomia progreſſus fieret, & in obſervando illo conſtantia foret, ſi cum Natura etiam in infinitum progredi, noſtraque cognitione continuare ſubdiviſionem poſſemus, quemadmodum Natura eam revera continuavit.

29. Cum igitur, ad mirabilem illam *formationem animalium* explicandam, uterer harmonia præſtabilita, hoc eſt, eadem ratione, qua uſus eram ad explicandum aliud Naturæ miraculum, *animæ* videlicet *cum corpore commercium*, in quo principiorum, a me adhibitorum, uniformitatem, fœcunditatemque commonſtravi; videtur id *Bælio* Syſtema meum in memoriam revocaſſe, quod hujus commercii rationem reddit, & olim ab ipſo fuerat expenſum. Declaravit ergo (Cap. CLXXX. Reſponſionis ad Quæſita Provincialis, p. 1253. Tom. III.) ſibi liquidum non eſſe, Deum materiæ, vel alii cuicumque cauſæ, organa formandi facultatem impertire potuiſſe, quin ipſis organorum ideam ſive cognitionem ſimul impertiret, nec adhuc adduci ſe, ut credat, Deum cum omni ſua in naturam potentia, & cum omni eventuum poſſibilium præſcientia, res potuiſſe ita diſponere, ut vi ſolarum Legum Mechanicarum navis aliqua, exempli cauſa, ad portum deſtinatum perveniret, etiamſi in decurſu a nullo intelligente moderatore dirigeretur. Miratus ſum, quod divinæ potentiæ ponerentur limites, nulla in oppoſitum adlata ratione, nullaque contradictione ex parte objecti, aut imperfectione ex parte Dei adducta, licet in ſecunda mea Reſponſione oſtendiſſem, ipſos adeo homines nonnihil adfine motibus, a Ratione provenientibus, ſæpe per automata efficere: immo mentem finitam, ſed noſtra longe ſuperiorem, exequi id poſſe, quod

Bælius

Bælius a potentia divina alienum eſſe putat: præterquam quod, cum Deus omnia ſimul ab initio ordinaverit, rectum hujus navis iter non inſolentius foret, quam ignis miſſilis in artificioſa pyra decurſus juxta funem adcuratus, ſiquidem omnes omnium rerum leges atque directiones perfecta inter ſeſe harmonia gaudent, ſeque ipſas mutuo regunt.

30. Hæc *Bælii* declaratio reſponſionem a me flagitabat, ſtatueramque ipſi repræſentare, quod, niſi Deus ipſe per continuum miraculum efformare corpora organica, aut id negotii commiſiſſe dicatur Intelligentiis, quarum potentia ac ſcientia pene ſint divinæ, judicare oporteat, Deum res ita præformaſſe, ut organorum formationes novæ nihil ſint aliud, quam mechanica conſtitutionis organicæ præcedentis conſecutio, prorſus uti papiliones e bombycibus prodeunt, in quo nihil eſſe, niſi evolutionem, Cl. *Swammerdamius* demonſtravit (k). Addidiſſem ego, plantarum animaliumque præformatione nihil eſſe adcommodatius ad confirmandum Syſtema meum Harmoniæ inter animam & corpus præſtabilitæ; in qua corpus ex nativa ſua conſtitutione movetur ad exſequendum, externis rebus adjuvantibus, quicquid ad animæ voluntatem agit; quemadmodum ſemina vi conſtitutionis ſuæ originalis divinas intentiones naturaliter exſequuntur, artificio longe adhuc majori, quam illud, quod efficit, ut in corpore noſtro omnia ad voluntatis noſtræ decreta expediantur. Et cum *Bælius* ipſe merito judicet, plus ineſſe artificii in formandis animalium organis, quam in elegantiſſimo quovis Poëmate, aut in pulcherrimo quolibet ingenii humani invento; conſequitur, Syſtema meum de Commercio Animæ atque Corporis æque facile eſſe, atque communem de animalium formatione ſententiam: hæc namque ſententia, (quæ mihi vera videtur,) reapſe ponit, a Dei Sapientia Naturam ita conſtitutam fuiſſe,

(k) *Joannes Svvammerdamius, Amſtelædamenſis*, natus ib. d. 12. Febr. 1637. denatus d. 17. Febr. 1680. Incomparabilis erat Anatomicus. Biblia ipſius Naturæ, ſive Hiſtoria Inſectorum, Lingua Batava ab Auctore conſcripta, addita verſione Latina *Hieronymi Davidis Gaubii, Medicinæ & Chemiæ Profeſſoris*, duobus Tomis Leydæ exire cœpit 1737. fol. In præmiſſa Operi Vita *Svvammerdamiana*, *Cel. Hermannus Boerhave* de argumento, quod *Leibnitius* tangit, ſcribit ſequentia. „Contingebat anno 1668. ut Magnus Dux Etruſcorum, Patriæ noſtræ viſendæ gratia, in Rep. præſens, comite Thevenoto, Theſauros *Svvammerdamianos* tam patris, quam filii, intentis luſtraret oculis, & acutis videndo res naturales. Anatomiças tunc Inſectorum diſſectiones elegantiſſimo talium ſpectatori, Principi Etruſco, exhibuit. Ad quæ obſtupuit artium peritiſſimus Judex, & rerum naturalium amantiſſimus. Tum vero omnium maxime, quando Auctor noſter magno Heroi, præſentibus *Magalloto*, & *Thevenoto*, coram oſtenderet, Papilionem latere, cum omnibus convolutis partibus, in ipſa jam Eruca; dum ſolertia incredibili, inſtrumentis ultra fidem ſubtilibus, ſeparato exuviarum tegumento, abſconditum Papilionem extricaret de latebris, ejuſque impeditas partes quam diſtinctiſſime, & tam liquido, explicaret, ut occultum manifeſtaretur lucidiſſime. " Conf. ipſius *Svvammerdamii* Librum omni laude majorem, Cap. II. T. I. p. 5. ſqq.

ut virtute Legum ſuarum animalia formare valeat; quod equidem elucido, ac fieri poſſe clarius oſtendo ope *præformationis*. Poſt hæc non erit, quod mirum videatur, Deum ita corpus condidiſſe, ut virtute Legum ſuarum animæ rationalis conſilia poſſit exſequi, quandoquidem id omne, quod anima rationalis imperare corpori poteſt, minori difficultati obnoxium ſit, quam formatio organorum, ſeminibus a Deo imperata. Ait *Bælius* (Reſponſionis ad Quæſita Provincialis Cap. CLXXXII. p. 1294.) nuper demum exſtitiſſe homines, quibus ſuboluit, corporum viventium fabricam opus naturæ eſſe non poſſe: quod is etiam ſecundum ſua ipſius principia de Animæ Corporiſque Commercio dicere potuiſſet; cum Deus in Syſtemate Cauſarum Occaſionalium, quod Auctor hic adoptaverat, totum quantum eſt, utriuſque Commercium præſtet. At ego nihil hic admitto ſuperius naturæ viribus, niſi in ipſo rerum initio circa primam animalium formationem, aut circa originariam Harmoniæ inter Animam Corpuſque præſtabilitæ conſtitutionem; quibus poſitis, ſuſtineo, formationem animalium, & mutuam corporis animæque relationem, nunc eſſe æque quid naturale, atque alias quaſvis Naturæ operationes maxime vulgares. Eadem fere ratione ſe res habet, ac ſi vulgo de inſtinctu, deque mirandis belluarum operibus, ratiocinium inſtituitur. Rationem ibi agnoſcimus, non in belluis ipſis, ſed in earum Conditore. Communi igitur ſententiæ in hoc capite adſurgo, at ſpero tamen, explicatione mea plus illi amœnitatis, perſpicuitatis, immo & amplitudinis acceſſiſſe.

31. Cum igitur Syſtema meum contra novas *Bælii* difficultates propugnandum mihi eſſet, ſtatueram pariter, cum eo communicare cogitata, pridem in me excitata circa difficultates, quas iis oppoſuerat, qui Rationem cum Fide circa originem Mali conciliare conantur. Et vero pauci fortaſſe reperiuntur, qui plus operæ atque laboris in hoc argumento enucleando conſumſerint. Vix Libros Latinos utcumque intelligere didiceram, cum Bibliothecæ verſandæ opportunitatem nactus, ab uno Libro ad alterum circumvolitabam, &, quia argumentis meditationem poſcentibus æque paſcebar, ac Hiſtoriis Fabuliſque, magnopere me delectabat Opus *Laurentii Vallæ* contra *Boëtium*, ac *Lutheri* contra *Eraſmum*, quamvis utrumque temperamento indigere probe noverim. Neque vero manus a Libris, controverſias tractantibus, abſtinebam, atque inter cætera hujus indolis ſcripta, haud contemnendos mihi fructus polliceri videbantur Acta Colloquii Montis Pelicardi, quæ ignem male ſopitum reſuſcitarant. Nec Theologorum noſtrorum documenta neglexi, tantumque abfuit, ut Scriptorum, iis adverſantium, lectione conturbarer, ut potius illa in moderatis Eccleſiarum Confeſſionis Auguſtanæ ſententiis me confirmaret. Neque inter peregrinandum defuit occaſio converſandi cum variis variarum partium Viris excellentibus; veluti cum *Petro Wallenburgio*, Suffraganeo Moguntino, cum *Joanne Ludovico Fabricio*, primario Heidelbergenſi Theologo, ac denique cum famigeratiſſimo illo *Arnaldo*, cum

quo

quo adeo Dialogum Latinum, a me in hac materia elucubratum, communicavi circa Annum MDCLXXIII. in quo jam tum ſuſtinebam, cum Deus Mundum omnium poſſibilium perfectiſſimum elegerit, eum per Sapientiam ſuam ad mali, illi adnexi, permiſſionem adductum fuiſſe, neque tamen id obſtare, ſi vel adcuratiſſima lance ponderetur, quin hic Mundus inter eos, qui eligi potuerint, pronuncietur optimus. Legi proinde omnis generis Auctores adhuc, materias haſce tractantes, contendique proficere in cognitionibus iis, quæ aptæ mihi videbantur ad removendum, quicquid ideam ſupremæ perfectionis, in Deo agnoſcendæ, potuiſſet obſcurare. Neque neglexi examen vel rigidiſſimorum Scriptorum, qui neceſſitatem rerum ad extremum faſtigium urſerunt; cujus modi ſunt *Hobbeſius* & *Spinoſa*, quorum ille neceſſitatem iſtam abſolutam non ſolum in Elementis ſuis Phyſicis alibique adſeruit, ſed etiam juſto volumine, adverſus *Bramhallum*, Epiſcopum, conſcripto, defendit. *Spinoſa* vero, more *Stratonis*, antiqui Peripatetici, fere vult a Prima Cauſa, ſive Natura primigenia, neceſſitate cæca pureque Geometrica, cuncta oriri, nec primum illud rerum principium electionis bonitatis, & intellectus, capax eſſe.

32. Inveni, opinor, viam, qua contrarium demonſtrem, ratione dilucida, & quæ ſimul ad abdita rerum aditum pandat. Poſtquam enim circa vis activæ naturam legeſque motus, novas detectiones produxiſſem; oſtendi, eas non eſſe neceſſitatis prorſus Geometricæ, quemadmodum *Spinoſa* cenſuiſſe videtur, ſed neque plane arbitrarias, uti *Bælius*, aliique recentes Philoſophi, ſtatuunt, verum a *convenientia* pendere, quomodo jam ſupra notavi, ſive ab eo, quod *Principium Optimi* adpello, & in hac, uti in alia re quavis, agnoſci Characteres Primæ Subſtantiæ, cujus productiones ſapientiam ſummam indicant, & abſolutiſſimam harmoniarum conſtituunt. Patefeci inſuper, Harmoniam hanc eſſe, quæ tum futurum cum præterito, tum præſens cum abſente, copulet. Prima nexus ſpecies tempora, & altera loca connectit. Nexus hic ſecundus in unione Animæ cum Corpore cernitur, & generatim in mutuo verarum ſubſtantiarum inter ſe, & cum phænomenis materialibus, commercio. Prior vero in corporum organicorum, aut potius omnium corporum, præformatione locum habet, cum ubique ſit organiſmus, quanquam non omnes maſſæ corpora organica efficiant. Quemadmodum nempe ſtagnum piſcibus, aut aliis corporibus organicis, ſat bene refertum eſſe poteſt, quamvis ſtagnum ipſum non ſit animal, aut corpus organicum, ſed ſolum maſſa, qua ea continentur. Cumque ſuper fundamentis hujuſmodi, ita ſtabilitis, ut demonſtrationis vim ſuſtineant, corpus integrum notitiarum præcipuarum, quas nuda ratio nos docere poteſt, ædificare ſim conatus, corpus, inquam, cujus partes omnes inter ſe apte connexæ forent, quodque difficultatibus Antiquorum Recentiumque longe potiſſimis ſatisfacere poſſet, proinde animo præcepi etiam certum quoddam de Liber-

tate Hominis & Concurſu Dei Syſtema. Syſtema hoc videbatur mihi ab omni eo, quod offendere Rationem ac Fidem poſſet, alienum eſſe, cupidoque inceſſit, illud *Bælii* aliorumque, quibuſcum ille diſceptabat, oculis ſubjiciendi. Sed is nuperrime nobis ereptus eſt, nec parva eſt iſtiuſmodi Viri jactura, qui doctrina & perſpicacitate paucos æquales habebat: at quoniam tamen argumentum iſtud ſub incude etiamnum fervet, multorumque hominum eruditorum labores fatigat, Publicique adeo adtentionem ad ſe trahit, putavi occaſionem hanc aliquod cogitationum mearum ſpecimen evulgandi a me adripiendam omnino eſſe.

33. Antequam huic Præfationi coronidem imponamus, juverit fortaſſe monere, me, dum nego phyſicum Animæ in Corpus, vel Corporis in Animam, influxum, puta influxum, qui faciat, ut alterum alterius Leges perturbet, non ideo negare unionem alterius cum altero, quæ unum ex utroque ſuppoſitum conſtituat: verum unio hæc aliquid eſt *metaphyſici* (1), in Phænomenis nihil immutans. Hoc eſt, quod jam reſpondi ad id, quod R. P. *Turneminius*, Vir ingenii & judicii ſingularis, mihi objecerat in Monumentis Trevoltienſibus. Atque hanc ob rationem, in ſenſu quodam metaphyſico, fas etiam eſt dicere, Animam agere in Corpus, & Corpus in Animam. Et vero in aprico eſt, Animam eſſe *Entelechiam ipſam*, ſive principium activum, cum contra id, quod corporeum eſt, ſi nude accipiatur, ſive id, quod mere materiale eſt, nihil, niſi paſſivum, contineat, & conſequenter principium actionis animabus ineſſe, quemadmodum plus ſimplici vice rem explicui in Actis Lipſienſibus, ſed multo magis per partes eundo, cum *B. Sturmio*, Philoſopho & Mathematico Altorfino, reſponderem, ubi adeo demonſtravi, ſi nihil, niſi paſſivum, in corporibus foret, diverſos eorum ſtatus *in caſſum te diſcreturum eſſe*. Dicam etiam hac occaſione, cum comperiſſem, ingenioſum Auctorem Libri, cui titulum fecit, *Notitia ſui ipſius*, adverſus Syſtema meum Harmoniæ præſtabilitæ quaſdam objectiones cudiſſe, miſiſſe me Pariſios reſponſionem, quæ oſtendit, ab illo mihi adſcriptas opiniones fuiſſe, a quibus longiſſime abſum, quod ipſum nuper etiam Anonymus quidam Doctor Sorbonicus alio in argumento fecit. Et quantopere illæ a mente mea abluderent, ſtatim, opinor, in oculos Lectorum incurriſſet, ſi iſti Auctores ipſa mea verba retuliſſent, quibus inniti ſe poſſe putarunt.

34. Facit etiam hæc mortalium proclivitas ad hallucinandum in repræſentandis aliorum ſententiis, ut monendum duxerim, me, cum alicubi dixerim,

(1) Conf. *Ill. Bilfingeri* Solutionem Objectionis *Turneminianæ: Harmoniam quamcunque non efficere unionem realem atque effectivam; deſtrui adeo noſtra quoque ſententia unionem animæ & corporis.* In Comm. de Harm. Præſtab. Sect. VI. §. *206.* nov. ed. p. 217. ſqq.

dixerim, hominem in converſione uti auxilio Gratiæ (m), ſolum intelligere, quod eo utatur per ceſſationem reſiſtentiæ ſuperatæ, ſed ſine ulla coope-

(m) Inter judicia clariſſimorum Eccl. Romano-Cathol. Theologorum, de *Theodicæa Leibnitiana*, quæ adfert Interpres Latinus in fronte Translationis, & quæ noſtræ Præfationi ſupra inſeruimus, tertio loco ſequens exſtat animadverſio. Non placet, quod in Præfatione probetur doctrina Confeſſionis Auguſtanæ, *quod circa res ſalutares homo non renatus inſtar mortui reputandus ſit, adeoque in converſione ſua mere paſſive ſe habeat, ſicut glacies, dum frangitur*: Quod repugnat Tridentino „. Interpres Latinus, itidem Romanæ Eccleſiæ addictus, ita defendit *Leibnitium*. Totus, ait, *Leibnitii* Contextus ſic ſonat: Dum alibi dixi, hominem in converſione, &c. *repetit verba ill. Auctoris uſque ad* actualis peccati mixtura, & ita pergit: „ Inprimis, quod locutionem illam attinet: *circa res ſalutares homo non renatus inſtar mortui reputandus eſt*: Notandum, quod *Leibnitius* Tentaminum Parte III. §. 280. in fine ſic loquatur: *Generatim loquendo convenientius videtur dici, quod obſervatio divinorum mandatorum poſſibilis ſemper ſit, ipſis etiam non regeneratis; quod gratia ſit ſemper reſiſtibilis, etiam in viris ſanctiſſimis; quod libertas immunis ſit non ſolum a coactione, ſed etiam a neceſſitate*, &c. Et §. 283. *Adduci pariter nequeo, ut credam, a Deo damnari eos, quibus lumina ſive notitiæ neceſſariæ deſunt, nec quidquam vetat cum Theologis non paucis ſtatuere, hominem plura, quam nobis conſtet, auxilia ſaltem in mortis articulo conſequi. Sed neque neceſſe eſt, omnes, qui ſalvantur, ſalvari per gratiam, ſeipſa & independenter a circumſtantiarum ratione efficacem*. Adde, quod Auctor §. 95. inter alia dicat: *Axioma iſtud* Facienti, quod in ſe eſt, non denegatur gratia neceſſaria, *æternæ mihi veritatis eſſe videtur. Neque enim*, inquit Cauſſæ Dei adſertæ §. 89. *ſcintillæ imaginis divinæ exſtinctæ ſunt; ſed per gratiam Dei prævenientem etiam ad ſpiritualia rurſus excitari poſſunt: ita tamen, ut ſola gratia converſionem operetur*. Porro *reliquiæ divinæ imaginis*, ut ibidem §. 92. adſerit, *conſiſtunt tum in lumine innato intellectus, tum etiam in libertate congenita voluntatis. Utrumque ad virtuoſam vitioſamque vitam neceſſarium eſt ut ſcilicet ſciamus velimuſque, quæ agimus, & poſſimus etiam abſtinere ab hoc peccato, quod committimus, ſi modo ſatis ſtudii adhibeamus*. His aliiſque dictis, ſi quid judico, *Leibnitius* ſe ſatis ab erronea doctrina ſecernit. Solum ergo vult hominem irregeneratum ſine omni gratiæ auxilio tam parum operari poſſe actus ſalutares, quam parum mortuus actus vitales elicere poteſt. Quod doctrinæ Catholicæ non diſſonat. Nec refert, quod his in capitibus cum Confeſſionis Auguſtanæ Theologis ſe ſentire profiteatur, nam illuſtriſſimus Boſſuetius, Meldenſis olim Epiſcopus, Hiſtoriæ Variationum Lib. 3. n. 18. recte monuit, in negotio juſtificationis nil fere veri diſſidii eſſe inter Catholicos & Confeſſionis Auguſtanæ ſequaces.

Alterum *Leibnitii* dictum eſt, *Homo in converſione utitur auxilio gratiæ per ceſſationem reſiſtentiæ ſuperatæ*, ſed ſine ulla cooperatione ex parte ſua, ſicut glacies non cooperatur, dum frangitur, ex quo, uti arguit eruditus Cenſor, ſequi videtur, hominem in converſione ſua mere paſſive ſe habere, quod repugnat Concilio Tridentino. Hæc ut explicentur, obſervanda ſunt hæc verba *Leibnitii* ſupra citata: *Harum omnium rerum concurſus, ad menſuram impreſſionis gratiæ ſtatumque voluntatis additus, effectum gratiæ determinat, non tamen eum reddit neceſſarium*. Si enim effectus gratiæ in converſione non redditur neceſſarius, ergo effectus ille remanet liber; habet enim conditiones omnes ad libertatem requiſitas, quæ ſunt (ut Auctor ipſe §. 34. & §. 302. ſtatuit) ut actus ſit ſpontaneus, deliberatus & non neceſſarius, ac neceſſarium quidem non eſſe, diſerte hoc ipſo loco pronunciat, deliberatum eſſe ponimus, ſpontaneum etiam eſſe patet; cum converſio, ſive effectus gratiæ ſit actus volun-

cooperatione ex ſua parte: plane ſicut glacies, dum frangitur, non cooperatur. Converſio namque merum divinæ Gratiæ Opus eſt, ad quod homo

voluntatis, ergo remanet liber. At quid igitur ſibi vult Auctor, inquies, dum ait, hominem uti auxilio gratiæ per ceſſationem reſiſtentiæ ſuperatæ, ſed ſine ulla cooperatione ex parte ſua, ſicut glacies, cum frangitur? nonne hoc idem eſt, ac dicere, quod homo in converſione ſua mere paſſive ſe habeat? Reſpondeo, has duas locutiones, ſaltem in ſenſu *Leibnitii*, minime æquivalere, inprimis enim glacies, dum frangitur, ſecundum *Leibnitii* principia, non habet ſe mere paſſive, cum ipſe nullas actiones, niſi immanentes, admittat. Videatur §. 300. ubi adſerit: *quamlibet in natura ſubſtantiam (ſimplicem ſcilicet) eſſe omnium ſuarum operationum cauſam unicam, & ab omni cujuſvis alterius influxu phyſico immunem, ſi ordinarium Dei concurſum excipias.* Sed nec corpora compoſita (quale eſt glacies) mere paſſive ſe habent, *nam ſciendum ſt* (ſcribebat ad me *Leibnitius* non multis menſibus ante mortem) *corporibus revera vim novam non dari, ſed in iis exiſtentem tantum ab aliis determinari ſeu modificari: & cum corpus incurrit in aliud* (uti certe fit, dum glacies frangitur) *impellit ipſum determinando vim elaſticam inexiſtentem* (Glaciei v. g.) *a motu inteſtino ortam: quemadmodum viſibile eſt, ſi duæ veſicæ inflatæ æquali celeritate concurrant, ubi per concurſum rediguntur ad quietem, & deinde per inſitam vim elaſticam reſumunt motum. Idem fit in omnibus concurſibus, neque enim natura unquam agit per ſaltum, ſeu nullum corpus momento tranſit a quiete ad motum, vel a motu majore ad minorem, aut contra, ſed tranſit per intermedia, & hoc fit ope vis elaſticæ, ſeu motus inſiti a fluido permeante.* Hæc Leibnitius. *Quod hominem*, ajebat idem aliis litteris, *in converſione glaciei comparavi, accipiendum eſt pro natura ſubjecti. Reſiſtentia, quæ in homine per gratiam ſuperatur, eſt vitalis, cum conſiſtat in præjudiciis intellectus & paſſionibus voluntatis.* Deinde homo, fatente *Leibnitio*, in converſione ſua utitur auxilio gratiæ ſaltem *per ceſſationem reſiſtentiæ ſuperatæ*, quod ſufficit, ut homo non mere paſſive ſe habeat. Ceſſatio enim illa libera eſt, adeoque non mere paſſiva, alioquin effectus gratiæ redderetur neceſſarius, quod diſerte negat *Leibnitius*. Solum ergo contendit totam rationem converſionis, quatenus converſio perfectionem involvit, refundi in gratiæ vires, ita ut homo non poſſit ad Deum ſe convertere, niſi pro modo ac menſura gratiæ ſibi divinitus conceſſæ, libertatem vero hominis in ea ceſſatione reſiſtentiæ immediate exerceri, per hoc nempe, quod voluntas hominis non obſtantibus præjudiciis intellectus & paſſionibus voluntatis, ſequiora ſuadentibus, quæ ſolum inclinant, non neceſſitant, uti *Leibnitius* paſſim inculcat, libere ſinat ſe trahi a gratia, qua ceſſatione libere poſita, voluntas deinde abſque nova libertate determinetur ab impreſſione gratiæ. *Voluntas*, inquit Auctor noſter §. 33. *tendit ad bonum univerſale, ferri debet in perfectionem, quæ nobis congruit & ſuprema perfectio in Deo eſt. Voluptates omnes aliquem perfectionis ſenſum in ſe ipſis habent, ſed ubi in ſenſuum voluptate vel alia quacumque ſiſtimus cum diſpendio majoris boni, puta valetudinis, virtutis, unionis cum Deo, felicitatis; in hac privatione tendentiæ ulterioris noſter defectus conſiſtit. Perfectio generatim eſt poſitiva quidam & abſoluta realitas, defectus autem privativus eſt, a limitatione ortum habens, & tendens ad novas privationes.* Hæc doctrina adfinis eſt iis, quæ docent *Bellarminus* Lib. III. de Gratia & Libero Arbitrio, Cap. 9. in Reſponſione ad Argumentum ſeptimum, *Cabrera* Diſp. 2. §. 11. n. 464. & ſeqq. ubi ait: *Auxilium efficax incipere a nobis diſpoſitive, quia determinatio pendet ex libera diſpoſitione noſtræ voluntatis negativa, licet effective ſit a ſolo Deo . . . quia voluntas ſe diſponit ad talem actum, ideo Deus per auxilium efficax ad illum eam determinat.* Item *Balthaſar Navarrete* in I. p. q. 19. art. 8. Controv. 20. Editionis Valli-

homo non, niſi reſiſtendo, concurrit, ſed ejus reſiſtentia nunc major, nunc minor eſt, pro ratione perſonarum atque occaſionum. Sed & circumſtantiæ ad adtentionem noſtram, motuſque in anima naſcentes, plus minuſve conferunt, & harum rerum omnium concurſus, ad menſuram impreſſionis, ſtatumque voluntatis, additus, effectum Gratiæ definit, ſed neceſſarium non reddit. Satis alibi ſententiam meam expedii, quod in rebus ſalutaribus homo non renatus inſtar mortui ſit reputandus, & valde mihi probatur modus, quo Confeſſionis Auguſtanæ Theologi in hiſce capitibus ſe explicant. Interim hæc corruptio hominis non renati haud quaquam obſtat, quo minus is alioqui veras habeat virtutes morales, & quandoque bonas actiones, e principio bono progerminantes, in vita civili peragat, abſque ulla ſiniſtra intentione, & actualis peccati mixtura. In quo ſpero, veniam daturos mihi, quod a *S. Auguſtini* ſententia recedere auſim, Viri ſane magni, & ingenii ſtupendi, ſed qui interdum exceſſiſſe modum videtur, præſertim in æſtu ſuarum diſputationum (n).

Vallisſoletanæ, pag. 310. dicens: *Quod quamvis auxilium efficax ſit intrinſece determinatum ad unum actum, tamen actuet liberum arbitrium relinquendo in eodem inſtanti facultatem eidem, ut poſſit reſiſtere tali auxilio, atque adeo ex iſto modo actuandi ſequitur, inquit ille, ut ſi liberum arbitrium velit, non ſe ſubjiciat auxilio; quod ſi non reſiſtat, ſtatim idem auxilium ex ſua intrinſeca ratione tribuit ei efficaciam & determinationem ad unum, quo fit, ut abſolute poſſit liberum arbitrium in illo inſtanti non admittere auxilium efficax, ſi tamen non reſiſtat, ſequitur per conſequentiam neceſſariam actus.* &c. Talem ceſſationem ſive omiſſionem, in converſione præviam, ad ipſam converſionem admittere debet etiam *Antonius Perez* ſecundum ea, quæ docet Tractatu de Vitiis & Peccatis, Diſp. 3. ut nihil dicam de *Honorato Fabrio*, Appendice 2. ad ſummulam Theologicam, aliiſque, quibus junge *S. Auguſtinum* de Gratia & Lib. Arbitrio: *Ne putetur ibi nihil facere ipſos homines per liberum arbitrium, ideo in Pſalmo dicitur: nolite obdurare corda veſtra.* Et *Leibnitius* ipſe, præterquam quod ſupra dixit, *gratiam ſemper eſſe reſiſtibilem*, §. 287. ſuffragio ſuo comprobat dictum *Auguſtini*, *Aguntur, ut agant, non ut ipſi nihil agant.* Ex his omnibus ſatis liquere arbitror, Auctorem a Concilio Tridentino non diſcrepare, quod pronunciat: *Tangente Deo cor hominis, ipſum* aliquid *agere, inſpirationem illam recipientem, quippe qui & illam abjicere poteſt: poſſe diſſentire, ſi velit, nec velut inanime quoddam nihil omnino agere, mereque paſſive ſe habere*, &c. Pro Coronide addo verba *Caramuelis* Theol. Fundam. Lib. I. Fundamento I. n. 52. *Volo notari*, inquit, *varie loqui Auctores, cum agunt de Libero Arbitrio. Alii enim dicunt, bonos gratia uti, malos abuti, quem modum loquendi tenemus. Alii autem ajunt, gratiam uti noſtra voluntate & libertate, & ſupernaturales amoris aut contritionis actus produci a Deo concurrentibus nobis ut inſtrumentis liberis. Hæc etiam doctrina ſuo ſenſu vera eſt, & poteſt cum prima coëxiſtere, immo etiam coincidere.*

(n) Eadem mente ſcripſit *Leibnitius* ad *Grimareſtium*, d. d. Hannov. 4. Jun. 1712. „ *S. Auguſtinus* erat vir ſine controverſia magnus, & vaſtiſſimo ingenio præditus; ſatis autem in aprico eſt, ipſum ſenſim ſenſimque Syſtema ſuum formaſſe, pro ratione ſuarum diſceptationum, nec ſimul plenam illius delineationem animo concepiſſe. Cum igitur difficultates, ipſum urgentes non, ſemper prævidiſſet, coactus eſt interdum ad excuſationes minus dignas confugere ". *In Epp. Kortholti, T. III. p. 326. idiom. Gallico.*

Viros quoſdam, qui ſe *S. Auguſtini* diſcipulos profitentur, magni quidem facio, quos inter eſt *R. P. Queſnellus*, dignus magno *Arnaldo* ſucceſſor, in perſequendis controverſiis, quas cum Societatum celeberrima ſuſceperunt. At comperi tamen, in certaminibus virorum, meritis inſignium, (cujus modi hic utrimque procul dubio reperiuntur) plerumque Rationem pro utraque parte militare, ſed in diverſis capitibus, & defenſionibus fere magis, quam adgreſſionibus, favere; quanquam innata cordis humani malignitas adgreſſiones Lectori jucundiores, quam defenſiones reddere ſoleat. Spero, *R. P. Ptolemeum* (o), Societatis ſuæ ornamentum, qui nunc in conficiendo celebris *Bellarmini* ſupplemento deſudat, in omnibus hiſce momentis elucidationes, perſpicacia & eruditione, immo, quod dicere auſim, ſua etiam moderatione dignas, daturum. Credendum etiam eſt, inter Auguſtanæ Confeſſionis Theologos exoriturum aliquando novum aliquem *Chemnitium*, aut novum aliquem *Calixtum*; uti pariter judicare fas eſt, fore, ut inter Reformatos reviviſcant *Uſſerii* aut *Dallæi*, cunctique magis ac magis operam dent, ut ſiniſtri intellectus, paſſim hanc materiam onerantes, auferantur. Quod reliquum eſt, optarem, ut ii, qui argumentum hoc ſcrutari curatius voluerint, objectiones legant, in formam Syllogiſticam redactas, cum reſponſionibus, quas inſerui brevi ſcripto, quod ad hujus Operis calcem veluti ſummarium ſubjeci. Novas quaſdam objectiones anticipare etiam ſum conatus; explicando, verbi gratia, quare voluntatem antecedentem & conſequentem ad exemplum *Thomæ*, *Scoti*, aliorumque, pro voluntate prævia ac finali ſumſerim; quo pacto fieri poſſit, ut in gloria beatorum plus ſine comparatione boni ſit, quam mali in omnium damnatorum miſeria, quamvis horum poſteriorum numerus major ſit; qua ratione, dum malum tanquam boni *conditionem*, *ſine qua non* exſtitiſſet, fuiſſe permiſſum adſero, id intelligam non ſecundum principium neceſſarii, verum ſecundum principium congrui; quo modo prædeterminatio, a me admiſſa, ſit ſemper inclinans, neque unquam neceſſitans; quo pacto Deus nunquam nova lumina & neceſſaria negaturus ſit iis, qui prius acceptis bene fuerint uſi; ut præteream alias elucidationes, quas in nonnullis difficultatibus, haud ita pridem mihi objectis, exhibere ſum conatus. Morem præterea geſſi ſuadentibus quibuſdam Amicis, qui e re fore cenſebant, ut geminas adjungerem *Adpendices*: alteram quidem, quæ ageret de controverſia *Hobbeſium inter & Bramhallum*, Epiſcopum, agitata circa Liberum & Neceſſarium; alteram vero, quæ expenderet eruditum Opus *de Origine Mali*, nuper in Anglia divulgatum.

35. Denique cuncta ad ædificationem referre conatus ſum, & ſicubi quid curioſitati conceſſi, factum id eſt propterea, quod argumentum, cujus gravitas nonnullorum legentium abſterrere animos poterat, aliquanto amœnius reddendum eſſe putarem. Hac fini Theologiæ cujuſdam Aſtronomicæ

(o) *Joannem Baptiſtam*, jam purpura Eminentem addit *interpr. Lat.*

nomicæ commentum lepidum huic Opuſculo inſerui, nihil verendum ratus, ne quis eo ſeducatur, cum illud, opinor, recitaſſe, ſit refutaſſe. Quodſi figmento figmentum reponere adlubeſcat, ubi Planetæ Soles fuiſſe finguntur, concipe potius, eos fuiſſe maſſas in Sole liquefactas, indeque ejectas, quod Theologiæ illius hypotheticæ fundamentum convelleret.

36. Error vetus duorum principiorum, quæ populi Orientales Oromaſdæ & Arimanii nominibus diſtinguebant, fecit, ut aperirem conjecturam quandam, remotiſſimæ populorum Hiſtoriæ inſervientem, videntur enim hæc fuiſſe nomina duorum magnorum Principum coætaneorum, quorum alter parti cuidam Superioris Aſiæ imperitarit, in qua alii deinde Reges eodem inſigniti ſunt nomine, alter vero Celto-Scytharum Rex fuerit, in prioris ditiones irrumpens, & aliunde inter Germaniæ Numina notus. Videtur profecto *Zoroaſter* uſurpaſſe Principum horum nomina, tanquam ſymbola poteſtatum inviſibilium, quibus illos, Aſiaticorum judicio, ſuæ expeditiones adſimilabant. Quanquam alioqui ex relationibus Auctorum Arabum, qui de quibuſdam veteris Hiſtoriæ Orientalis capitibus melius quam Græci inſtructi eſſe potuerunt, veriſimile ſit, hunc *Zerduſtum*, ſive *Zoroaſtrem*, quem *Darii* Magni æqualem perhibent, hæc duo principia, tanquam omnino primigenia & independentia, minime conſideraſſe, ſed tanquam dependentia ab unico ſupremo Principio, credidiſſeque, *Moſis* Coſmogoniæ convenienter, Deum, qui parem non habet, omnia condidiſſe, ac lucem a tenebris ſeparaſſe; lucem quidem originali ſuo conſilio conformem fuiſſe, tenebras vero eam excepiſſe, uti umbra corpus excipit, neque aliud eſſe, quam privationem. Iſtud certe vetuſtum hunc Philoſophum ab erroribus, quos ipſi Græci tribuunt, liberaret. Magna illius ſcientia effecit, ut populi Orientales eum Ægyptiorum & Græcorum *Mercurio* ſeu *Hermete* compararent, prorſus uti Gentes Septentrionales *Wodanum*, ſive *Odinum* ſuum, cum eodem *Mercurio* contulerunt. Hinc dies *Mercurii* a Septentrionalibus nuncupatus fuit *Wodans-Tag*, ſive dies *Wodani*, ab Aſiaticis vero dies *Zerduſti*, ſiquidem a Turcis Perſiſque nominatur *Zarſchamba* vel *Dſearſchambe*, ab Hungaris, ex Oriente Boreali provenientibus, *Zerda*, & a Slavis, ab interiori magna Ruſſia uſque ad Venedos ditionis Luneburgicæ diffuſis, *Serda*, qui id vocabulum itidem ab Orientalibus acceperunt.

37. Hæ adnotationes fortaſſe non diſplicebunt iſtiuſmodi rerum curioſis; ac mihi perſuadeo, brevem Dialogum, Tentamina Anti-Bæliana claudentem, aliquam eſſe voluptatem adlaturum iis, qui veritates difficiles, & magnas, facili ac familiari ratione explanatas videre avent. Conſcriptum fuit Opus idiomate peregrino, haud abſque periculo multiplicis lapſus; quia hoc argumentum nuper ab aliis eadem lingua tractatum fuit, magiſque hoc ſtylo ſcripta leguntur ab iis, quibus hoc opuſculo prodeſſe cupiebamus. Itaque ſperamus, peccata in idioma, quæ non tantum a Typotheta & Amanuenſi, ſed etiam ab Auctoris, aliunde

 ſatis

ſatis diſtracti, feſtinatione provenerunt, condonatum iri. Quodſi porro quis error in ſententias irrepſerit, Auctor, ubi melius informatus fuerit, primus corriget; cum ea pridem ſui in veritatem amoris documenta prodiderit, ut hanc declarationem ſuam pro inani verborum lenocinio minime habitum iri ſperet.

DISSERTATIO
DE
CONFORMITATE FIDEI
CUM RATIONE.

ARGUMENTUM.

§. 1. D*Efinitio Rationis, quatenus Fidei & Experientiæ diſtinguitur.* §. 2. *Ejus veritates ſunt duplicis generis, Æternæ & Poſitivæ.* §. 3. *Quomodo hinc Deus in rebus creatis quid producere queat, quod earum natura non ferat,* faciendo miraculum: *conditio veritatum æternarum, contra quas non datur objectio invicta.* §. 4. *In quo conſentiunt Theologi Proteſtantes & Romani.* §. 5. *Origo diſputationis confuſio in terminis commiſſa, dum putant idem eſſe,* explicare, comprehendere, probare, tueri. §. 6. *Hiſtoria Controverſiarum, in argumento de Conformitate Fidei cum Ratione nullo non tempore ortarum: ut & Fata Philoſophiæ, cum Platonicæ, tum Ariſtotelicæ; merita item & defectus Philoſophiæ Scholaſticæ.* §. 7. *De Averroiſtis, qui juxta* Ariſtotelem, *hoc eſt, Rationem, immortalitatem animæ negarunt.* §. 8. *De aliis Philoſophis, qui longius progreſſi animam quandam univerſalem ſtatuerunt.* §. 9. *De Anima* Platonis, & *Stoicorum. Vocari hujuſce modi Animæ fautores poſſunt Monopſychitæ. Cabaliſtæ ac Myſtici non procul ab ea abeſſe videntur, uti quidam Spinoziſta,* Moſis *Germani nomen mentitus,* Val. Weigelius, Jo. Angelus Sileſius, Jo. Rusbrochius. §. 10. *De Quietiſtarum totius proprietatis annihilatione. De Quietiſmo* Foë, *Sinenſis Philoſophi. De illorum, qui ſe Animos fortes vocant, &* Preiſſaci *Anima univerſali. Medela his erroribus adplicatur per* Harmoniam præſtabilitam. §. 11. *Regreditur diſcurſus ad Averroiſtas, animam mortalem eſſe pronunciantes, hac tamen lege, ut ſuum judi-*

judicium Theologiæ Chriſtianæ, alia docenti, ſubmittere ſe profiterentur. Hæc diſtinctio, cum Fidem & Rationem adverſis inter ſe cornibus committeret, ſuſpecta fuit, imputata inprimis Pomponatio, Cæſari Cremonino, Andreæ Cæſalpino, Gabrieli Naudæo: *Sectam vero hanc Philoſophiæ corpuſcularis exſtinxiſſe videtur.* §. 12. Lutheri, Melanchthonis, *de eadem quæſtione effata. Secta Ramiſtarum.* §. 13. *Controverſia* Jo. Caſelii *cum Theol.* Dan. Hoffmanno *de eodem argumento.* Pauli Slevogtii *Liber: Pervigilium de diſſidio Theologi & Philoſophi, in utriuſque principiis fundato.* §. 14. *Diſputationes* Jo. Labadii, Vogelſangii, van der Wayen, *& aliorum cum* Lud. Meyero, *Medico Amſt. &* Lud. Wolzogenio. *Diſtinctio Theologorum rationalium & non-rationalium.* §. 15. *Pietiſtarum quaſi nova ſecta, & cum illis enatæ controverſiæ.* §. 16. *Diſputationes cum recentibus Photinianis.* Andreæ Keſleri *Compendium Philoſophiæ Socinianæ.* Chriſtoph. Stegmanni *Metaphyſica Sociniana inedita.* §. 17. Calovii & Scherzeri *felix contra Socinianos pugna.* §. 18. 19. *Evangelicorum contra Reformatos Diſceptatio in materia de Sacramento, ubi oſtendit Vir illuſtris, ne in hoc quidem argumento pugnam Rationis cum Revelatione probari poſſe. Citatur hic* Zwinglius, Calvinus. §. 20. Nicol. Vedelius, *quem refutavit* Jo. Muſæus. §. 21. *Diſtinctionem inter neceſſitatem metaphyſicam & phyſicam inculcat, & quando deſerere litteram in interpretando liceat, inquirit.* §. 22. *Exploratum igitur eſſe docet, nullum Fidei Articulum involvere poſſe contradictionem, aut demonſtrationibus, Mathematicas certitudine æquantibus, adverſari.* §. 23. *Diſtinctionem inter ea, quæ ſunt ſupra & contra Rationem probat.* §. 24. *Accedit ad Quæſtionem, a* Bælio *excitatam, num veritas aliqua, præſertim Fidei, objectionibus inſuperabilibus eſſe poſſit obnoxia. Labyrinthus Theologorum Locus de Prædeſtinatione: Philoſophorum de Compoſitione Continui. Citatur* Libertus Fromondus, Janſenius, *famoſus* Ochinus. §. 25. *Idem argumentum ulterius pandit, & demonſtrationibus ſemper cedendum eſſe monſtrat.* §. 26. *Aliam tractat Quæſtionem, num objectiones examinandæ?* §. 27. Bælii *mens de objectionibus ſuis, quas inſuperabiles jactitat. Uſus Logicæ Ariſtotelicæ.* §. 28. *Ea ſufficit ad dijudicandas demonſtrationes. Logica Probabilium.* §. 29. *Fundamentum Rationis & Revelationis oſtendit.* §. 30. 31. *Incuria noſtra & neglectus regularum Logicæ vulgaris omnem in hoc argumento confuſionem gignunt.* §. 32. Bælius *in materia de Permiſſione Mali vult, ut Deus eo modo a culpa expurgetur, quo hominis adcuſati cauſa in foro humano tractari ſolet.* §. 33. *Occurrit* Bælio, *& docet, Deum, juſtiſſimis ac fortiſſimis rationibus impulſum, ad mali permiſſionem deſcendere potuiſſe.* §. 34. *Adumbratio rei, poſito exemplo & caſu, inter homines forte obvio.* §. 35. *Idem cum* §. 33. *tractat argumentum.* §. 36. 37. 38. *Simile, ab humanis rebus petitum, ulterius deducit, quo oſtenditur, probabilia Rationis indicia cedere Fidei veritati & certitudini, ſicque nullas dari objectiones inſolubiles, neque ob has opus eſſe, ut vel juſtitiæ conceptus*

in Deo deſeratur ; vel quid arbitrarium eſſe ſtatuatur. §. 39. Incipit Vir illuſtris, ipſas Bælii *Objectiones circa Quæſtionem de uſu Rationis in Theologia, in Locis variis ſuorum Operum obvias, ſub examen vocare. Mens atque intentio* Bælii *in cudendis hujuſmodi objectionibus. §. 40. Num quilibet Theologicis hiſce diſcuſſionibus vacare teneatur? §. 41. In quibuſdam Fidei objectis duæ ſunt qualitates, Fidei de Ratione triumphum concedentes, incomprehenſibilitas ſcil. & inveriſimilitudo, ſed cave, ne addas tertiam* Bælii, *qua fatemur, id, quod credimus, defendi non poſſe. §. 42. Dantur & res adparentibus contrariæ, quas, rite comprobatas, admittimus. Exemplum duplex, Fabellæ cujuſdam Romanenſis, Impoſturæ Pſeudo-Martini* Guerræ; *concluſio hinc, Fidem triumphare de rationibus falſis, per rationes ſolidas & ſuperiores. §. 43. Docet,* Bælii *triumphum Fidei eſſe ex parte etiam triumphum Rationis demonſtrativæ adverſus rationes adparentes, cum Manichæorum objectiones Theologiæ naturali non minus, quam revelatæ, adverſentur. §. 44. Principium enim rerum omnium exiſtere unicum, perfecte bonum & ſapiens, Ratio nos docet. §. 45. Hæc Fides, & conſideratio bonitatis Dei infinitæ, nos ad ejus amorem præparat, &, accedente gratia divina in Jeſu Chriſto, excellens virtutum Theologiæ Chriſtianæ exercitium gignit, unde & Triumphus veræ Rationis ſimul Triumphus Fidei & Amoris dici poſſit. §. 46.* Bælius *falſo ſibi perſuadet, Rationem humanam eſſe principium deſtructionis, non ædificationis, ad quod ſtabiliendum abutitur auctoritatibus Theologorum, locorum item Scripturæ, Luc. V. 27. IX. 59. Act. XVI. 3. 1. Cor. XIII. 12. 1. Cor. II. 14. 1. Cor. II.* 8. *§. 47. Item Patrum, inprimis* Auguſtini. *§. 48. Porro Scholaſticorum, ubi adfert locum ex* Cajetano *memorabilem. §. 49.* Lutheri, Calvini, *in argumento Prædeſtinationis. §. 50.* Bælius *refellitur, &* Tertulliani *ac* Lutheri *effata duriora explicantur. §. 51. Oſtenditur, Patres Rationem haud quaquam repudiaſſe, exemplo* Origenis. *§. 52. Qui monſtrat, Rationem Chriſtianiſmo non modo non adverſari, ſed etiam illi in columnam eſſe. §. 53. Pandit,* Bælium *verba* Origenis *male interpretari. §. 54. Aperit, Myſteria explicationem quandam admittere, ſed imperfectam; non poſſe nos progredi uſque ad comprehenſionem, & quæſtionem quomodo. §. 55. Ut mirum ſit,* Bælium *recuſare tribunal notionum communium. Exemplum unionis Corporis & Animæ, Verbi Dei cum natura humana, de qua habemus utique cognitionem analogicam. §. 56. Sufficit nimirum nobis, in Myſteriis ſcire, quid ſint? nec neceſſarium ſcitu, quomodo ſint? in quam rem adlegantur verſus* Scaligeri *perquam elegantes. §. 57. Num reddere rationem rei, & ab objectionibus eam defendere, quod permiſcet* Bælius, *unum idemque? §. 58. Reſponſio. §. 59. In exemplo: reprehenduntur, qui alicujus Myſterii rationem reddere volunt, laudantur, qui id contra objectiones defendunt.* Raymundus Lullius, Barthol. Keckermannus. *§. 60. Revertitur Auctor ad diſtinctionem inter ea, quæ ſunt ſupra & contra Rationem, a* Bælio *infeliciter impugnatam. §. 61. Et oſtendit, Myſteria*

ria

ria non tantum Rationi Supremæ, h. e. Dei, conſentanea eſſe, ſed etiam noſtræ Rationi nequaquam adverſari. §. 62. Immerito reprehendi a Bælio *Theologos,* Stegmannum *&* Turretinum, *Myſteria corruptæ tantum rationi contrariari adſerentium. Quid recta Ratio? quid corrupta? quale criterium, quiſve judex controverſiarum in rebus Rationis? Veroniana Methodus. §. 63. Num æquivocatio irrepſerit diſtinctioni inter ea, quæ ſupra Rationem & contra Rationem? §. 64. Objectio Bæliana a ſenſibus deſumta, ſpeciatim ab exemplo viſus. §. 65. Externi ſenſus non fallunt, ſed internus, cujus falſam determinationem ſequitur intellectus; phænomena enim ſenſuum veritatem rerum abſolute non magis promittunt, quam ſomnia: ratiocinatio vero veritati nunquam adverſatur, ſi exacta ſit, & regulis Artis ratiocinandi conformis. §. 66. Patet ex his,* Bælium *ſub eo, quod ſupra Rationem eſt, etiam Objectionum inſolubilitatem comprehendere. §. 67. Quod Theologorum, idem, ut videtur, ſentientium, auctoritatibus munit:* Lutheri, Chemnitii *ſententia explicata. §. 68. it.* Carteſii. *§. 69. Cujus ſententia videtur inſolentior, quod ignorare non potuit, contra veritatem objectionem invincibilem dari non poſſe. §. 70. Idem ſtatuere etiam videtur, difficultatibus circa materiæ diviſionem in infinitum reſponderi non poſſe: quæ ſententia quoque eſt* Arriagæ, *& Scholaſticorum. Objectio quædam contra diviſionem in infinitum ſolvitur. §. 71. 72. Ratio Bæliana expenditur, qua objectionibus, quæ a Ratione Myſteriis opponuntur, ſatisfieri non poſſe, clamat. §. 73. Continuatur idem Diſcurſus, dicendo, ad comprehenſionem alicujus rei non ſufficere, aliquas ejus ideas habere, ſed oportere omnes, & claras & diſtinctas, & adæquatas, quod illuſtratur exemplis in natura obviis. §. 74. Cum præmiſſa adverſarii dubia ſit, negationem meam æque intelligi poſſe, atque ejus adfirmationem, & in prolata diſtinctione ſufficere, terminos adhibitos ſenſum aliquem habere, uti in Myſterio ipſo. §. 75. Defendentem novas proferre theſes non teneri, ſimilemque eſſe arcis præfecto obſeſſo, munimentis ſuis tecto. §. 76. Verarum diſputationum legem eſſe, per argumenta in bona forma procedere, eiſque reſpondere negando, vel diſtinguendo: veritatem nunquam ita incomprehenſibilem eſſe, ut nihil prorſus in ea percipi dicatur, & defendentem victum non eſſe, quamdiu aggeribus ſuis ſeptus maneat; ſique forte erumpat, ſemper dari ad munimenta ſua regreſſum haud quaquam ignominioſum. §. 77. Illum neceſſe plane non habere, ad axiomata philoſophica recurrere, ſed adverſarii eſſe, eorum repugnantiam cum noſtro dogmate probare. §. 78. Non opus eſſe, ut propoſitiones adferantur evidentes, cum theſis ipſa principalis evidens non ſit. §. 79. Poſſe reſpondentem inſtantiam tantum adferre ad opponentem magis confundendum. §. 80. Rationem, ubi aliquam evertat theſin, oppoſitam ſtabilire. §. 81. Ubi objectiones iſtiuſmodi contra Fidem revelatam militent, ſufficere, eas repelli poſſe. §. 82. Sic, ubi ſemel de bonitate juſtitiaque Dei certi ſimus, duritatis injuſtitiæque ſpecies nos contemnere, in permodica hac regni ſui parte adparentes. §. 83.* Bælium *loqui tantum de his*

axio-

axiomatibus, quæ veritatibus æternis cedere debeant, §. 84. *Sicque videri ipſius ſententiam revera non tam procul a noſtra receſſiſſe, quam præ ſe verba ferant.* §. 85. *Contendere namque, Objectiones contra Fidem non habere vim demonſtrationum.* §. 86. *Complures in comprehendendo hoc* quomodo, *probandaque Myſteriorum poſſibilitate, deſudaſſe.* Thomam *v. g.* Bartonum, *Jeſuitam, cujus & fata recenſentur*, P. Abælardum, Gilbertum de la Porrée, & Jo. Wiclefum. §. 87. *Auctores quoſdam extricationem harumce difficultatum futuræ vitæ reſervaſſe, ut* Auguſtinum, Lutherum, *eundemque* Bælium.

1. ORdior a Quæſtione præliminari *de Conformitate Fidei cum Ratione*, ac de uſu Philoſophiæ in Theologia, cum quod ea magnam ſibi partem vindicat in præcipuo, quod adgredimur, argumento, tum quod *Bælius* totus in ea occupatur. Pro certo adſumo; duas veritates ſibi mutuo contradicere non poſſe; *materiam, in qua Fides verſetur*, eſſe veritatem, a Deo modo extraordinario revelatam, & *Rationem* eſſe catenam veritatum (a), ſed ſpeciatim, (ſi eam cum Fide comparaveris,) earum, quas humana mens, nullis adjuta Fidei luminibus, nativa vi ſua adſequi poteſt. Hæc definitio Rationis (hoc eſt *rectæ veræque Rationis*) nonnullos, contra Rationem in ſenſu quodam vago ſumtam declamare ſolitos, admirationi dedit. Reſponderunt mihi, vocabulum eo in ſignificatu uſurpatum ſe nunquam audiviſſe: nempe cum iis, qui diſtincte mentem in hiſce materiis exprimebant, nunquam egerant. Fatebantur interim, Rationem, uti a me ſumitur, nihil habere, quod reprehendi poſſet. Atque hoc ipſo ſenſu accepta Ratio quandoque etiam experientiæ opponitur. Ratio enim, cum ſit catena veritatum, eas etiam, quas experientia illi ſuppeditat, ad eliciendas ex iis concluſiones mixtas, copulare valet: at Ratio pura illa & nuda, ab Experientia diſtincta, ſolas veritates, a ſenſibus neutiquam dependentes, tractat. Fides quidem cum experientia conferri poteſt, cum Fides (quoad rationes, ejus veritatem comprobantes,) ab experientia pendeat eorum hominum, qui miracula, quibus

(a) Per *catenam Leibnitius* nihil aliud intelligit, quam nexum, quo quid continet rationem ſufficientem coëxiſtentiæ vel ſucceſſionis alterius; per *veritates* vero veritates univerſales. Eſt definitio ab *objecto* cognitionis noſtræ deſumta; alias Ratio ſumitur pro facultate animæ nexum veritatum univerſalium perſpiciendi. Experientia reſpicit veritates facti, nec illius ope nexus veritatum univerſalium perſpicitur, hinc Experientia quoque Rationi contradiſtinguitur, uti colligit *Leibnitius*, & fuſius explicat *Wolffius* in Pſychol. Emp. Lat. §. 483. ſqq. & Ratio *pura* audit, ubi in ratiocinando non admittuntur niſi definitiones ac propoſitiones a priori cognitæ, uti in Arithmetica, Geometria & Algebra; ubi vero præter has admittuntur & aliæ, quæ a poſteriori cognoſcuntur, cum Ratione in cognoſcendo Experientia concurrit, & *pura non eſt*. Hinc, quod dicitur, *Connubium Rationis & Experientiæ*, ſcientiis quam maxime proficuum.

quibus revelatio innititur, viderunt; nec non a Traditione fide digna, per quam ea ad nos uſque pervenerunt, ſive per ſcripturas, ſive per relationem illorum, qui eadem conſervarunt. Eadem fere ratione, qua nos *experientia* hominum, qui Sinam ipſi luſtrarunt, eorumque fidei plena relatione nixi, mira illa credimus, quæ de remotiſſima illa regione narrantur; quæ vero intelligenda ſunt ſalvo interno Spiritus divinioris motu, qui mentes occupat, eas convincit, & ad bonum, hoc eſt, fidem charitatemque impellit, ut motivis non ſemper indigeat.

2. Sed Veritates Rationis duplicis ſunt generis; aliæ adpellantur *Veritates Æternæ*, & hæ ſunt abſolute neceſſariæ, ita ut oppoſitum involvat contradictionem; cujus modi ſunt veritates eæ, quæ neceſſitatem habent Logicam, Metaphyſicam, aut Geometricam, ut is, qui eas negaverit, ad abſurdum redigi queat. Aliæ vocari poſſunt *Poſitivæ*, quoniam fundunt leges, quas indere naturæ Deo placuit, vel ſaltem ab his dependent. Nos quidem has diſcimus vel per Experientiam, hoc eſt, *a poſteriori*, vel per Rationem, & *a priori* (b), dum nempe convenientiam, ob quam illæ ſint electæ, gnaviter excutimus. Hæc convenientia ſuas quoque regulas ac rationes habet; ſed electione Dei libera, non neceſſitate Geometrica fit, ut, quod magis convenit, oppoſito præferatur, & ad exiſtentiam promoveatur. Itaque dici poteſt, *neceſſitatem phyſicam* fundari in *neceſſitate morali*, hoc eſt, in Sapientis electione, quæ ſua ſapientia digna eſt, & ſic utramque diſtingui debere a *neceſſitate Geometrica.* Hæc phyſica neceſſitas facit ordinem naturæ, & ſita eſt in regulis motus, atque aliis quibuſdam legibus generalibus, quas Deo rebus indere placuit, dando illis eſſe. Verum igitur eſt, Deum illas non ſine ratione ſanxiſſe, neque enim quidquam temere, aut forte, vel pura puta cum indifferentia, unquam eligit; ſed poſſunt tamen generales boni atque ordinis rationes, quibus ad ſeriem illam eligendam permotus eſt, quandoque potioribus ordinis ſuperioris rationibus vinci.

3. Patet ex his, Deum res creatas legibus, quas ipſis præſcripſit, exſolvere poſſe, inque iis aliquid producere, quod illarum natura non ferat, faciendo *Miraculum*; cumque ita ad perfectiones & facultates iis, ad quas ſuapte natura pertingere poſſunt, nobiliores elevantur, facultatem iſtam Scholaſtici adpellant *Potentiam Obedientialem* (c), quod nimi-

 rum

(b) Sunt hi duo modi, quibus ad cognitionem rerum pertingimus. Quicquid nimirum cognoſcimus, vel *experiundo* addiſcimus, vel *ratiocinando* eruimus; iſto ſi modo agimus, rem *a poſteriori*, hoc vero *a priori* cognoſcere dicimur: ille *ſenſus* reſpicit, hic *intellectum.*

(c) Effectus ſc. miraculoſus non adverſari debet eſſentiæ illius entis, in quo contingit; quoniam impoſſibilia fieri nequeunt. Eam habilitatem entis ad miraculum, ſeu eam receptivitatem miraculi vocabant Scholaſtici *Potentiam Obedientialem* in creaturis, ſeu entibus contingentibus. Patet ex his quoque, quomodo exiſtentiam Dei miracula probent, & quam longe

rum res illam obtinet obediendo mandatis ejus, qui, quod ipſa non habet, dare poteſt; quamvis dicti Scholaſtici plerumque hujus potentiæ exempla proferant, quæ pro ἀδυνάτοις habeo, v. gr. quando contendunt, Deum rei creatæ facultatem creandi dare poſſe. Fieri quidem miracula poſſunt, quæ Deus patrat miniſterio Angelorum, ubi naturæ leges non magis violantur, quam ſi naturam arte juvant homines; cum artificium Angelorum a noſtro non differat, niſi perfectionis gradu: interim tamen ſemper verum manet, naturæ leges diſpenſationi Legislatoris ſubjectas eſſe: cum contra veritates æternæ, quales ſunt Geometricæ, omnem plane exceptionem excludant, nec Fides iis adverſari poſſit. Hinc fieri nequit, ut detur aliqua objectio contra veritatem, quæ ſit invicta. Quodſi enim eſt demonſtratio, principiis, vel factis uſquequaque manifeſtis, innixa, & e veritatibus æternis, mutuo nexu cohærentibus, conflata, concluſio certa eſt & omni diſpenſatione ſuperior, adeoque oppoſitum debet eſſe falſum; alioqui duæ propoſitiones contradictoriæ ſimul poſſent eſſe veræ. Sin objectio demonſtrandi vim non habet, veriſimile tantum ea argumentum formare poteſt, quod adverſus Fidem robore deſtituitur, cum in confeſſo ſit, Religionis Myſteria adparentibus contraria eſſe. Jam vero *Bælius*, in Reſponſo ſuo poſthumo ad *Joannem Clericum*, profitetur, ſe non contendere, quod contra veritates Fidei demonſtrationes dentur, atque ita invictæ illæ difficultates omnes, jactata hæc Rationis cum Fide prælia, evaneſcunt.

Hi motus animorum atque hæc diſcrimina tanta,
Pulveris exigui jactu compreſſa quieſcunt.

4. Theologi Proteſtantes æque ac Romani, quotquot materiam hanc curatius ponderant, mecum in his, quæ ſuſtineo, placitis conſentiunt; & omne id, quod adverſus Rationem profertur, non niſi contra Rationem, nomen hoc mentitam, corruptam, & falſa veri ſpecie deluſam, valet. Idem de divinæ juſtitiæ atque bonitatis notionibus dixero. Interdum de iis diſputatur, ac ſi nec earum ideam, neque definitionem ullam, haberemus. Verum re ita comparata, nihil profecto rationis nobis relinqueretur, cur hæc attributa Deo tribueremus, inque ipſius laudes eapropter effunderemur. Bonitas, & juſtitia, perinde atque ſapientia illius,

longe abeat *ill. Vir* a ſententia *Spinozæ*, in Tr. Theol. Polit. exiſtimantis, miracula ad captum vulgi facta fuiſſe; miraculum enim eſſe opus, cujus cauſam naturalem exemplo alterius rei ſolitæ explicare non poſſumus, naturæque potentiam ipſam Dei virtutem eſſe & potentiam. Cæterum ſolum Deum facere miracula *rigoroſe dicta*, eleganter docet hic *idem Vir ill.* ad cujus dicta velim conſulatur *ill. Bilfingerus*, in *Diluc. Philoſ.* §. *CCXVI.* Scholaſticorum vero vitia & defectus, obiter hic notatos, ex illius Meth. Juriſprud. profert *Cel. Canzius*, in U. Ph. L. & Wolf. P. II, §. 744. ſqq.

illius, in hoc ſolum a noſtra bonitate, juſtitia & ſapientia, differt, quod his illæ ſint infinite perfectiores. Itaque nec notiones ſimplices, nec veritates neceſſariæ, nec demonſtrativæ Philoſophorum conſequentiæ, Revelationi poſſunt eſſe contrariæ. Et ſi qua axiomata Philoſophica in Theologia rejiciuntur, hoc ideo fit, quod ea non, niſi neceſſitatem phyſicam aut moralem, continere deprehenduntur, quæ tantum in communiter contingentibus locum habet, adeoque in adparentibus fundatur, ſed quæ, ſi Deo ita viſum fuerit, deficere poteſt.

5. Ex dictis adparet, ſæpe aliquid confuſionis ineſſe in verbis eorum, qui cum Philoſophia Theologiam, aut Fidem cum Ratione, committunt: quaſi vero idem foret, *explicare*, *comprehendere*, *probare*, *tueri*. Quam confuſionem nec ipſum *Bælium*, quantumvis perſpicaciſſimum, ſemper caviſſe video. Myſteria *explicari* poſſunt, quantum ad credenda ea ſatis eſt, at *comprehendi* non poſſunt, nec intelligi, *quo pacto* exiſtant. Sic in Phyſica quoque uſque ad certos quoſdam cancellos complures qualitates ſenſiles, imperfecte quidem, explicamus, ſed eas minime comprehendimus. Neque vero Myſteria probare Ratione poſſumus; quicquid enim *a priori*, ſive ratione pura, probari poteſt, poteſt & comprehendi. Itaque poſtquam probationibus veritatem Religionis evincentibus, *motivis* nempe *credibilitatis*, impulſi, Myſteriis adſenſum præbuimus, ſolum nobis reſtat, ut adverſus objectiones illa, *tueri* valeamus; quod niſi poſſumus, nec credere illa ſatis tutum erit; quicquid namque ratione ſolida, & demonſtrationis vi gaudente, convelli poteſt, non poteſt non eſſe falſum; adhæc motiva credibilitatis, non niſi *moralem* gignentia *certitudinem*, æquarentur, immo vincerentur objectionibus, quæ ſi evidentes prorſus & demonſtrativæ forent, *omnimodam abſolutamque certitudinem* adferrent (d). Atque hæc pauca difficultatibus, quæ uſum Rationis ac Philoſo-

(d) *Ill. Bilfingerus*, in Diſſ. de Myſteriis Chriſtianæ Fidei generatim ſpectatis, A. 1732. Tub. habita, ad eundem plane modum, *hominem vere rationalem habere ſe*, ait, *ad myſteria, uti cæcus natus ad colores. Cæcus* caret facultate cognoſcendi colores; neſcit, quod dentur. *Homo tantum Philoſophus* caret facultate cognoſcendi myſteria; neſcit, quod dentur. *Ille*, ſi audiat dari, per ſe ipſum non poteſt in illos (*colores*) inquirere; non poteſt eorum notitiam obtinere intuitivam. *Hic*, ſi audiat dari, per ſe ipſum non poteſt in illa (*myſteria*) inquirere: non poteſt eorum notitiam obtinere intuitivam. *Ille*, poteſt credere, quæ audiat; poteſt ex analogia reliquorum ſenſuum concipere aliquid eorum; poteſt ex illis axiomata condere de coloribus, & deducere ex illis corollaria; poteſt ex his ipſis indicare videntibus, quid facere oporteat, ut hi vel alii colores, hoc vel alio ordine, & gradu, prodeant; colores ipſos nec per ſe intueri poteſt, neque vel notitiam ſuam augere ultra id, quod audit, & ex illo colligit. *Hic*, poteſt credere, quæ audiat, (viribus tamen, quas hic ipſe auditus confert, præviis): poteſt ex analogia reliquarum doctrinarum concipere aliquid eorum: poteſt audita ſub generales colligere notiones: poteſt ex illis axiomata condere de myſteriis, & deducere ex illis conſectaria: poteſt ex his ipſis indicare fidelibus, ad quos actus quinam effectus fluant, & quo

loſophiæ circa Religionem ſpectant, amoliendis ſufficere poſſent, niſi ſæpe numero cum hominibus, præjudicio laborantibus, res nobis eſſet. Quoniam itaque verſamur in argumento maximi momenti, quod a multis mire implicatum fuit, juvat illud adcuratius perſequi.

6. *Quæſtio de Conformitate Fidei cum Ratione* nullo non tempore graviſſimum Problema fuit. Sub ipſis Eccleſiæ naſcentis primordiis Doctores Chriſtiani longe dexterrimi Platonicorum placitis velificabantur, quæ ipſis maxime adridebant, quæque tum temporis valde celebrabantur (e). Senſim ſenſimque *Platonis* in locum ſucceſſit *Ariſtoteles* (f) cum ſyſtemata placere cœperunt, ipſaque Theologia magis *ſyſtematice* tractari ob generalium deciſiones Conciliorum, limata definitaque formularia exhibentium. *S. Auguſtinus*, *Boëtius* (g), & *Caſſiodorus* (h) in Occidente, & S. *Joannes Damaſcenus* (i) in Oriente, Theologiæ in ſcientiæ formam redigendæ multum profuere, ut *Bedam*, *Alcuinum*, *Anſelmum*, & quoſdam alios Theologos, in Philoſophia verſatos, prætercam, donec tandem Scholaſtici (k) ſupervenere, otioque monaſtico frena laxante ſpeculatio-

quo ordine: effectus ipſos neque per ſe adtingere poteſt, neque vel notitiam ſuam augere amplius ipſe poteſt, ultra id, quod audit, & ex illo per conſequentias infertur. *Ille*, verbo: nova de coloribus inventa ex phænomenis detegere non poteſt. Non poteſt ſapere ſupra id, quod auditu accipit. *Hic*, verbo: nova de myſteriis inventa non poteſt eruere. Non poteſt ſapere ſupra Scripturam, p. 14. 15.

(e) Ita placebat Philoſophia inprimis *Juſtino* Martyri, *Clementi* Alexandrino, *Origeni*, ipſique *Auguſtino*, de quibus v. Litteratiſſimus Vir, *Theoph. Stolle*, in Hiſt. Litter. T. II. §. LXV. In cauſa inter alia erat, quod credebant, *Platonem* ſua a *Moſe* deſumſiſſe, & cum *Moſis* pariter atque Religionis Chriſtianæ placitis egregie conſpirare. *P. Baltus*, *Jeſ.* Platoniſmo quidem Patres liberare contendit, ſed argumenta, quæ adfert, id nequaquam evincunt, in Lib. *Défenſe des Saints Pères, accuſés de Platoniſme, Pariſ.* 1711. 4. contra Auctorem Libri, *Le Platoniſme dévoilé*, quem *Souverainium* eſſe perhibent, ſcripto.

(f) Variam Philoſophiæ Ariſtotelicæ fortunam fuiſſe, notum eſt, V. *Jo. Launoius* in Libr. *de varia Ariſtotelis in Acad. Pariſ. fortuna*, & *Jo. Herm. ad Elſvvich Schediaſma de varia Ariſtot. in Scholis Proteſtantium fortuna*, utrumque ſimul ed. Witeb. 1720. in 8.

(g) *Anicius Manlius Torquatus Boëtius* initio ſæculi VI. ſub *Theodorico*, Gothorum Rege, floruit, & primus fuit, qui *Ariſtotelem* latine interpretabatur. V. de eo *Le Clerc Biblioth. Choiſ. Tom. XVI. Art. IV. p.* 192. *ſqq.* Hoc ſæculo invaluit ſtudium concinnandi compendia & ſyſtemata philoſophica, ad quod inſtitutum *Boëtii* opera uſi ſunt, cum Græca non intelligerent.

(h) *Marc. Aurelius Caſſiodorus* Libro *de ſeptem diſciplinis, grammatica, rhetorica, dialectica, arithmetica, muſica, geometria, & aſtronomia*, oſtendit, ipſi quoque adridere ſyſtematicam docendi rationem.

(i) *Joannes*, a patria *Damaſcenus*, ab eloquentia *Chryſorrhoas*, ſæculo VIII. celebris, in ſuis *de Orthodoxa fide* Libris primus aliquid molitus eſt, quod ſyſtematis cujuſdam indolem referebatur. Opera ejus eleganter excuſa ſunt Pariſ. 1712. fol. curante *Michaële le Quien*, Ord. FF. Prædicatorum. V. *Fabric.* Biblioth. Gr. L. V. 30. 11.

(k) *Rev. Buddeus* in *Iſag. Hiſtor. Theol.* p. 352. „Non erraverit, qui dixerit, Theologiæ Scholaſtico-ſyſtematicæ fontem præcipuum in Eccleſia occidentali fuiſſe,

lationibus, Philoſophia Ariſtotelica recenter ex Arabico translata adjutis, Theologiæ ac Philoſophiæ mixtura quædam adparuit, cujus potiſſimæ Quæſtiones eo tendebant, ut Fides cum Ratione conciliaretur. Enim vero conamini non omnis, quem ſperare fas erat, ſucceſſus reſpondit, tum quia Theologia injuria temporum, ignorantia, opinionumque pertinacia, haud parum corrupta fuerat, tum quia Philoſophia, præter defectus privatos, ſane ingentes, Theologiæ vitiis gravabatur, hæcque itidem obſcuriſſimæ imperfectiſſimæque Philoſophiæ ſocietati innexam ſe eſſe ſentiebat. Interim fatendum eſt cum incomparabili *Grotio*, ſub barbaræ Monachorum latinitatis ſordibus aurum quandoque latere; optavi hinc non una tantum vice, ut eruditus aliquis, diſcendo Scholæ idiomati munere ſuo deſtinatus, ex eorum ſcriptis optima quæque ſeligeret, utque alter *Petavius* ac *Thomaſſinus*, apud Scholaſticos præſtaret id, quod inſignes hi Duum-Viri in Patribus effectum dedere (l). Opus iſtud ſane curioſitate ſæculi dignum, Hiſtoriæque Eccleſiaſticæ utiliſſimum foret, utpote dogmatum hiſtoriam continuaturum uſque ad *renatas litteras humanitatis* (quarum ope facies rerum mutata fuit) immo ulterius quoque. Etenim dogmata non pauca, veluti de Prædeterminatione Phyſica, de Scientia media, de Peccato Philoſophico, de Præciſionibus objectivis, aliaque multa in Theologia Theoretica, quin etiam in Theologia Practica Caſuum Conſcientiæ, poſt ipſum adeo Concilium Tridentinum, famam adepta ſunt.

7. Paullo ante mutationes iſtas, ac magnam, quæ etiamnum durat, ſciſſionem Occidentis, viguit apud Italos Philoſophorum Secta quædam, qui hanc, quam nos tuemur, Fidei cum Ratione conformitatem oppugnabant. *Averroiſtas* vocitabant, a duce ſuo, celebri Scriptore Arabe, Commentatore per excellentiam cognominato, & *Ariſtotelis* mentem inter cæteros ſuæ gentis Philoſophos melius, ut videbatur, adſecuto (m).

fuiſſe, *Auguſtinum*, &c. Summam doctrinæ Chriſtianæ paucis complexus eſt in *Enchiridio ad Laurentium de Fide, Spe, & Charitate*, A. 1705. Lipſ. recuſo.

(l) *Dionyſius Petavius*, ait *Jo. Fr. Buddeus* in Iſag. Hiſtor. Theol. p. 579. inter eos, qui dogmaticam theologiam ex Patrum monumentis tractant, ita eminet, ut reliquorum gloriam plane obſcuraverit, ſoluſque fere dignus ſit, qui commemoretur. Immortale namque nominis decus conſequutus eſt ob *Opus de Theologicis Dogmatibus*, cujus editio & noviſſima, & optima, Amſtelodami ſex tomis in fol. 1700. prodiit. *Idem* p. 582. Sequutus *Petavium*, aut eum imitatus eſt, *Ludovicus Thomaſſinus*, quippe qui itidem *Dogmata Theologica* tribus tomis complexus eſt, quorum primus 1680. reliqui duo 1684. Pariſiis lucem adſpexerunt. Æmulatione *Petavii* inductum, eum ad dogmata hæcce ſcribenda animum adjeciſſe, Viri docti obſervant; licet, ſive eruditionem, ſive dictionis nitorem, ſpectes, ejus neutiquam adſecutus ſit laudem.

(m) *Averroes* Sæculo XII. floruit. Quantum illius, reliquorumque Arabum, *Avicennæ*, *Algazelis*, placitis damnum orbi Chriſtiano inlatum ſit, in propatulo eſt. Quanti *Ariſtotelem* fecerit, hoc ipſius effatum loquitur. *Ariſtotelis*, ait, diſciplina eſt ſumma veritas, quoniam ejus intellectus fuit

Hic itaque Commentator, id, quod Græci Interpretes dudum docuere, ulterius provehens, contendebat, juxta *Ariſtotelem*, adeoque juxta Rationem, (ea namque tempeſtate utrumque idem fere ſonabat,) immortalitatem animæ ſtare non poſſe. En ipſius ratiocinium. Genus humanum ſecundum *Ariſtotelem* æternum eſt; igitur ſi animæ ſingulares non occidunt, deveniendum erit ad exploſam ab iſto Philoſopho Metempſychoſin; vel, ſi novæ ſemper animæ exiſtunt, animas infinitas, ab omni æternitate conſervatas, admittere oportebit: atqui infinitum actu implicat juxta ejuſdem *Ariſtotelis* doctrinam: Ergo animas ſive formas corporum organicorum, aut ſaltem intellectum paſſivum, unicuique homini proprium, una cum corporibus interire neceſſe eſt. Reſtabit proinde ſolus intellectus agens, omnibus hominibus communis, quem Ariſtoteles deforis advenire ajebat, quemque operari oportet, ubicumque organa diſpoſita repererit, ad eum fere modum, quo ventus, in organi fiſtulas apte diſpoſitas incurrens, harmoniam quandam muſicam producit.

8. Nihil erat imbecillius jactata hac demonſtratione; nam *Ariſtoteles* neque Metempſychoſin ſatis confutaſſe, nec humani generis æternitatem probaſſe legitur; miſſis denique his rebus, falſiſſimum etiam eſt, infinitum actu implicare. Interim Ariſtotelicis iſta demonſtratio habebatur invicta, faciebatque, ut crederent, dari certam quandam Intelligentiam ſublunarem, cujus participatio intellectum noſtrum agentem præſtaret. Alii, *Ariſtoteli* minus addicti, longius progrediebantur, atque animam quandam univerſalem, quæ animarum omnium ſingularium quaſi oceanus eſſet, commenti, eam animam, dum cæteræ ſingulares naſcuntur & intereunt, ſolam perſiſtere poſſe exiſtimabant. Hos ſi audias, animæ oriuntur, dum guttarum inſtar ab oceano ſuo ſeparantur, corpus, quod animare poſſint, offendentes; intereunt autem, dum, corpore deſtructo, non aliter ac fluvii mare ingreſſi, rurſus oceano junguntur. Nec pauci Deum ipſum eſſe hanc animam univerſalem ſibi perſuadebant, quamvis alii eam ſubordinatam & creatam arbitrarentur. Pravum hoc dogma pervetuſtum eſt, & ad præſtringendos vulgi oculos aptiſſimum. *Virgilius* id elegantibus hiſce verſibus reddidit. (Æn. VI. ℣. 724.)

Principio cœlum ac terram campoſque liquentes,
Lucentemque globum Lunæ Titaniaque aſtra
Spiritus intus alit, totamque infuſa per artus
Mens agitat molem, & magno ſe corpore miſcet.

Et alibi adhuc (Georg. IV. ℣. 221.)

Deum

fuit finis humani intellectus, datus nobis divina providentia, ut ſciremus, quicquid ſciri poteſt. V. *Rapin Reflex.* p. 324. *Hornii Hiſtor. Philoſ.* p. 292.

Deum namque ire per omnes
Terraſque tractuſque maris, cœlumque profundum.
Hinc pecudes, armenta, viros, genus omne ferarum,
Quemque ſibi tenues naſcentem arceſſere vitas:
Scilicet huc reddi deinde, ac reſoluta referri. (n).

9. Hunc in ſenſum accepta a nonnullis eſt anima mundi Platonica; verum majore, ut videtur, jure hæc communis anima, omnes alias abſorbens, Stoicis adſcribi poteſt. Qui opinioni huic adſurgunt, dici *Monopſychitæ* poſſent, cum juxta illos reapſe ſit anima, quæ ſubſiſtat, tantum unica. *Cl. Bernerius* obſervat, hanc ſententiam, apud Eruditos in Perſia, inque Magni Mogolis ditionibus, fere paſſim receptam eſſe; nec procul ab illa abeſſe videntur & Cabaliſtæ ac Myſtici. Germanus quidam, e Suevia oriundus, qui aliquot ab annis, ad Judæos transfuga, ſub *Moſis* Germani nomine dogmata ſua diſſeminavit, *Benedicti Spinoſæ* adſerta ſecutus, antiquam Ebræorum Cabalam a *Spinoſa* inſtauratam fuiſſe cenſuit: ac Vir eruditus, qui proſelytum illum Judæum confutavit, eandem inflare tibiam videtur. Conſtat, *Spinoſam*, unicam duntaxat ſubſtantiam in mundo agnoviſſe, cujus tantum modificationes tranſitoriæ ſint animæ ſingulares. *Valentinus Weigelius*, in Tſchopa Miſniæ Paſtor (o), Vir ingenii

(n) Eſt hæc doctrina *Pythagoræ*, ab Ægyptiis, uti creditur, mutuo accepta. Statuit enim ille, Deum eſſe immiſtum elementis omnibus, & rebus viſibilibus. Audias de eo præ reliquis differentem *Jo. Marshamum*, in Canone Chron. p. 276. ſqq. ed. Lipſ. *Th. Campanella* in Libr. de Sensu rerum, Philoſophos alios recenſet, huic ſententiæ, diverſis quippe rationibus, verificantes, nec ab illuſtri Viro longius abeſt, ſi ſuam ſententiam veterum Philoſophorum opinionibus ita opponit: „Si, *inquiens*, omnia opera Dei perfecta ſunt, (ut *Moſes* & natura teſtantur) fateri oportet, eas rebus vires ab eo largitas eſſe, quæ ipſarum conſervationi ſufficiant, &c. L. I. Cap. VI. Cæterum verſus hoſce Virgilianos egregie illuſtrat ſuo Commentario *Servius*, quem leg. in ſplendida illa Lugd. & Amſt. editione cum Not. Var. a. 1680. *apud Jac. Hackium*, emiſſa, p. 1085. ſqq. *Jo. Ad. Oſiander* in Collegio Conſiderationum in Dogmata Theol. Carteſianorum Cap. IX. ubi *de Mundo* agit, *Platonem*, & *hos verſus Virgilianos*, exculpat, *animamque mundi*, *analogia quadam & ſimilitudine qualicunque in virtutem Dei omnia pervadentem intime, atque ſuſtinentem & gubernantem*, interpretatur. Id certum eſt, *Stoicis* potius, quam *Platoni*, imputari poſſe, hac ſententia Deum cum creaturis commiſcuiſſe, quod & *Ill. Leibnitius* §. ſeq. adierit. *Summe Rev. Abbas Moshemius* ad *Cudvvorthi* Syſt. Intell. præclare docet, *Platonem* animam, cujus ortum deſcribit, a genitore ſuo (*Opifice ſc. & Conditore Univerſitatis*) plane divellere ac diſtrahere. Conf. Ejus prolixam Diſp. p. 680. not. 49. ad *Cudvvorth.* Fortaſſe, ſi res veterum adcuratius perveſtigentur, veritas dicti Auguſtiniani patet, *non eſſe gentes uſque adeo ad falſos Deos delapſas, ut opinionem amitterent unius Dei veri.* Contra Fauſt. Manich. L. 20. Cap. 19.

(o) Ex Schola *Theophr. Paracelſi* prodiit *Weigelius*, A. 1588. in parochia Tſchopavienſi mortuus. Profligavit præ aliis errores illius *Nic. Hunnius* in *der Chriſtlichen Betrachtung der neuen Paracelſiſchen und Weigelianiſchen Theologie*, libriſque plurib. aliis.

nii haud vulgaris, immo nimii, quanquam Enthuſiaſtes audierit, quidpiam fortaſſe tale ſenſit, uti & is, qui ſe nuncupat *Joannem Angelum Sileſium*, Auctor quorundam non inelegantium verſiculorum Germanicorum, ad pietatem acuendam factorum, qui epigrammatum inſtar recens recuſi ſunt. Ac generatim deificatio Myſticorum pravum hunc in ſenſum trahi poſſet, quod dudum *Gerſon* (p) notavit adverſus *Rusbrochium*, Auctorem Myſticum, cujus locutiones, conſilio, ut videtur, minime malo prolatæ, veniam merentur, ſed præſtat ita ſcribere, ut venia nihil ſit opus; tametſi nullus diffitear, expreſſiones exaggeratas, &, ut ita dicam, poëticas vi ad movendum, perſuadendumque, pollere ſæpe majori, quam quæ ad normam penitus exactæ ſint.

10. Sed & proprietatis totius annihilatio, a Quietiſtis ultra limites fatigata, etiam impietatis larvatæ ſpecies quædam apud nonnullos eſſe poſſet: quale eſt, quod de Quietiſmo *Foë*, magnæ apud Sinas Sectæ Auctoris, narratur; qui poſtquam per annos quadraginta Religionem ſuam prædicaſſet, mortem imminere ſentiens, diſcipulis ſuis profeſſus eſt, ſe veritatem ipſis celaſſe ſub metaphorarum integumentis; ad nihilum omnia redire, & eſſe id primum rerum omnium principium. Videtur hoc pejus adhuc ſonare, quam Averroiſtarum opinio. Neutra certe doctrina ulla ratione defendi poteſt, inſulſa, ſi quæ alia: interim tamen Recentiores quidam univerſalem hanc & unicam animam, reliquas abſorbentem, adoptare haud dubitarunt. Nimios illa plauſus profecto tulit apud eos, qui forti ſe ſpiritu jactant, & *Preiſſacus*, militia atque ingenio non poſtremus, qui Philoſophiæ quoque operam dedit, ſuis in diſſertationibus eandem palam oſtentavit. Mederi huic malo *Harmonia præſtabilita* optime poteſt. Oſtendit namque illa, eſſe neceſſario ſubſtantias ſimplices & inextenſas, quaquaverſum in totam naturam diffuſas; has ſubſtantias independenter ab omni, quod Deus non eſt, ſubſiſtere debere, neque unquam ab omni corpore organico ſeparari. Qui vero vel animas perceptionis capaces, rationis incapaces, contendunt eſſe mortales, vel animabus ſolis rationalibus perceptionem tribuunt, Monopſychitarum telis patent; ſemper enim erit difficile hominibus perſuadere, belluas non ſentire, &, ſi id, quod perceptionis capax eſt, interire poſſe ſemel concedatur, vix animarum noſtrarum immortalitas ratione defendi poteſt.

11. Feci hanc digreſſiunculam, quod ea opportuna mihi viſa eſt, hoc præſertim tempore, quo multos ad evertendam funditus religionem nimium

(p) *In Epiſtola contra* Jo. Rusbrochii *Librum de Ornatu ſpiritualium nuptiarum. Rusbrochium* contra *Gerſonem* defendere conatus eſt *Jo. de Schonhovia.* De imputata Myſticis deificatione, ut & de memorato *Jo. Rusbrochio* conſul. *B. Aug. Herm. Franckii gründliche und gevviſſenhaffte Verantvvortung gegen* D. Jo. Frid. Mayers *harte und unvvarhaffte Beſchuldigungen*, p. 97. ſqq. it. p. 277. ſqq.

mium quantum proclives eſſe videmus: redeoque ad Averroiſtâs, qui, quod dogma ſuum ex ratione demonſtrari arbitrabantur, animam hominis juxta Philoſophiam mortalem eſſe contendebant, profeſſi interim, ſe Theologiæ Chriſtianæ, animam immortalem eſſe docenti, judicium ſubmittere. Verum ſuſpecta habebatur iſta diſtinctio, hocque Rationis a Fide divortium aperte repudiatum fuit ab iſtius ævi Præſulibus ac Doctoribus, & tandem ſub *Leone X.* damnatum in ultimo Concilio Lateranenſi, quod Eruditos etiam hortabatur, ut diſſolvendis iis difficultatibus, quæ Theologiam ac Philoſophiam adverſis committere cornibus viderentur, operam ingeniumque ſuum impenderent. Non defuere tamen, qui nihilominus dogma illud de Fidei & Rationis pugna clanculum fovere perrexerint: *Pomponatius* (q) hac ſuſpicione non immunis fuit, quamvis mentem ſuam aliter explicaret, & Secta quoque *Averroiſtarum* traditione ſe conſervavit. *Cæſar Cremoninus* (r) Philoſophus ea tempeſtate famigeratiſſimus non vulgare ejus columen fuiſſe creditur. *Andreas Cæſalpinus* (s), Medicus, (Auctor inſignis, qui poſt *Michaëlem Servetum* ſanguinis circulationem proxime adtigit,) a *Nicolao Taurello* (Libro, cui titulus: *Alpes Cæſæ*,) poſtulatus eſt, tanquam unus ex iſtis Peripateticis, qui Religioni adverſarentur. Hujus etiam doctrinæ veſtigia inveniuntur in *Circulo Piſano Claudii Berigardi* (t) qui Auctor, origine Gallus, fixo in Italia domicilio, Philoſophiam Piſis docuit: ſed inprimis Scripta & Epiſtolæ *Gabrielis Naudæi*, uti & *Naudæana* Averroiſmum, dum Medicus hic Eruditus in Italia degeret, adhuc perduraſſe, oſtendunt (u). Philoſophia corpuſcularis, paullo poſt invecta, hanc Sectam, nimis ſane Peripateticam,

(q) *Petrus Pomponatius*, *Mantuanus*, A. 1462. d. 16. Nov. natus, A. 1525. Bononiæ deceſſit. *Vaninus* dixit, *in Amphitheatro Provid. divin. Exercit. VI. Pythagoram de Pomponatio* judicaturum fuiſſe, animam *Averrois* in ipſum migraſſe. Illius inprimis Lib. *de Immortalitate Animæ* fecit, ut in Catalogum Athæorum referretur.

(r) *Cæſar Cremoninus*, A. 1631. e vivis diſceſſit, natus A. 1550. decem annos Ferrariæ, quadraginta Patavii Philoſophiam profeſſus. *Naudæus* in Naudæanis p. 55. *Cremonin cachoit finement ſon jeu en Italie: nihil habebat pietatis, & tamen pius haberi volebat. Une de ſes maximes étoit: intus ut libet, foris ut moris eſt.*

(s) *Andreas Cæſalpinus*, A. 1603. defunctus Archiater *Clementis VIII.* Pontif. Circulationem ſanguinis agnoviſſe demonſtrat *Baſius* in Diction. Art. Cæſalpin. Edidit Quæſtionum Peripateticarum Libros V. quod adgreſſus *Nic. Taurellus* in Libr. Alpes Cæſæ, hoc eſt, *Andr. Cæſalpini* monſtroſa dogmata diſcuſſa & excuſſa. ib. *Bæl.*

(t) *Claudius Berigardus*, Molini natus, ſæc. XVII. floruit, Piſis & Patav. Philoſophiam docuit, & *Dubitationes Galilæi Lyncii*, it. *Circulum Piſanum*, *ſ. Opus de Veteri & Peripatetica Philoſophia in Ariſtotelis Libros Phyſicorum*, edidit.

(u) *Gabr. Naudæus*, *Pariſienſis*, A. 1600. d. 2. Febr. natus, A. 1653. d. 29. Jul. Abbavillæ ad plures ivit. Vir erat omnibus litterarum ornamentis excultus. Scripta ejus recenſentur in *Cel. Jœcheri gelehrtem Lexico* ſub Tit. NAUDÆUS. Naudæana & Patiniana primum Pariſ. 1701. in 12. prodiere, ſed emendatius Amſt. 1702. in 12.

cam, exſtinxiſſe videtur, aut certe cum eadem permixta fuit: ac fieri poteſt, ut Atomiſtæ quidam reperiantur, qui, ſi tempora permitterent, ab Averroiſtarum dogmate non abhorrerent: verum abuſus hic moleſtus eſſe nequaquam debet iis, quæ in Philoſophia corpuſculari bona ſunt, quæque cum iis, quæ in *Platone* atque *Ariſtotele* ſolida inveniuntur, commodiſſime conciliari queunt, ut cum vera Theologia utraque conſiſtant.

12. Reformatores, ac *Lutherus* præcipue, quemadmodum ſupra jam notavi, locuti quandoque ſunt, quaſi Philoſophiam omnino rejecerint, Fideique inimicam eſſe judicaverint. Sed, ſi res probe perpendatur, adparet, *Lutherum* Philoſophiæ nomine nihil aliud intelligere, quam id, quod ordinario Naturæ curſui conſentaneum eſt, aut forſitan id, quod in Scholis docebatur; veluti dum dicit, ſecundum Philoſophiam, hoc eſt, ſecundum ordinem Naturæ, fieri non poſſe, ut Verbum caro fiat; & dum adſerit præterea, id, quod in Phyſica verum eſt, in Ethica falſum eſſe poſſe. *Ariſtotelem* ira ipſius potiſſimum petebat, ita ut jam ab Anno MDXVI. quo de reformatione Eccleſiæ nihildum cogitabat, repurgandæ Philoſophiæ conſilium cepiſſet. Sed mitiora deinceps idem ſenſit, & *Ariſtotelem* ejuſque Ethicam in Apologia Auguſtanæ Confeſſionis laudari paſſus eſt (x). *Melanchthon*, Vir ingenii ſolidi & moderati, variarum Philoſophiæ partium Syſtemata parva condidit, ad Revelationem adcommodata, inque vita civili idonea, quæ etiamnum legi mereantur. Poſt hunc in ſcenam prodiit *Petrus Ramus* (y) multos in Philoſophia ſectatores nactus; ſecta Ramiſtarum in Germania admodum viguit; a Proteſtantibus inprimis culta, & ad Theologiam quoque ipſam adhibita, donec Philoſophia corpuſcularis reſuſcitata, Ramiſticam oblitteravit, Peripateticorumque auctoritatem labefactavit.

13. Interim complures Theologi Proteſtantes a Philoſophia Scholaſtica, quæ apud adverſarios regnabat, quam longiſſime poterant, recedentes, eo progrediebantur, ut ſuſpectam ſibi Philoſophiam ipſam contemnerent: quod diſſidium tandem Helmſtadii exarſit æſtu *Danielis Hoffmanni*

(x) In ea nimirum ita *Melanchth.* Audivimus quoſdam pro concione ablegato Evangelio *Ariſtotelis* Ethica enarrare, nec errabant iſti, ſi vera ſunt, quæ defendunt adverſarii. Nam *Ariſtoteles* de Moribus Civilibus adeo ſcripſit erudite, nihil ut de his requirendum ſit amplius. Cæterum de *Lutheri* odio, & *Melanchthonis* amore in *Ariſtotelem* v. *Cel. Theoph. Stolle*, Hiſtor. Litt. P. II. §. LXXXIII. not. c. d. e.

(y) *Petrus Ramus*, A. 1515. natus. Ejus vitam *Joh. Thom. Freigius*, *Theoph. Banoſius* & *Nicol. Nancelius* dederunt. Opera ejus prodierunt Francof. apud *Wechel.* A. 1595. 8. Methodus res per quatuor genera cauſarum, quam amplexabatur, Jure-Conſultis, Philoſophis, & Theologis quam maxime adriſit, quod eorum Diſpp. & Syſtemata demonſtrant. *In Præfatione ad Scholas Metaphyſicas* Theologiam Ariſtotelis impietatem omnium impietatum vocavit; hinc inimicitiæ Peripateticorum, quibus tandem in Nuptiis Pariſ. ſuccubuit.

ni (z), Theologi, cætera eruditi, & qui in Quedlinburgenſi Colloquio, cui una cum *Tilemanno Heshuſio*, *Julii*, Ducis Brunſvicenſis, Concordiæ Formulam reſpuentis, nomine, interfuit, famam alias fuerat conſecutus. Doctor *Hoffmannus*, neſcio quam ob cauſam, in Philoſophiam invectus erat, cum Philoſophorum abuſus reprehendere potius debuiſſet: ſed occurrit illi *Joannes Caſelius* (aa), Vir celebris, quem ejus temporis Principes atque Eruditi diſtinguebant; quin Dux Brunſvicenſis, *Henricus Julius*, (*Julii*, Academiæ fundatoris, filius) rem ipſe ſuo examini ſubjiciens, contra Theologum pronunciavit. Subinde velitationes aliquot eadem in cauſa exortæ, ſed eas æquivocatione ſemper laboraſſe compertum fuit. *Paulus Slevogtius* (bb), celebris Jenæ in Thuringia Profeſſor, cujus relictæ Diſſertationes, quantopere in Philoſophia Scholaſtica, Litteriſque Ebraicis, verſatus fuerit, adhucdum commonſtrant, cum juvenis eſſet, Libellum ediderat ſub indice *Pervigilium*, *de Diſſidio Theologi & Philoſophi in utriuſque principiis fundato*, occaſione Quæſtionis, num Deus ſit peccati cauſa per accidens? At clarum eſt, ſcopum ipſius fuiſſe, oſtendere, Theologos quandoque terminis philoſophicis abuti.

14. Ut ad ea progrediamur, quæ noſtris temporibus acciderunt, ſuccurrit Anno MDCLXVI. cum *Ludovicus Meyerus* (cc), Medicus Amſtelæ-

(z) Hiſtoriam hanc breviter enarrat *B. Buddeus* in Iſag. Hiſtorico - Theol. p. 234. ſqq. *Hoffmannus* nempe Philoſophiam, ceu opus carnis, & ſacris litteris contrarium, damnare cœpit, quam antea ipſemet in magno honore habuit; provocavit etiam in ardore diſputandi ad *Lutherum*, quem infenſum Philoſophiæ Ariſtotelicæ initio fuiſſe, dictum eſt §. anteced. quique inprimis Ethicam *Ariſtotelis* inimicam gratiæ divinæ, ac fovendis Pelagianorum erroribus plane adcommodatam eſſe, exiſtimavit.

(aa) *Jo. Caſelius*, quem recte *B. Buddeus* L. cit. p. 164 magnum quondam elegantiorum literarum in Germania Statorem & Vindicem adpellat, Gœtingæ A. 1553. natus, & deinceps Philoſ. Profeſſ. Heimſtadii, A. 1613. d. 9. April. mortuus eſt. Multa exſtant eruditionis illius monumenta. *Jo. Chr. Kieſevvetter* Partem I. Collectionis Caſelianorum A. 1716. edidit, ſed non continuavit.

(bb) *Paul. Slevogtius*, A. 1596. d. 29. April. natus, Poſſendorffio - Vinarienſis. Jenæ, ubi ſtudiorum ſuorum fundamenta poſuit, A. 1625. LL. Græc. & Hebr. poſt A. 1654. Log. & Met. Prof. factus eſt, ibique diem obiit ſupremum A. 1655. Ultra hoc, quod *Leibnitius* citat, opuſculum, celebrantur illius Diſpp. Philoſ. & Philolog. quas itid. Vir illuſtris comprobat.

(cc) *Magnam*, ait *Buddeus* L. cit. p. 236. conf. p. 1795. *Scholæ Carteſianæ invidiam conflavit Auctor*, Exercitationis paradoxæ: *Philoſophia Scripturæ interpres*; *quem* Lud. Meyerum, *Medicum Amſt. fuiſſe, poſtea innotuit.* Recenſet hinc illius Adverſarios, *Gisbertum Voëtium*, *Sam. Mareſium*, interque Carteſianos, *Abrah. Heidanum*, *Chriſtoph. Wittichium*, *Franciſc. Burmannum*, *Petrum Allingam*, &c. *Dum* vero, pergit, *Lud. Wolzogenius huic certamini acceſſit, rem neutiquam ſerio contra Auctorem Exercitationis paradoxæ egiſſe, viſus eſt, caſtigatus ideo a Jo. van der Wayen*, in Libris tribus de genuina Reformatorum ſententia in negotio de Scripturarum interprete: quibus vero *Wolzogenius* iterum Apologiam, *Orthodoxæ Fides* inſcriptam, oppoſuit.

ſtelædamenſis, Librum, cui titulus, *Philoſophia Scripturæ interpres*, tacito nomine vulgaſſet, (quem plurimi *Spinoſæ*, ipſius familiari, male tribuerunt) commotos fuiſſe Theologos Batavos, enataſque propter eorum adverſus hunc Librum ſcripta controverſias ingentes; multis judicantibus, Carteſianos, dum Philoſophum Anonymum refutant, nimium Philoſophiæ conceſſiſſe. *Joannes Labadius* (dd), (priuſquam a Sacris Reformatorum diſceſſionem feciſſet obtentu quorundam abuſuum, quos in praxin publicam irrepſiſſe ajebat, nec tolerandos eſſe, judicabat) *Wolzogenii* Librum tanquam perniciosſum adgreſſus eſt; ab alio item latere *Vogelſangius* (ee), *van der Wayen*, aliique nonnulli Anti-Coccejani, eundem Librum magna cum acerbitate impugnarunt; ſed adcuſatus coram Synodo cauſam vicit. Exinde in Hollandia increbuere nomina *Theologorum Rationalium* & *Non-rationalium*, quorum ſæpe meminit *Bælius*, tandemque contra Rationales ſe ſtare profitetur; verum regulas certas, utrimque receptas, aut non receptas circa Rationis uſum in explicanda Scriptura Sacra, adhuc conſtitutas fuiſſe, non liquet.

15. Nec multum abfuit, quin Auguſtanæ Confeſſionis Eccleſiæ ſimili turbarentur diſſidio. Quidam in Lipſienſi Academia Artium Magiſtri, dum diſcipulis privatas *de Philologia Sacra* lectiones domi tradebant, more in hac aliiſque nonnullis Academiis recepto, ubi genus iſtud ſtudii Facultas Theologica ſibi non vindicat: hi, inquam, Magiſtri ſtudium ſacrarum Litterarum, ac pietatis exercitium, acrius urgebant, quam alii, idem munus obeuntes, conſueverunt. Dicuntur etiam in quibuſdam rebus modum exceſſiſſe, novitiæque alicujus doctrinæ ſuſpicionem moviſſe: unde *Pietiſtarum*, quaſi novæ ſectæ, nomen ipſis impoſitum, nomen, quod tantos deinceps in Germania motus excitavit, quodque iis, qui arguebantur, vel eſſe ſimulabantur, ſuſpecti de Fanatiſmo, vel ſaltem hypocriſi latente ſub larva reformationis, bene, an male, inditum fuit. Cum itaque nonnulli eorum, qui Magiſtros iſtos frequentabant, rationibus agendi ſe prodidiſſent, quæ offenſioni eſſent, atque inter cætera contemtu Philoſophiæ, cujus prælectiones in Scholis exceptas igni addixiſſe perhibebantur, ipſi Magiſtri Philoſophiam deſpicatui habere exiſtimati ſunt: ſed hanc criminationem egregie diluerunt, nec erroris ullius, aut hæreſeon ſibi impactarum, convinci potuerunt.

16. Quæſtio de uſu Philoſophiæ in Theologia vehementer agitata fuit inter

(dd) *Jo. de Labadie*, A. 1610. d. 13. Febr. natus, & A. 1674. denatus. Secta Labadiſtarum nota eſt. Liber, qui huc pertinet, inſcrib. *Cenſura Libri Wolzogeniani de Interprete Scripturarum.*

(ee) *Reinerus Vogelſangius*, Paſtor & Prof. Daventrienſ. vita functus A. 1679. d. 12. Nov. inter alia ſcripſit, *Juſtam indignationem contra Libellum intitulatum*: Philoſophia S. Scripturæ Interpres; it. *Reſponſionem neceſſariam ad Præf. Lud. Wolzog. de variis ejuſdem fabulis, & ſententia, quæ dicit, Deum poſſe fallere.*

inter Chriſtianos, & cum ad ſingula factus eſt deſcenſus, difficile fuit convenire de limitibus, huic uſui figendis. Trinitatis, Incarnationis, & Euchariſtiæ, Myſteria ampliſſimam diſputationibus anſam præbuere. Recentes Photiniani, priora duo Myſteria impugnantes, certis quibuſdam effatis philoſophicis utebantur, quæ *Andreas Keslerus*, Confeſſionis Auguſtanæ Theologus, in compendio exhibuit in variis, quos de Philoſophia Sociniana edidit, Tractatibus (ff). Quod vero illorum Metaphyſicam adtinet, ea ex lectione *Chriſtophori Stegmanni* (gg), Sociniani, necdum editæ Metaphyſicæ, melius cognoſcitur; eam vidi juvenis, & nuper mecum iterum communicata eſt.

17. *Calovius* (hh) & *Scherzerus* (ii), Auctores in Philoſophia Scholaſtica verſatiſſimi, aliique complures eruditi Theologi, Socinianis prolixe reſponderunt, ac ſæpe feliciter; minime contenti reſponſa dare generalia, nimis jaculatoria, quæ adverſus illos vulgo adhibebantur, nempe: Axiomata, quæ jactant, bona quidem eſſe in Philoſophia, at non item in Theologia; eſſe hoc vitium Heterogeneitatis, quod μετάβασις εἰς ἄλλο γένος adpellatur, ubi ad res, Rationem ſupergreſſas, adplicantur; Philoſophiam Theologiæ debere ancillari, non dominari, quod olim *Robertus Baronius* Scotus cavit in fronte Libri ſui, cui titulus: *Philoſophia Theologiæ ancillans.* Denique eſſe *Hagarem* quandam prope *Saram*, iſtamque cum *Iſmaële* ſuo foras pellendam, ſi heræ imperium detrectet. Hæc reſponſa nonnihil utique boni habent: ſed, cum iis abuti, infauſtoque ſidere veritates naturales veritatibus revelatis opponere, pronum ſit; curæ cordique fuit Eruditis, id, quod in veritatibus naturalibus aut philoſophicis neceſſarium, & omni diſpenſatione ſuperius ſit, ſecernere ab eo, quod hujuſmodi neceſſitate deſtituitur.

18. Partis utriuſque Proteſtantes, ubi Socinianos debellare mens eſt, ſatis inter ſe conveniunt: &, quoniam Philoſophia horumce Sectariorum non eſt adcuratiſſima, eos ſæpe feliciter profligarunt. At iidem Proteſtantes

(ff) *Andreas Keslerus*, *Coburgenſ.* A. 1595. d. 17. Jul. natus, & ibid. A. 1643. d. 15. Maj. mortuus, inter alia edidit *Examen Phyſicæ, Metaphyſicæ & Logicæ Photinianæ.*

(gg) *Chriſtoph. Stegmannus*, Socin. junior erat frater famigerat. *Joach. Stegmanni*, in exilio Claudiopoli A. 1632. vita functi. Scripſit iſte *Dyadem Philoſophicam.*

(hh) *Abrah. Calovius*, Morungo-Boruſſ. A. 1612. d. 16. Apr. natus, & A. 1686. d. 20. Febr. Vitebergæ mortuus, ut Theol. Prof. Uſum Philoſophiæ in Theologia oſtendit *Metaphyſica ſua exemplari*; contra Socinianos fortiter ſtetit, ut illius *Sociniſmus profligatus*, aliique Libri plurimi, teſtantur. *Buddeus* L. cit. p. 1355. *Inter Abrah. Calovii Scripta*, ait, *ea, quæ Socinianis oppoſuit, Eruditis maximo in pretio ſunt, & reliquis omnibus a quibuſdam præferuntur.*

(ii) *Jo. Adam. Scherzerus*, A. 1628. d. 1. Aug. Egræ in Bohemia natus; *Hülſemanni* Diſcipulus, & Lipſiæ Theol. Prof. factus, A. 1683. d. 23. Dec. e vita diſceſſit. Nota ſunt illius Scripta, uti *Manuale Philoſophicum*, *Collegium Anti-Socin.* &c.

ſtantes in materia de Sacramento Euchariſtiæ digladiantur, dum ii, qui ſe *Reformatos* dicunt, (hoc eſt, qui in hoc *Zvvinglium* (kk) potius, quam *Calvinum* (ll), ſequuntur) participationem Corporis Jeſu Chriſti in Sacra Cœna ad nudam repræſentationem ſymbolicam reducere viſi ſunt, adhibito Axiomate Philoſophico, quo ſtatuitur, idem corpus non poſſe ſimul eſſe in duobus locis: contra *Evangelici* (ſtrictius ita nominati, ut a Reformatis diſtinguantur,) ſenſui litterali magis inhærentes, participationem hanc eſſe realem, & myſterium ſupra naturæ vires ibi latere, cum *Luthero* judicarunt. Dogma Tranſubſtantiationis rejiciunt illi quidem, quod minus fundatum illud in Textu eſſe exiſtimant; nec magis tamen Conſubſtantiationem, aut Impanationem, probant, quæ non, niſi ex mala ſuæ doctrinæ intelligentia, ipſis imputari poteſt; ſiquidem nec Corporis Jeſu Chriſti incluſionem in pane admittunt, nec ullam alterius cum altero unionem exigunt; ſed aliquam ſaltem concomitantiam volunt, ita ut hæ duæ ſubſtantiæ ſimul eodemque tempore accipiantur. Credunt, ordinarium verborum Jeſu Chriſti ſignificatum, tempore tam momentoſo prolatorum, quo de ipſius ſuprema voluntate enuncianda agebatur, eſſe retinendum; utque obtineant ſenſum hunc ab omni, quod nos deterrere poſſet, abſurdo immunem eſſe, adſerunt, axioma iſtud philoſophicum, quod exiſtentiam ac participationem corporum ad unicum locum reſtringit, in curſu duntaxat ordinario naturæ valere. Hac ratione ordinariam Corporis Servatoris noſtri præſentiam, qualis corpori quantumvis glorioſiſſimo convenire poteſt, haud deſtruunt. Sed nec ad diffuſionem neſcio quam

(kk) *Huldricus Zvvinglius*, A. 1487. d. 1. Jan. Wildenhuſiæ apud Helvetios natus, A. 1531. d. 11. Oct. in prœlium cum ſuis excitus, interiit. Opera ipſius, Thetica, Polemica, Exegetica & Epiſtolas complectentia, IV. Tomos complerunt.

(ll) *Jo. Calvinus*, Novioduni A. 1509. d. 10. Jul. natus, A. 1564. d. 27. Maj. ad plures migravit. Opera ejus IX. Voluminib. Amſt. 1667. prodierunt. Quomodo vero *Calvinus* a *Zvvinglio* differat, & quam proxime abſit a ſententia Evangelicorum, docet etiam *Leibnitius* in Epiſtola ad *Jo. Fabricium ap. Kortholtum*, T. I. p. 40. ſqq. qui idem in nota * p. 43. ipſa *Calvini* verba, *Leibnitio* inſervientia, protulit in medium. Scil. *Calvinus* ſtatuit etiam realem & ſubſtantialem perceptionem corporis & ſanguinis Chriſti, ſed impios adhæc negat vere corpus & ſanguinem Chriſti ſumere. De Controverſia, quæ *Leibnitium* inter & *Pfaffium*, per ſolam concomitantiam, ab illuſtr. Viro in hoc §. adſertam, realem præſentiam Corporis Chriſti everti, exiſtimantem, conf. Cel. *Canzius*, in U. Ph. L & Wolff. T. I. C. VII. p. 335. n. ff. Expoſuit nimirum is *Pfaffio* mentem ſuam ulterius, & oſtendit, *ſe operationis immediatæ comparatione uti, ita ut veram præſentiam corporis & ſanguinis Domini in Sacramento Euchariſtiæ non excludat, &* unionem *inter rem cœleſtem & terreſtrem negando, non negat earum* conjunctionem *in actu perceptionis, in qua conſiſtit unio ſacramentalis noſtrorum Theologorum, ſed tantum rejiciat vinculum quoddam, ſeu tertium rebus ſuperadditum, quod per unionem ſæpe intelligunt Philoſophi*, &c. Acta Eruditorum Lipſ. 1717. m. Oct. p. 440. Placuerunt hæc Rev. *Pfaffio*, uti eſt Vir veritatis & æquitatis amantiſſimus.

quam ubiquitatis confugiunt, qua fieret, ut illud diſſiparetur, ac nuſpiam eſſet; neque etiam multiplicem aliquorum Scholaſticorum reduplicationem recipiunt, qua fieret, ut corpus idem eodem tempore hic ſederet, & alibi ſtaret. Denique ita ſuam explicant mentem, ut *Calvini*, ſubſtantiæ participationem ſtabilientis, ſententia, multis Eccleſiarum, hujus Auctoris doctrinæ adhærentium, Confeſſionibus Fidei confirmata, non tam procul ab Auguſtana Confeſſione, quam putaſſes, abeſſe, plurimis videatur; & forſitan in hoc ſolum differat, quod ad hanc participationem is, præter oralem Symbolorum receptionem, inſuper veram fidem requirat, atque adeo indignos excludat.

19. Patet ex his, dogma participationis realis & ſubſtantialis (miſſis Scholaſticorum quorundam miris opinionibus) per Analogiam bene intellectam inter *operationem immediatam* & *præſentiam* propugnari poſſe. Et, cum multi Philoſophi cenſuerint, corpus aliquod, etiam in ordine naturæ, operari poſſe in diſtans immediate, in plura ſimul corpora remota, multo cum majore vi rationis autumant, nihil obſtare Omnipotentiæ divinæ, quo minus ea efficiat, ut idem corpus pluribus ſimul corporibus adſit; cum ab actione immediata non longus ſit ad præſentiam trajectus, & fortaſſis altera pendeat ab altera. Novi quidem, naturalem atque immediatam corporis unius in alterum corpus diſtans actionem a Philoſophis nuperis paſſim fuiſſe rejectam, quibuscum & me ſentire fateor. Interim tamen actionem in diſtans excellentiſſimus *Newtonus* in Anglia recenter inſtauravit, ſuſtinens, eam eſſe corporum naturam, ut mutuo ſeſe adtrahant, & alia ſuper alia gravident pro ratione maſſæ ſingulorum, & radiorum adtractionis, quos excipiunt: quo lecto, celeberrimus *Joannes Lockius*, dum *Eduardo Stillingfleetio*, Wigornienſium Epiſcopo, reſponderet, ea ſe recantare profeſſus eſt, quæ in ſuo *de Intellectu Humano Specimine*, Recentiores ſecutus, tradiderat, nempe corpus in corpus aliud immediate agere non poſſe, niſi contactu ſuperficiei, & impulſu motus: agnoſcitque, Deum proprietates materiæ indere poſſe, per quas agat in diſtans. Inde etiam fit, ut Confeſſionis Auguſtanæ Theologi adferant, in poteſtate Dei eſſe, non ſolum ut corpus unum in alia plura corpora, a ſe invicem remota, immediate agat, ſed etiam, ut iis adſit, in ipſiſque recipiatur, at ea ratione, in qua locorum intervalla, ſpatiorumque dimenſiones, locum non habeant. Qui effectus quamvis naturæ vires ſuperet, putant tamen, oſtendi non poſſe, quod idem & Auctoris naturæ potentiam excedat, cui facile ſit, ſancitam a ſe legem abolere, aut ſuſpendere, ſi commodum ipſi videatur; eodem prorſus modo, quo ferrum aquæ innatare juſſerit, & Vim activam ignis in humana corpora cohibuit (mm).

20. Cum

(mm) Totus igitur in eo hic verſatur Vir Ill. ut Theſin Evangelicorum, *corpus poſſe eſſe omnipræſens*, quam ideo Reformati negant, quod contradictoriam eam eſſe cenſent

20. Cum *Nicolai Vedelii Rationale Theologicum* cum *Joannis Muſæi* (nn) confutatione contuliſſem, comperi, duos hoſce Auctores, quorum alter, poſtquam Genevæ docuiſſet, Franeckeræ Profeſſor deceſſit, alter Jenæ primam Theologiæ cathedram tandem obtinuit, fere conſpirare in regulis præcipuis, uſum Rationis ſpectantibus, ſed in adplicatione iſtarum regularum a ſe invicem diſcedere. Conſentiunt namque, Revelationem contrariam eſſe non poſſe veritatibus, quarum neceſſitas *Logica*, vel *Metaphyſica*, à Philoſophis adpellatur, hoc eſt, quarum oppoſitum contradictionem involvit, & ambo præterea admittunt, Revelationem poſſe repugnare axiomatis, quorum neceſſitas *Phyſica* vocatur, quæ tantum in legibus, a divina voluntate naturæ præſcriptis, fundatur. Quæſtio igitur, num idem corpus pluribus ſimul locis ſupernaturaliter adeſſe poſſit, ad ſolam regulæ adplicationem pertinet; & ad hanc quæſtionem, via demonſtrationis Ratione dirimendam, adcurate explicandum eſſet, in quo eſſentia corporis conſiſtat. Inter ipſos Reformatos non una omnibus ea de re ſententia eſt: Carteſiani eam in extenſione ſola collocant; at repugnant eorum adverſarii; &, ni fallor, obſervavi, etiam de jactata illa plurium ejuſdem corporis locorum impoſſibilitate, *Gisbertum Voetium*, celebrem Theologum Ultrajectinum, dubitaſſe.

21. Adhæc, licet pars utraque Proteſtantium diſtinguendas eſſe duas iſtas neceſſitatis ſpecies, jam a me indicatas, fateatur, ſcilicet neceſſitatem Metaphyſicam ac neceſſitatem Phyſicam; & priorem quidem nullius, ne in myſteriis quidem ipſis, exceptionis patientem eſſe poſſe; necdum tamen conſenſere ſatis in regulas interpretandi, ex quibus ſtatui poſſit, quando litteram deſerere liceat, etiam tunc, cum haud adparet, eam veritatibus metaphyſice neceſſariis adverſari: convenit enim inter omnes, dari caſus, in quibus rejicienda ſit litteralis interpretatio, licet abſolute non ſit impoſſibilis, cum ſcilicet aliunde parum congrua eſſe dignoſcitur. Exempli gratia, Interpretes omnes conſentiunt, Soſpitatorem noſtrum, cum diceret, *Herodem* eſſe vulpem, id metaphorice intellexiſſe, & hoc profecto dicendum eſt, niſi cum Fanaticis quibuſdam fingere velis, ad breve momentum, dum hæc verba Salvator efferebat, *Herodem* reapſe in vulpem mutatum fuiſſe. Verum alia res eſt in Textibus, quibus Myſteria præcipue innituntur, in quibus Auguſtanæ Confeſſionis Theologi inhærendam eſſe litterali ſenſui judicant: enimvero, quoniam hæc diſcuſſio ad

ſent, ab omni contradictionis imputatione liberet; inque hoc agit, ut Philoſophus, cujus eſt ex ratione oſtendere, num aliquod dogma rationi contradicat, ubi generalis propoſitio, *Theologiam non eſſe contra Rationem*, ad ſpeciales caſus adplicari debet. V. Cl. *Kortholtum*, fuſius *Leibnitium* tuentem, in Ep. cit. p. 46. ipſumque ill. Virum §. ſeq.

(nn) Liber *Jo. Muſæi*, quem ſummopere commendat *Buddeus* L. cit. p. 1240. inſcriptus: *De Uſu Principiorum Rationis & Philoſophiæ in Controverſiis Theologicis, contra* Nicolaum Vedelium.

ad artem interpretandi potius, quam ad forum Logicum, pertinet, ea ſuperſedebimus, utpote commune nihil habente cum nuper exortis de conformitate Fidei cum Ratione controverſiis.

22. Omnium, opinor, partium Theologi, (ſi diſceſſeris a ſolis Fanaticis) ſaltem conveniunt, nullum Fidei articulum involvere poſſe contradictionem, aut demonſtrationibus, Mathematicas certitudine æquantibus adverſari; ubi videlicet oppoſitum concluſionis *ad abſurdum*, hoc eſt, ad contradictionem deduci poteſt: ut proinde *S. Athanaſius* jure meritoque irriſerit nugas quorundam ſui ævi Auctorum, Deum ſine paſſione paſſum eſſe, dictitantium. *Paſſus eſt impaſſibiliter. O ludicram doctrinam, ædificantem ſimul & demolientem!* Unde ſequitur, nimiam eſſe facilitatem quorundam Scriptorum, concedentium, Sanctam Trinitatem repugnare grandi iſti principio, quod effert, quæ ſunt eadem uni tertio, eadem etiam eſſe inter ſe, hoc eſt, ſi A ſit idem cum B, & C ſit idem cum B, neceſſe eſſe, ut A & C ſint quoque eadem inter ſe. Hoc namque principium immediate conſequitur ex principio illo contradictionis, eſtque totius Logicæ baſis atque fundamentum; id ſi ceſſat, ratiocinandi cum certitudine via nulla ſupereſt. Itaque cum dicitur, quod Pater ſit Deus, quod Filius ſit Deus, & quod Spiritus Sanctus ſit Deus, & quod tamen unicus tantum ſit Deus, quamvis hæ tres perſonæ inter ſe diverſæ ſint; judicandum eſt, hanc vocem, *Deus*, non eandem utrobique, & in initio, & in fine, ſignificationem obtinere. Et certe, jam ſubſtantiam divinam, jam unam Deitatis perſonam ſignificat (oo). In univerſum igitur pronunciari debet, cavendum nobis eſſe, ne, veritates neceſſarias atque æternas ad tuenda Myſteria deſerentes, hoſtibus Religionis anſam exhibeamus, Religionem ac Myſteria ipſa explodendi.

23. Uſitata diſtinctio inter ea, quæ ſunt *ſupra Rationem*, & ea, quæ ſunt *contra Rationem*, ſatis congruit cum eo diſcrimine, quo paullo ante duo neceſſitatis genera inſignivimus. Nam id, quod contra Rationem eſt, veritatibus abſolute certis, & omni exceptione majoribus, adverſatur; at id, quod ſupra Rationem eſt, cum iis ſolum pugnat, quæ experiri aut intelligere conſuevimus. Quare miror, dari nonnullos, haudquaquam obeſæ naris homines, qui hanc diſtinctionem impugnare non dubitent, interque eorum claſſem ipſum conſpici *Bælium*. Ea profecto optimis fundamentis innititur. Veritas ſupra Rationem eſt, quæ a noſtra mente (immo ab ulla mente creata) comprehendi nequit: hujuſque ordinis, ſecundum meam ſententiam, eſt Sancta Trinitas, & miracula, ſoli

(oo) Similem objectionem, a *Polycarp. Lyſero* in Adparatu Litterario ex Societ. Colligentium, collect. I. Viteb. 1717. p. 212. adlatam, qua dicitur, Myſterium SS. Trinitatis adverſari Canoni: *Pars non poteſt eſſe æqualis toti*, removit *Cl. Carpovius* in Tr. de SS. Trinitate, eodem, quo Vir ill. modo, p. 191. 192. ed. Ien. 1735.

ſoli Deo propria, veluti, verbi gratia, Creatio, item Electio ordinis univerſi, ab harmonia univerſali, ac diſtincta rerum ſimul infinitarum cognitione dependens. At veritas nulla unquam contra Rationem eſſe poteſt, & dogma, a Ratione expugnatum & devictum, incomprehenſibile adeo non eſt, ut potius ejus abſurditas facillime comprehendi, atque evidentiſſima eſſe, dicenda ſit. Ut enim ſtatim ab initio obſervavi, hic RATIONIS nomine non hominum opiniones ac ratiocinia, nec ipſe adeo habitus, quo de rebus juxta ordinarium naturæ curſum ferre judicium ſolemus, ſed inviolabilis veritatum catena intelligitur (pp).

24. Nunc ad magnam illam quæſtionem nos accingamus, quam haud ita longe *Bælius* excitavit, utrum ſcilicet veritas aliqua, præſertim veritas aliqua Fidei, objectionibus, ſolutionem nullam admittentibus, eſſe poſſit obnoxia. Adfirmat hoc Vir præſtans ſine omni dubitatione; citat Theologos graves Reformatos, immo & Romanos, idem cum ipſo ſentientes; adducit quoque Philoſophos, qui veritates etiam philoſophicas nonnullas dari cenſuerunt, quarum defenſores argumentis contrariis ſatis quod eſt, facere non poſſint. Hujus naturæ doctrinam de *Prædeſtinatione* in Theologia eſſe putat, & in Philoſophia compoſitionem *Continui.* Et revera ambo hi Labyrinthi ſunt Theologorum ac Philoſophorum, qui omnis ætatis Theologos atque Philoſophos divexarunt. *Libertus Fromondus* (qq), Lovanienſis Theologus, (ſingularis Janſenii (rr) amicus, cujus & opus poſthumum, *Auguſtini* nomine inſignitum, evulgavit,) qui non in doctrina ſolum de Gratia multus fuit, ſed Librum etiam edidit, inſcriptum, *Labyrinthus de Compoſitione Continui*, utriuſque partis difficultates gnaviter

(pp) Conf. hic *Ill. Bilfingeri* Diſſ. *de Cultu Dei rationali*, 1731. *Tub. ed.* ubi p. 7. obſervat, fide Concordantiarum *Agricolæ* eſſe in Verſ. *B. Lutheri* 70. loca, quibus *Ratio* cum derivatis ſuis in bonam partem dicitur; in malam hæc pauca, 2. Cor. 10. 5. Eph. 2. 3. Col. 1. 21. it. 2. 4. ex omnibus vero his locum nullum eſſe, qui ſignificationem reſpuat, qua *Ratio* dicitur *facultas rerum nexus perſpiciendi;* modo memineris, ubi in malam accipitur partem ratio, vel ratiocinationes potius, ibi nexum intelligi, ſed adparentem tantum, ut Col. 2. 4. *&c.*

(qq) *Libertus Fromondus*, A. 1587. d. 6. Sept. natus; primum Antwerpiæ Philoſophiam, poſt Lovanii Oratoriam & Theologiam profeſſus eſt. Locum habet inter inſignes ſui temporis Phil. & Mathematicos.

(rr) *Cornelius Janſenius*, Epiſcopus Yprenſis, A. 1585. d. 28. Oct. Lerdam. ap. Batavos natus, & A. 1638. d. 6. Maj. ex peſte mortuus, a quo Janſeniſtæ nomen. Diſtinguendus hic ab altero *Corn. Janſenio*, Epiſcopo Gandavenſi, ob Comment. in Concordiam & totam Hiſtoriam Evangelicam, aliaque ſcripta, famam adepto. Is in Libro, quem citat Vir. ill. viginti annos conſumſiſſe, noviesque lectionem Operum *Auguſtini* repetiiſſe dicitur. Inſigne fuit flagellum Jeſuitarum. *Lib. Fromondus* defendit illum etiam contra *Giſberti Voëtii* Librum: *Deſperata cauſa Papatus*, Janſenio A. 1635. oppoſitum, *Criſin* in illum edens A. 1636. V. *Leydeckeri Hiſtoria Janſeniſmi.*

gnaviter oſtendit; famoſus autem *Ochinus* (ss) luculenter expreſſit id, quod vocat *Labyrinthos Prædeſtinationis*.

25. Verum iſti Auctores nequaquam iverunt inficias, Labyrintho huic filum quoddam Ariadnæum inveniri poſſe; rem eſſe difficilem agnoverunt, ſed ex difficultate impoſſibilitatem haud collegerunt. Equidem fateor, mihi non poſſe probari ſententiam eorum, qui veritatem aliquam objectionibus vinci neſciis laborare poſſe contendunt: nam quid aliud eſt *objectio*, quam argumentum, cujus concluſio Theſi noſtræ contradicit? Argumentum vero inſuperabile nonne *demonſtratio* eſt? At quo pacto demonſtrationis vim certitudinemque cognoſcemus, niſi ſollicite expenſo, tam quoad formam, quam quoad materiam, argumento? ut pateſcat, num forma ſit legitima, deinde num præmiſſarum utraque per ſe nobis nota ſit, an vero alio ejuſdem roboris argumento fulta, donec tandem ad ſolas præmiſſas per ſe notas deveniatur. Quodſi nunc ejuſmodi objectio contra Theſin noſtram militat, dicendum eſt, facultatem hujus Theſis eſſe demonſtratam, fierique nullatenus poſſe, ut rationes, ad eam probandam ſufficientes, habeamus; alias duæ propoſitiones contradictoriæ ſimul eſſent veræ. Demonſtrationibus ſemper cedendum eſt, ſive pro Theſi rationem, ſive contra Theſin objectionum inſtar adducantur. Et iniquum eſt, minuſque proficuum, velle rationes adverſariorum infirmare eo nomine, quod tantum objectiones ſint; quandoquidem idem adverſario jus competit, qui abrogare nomina poteſt, ac ſua quidem argumenta *probationum* condecorare titulo, noſtra vero contemtibili *objectionum* adpellatione deprimere.

26. Alia quæſtio eſt, an ſemper objectiones, quæ nobis adferri poſſint, examinare, & aliquam ob noſtram ſententiam dubitationem alere teneamur, quod adpellant *Formidinem Oppoſiti*, donec earum robur exploraverimus. Audeo dicere, neceſſe id non eſſe; nam alioqui nunquam ad certitudinem perveniri poſſet, concluſioque noſtra ſemper fiduciaria foret: credo etiam, Geometras inſignes *Joſephi Scaligeri* contra *Archimedem* (tt), & *Thomæ Hobbeſii* (uu) contra *Euclidem*, objectiones

 parum

(ss) *Bernhardinus Ochinus*, Italus, A. 1487. Senæ natus, A. 1542. cum *Petro Martyre*, ob *Lutheri* dogmata, transfugiens, Genevam petiit. A. 1555. Tiguri Eccleſiæ Italicæ Paſtor factus, ſed A. 1563. abire hinc coactus eſt ob editos *Dialogos triginta, quorum primus eſt de Meſſia, &c.* a *Seb. Caſtalione* ex Ital. in Latinam linguam translatos, in quibus Polygamiam defendere auſus eſt. Ab hoc tempore ad Socinianos tranſiiſſe creditur, in Poloniam ſe recipiens, & expulſus hinc, in Moravia A. 1564. Slaucoviæ, ſeptuagenario major, vivere deſiit.

(tt) Librum *Archimedis de Circuli dimenſione*, (Κυκλȣ μετϱησις) immerito reprehendit *Joſ. Scaliger* in *duobus Elementorum Geometricorum Libris*, Lugd. Bat. 1594. fol. Vindicavit *Archimedem Adrianus Romanus* in *Apologia pro Archimede, & Exercitationibus Cyclicis contra Scaligerum, Orontium Finæum, & Raymarum Urſinum, in decem dialogos diſtrib. Würceburgi*, 1597. *fol.*

(uu) *Thomas Hobbeſius*, Malmesburienſ. natus

parum morari propterea quod de perceptis ſemel demonſtrationibus certiſſimi ſunt. Juvat interim, quandoque hominum genio indulgere, & quaſdam objectiones ſubjicere calculo; nam præterquam quod id aliis ab errore ſuo revocandis inſerviat, fieri etiam poteſt, ut nobiſmet ipſis frugi ſit; Paralogiſmi namque, non ſine ſpecie prolati, viam ad alia, utilem plerumque, monſtrant, & ad ſuperandas quaſdam difficultates haud contemnendas ducunt. Quapropter ego quidem amavi ſemper objectiones, ingenium ſpirantes, adverſus meas ipſius ſententias, neque illas unquam ſine emolumento expendi: cujuſmodi ſunt eæ, quas alias *Bælius* contra meum Syſtema Harmoniæ Præſtabilitæ in medium protulit, ut taceam, quæ *Antonius Arnaldus*, Abbas *Foucherius*, & Pater *Lamius*, Benedictinus, eadem in palæſtra objecere. Verum, ut ad controverſiæ caput revertar, ex jam adductis colligo, omni contra veritatem motæ objectioni ſemper, quantum ſatis eſt, reſponderi poſſe.

27. Nec fortaſſis *Objectiones inſolubiles* ſenſu jam expoſito ipſe *Bælius* accipit, dum eum, ſaltem verbis, variare animadverti: nam in poſthuma ad Clericum reſponſione non largitur, veritatibus Fidei demonſtrationes opponi poſſe. Videtur igitur objectiones invincibiles non reputare, niſi comparate ad captum noſtrum præſentem, immo eodem in reſponſo p. 35. non deſperat, fore, ut latens hucuſque totius nodi extricatio a quoquam aliquando reperiatur. Sed de hoc redibit infra ſermo. Interim ego, quod mirum fortaſſe videbitur, extricationem illam omnem jam eſſe repertam cenſeo, neque eam arbitror difficillimam, ita ut hominem dicam, mediocri ingenio præditum, ſi adtendendi facultatem poſſideat, & Logicæ vulgaris regulas adcurate ſervet, objectioni cuivis, contra veritatem motæ, etiam moleſtiſſimæ, ſi ex ſola Ratione depromta ſit, & pro demonſtratione venditetur, reſpondere poſſe. Quicquid enim contra Logicam *Ariſtotelis* ſentiat declametque vulgus Recentiorum, in ea tamen exploratiſſimam erroribus hujuſmodi occurrendi viam oſtendi fatendum eſt (xx). Nam ſi tantum exputetur argumentum ad

natus A. 1588. d. 5. Apr. mortuus d. 4. Dec. 1679. v. *Bælii* Diction. ubi ad not. D. ex vita *Hobbeſii* refertur: *Dolendum nobile hoc ingenium eodem, quo & magnum Scaligerum infortunio, laboraſſe, quod Mathematicis ſtudiis... ſerius paullo animum adjecit.* Annos nempe plus quam quadraginta natus.

(xx) Conf. hic omnino *Ill. Bilfingerus*, qui in *Sermone de præcipuis quibuſdam diſcendi Regulis, ex comparatione corporis & animi erutis*, p. 8. n. ** ita infit. „ Data hac occaſione dicam de *Organo* ſententiam: quoniam diverſa adeo fata expertum eſt, ut id hodie penitus negligatur, immo contemnatur, cui explicando olim peculiaris Profeſſor datus eſt in omnibus Academiis. Non dico, ut id denuo reducatur in cathedram; poſtquam alia ſeu ſcientiarum, ſeu diſputationum, facies eſt hodie, ac olim fuit. Sed hoc dico tamen, & fidenter dico, & poſt cauſæ cognitionem. Organon *Ariſtotelis* eſſe Librum in ſuo genere primum, (v. Sophiſt. Elench. c. 34.) & plenum eſſe, & demonſtratum eſſe, & eſſe utilem, & eſſe artificioſiſſimum. “ *&c.*

ad regulas, ſemper obſervari poterit, an peccet in forma, an vero præmiſſas habeat, ſolida ratione nondum probatas.

28. Longe aliter ſe res habet, ſi de mera *veriſimilitudine* agatur; ars enim dijudicandarum rationum veriſimilium necdum ſatis bene ſtabilita eſt, ita ut in hac parte Logica noſtra adhuc valde ſit manca, nobiſque ſola fere ad hoc uſque tempus relinquatur ars dijudicandarum demonſtrationum. Sed ea ars hoc loco ſufficit: nam, cum de Ratione Fidei noſtræ contraria agitur, objectiones, ſola veriſimilitudine contentas, nihil moramur, quia nemo eſt, qui neſciat, Myſteria repugnare adparentibus, ac, ſi tantum ex foro Rationis ſpectentur, nihil habere veriſimile; verum enim vero ſatis eſt, in iis nihil eſſe abſurdi. Igitur ad ea convellenda proferre demonſtrationes tenentur.

29. Ita intelligendum eſt abſque omni dubio monitum Scripturæ, Dei ſapientiam apud homines eſſe ſtultitiam, nec non Apoſtoli dictum, notantis, Evangelium de Jeſu Chriſto eſſe Judæis quidem ſcandalum, Græcis autem ſtultitiam; nam certe veritas veritati contradicere nequit, & lumen Rationis æque Dei munus eſt, atque lumen Revelationis. Hinc apud Theologos, ſuo muneri pares, extra aleam omnem poſitum eſt, *per motiva credibilitatis*, coram tribunali Rationis, ſemel omnino comprobari auctoritatem Scripturæ Sacræ, ita ut Ratio ipſi, tanquam luci novæ, locum cedat, omneſque ſuas veriſimilitudines conſecret (yy). Ad eum fere modum, quo Præfectus novus, a Principe miſſus, diploma ſuum exhibere ſemel debet conſeſſui, cui poſtea præfuturus eſt. Atque huc tendunt complures boni Libri, de Veritate Religionis evulgati, ut ſunt *Auguſtini Steuchi* (zz), *Pleſſiaci Mornæi* (aaa), vel *Grotii* (bbb): nam

L 3 eam

(yy) Materiam hanc; ut & ſimile, quod ſequitur, ulterius illuſtrat *Cel. Canzius in U. P. L. & W. T. I. §. 16. Diſc. Prælim. Cap. II.*

(zz) *Auguſtinus Steuchus*, Eugubinus ab urbe Gubio, ubi circa A. 1540. natus, varia ſcripſit, inter quæ eminet Opus *de perenni Philoſophia*, in quo omnium fere ſectarum dogmata, ad Theologiam naturalem ſpectantia, excutit, eaque cum Chriſtianis in præcipuis capitibus conſentire, demonſtrare adnititur, uti ait *Buddeus* in Iſag. p. 287. conf. p. 224. Opera ejus omnia Pariſ. 1577. prodierunt, haud longe poſt Auctoris obitum.

(aaa) *Phil. Mornæi de Pleſſis* Lib. *de Veritate Chriſtianæ Religionis, adv. Atheos, Epicureos, Ethnicos, Judæos, Mohammediſtas, & ceteros Infideles*, in omnium fere manibus verſatur, Gallice primum ſcriptus, ſed poſtmodum ab ipſo Auctore in linguam Latinam translatus. Inſignis ejus ed. eſt *Jo. Frid. Breithauptii*, Ienæ Anno 1696. in 4. emiſſa. Patriam habuit Vir ill. Buhy, ubi 1549. d. 5. Nov. lucem adſpexit, A. 1623. d. 11. Nov. in agro Foreſtiano vivere deſiit. Prodiit Lugduni Bat. A. 1647. ipſius Vita ſub Tit. *Hiſtoire de la Vie de Phil. Mornay.* Multa ſingularia de eo habet *Magnus Cruſius* in Singularibus Pleſſiacis, ubi etiam p. 263. de iniquo *Huetii* judicio, *Mornæo* moleſto, agitur.

(bbb) Eximius *Hug. Grotii* Liber *de Veritate Chriſtianæ Religionis*, in omnium ore eſt. Inſignis ejus ed. eſt *Jo. Chriſtoph. Kœcheri*, Ienæ 1726. in 8. Natus eſt Delphis A. 1583. d. 10. Apr. mortuus Roſtochii A. 1645. d. 18. Aug. Epitaphium, quod ipſe ſibi

eam characteribus quibuſdam oportet inſignitam eſſe, quibus falſæ Religiones careant: alias *Zoroaſter*, *Brama* (ccc), *Somonacodom* (ddd), & *Mahomet*, parem cum *Moſe* & *Jeſu Chriſto* fidem merebuntur. Interim tamen Fides ipſa divina, ſi quando menti adfulſerit, aliquid, plus quam opinionem, adfert, nec ab occaſionibus, vel motivis impellentibus, iiſque præviis, dependet, aut robur ſuum ab illis mutuatur; ultra intellectum ea progreſſa, voluntatem & cor occupat, ut nos ardentes & lubentes efficiat ad agendum Legi divinæ conformiter, nec amplius neceſſe ſit rationes curare, aut ratiociniorum, quæ menti objici poſſunt, difficultatibus immorari.

30. Ea igitur, quæ de Ratione humana jam dicta ſunt, quam nunc hi extollunt, nunc illi viciſſim de gradu ſuo dejiciunt, & utrique ſæpe ſine lege modoque, palam faciunt, quanta ſit noſtra incuria, quamque merito noſtri nobis errores imputentur. Nihil eſſet tam pronum, quam his, Rationis ac Fidei jura ſpectantibus, controverſiis, finem imponere, ſi modo homines tritiſſimis Logicæ regulis uti, & tantilla cum adtentione animi ratiocinari vellent. Non habita vero hujus rei ratione ulla, obliquis ambiguiſque locutionibus ſeſe implicant, quæ perbellum ipſis declamitandi campum aperiunt, quo ingenium atque eruditionem ſuam oſtentent: cum contra nudæ veritatis conſpectum uſurpare eos tædeat, forte an quia illam errore ipſo ingratiorem fore verentur; dum nempe Auctoris rerum omnium, qui Veritatis fons eſt, pulchritudinem haud agnoſcunt.

31. Neglectus iſte commune toti humano generi vitium eſt, nec ulli ſingulatim exprobrandum. *Abundamus dulcibus vitiis*, uti de ſtilo *Senecæ Quintilianus* dicebat, erroribuſque noſtris oblectamur. Cura diligentior angit nos, & regulas ad pueros ablegamus. Hinc Logica vulgaris (quæ tamen ad ratiocinationum, certitudinem quærentium, examen pene ſufficit,) ad puerorum ſcholas detruditur: de illa autem arte, quæ probabilitates ponderare debet, gravioribus deliberationibus tantopere neceſſaria, ne cogitatum quidem eſt. Adeo verum eſt, errores noſtros ex artis cogitandi contemtu vel defectu plerumque proficiſci; nihil enim imperfectius Logica noſtra memineris, cum ultra argumenta neceſſaria ſit progreſſus; & præſtantiſſimi noſtræ ætatis Philoſophi, quales ſunt Auctor,

ſibi condidit, hoc eſt:

Grotius hic Hugo eſt, Batavum captivus & exul,
Legatus Regni, Suedia magna, tui.

(ccc) *Brachmanes Indoſtan.* ait *Bælius* in Diction. *habent libros antiquiſſimos, quos ſacros vocant, quoſque a Deo communicatos fuiſſe jactitant cum magno Propheta BRAHMA.*

(ddd) *Bælius* in Diction. *SOMMONACODOM. Ita Siamenſes hominem vocant ſingularis ordinis, quem ad ſummam felicitatem adſcendiſſe credunt. P. Tachard*, ib. addit, vocat *eum SOMMONOKHODOM, Deumque eſſe dicit, quem hodie Siamenſes adorant.*

Auctor, qui Artem cogitandi (eee), Inveſtigationem Veritatis (fff), & Specimen de Intellectu humano (ggg), dederunt, longiſſime adhuc abſunt a detectione viarum rectarum, quæ adjumento eſſe poſſent facultati, cujus foret oſtendere, qui veri & falſi *adparentiæ ponderandæ*: ut ſilentio premam *Artem inveniendi*, ad quam difficilior adhuc acceſſus eſt, & cujus in Mathematicis diſciplinis non niſi ſatis imperfecta exſtant prototypa.

32. Inter cauſas, quibus adductus fuit *Bælius*, ut crederet, difficultatibus Rationis contra Fidem ſatisfieri non poſſe, haud poſtrema fuit, quod exigere videtur, ut Deus eo modo a culpa expurgetur, quo hominis adcuſati cauſa in foro humano tractari ſolet. Scilicet ipſi non ſuccurrebat, humana tribunalia, quæ ſemper ad veritatem pertingere nequeant, ſæpe indiciis, atque rebus *veriſimilibus*, inprimiſque *præſumtionibus*, vel *præjudiciis*, acquieſcere debere; cum contra conſenſus ſit, quod jam ſupra notavimus, myſteria veriſimilia non eſſe. Exempli gratia, non vult *Bælius* Dei bonitatem in permiſſione peccati ſalvari poſſe, quia veriſimilitudo adverſus hominem ſtaret, in iſto caſu poſitum, qui ſimilis huic permiſſioni nobis videretur. Prævidet Deus *Evam* a ſerpente fallendam, ſi eam in circumſtantiis illis, in quibus deinceps ſuccubuit, collocetur; & tamen eam illis expoſuit. Jam ſi filium pater, ſi tutor pupillum, ſi amicus puellam, fidei ſuæ concreditam, hoc pacto curaret, non acquieſceret Judex, excuſante reum Advocato, quod tantum permiſiſſet malum, non feciſſet, neque voluiſſet: immo vero hanc ipſam ejus permiſſionem, malæ voluntatis indicium interpretaretur, & pro peccato omiſſionis haberet, quo peccati commiſſionis alieni complicibus accenſeretur.

33. Enimvero conſiderandum eſt, qui malum prævidet, nec impedivit, quamvis facile impedire potuiſſe videatur, immo etiam, qui aliqua fecit, quæ id redderent perpetratu facilius, non inde *neceſſario* facinoris complicem reddi; præſumtio ſolummodo eſt, fortiſſima illa quidem, quæ,

(eee) Auctor *Artis cogitandi* ſitne *Arnaldus*, uti *Leibnitius* putat, an *Petrus Nicolius*, ut alii, an vero *Le Bon*, ut *Bælius* & *Menagiana* p. 141. volunt, dubitatur. *Leibnitii* ſententia confirmatur in *Hiſtoire abrégée de la vie & des ouvrages de Mr. Arnauld*, p. 147. *Ill. Bilfingerus* in Sermone ad §. 27. cit. p. 8 - 10. *Demonſtravit* Ariſtoteles *ſua in Organo*, *veriſſima Logices adpellatione. Atque hunc primus, quod ſciam*, Auctor Artis cogitandi *excipit*, *non ſane proximus*, ſive ætatem ſpectes, ſive ſeriem ſcriptorum. Conf. *Budd.* Iſag. p. 245.

(fff) Auctor illius eſt *Nicol. Malebranche*, qui natus Pariſ. 1638. d. 8. Aug. mortuus, 1715. d. 13. Oct. Liber *de inquirenda veritate*, Gallice ſcriptus, ſæpius editus, & in Linguam quoque Latinam a Cel. *Lenfant* translatus eſt. Conf. Cel. *Stolle* Hiſt. Litt. T. II. §. XXVI. & not. *u*, *vv*.

(ggg) Auctor *Speciminis hujus* eſt *Jo. Lockius*, v. ſupr. §. 19. Natus Vir eſt A. 1632. denatus A. 1704. d. 28. Oct. ſt. vet. V. de hoc Scripto *Cel. Stolle* Hiſt. Litt. T. II. §. XXXIV. & not. *x*, *y*. it. *B. Budd.* Iſ. p. 246.

quæ, ut res ſunt humanæ, plerumque veritatis locum obtinet, ſed quæ per adcuratam facti diſcuſſionem aboleretur, ſi ea, quæ Deum ſpectant, ſatis a nobis perſpici poſſent; nam *Præſumptio* apud Jureconſultos vocatur id, quod pro vero debet haberi, quamdiu contrarium non conſtat, dicitque plus multo, quam *Conjectura*, quanquam diſcrimen illud in Academiæ Dictionario ſatis inveſtigatum non ſit. Atqui pro indubitato habere poſſumus, fore, ut ope hujus diſcuſſionis, ſi eo nobis pertingere fas eſſet, intelligeremus, Deum infinite ſapientem juſtiſſimis, ac multo fortioribus, quam quæ ex adverſa parte militabant, rationibus impulſum, ad mali permiſſionem deſcendiſſe, & nonnulla etiam facere debuiſſe, quæ viam ad peccatum redderent faciliorem. Dabimus infra rei quædam exempla.

34. Haud facile patri, tutori, amico, in caſu eandem præ ſe ſpeciem ferente, ſimiles rationes poſſunt ſuppetere. Interim res prorſus impoſſibilis non eſt, & poſſet fortaſſe ingenioſus aliquis fabularum Romanenſium artifex inſolitum quendam comminiſci caſum, qui etiam hominem, his, quæ memoravi, temporibus utentem, ab omni crimine liberaret: ſed in cauſa Dei nihil opus eſt ſingulares rationes excogitare, vel probare, quæ ipſum ad permittendum malum permovere potuerint; rationes namque generales abunde ſufficiunt. Conſtat, curam ipſum gerere totius Univerſi, cujus partes omnes colligatæ ſunt, & exinde etiam concluditur, eundem rerum infinitarum rationem habuiſſe, quarum conſectarium fuerit, ut judicaret incommodum, certa quædam mala impedire.

35. Immo vero dicendum eſt, divinam Sapientiam non potuiſſe non habere maximas, aut potius invictiſſimas, rationes, quibus adductus, malum iſtud mirabile permiſerit, hoc ipſo, quod hæc permiſſio contigit; nihil enim a Deo proficiſci poteſt, niſi quod bonitati, juſtitiæ, ac ſanctitati, ad amuſſim congruat. Itaque ab eventu ipſo, (ſive a *poſteriori*,) colligere quimus, permiſſionem hanc diſpenſationem plane omnem reſpuiſſe, quamvis rationes, Deum huc impellentes, ſigillatim (*a priori*) exhibere non valeamus, quod etiam præſtare ad exculpandum Deum minime neceſſe eſt. Ipſe *Bælius* (Reſp. ad Provincialem, Cap. 165. Tom. 3. p. 1067.) admodum commode, *peccatum*, inquit, *mundo irrepſit, ergo Deus id ſine ſuarum perfectionum detrimento permittere potuit: ab actu ad potentiam valet conſequentia.* In Deo certe valet hæc conſecutio: fecit, ergo bene fecit. In cauſa eſt, non quod generalem juſtitiæ notionem, quæ etiam divinæ convenire poſſit, habeamus nullam: nec quod juſtitia Dei aliis utatur legibus, quam nota hominibus juſtitia; verum quod caſus, de quo agitur, ab iis, qui inter homines contingere ſolent, prorſus diſcrepat. Jus univerſale Deus cum hominibus commune habet; ſed factum, de quo loquimur, prorſus eſt diverſum.

36. Quin & in humanis (quemadmodum jam ſupra notavi, ponere vel

vel fingere poſſumus ſimilia quodammodo caſui, qui in Deo obvius eſt. Poſſet homo aliquis tanta, tamque valida, virtutis ac ſanctitatis ſuæ documenta exhibere, ut ea etiam rationibus quam maxime veriſimilibus, indiciiſque, unde ipſe impacti alicujus criminis, verbi gratia, furti, homicidii, inſimulari poſſet, prævaleant, & tanquam calumniæ, a falſis forte teſtibus ortæ, vel ut inſolitus fortunæ, innocentiſſimos quoſque in ſuſpicionem ſubinde trahentis, ludus, rejici mereantur. Atque ita, quo caſu quivis alius vel capitis, vel (pro vario locorum jure) corporis per tormenta lacerandi diſcrimen adiiſſet, hic homo communi judicum ſuffragio abiturus eſſet abſolutus. In hac ergo facti ſpecie, reapſe quidem rara, ſed non impoſſibili, dici aliquo modo (*ſano ſenſu*) poſſet, eſſe pugnam Rationis cum Fide, ac regulas Juris alias huic homini, alias cæteris conſtitutas. Verùm idem recte explicatum ſignificabit duntaxat, probabilia rationis indicia cedere hoc loco fidei, orationi & probitati magni hujus ac ſancti hominis debitæ: eumque ſingulari ſupra reliquos homines gaudere prærogativa; non quaſi aliam ſibi propriam Juriſprudentiam habeat, aut quaſi, quid illius reſpectu juſtitia ſit, non intelligatur, ſed quia Juſtitiæ univerſalis regulæ adplicationem, cujus alias capaces ſunt, haud inveniunt, vel certe, quia tantum abeſt, ut onerent, ut potius ipſi patrocinentur; propterea quod in illo homine tam eximiæ dotes exſplendeſcunt, ut ex ipſis veræ Logicæ probabilium regulis plus fidei illius dicto, quàm aliorum plurimorum teſtimonio tribuendum ſit.

37. Quando vero fictionibus poſſibilibus hic indulgere liceat, annon fingi poſſet, incomparabilem hunc virum *Adeptum* illum eſſe, ſive, Profeſſorem

Divini Lapidis, quem Mundus adorat & orat (hhh):

cujus ope immenſis quotidie largitionibus egenos innumeros alat, atque ab ærumnis liberet. Quodſi igitur teſtes neſcio quot, vel quantacumque, indicia magnum hunc benefactorem humani generis nomine perpetrati furti adcuſarent, nonne omnes gentes criminationem iſtiuſmodi, quantumvis ſpecioſam, albis exciperent dentibus? Atqui Deus hominis hujus bonitatem & potentiam infinitis ſuperat paraſangis. Nullæ igitur rationes, quantumcunque præ ſe ſpeciem ferant, valere contra Fidem poſſunt, hoc eſt, contra certitudinem aut fiduciam in Deum, qua fulti, dicere poſſumus, ac debemus, Deum, ut oporteat, omnia feciſſe. Itaque objectiones minime ſunt inſolubiles. Nihil iſtæ continent, niſi præjudicia & veriſimilitudines, quæ rationibus mirum quantum fortioribus diſſipantur.

 Neque

(hhh) Ita *Interpres Lat.* Gall. Benedicti Lapidis, qui ſolus reddere locupletes poteſt omnes Reges Terræ.

De la benite Pierre
Qui peut ſeule enrichir tous les Rois de la Terre.

Neque proinde fas eſt dicere, id, quod nos *Juſtitiam* adpellamus, in Deo nihil eſſe; ipſum abſolutum omnium rerum Dominum eſſe, uſque adeo, ut, ſalva manente ſua juſtitia, inſontes damnare poſſit, vel denique, juſtitiam in ipſo eſſe aliquid arbitrarium, in quas audaces profectò ac periculoſas enunciationes nonnulli cum detrimento attributorum divinorum abripi ſe paſſi ſunt: re namque ita comparata, non erit, cur bonitatem juſtitiamque illius commendemus; cunctaque perinde ſe habebunt, ac ſi nequiſſimus omnium ſpiritus, ipſe malorum geniorum Princeps, malum Manichæorum principium, unicus Univerſi Dominus foret, quemadmodum jam ſupra adnotatum eſt. Qua enim via verum Deum a falſo *Zoroaſtris* Deo diſcerneremus, ſi a cæco poteſtatis arbitrariæ impetu, omni lege ac ratione ſoluto, omnia dependerent?

38. Itaque meridiano ſole clarius eſt, nihil eſſe, quod nos ad doctrinam tam abſurdam confugere cogat, cum dicere ſufficiat, factum ipſum non ſatis nobis eſſe cognitum, quoties reſpondere ad veriſimilitudines jubemur, quæ juſtitiam bonitatemque Dei in dubium vocare videntur, quæ utique evaneſcerent, ſi facti ſpecies nobis comperta foret. Neque neceſſe eſt, ut Rationi mittamus nuntium, ſi Fidem audire velimus, nec ut effodiamus nobis oculos ad clare videndum, uti Regina Sueciæ *Chriſtina* dicebat: ſufficit veriſimilitudines populares repudiare, ſi quando myſteriis contrariantur; id quod Rationi non eſt incongruum, quoniam in ipſis adeo rebus naturalibus veriſimilitudines ſæpiſſime miſſas facimus, ſive experientia ſive rationibus admoniti. Verum hæc omnia eo ſolum fine delibare anticipando nunc placuit, ut melius intelligatur, in quonam vitium objectionum, abuſuſque Rationis, conſiſtat, hoc ipſo in caſu, in quo illa Fidem maxima vi oppugnare contenditur: infra adcuratiorem originis mali, & permiſſionis peccati cum ceteris adnexis, diſcuſſionem daturi ſumus.

39. In præſenti juvabit arduæ quæſtioni de uſu Rationis in Theologia expendendæ amplius inſiſtere, eaque ſub incudem vocare, quæ *Bælius* variis in locis operum ſuorum adſeruit. Qui cùm in Dictionario ſuo Hiſtorico-Critico Manichæorum & Pyrrhoniorum objectiones illuſtrandas ſuſcepiſſet, hocque illius conſilium a Viris quibuſdam Religionis ſtudioſis cenſuram tuliſſet; ad calcem editionis ſecundæ hujus Dictionarii diſſertationem adpoſuit, in qua exemplis, auctoritatibus, & rationibus, conatus eſt oſtendere conſilii ſui innocentiam atque utilitatem. Equidem (quod jam ſupra monui) perſuaſum habeo, objectiones ſpecioſas, quæ veritati opponi poſſunt, haud levis utilitatis eſſe, veritatique confirmandæ atque illuſtrandæ inſervire, data hominibus peritis occaſione novas rationes detegendi, vel antiquas majore in luce collocandi. At *Bælius* longe aliam, atque adeo oppoſitam, utilitatem inde captat, ut ſcilicet palam faciat potentiam Fidei, monſtrando, veritates, ab ipſa propoſitas, Rationis quidem inſultus ſuſtinere non poſſe, ſed nihilominus tamen in animo

animo fidelium ſuam auctoritatem tueri. *Nicolius* (iii) verbis a *Bælio* relatis Tom. 3. Reſponſi ſui ad Quæſtiones Provincialis (cap. 177. pag. 120.) *Auctoritatis divinæ de humana Ratione triumphum* id adpellare videtur. Sed cùm Ratio æque, ac Fides, Dei munus ſit, utriuſque pugna Deum cum Deo pugnare oſtendet; & ſi Rationis objectiones contra quempiam Fidei articulum ſunt inſolubiles, dicendum erit, jactatum hunc articulum eſſe falſum, nequaquam revelatum: eſſe humanæ mentis commentum. Talis igitur Fidei triumphus feſtivis ignibus ſimilis foret, qui poſt acceptam cladem accendi ſolent. Huc referenda eſt doctrina de infantium non baptizatorum damnatione (kkk), quam *Nicolius* velut peccati originis conſectarium nobis obtrudit; talis eſſet æterna damnatio adultorum, quibus neceſſaria obtinendæ ſaluti lumina defuiſſent.

40. Cæterùm neceſſe non eſt, Theologicis hiſce diſcuſſionibus vacare quemlibet, atque homines, quorum conditio inveſtigationes iſtas exactas reſpuit, miſſa objectionum cura, Fidei documentis debent eſſe contenti; &, ſi forte illorum animus validiſſima quadam objectione pulſaretur, licebit inde mentem avertere, Deoque ſuam curioſitatem in ſacrificium offerre. Dum enim de veritate certi ſumus, ne audire quidem objectiones tenemur. Et quia plurimorum fides ſatis infirma parumque radicata eſt, ut periculoſa iſtiuſmodi tentamenta ſuſtinere nequeat, arbitror, illis offerenda non eſſe, quæ ipſis poſſent eſſe exitio, aut, ſi eos celare non licet, quæ nimis vulgata ſunt, addendum veneno antidotum, hoc eſt, curandum, ut ſolutio objectioni jungatur, minime vero eam tanquam impoſſibilem amovendam eſſe.

41. Loca excellentium Theologorum, de hoc Fidei triumpho diſſerentium, poſſunt & debent ſenſum principiis, jam ſtabilitis, conformem ſuſcipere. In quibuſdam Fidei objectis duæ qualitates offenduntur, Fidei de Ratione triumphum concedentes, altera eſt *incomprehenſibilitas*, altera *inveriſimilitudo*. Sed probe cavendum, ne tertia qualitas addatur, illa nimirum, de qua *Bælius* loquitur, qua fatemur, id, quod credimus, *defendi non poſſe*; hoc enim foret Rationi viciſſim concedere triumphum ratione, quæ Fidem labefactaret. *Incomprehenſibilitas* quidem non obſtat,

 quo

(iii) *Petrus Nicolius*, Vir ingenio, eloquentia, & doctrina excellens, & inter ſingularia Galliæ ornamenta referendus, cujus ſcripta *Bælius* recenſet in Diction. ſub Tit. *Nicolle*, natus A. *1625*. Carnuti mortuus A. *1695*. d. *16*. Nov. Inter alia *Paſcalii Lettres Provinciales*. Latina veſte induit ſub nomine *Guil. Wendrockii*. Is cum *Peliſſonio viam Auctoritatis* contra *viam Examinis* defendere laboravit. V. *Bælius* in Diction. ſub hiſce nominibus.

(kkk) Non damnari infantes non baptizatos, ſolidiſſime, præter alios, oſtendit *Cel. Canzius* in Præf. *Andr. Ad. Hitzigii* Diſſ. hujus arg. præmiſſa. Pro fundamento ponit Vir doctiſſ. ſeq. propoſ. *Quicquid Adamus, omnium ſator, ſtatorque, in univerſo hominum genere perdidit, ei mors Chriſti, Reparatoris divini, niſi in ſingulis nova culpa intervenerit, adplicat remedium.* Ed. Tubingæ eſt 1737.

quo minus veritatibus etiam naturalibus adſentiamur ; verbi gratia, (uti jam adnotavi) nos odorum ſaporumque naturam non comprehendimus, & tamen teſtimonio fidei ſimili, teſtimonio ſenſuum nixi, credimus, qualitates iſtas ſenſiles in rerum natura fundatas, nec mera phantaſiæ ludibria eſſe.

42. Dantur etiam res *adparentibus contrariæ*, quas admittimus, ubi rite comprobantur. Exſtat fabella Romanenſis, ex Hiſpanico ſumta, cui titulus : ne oculis quidem ſemper credendum. Quid veriſimilius Pſeudo-*Martini Guerræ* impoſtura, qui conjugem & conſanguineos veri *Martini* fefellit, judiceſque & conſanguineos, etiam poſt veri adventum, diu ſuſpenſos tenuit ? interim veritas tandem patuit. Idem dicendum de Fide ; ſupra quippe notavi, quidquid bonitati juſtitiæque divinæ opponi poteſt, non, niſi veriſimilitudines, eſſe, validas aliquando futuras adverſus hominem, ſed roboris nullius, ubi ad Deum fit adplicatio, eædemque cum demonſtrationibus, quæ de infinita ejus perfectione nos certos reddunt, conferuntur. Igitur Fides de rationibus falſis triumphat, per rationes ſolidas & ſuperiores, quibus ad eam amplectendam permoti fuimus; non triumphatura, ſi ſententia contraria æque fortibus, aut etiam fortioribus, rationibus fulciretur, quàm eæ ſunt, quæ Fidei fundamentum agunt, hoc eſt, ſi invincibiles & demonſtrativæ contra Fidem objectiones exſtarent.

43. Juvat etiam hìc obſervare, id, quod *Bælius Triumphum Fidei* vocat, ex parte eſſe Rationis demonſtrativæ triumphum adverſus rationes adparentes atque fallaces, quæ male demonſtrationibus opponuntur. Conſiderandum namque eſt, Manichæorum objectiones Theologiæ revelatæ contrariari. Et quamvis in eorum gratiam Litteras Sacras, Peccatum Originis, Gratiam Dei in Chriſto Jeſu, Pœnas Inferni, aliaque Religionis noſtræ capita, deſereremus, nondum tamen hac ratione ipſorum objectiones effugeremus : negari enim non poteſt, eſſe in mundo mala phyſica, (hoc eſt, ærumnas,) & mala moralia (hoc eſt, peccata,) nec ſemper mala phyſica proportione mali moralis, prout juſtitia poſtulare videtur, in hac vita diſtribui. Reſtat ergo hæc quæſtio Theologiæ naturalis, quo pacto principium unicum, totum bonum, totum ſapiens, totumque potens, admittere malum, ac inprimis peccatum permittere potuerit, & qua ratione potuerit adduci, ut ſæpiuſculè malos felices, bonos infelices reddat.

44. Certe Fide revelata minime nobis opus eſt, ut ſciamus, principium rerum omnium unicum, perfectè bonum & ſapiens, exiſtere. Ratio id demonſtrationibus certiſſimis nos edocet, atque ſic objectiones omnes, ex imperfectionum in rebus obſervatione oriundæ, falſa duntaxat ſpecie nituntur. Nam ſi harmoniam univerſalem intelligentia poſſemus adſequi, cernerèmus, id, quod noſtris ſollicitare opprobriis ſolemus, cum opere omnium, quæ excogitari poſſunt, digniſſimo connexum eſſe ;
verbo

verbo *videremus*, nec ſolum *crederemus*, id, quod Deus fecit, eſſe optimum. Dico hic *videre*, quod *a priori* per cauſas cognoſcimus, & *credere*, quod non, niſi per effectus, intelligimus, licet utrobique æque certa ſit notitia. Et poteſt hic uſurpari, quod *S. Paulus* ait, (2. Cor. V. 7.) nos ambulare per *Fidem*, non per *adſpectum*. Nam, ubi ſemel ſapientia Dei infinita nobis innotuit, mala, quæ experimur, permittenda fuiſſe, judicamus, idque judicamus ex effectu ipſo, ſive, *a poſteriori*, hoc eſt, ideo, quia exiſtunt. Agnoſcit id ipſum *Bælius*; in quo quidem acquieſcere debuiſſet, neque exigere, ut falſas veriſimilitudines contrarias prorſus exeſſe jubeamus, cùm hoc idem ſit, atque poſtulare, nulla debere eſſe ſomnia, nulla opticæ ludibria.

45. Neque dubitandum, quin hæc Fides, hæcque in Deum fiducia, quæ nobis bonitatem ejus infinitam conſiderandam offert, noſque ad ejus amorem præparat, fruſtra obnitente duritatis ſpecie, quæ deterrere nos poſſet, ſit excellens virtutum Theologiæ Chriſtianæ exercitium, quando Gratia divina in Jeſu Chriſto hos in nobis motus excitat. Quod & *Lutherus* contra *Eraſmum* bene notavit, dum dixit, apicem charitatis eſſe, diligere illum, qui carni & ſanguini videtur tam parum acceptus, tam durus in miſeros, tamque pronus ad damnandum, & hoc quidem ob mala, quorum ipſe auctor vel ſocius eſſe videtur iis, qui falſis rationibus oculos ſibi præſtringere ſinunt. Ut adeo triumphus veræ Rationis, gratia divina illuſtratæ, ſimul triumphus Fidei & Amoris dici poſſit.

46. Longe aliter rem accepiſſe videtur *Bælius*, qui Rationis hoſtem ſe profitetur, cum abuſus ejuſdem reprehenſione contentus eſſe potuiſſet. Profert verba *Cottæ* apud *Ciceronem* (lll), dicere non dubitantis, ſi Ratio a Diis immortalibus data eſſet, Providentiam culpandam omnino eſſe, quod dederit, cùm ad perniciem noſtram vergat. Cenſet etiam *Bælius*, Rationem humanam eſſe principium deſtructionis, non ædificationis (Diction. pag. 2026. col. 2.) proſtibulum eam eſſe, quæ nuſpiam ſe detinere ſciat, & quæ *Penelopes* inſtar opus ipſa ſuum retexat,

Deſtruit, ædificat, mutat quadrata rotundis (mmm).

(Reſp. ad Provincial. T. 3. p. 723.) Verum inprimis ſollicitus eſt in coacervandis auctoritatibus, quo patefaciat, omnium partium Theologos repudiare Rationis uſum, quemadmodum ipſe faciat, nec alium in finem lumina, adverſus Religionem inſurgentia, oſtentare, quàm ut ea nuda inficiatione Fidei ſacrificent, ad ſolam argumenti oppoſiti concluſionem reſpondentes. Initium facit a novo Teſtamento. Jeſus Chriſtus ſat habebat dicere: *Sequere me* (*Luc.* V. 27. IX. 59.) Apoſtoli dicebant: *Crede, & ſalvus eris*; (Act. XVI. 3.) *S. Paulus* agnoſcit, *doctrinam ſuam obſcu-*

M 3

(lll) Lib. III. de Natura Deorum. (mmm) *Horat.* 1. Epiſt. 1.

obſcuram eſſe, (1. Corinth. XIII. 12.) *nihil in ea comprehendi poſſe*, niſi Deus largiatur ſcientiam diſcernendi ſpiritualem, ſine qua tantum pro ſtultitia reputetur (1. Cor. II. 14.) hortatur fideles, *diligenter caveant ſibi a Philoſophia* (1. Cor. II. 8.) contentioneſque hujus ſcientiæ devitent, quæ quoſdam Fide ſpoliaverit.

47. Quod Patres Eccleſiæ adtinet, remittit nos *Bælius* ad *Launoii* librum (*de varia Ariſtotelis fortuna*, cap. II. (nnn)) ubi loca eorum contra Philoſophiæ uſum collecta reperiuntur, inprimis verò ad loca *S. Auguſtini*, ab *Arnàldo* (ooo) (contra *Malletum*) collecta, quorum ſumma eſt, Dei judicia eſſe inſcrutabilia, nec ideo minus juſta, quòd nobis ſint incognita: abyſſum eſſe profundiſſimam, quæ ſine præcipitii periculo explorari nequeat: eorum, quæ Deus abſcondita voluerit, explicationem non poſſe ſine temeritate tentari: voluntatem ejus non, niſi juſtam, eſſe poſſe: complures, incomprehenſibilis profunditatis hujus rationem reddituros, in vanas imaginationes, ac opiniones, errore & confuſione plenas, incidiſſe.

48. Idem adſeruerunt Scholaſtici: *Bælius* elegantem Cardinalis *Cajetani* (ppp) locum profert (ex Comment. in 1. part. Summæ, Qu. 22. Art. 4.) ſequentem in modum: *Quieſcit intellectus noſter non evidentia veritatis inſpectæ, ſed altitudine inacceſſibili veritatis occultæ, quoniam, ut ait* S. Gregorius, *minus de Deo ſentit, qui hoc tantum de divinitate credit, quod ſuo ingenio metiri poteſt. Nec propterea negandum aliquid eorum eſſe puto, quæ ad divinam immutabilitatem, actualitatem, certitudinem, univerſalitatem, & ſimilia, ſpectare ſcimus: ſed ſuſpicor aliquid occulti hic latere, vel ex parte ordinis, qui eſt inter Deum & eventum, vel ex parte vinculi etiam, quod intercedit inter eventum ipſiuſque prævifionem. Ita dum expendo, intellectum animæ noſtræ eſſe oculum noctuæ, invenio requiem illius in ſola ignorantia. Melius enim eſt &* Fidei Catholicæ, *&* Fidei Philoſophicæ, *cæcitatem noſtram fateri, quam tanquam res evidentes adſerere ea, quæ animum*

(nnn) *Jo. Launoius, ſ. de Launoy*, Normann. natus A. 1603. d. 21. Dec. denatus A. 1678. d. 10. Mart. *Jo. Herm. ab Elſvvich* librum ejus de varia *Ariſtotelis* fortuna in Acad. Pariſ. Viteb. A. 1720. in 8. recudi fecit, additis *Jo. Jonſii* Diſſ. de Philoſophia Peripatetica, & ſuo ſchediaſmate de varia *Ariſtotelis* in ſcholis Proteſtantium fortuna.

(ooo) *Antonius Arnaldus*, Janſeniſta, vir ingenio & eruditione præſtantiſſima ornatus, natus A. 1612. d. 6. Febr. denatus A. 1694. d. 8. Aug. in vico prope Leodium ſito. In parte IV. Difficultatum D. *Steyarto*, Theologo Lovanienſi, propoſitarum, &c. (*Difficultés propoſées à Mr. Steyart*,) contra *Malletum*, Archidiaconum Rothomagenſem, alioſque, Scripturæ Sacræ lectionem laicis quoque permittendam, evicit. Contra eundem calamum etiam ſtrinxit *dans la nouvelle Défenſe de la verſion de Mons*.

(ppp) *Thomas de Vio*, dictus *Cajetanus*, ab urbe Cajeta, ubi natus A. 1469. obiit Romæ, A. 1534. Purpuram accepit a *Leone X.* A. 1517. Commentarius in *Thomæ Aquinatis* Summam Theologiæ, Venet. 1596. prodiens, admodum celebratur.

animum noſtrum haud quaquam tranquillum reddunt: ſiquidem evidentia ipſi tranquillitatem impertit. Neque eam ob cauſam omnes Doctores præſumtionis adcuſo, qui balbutiendo, ut potuerunt, immobilitatem atque efficaciam ſummam, & æternam intellectus, voluntatis potentiæque Dei, inſinuare contenderunt per infallibilitatem electionis & relationis divinæ ad omnes eventus. Nihil omnium horum meæ ſuſpicioni obſtat, qua puto ineſſe iis quandam profunditatem, quæ nobis ſit abſcondita. Hæc *Cajetanus*, cujus ſententia tanto dignior eſt obſervatu, quod hic eſſet Auctor argumento inſpiciendo par (qqq).

49. *Lutheri* Liber contra *Eraſmum* acribus abundat obſervationibus in illos, qui veritates revelatas Rationis noſtræ Tribunali ſubjicere contendunt. *Calvinus* paſſim eodem modo invehitur in curioſam audaciam divina conſilia perſcrutantium. Adſerit in ſuo de Prædeſtinatione Tractatu, Deum *juſtas cauſas* habuiſſe reprobandi aliquam partem hominum, ſed *nobis incognitas.* Denique *Bælius* complures Recentiores citat eadem mente locutos. (Reſponſo ad Quæſtiones Provincialis, cap. 161. & ſqq.)

50. Verùm omnes hæ enunciationes, aliæque ejuſdem generis infinitæ, eam, quam *Bælius* intendebat, objectionum, Fidei contrariarum, inſolubilitatem neutiquam evincunt. Verum quidem eſt, inſcrutabilia eſſe conſilia Dei, ſed, ea injuſta eſſe, nulla objectione invicta concludi poteſt. Quod ex parte Dei injuſtum, & ex parte Fidei ſtultum videtur, videtur tantùm. Celebris *Tertulliani* locus (de carne Chriſti) mortuus eſt Dei Filius, *credibile eſt, quia ineptum eſt*; & ſepultus revixit, *certum eſt, quia impoſſibile*, auxeſis quædam eſt, quæ non, niſi de abſurditatis ſpecie intelligi poteſt. Similes locutiones reperies in Libro *Lutheri* de ſervo arbitrio, ut quando dicit cap. 174. *Si placet tibi Deus indignos coronans, non debet tibi diſplicere immeritos damnans.* Quæ verba ſi ad locutiones moderatiores reducantur, ſignificant: ſi Deum probas æternam gloriam impertiri iis, qui cæteris non ſunt meliores, non debes improbare deſerere eos, qui reliquis non ſunt deteriores. Atque ut intelligamus, ipſum non, niſi de adparente injuſtitia, loqui, ſufficit hæc ejuſdem Auctoris verba, ex eodem Libro depromta, ponderare: *In reliquis omnibus* (ait) *ſupremam in Deo Majeſtatem agnoſcimus, ſoli ejus juſtitiæ obtrectare audemus, nec* tantiſper *volumus credere, juſtum eum eſſe, quamvis nobis promiſerit venturum tempus, cùm, gloria ejus revelata, omnes homines clare videbunt, eum fuiſſe & eſſe juſtum.* 51. Re-

(qqq) Addit hic *Interpres Lat.* verba ſequentia. „ Loco tamen ejus adcuratius inſpecto, perturbatum eum inveni; quod veram ſolutionem *Sophiſmatis ignavi* non ſatis cognoviſſet, & ſepoſita quæſtione de neceſſitate abſoluta & contingentia, ipſam neceſſitatem hypotheticam, ſeu ex futuritione & prævifione naſcentem, per conſequentiam inſuperabilem inevitabilitatem futuri cum libertate eligendi, & pœnarum præmiorumque juſtitia, ſtare poſſe non ſatis provideret: ſed his abunde a nobis ſatisfactum iri ſpero.

51. Reperiemus etiam, Patres, dum res iſtas expenderunt, non omnino Rationem repudiaſſe. Inter diſputandum contra Paganos plerumque nituntur manifeſtare, quantùm Paganiſmus Rationi adverſetur, & quantopere ex illo etiam capite Religio Chriſtiana antecellat. *Origenes* (rrr) in Libris contra *Celſum* oſtendit, quàm conſentaneus Rationi ſit Chriſtianiſmus, & quare nihilominus Chriſtiani credere debeant ſine examine. Illuſerat *Celſus* Chriſtianorum agendi rationi, *qui rationes tuas*, (ajebat) *audire, aut ſuas de eo, quod credant, exhibere nolentes, hoc unum tibi dicere ſatis habent: examinare noli, crede duntaxat*, aut, *Fides tua te ſalvum efficiet, habentque pro axiomate, ſapientiam mundi malum eſſe.*

52. *Origenes* (libr. 1. cap. 2.) erudite & ad principia, ſuperiùs a nobis adſerta, prorſus adpoſite reſpondit. Rationem Chriſtianiſmo non modò non adverſari, ſed etiam huic Religioni in columnam eſſe, præſtareque argumenta iis, qui inſtituere examen queunt. Sed cùm pauci ſint examini tanto pares, cœleſte donum nudæ Fidei, ad bonum ducentis, generatim ſufficere. *Si omnes homines, neglectis vitæ curis, ſtudio meditationique mentem impenderent, non opus eſſet aliam viam quærere ad perſuadendam ipſis Religionem Chriſtianam. Ut enim nihil, quod cuiquam offenſioni ſit, edicamus*, (innuit tacite, non expreſſis verbis, Gentium Religionem abſurdam eſſe) *non minor hic, quàm alibi, ſollicitudo reperietur, ſive explanentur dogmata, ſive Prophetarum lux adfundatur ænigmatibus, ſive illuſtrentur Evangeliorum parabolæ, aliaque ſexcenta, aut narrata hiſtorice, aut ſymbolice repræſentata. Enimvero cum & vitæ neceſſitas, & hominum imbecillitas paucis duntaxat permittit dare ſe ſtudiis; quænam cæteris omnibus hominibus ſubveniendi via reperiri poterat expeditior illa, quam Jeſus Chriſtus adhibendam voluit in populorum converſione? Et velim certe mihi dicat aliquis, de magno illorum numero, qui credunt, ſicque cœno vitiorum, quibus antea immerſi erant, ſe ſubduxerunt; utrum ſatius ducat, hoc modo mutaſſe mores ſuos & emendaſſe vitam, dum ſine examine credidit, dari pœnas peccatorum, & bonarum actionum præmia; an verò, diſtuliſſe in melius converſionem, donec non tantùm credere licuiſſet, ſed & horum dogmatum fundamenta adcuratius expendiſſet? Sanè, trita hac poſtrema methodo, admodum pauci eo uſque pertingerent, quo ipſos ſimplex ac nuda plane fides perducit, ſed maxima eorum vis in corruptione ſua perſeverarent.*

53. *Bælius* (in Elucidatione circa objectiones Manichæorum, poſita ad calcem

(rrr) *Origenes*, Alexandrinus, circa A. C. 185. natus, Opus præclarum *contra Celſum*, qui Opus ſuum contra Judæos & Chriſtianos falſo titulo λογοι αληθη inſcripſerat, pro Veritate Religionis Chriſtianæ, Libris VIII. ſexagenario major ſcripſit, ad *Ambroſium Alexandrinum*, quem ab hæreſi Valentiniana & Marcionitarum ad Eccleſiam reduxit. *Sigiſm. Gelenii* Verſio comparet primum in ed. Operum Baſ. 1557. & dein in ceteris.

calcem editionis ſecundæ Dictionarii) verba hæc *Origenis*, quæ volunt, Religionem in ſcrutinio Dogmatum ſuorum examen ſuſtinere, non de diſcuſſione Philoſophica accipit, ſed de adcurata tantum diſquiſitione, qua Sacrorum Voluminum auctoritas ſenſuſque legitimus ſtabiliretur. Verùm nihil eſt, quod hanc reſtrictionem indicet. *Origeni* res erat cum Philoſopho, cui ſatisfactura illa non erat. Et videtur is voluiſſe monſtrare, Chriſtianos non minùs exactos eſſe, quàm Stoicos, alioſque nonnullos Philoſophos, qui doctrinam ſuam tam ratione, quàm auctoritatibus, munierant, uti factitabat *Chryſippus* (sss), qui in antiquitatis adhuc ethnicæ ſymbolis Philoſophiam ſuam reperiebat.

54. *Celſus* ibidem loci aliam inſuper objectionem in Chriſtianos vibrat. *Si*, inquit, *ad ſolemne ſuum: noli examinare, crede duntaxat, velut ad arcem confugiant, edicant mihi ſaltem, quid me velint credere.* Hoc verò ille jure meritoque poſtulaſſe dicendus eſt, ſimulque id contra illos militat, qui Deum bonum & juſtum pronunciarent, & tamen contenderent, nos nulla divinæ bonitatis aut juſtitiæ notione inſtructos eſſe, cùm iſtas ei perfectiones tribuimus. Verùm non ſemper adæquatæ notiones, quæ nihil non explicatum involvant, poſtulandæ ſunt; ſiquidem ne ipſæ quidem ſenſiles qualitates, veluti calor, lux, dulcedo, hujuſmodi notiones præſtare poſſint. Fatemur itaque, Myſteria explicationem aliquam admittere, ſed explicationem hanc eſſe imperfectam. Sufficit, nos habere intelligentiam aliquam analogicam Myſterii, quale eſt Trinitas & Incarnatio, ne, dum ea recipimus, verba prorſus omni ſenſu deſtituta pronunciemus: nec verò neceſſarium eſt, explicationem tam longè, quàm optari poſſet, procedere, hoc eſt, uſque ad comprehenſionem & quæſtionem, *quomodo.*

55. Mirum igitur videtur, *Bælium* recuſare tribunal *notionum communium* (Tom. 3. ſuæ Reſponſionis ad Provincialem, p. 1062. p. 1140.) quaſi verò fas non eſſet conſulere ideam bonitatis, dum Manichæis reſpondetur; cùm tamen is ipſe mentem ſuam longè aliter explicuiſſet in Dictionario. Et certè eos, qui de quæſtione diſceptant, unicumne ſit principium bonum, an duo, alterum bonum, alterum malum, conſentire oportet in *boni* & *mali* ſignificatione. Quando nos de unione corporis unius cum corpore altero, aut ſubſtantiæ unius cum ſuo accidente, ſubjecti cum ſuo adjuncto, loci cum mobili, actûs cum potentia, verba fundimus, ſub vocabulo unionis aliquid intelligimus; ita ſi de unione animæ cum corpore, unam perſonam conſtituente, loquimur, pariter aliquid intelligimus. Licet enim neque leges corporis animam, nec leges

(sss) *Chryſippus*, Tarſenſis, *Zenonis* diſcipulus, vixit circa Ol. 104. fabulas antiquorum ſenſu quodam allegorico explicavit, in quo ipſum ſecuti ſunt celeb. *Stoæ* Philoſophi.

animæ corpus mutare cenſeam, & harmoniam præſtabilitam ad evitandam hanc perturbationem introduxerim; admitto nihilominus veram unionem inter animam atque corpus, quæ ex duobus illis faciat ſuppoſitum. Hæc unio eſt metaphyſica, unio autem influxus phyſica (ttt). At quando nobis ſermo eſt de unione Verbi Dei cum Natura humana, in cognitione analogica nos acquieſcere oportet, qualem unionis animæ cum corpore comparatio nobis ſuppeditare poteſt; cæterumque contenti eſſe debemus, ſi dicimus, Incarnationem eſſe unionem arctiſſimam, quæ Creatorem inter & Creaturam exiſtere poſſit, nec opus eſt ultra explicando procedere.

56. Eodem modo ſe habent Myſteria reliqua, in quibus ingenia moderata ſemper explicationem invenient, quæ ad credendum ſatis ſit, ad comprehendendum parum; ſufficit nobis aliquatenus ſcire, *quid eſt*? (τι ἐςι) ſed *quomodo?* (πως) neque ſcimus, neque nobis eſt ſcitu neceſſarium. Ac de Myſteriorum explicationibus, paſſim tradi ſolitis, dici poteſt id, quod Sueciæ Regina in numiſmate quodam efferebat de corona, quam depoſuerat,

Non mi biſogna, e non mi baſta (uuu).

Nihilo magis neceſſe nobis eſt, (uti jam notavi) Myſteria probari *a priori*, vel eorum rationem reddi; ſufficit nobis, *rem ita eſſe* (το ὅτι) quamvis ignoremus *quare* (το διοτι) quod Deus ſibi reſervavit. Elegantes & celebres ſunt *Joſephi Scaligeri* hac de re verſiculi.

Ne curioſus quære cauſas omnium,
Quæcumque libris vis Prophetarum indidit
Adflata cælo, plena veraci Deo:
Nec operta ſacri ſupparo ſilentii
Irrumpere aude, ſed pudenter præteri.

Neſcire

(ttt) Conf. *Theod.* §. 59. *Ill. Bilfinger.* in *Tr. de Harmon. Præſt. ed. nov. p.* 218. *n.* * Qui de unione Metaphyſica (qua fit, ut ex anima & corpore correſpondentibus fiat *unum per ſe*, unum ſuppoſitum, una perſona) tanquam de re tenui vel ridicula ſermocinantur, neſciunt, quid reprehendant. Impoſſibile eſt, ut verè Phyſica relatio, aut unio, intercedat inter animam & corpus noſtrum, niſi & anima ſit corpus; τὸ phyſicum non pertinet niſi ad corpora. Dic, quid ſit Phyſica? Quicquid autem animæ & corpori commune eſt, id eo ipſo eſt Metaphyſicum: igitur unio, quæ illis communis eſt, eſt Metaphyſica. Metaphyſica ſc. ſola eſt, quæ ſupra ſpiritus & corpora extenditur. " Quomodo vero ex hoc inferri poſſit, negato ſic influxu phyſico, neque Deum in ipſam ſubſtantiam agere, influere & proprio ſenſu operari in animam & Spiritum quemcunque poſſe, non video. Eſt quædam harmonia inter regnum gratiæ & naturæ, Deuſque in eligendo hoc Univerſo operationes ſuas, pro capacitate hominum adhibendas, jam quaſi pro oculis habuit, & tanquam ad illud pertinentes largiri decrevit.

(uuu) Nec mihi neceſſaria eſt, nec ſufficit.

Neſcire velle, quæ Magiſter optimus
Docere non vult, erudita inſcitia eſt.

Bælius, hoſce verſus referens (Reſp. ad Provinc. Tom. 3. p. 1055.) cum multa veritatis ſpecie judicat, a *Scaligero* fuiſſe cuſos occaſione controverſiarum, *Arminium* inter & *Gomarum* (xxx) agitatarum. Crediderim, a *Bælio* memoriter recitatos, nam *ſacrata* ponit pro *adflata. Prudenter* verò poni pro *pudenter* (hoc eſt, modeſtè) quod verſus exigit, id utique mendum eſſe typographi conjicio.

57. Nihil ſanè monito, verſibus hiſce contento, ſapientius, & merito *Bælius* ait (p. 729.) *eos, qui omnes divini conſilii rationes circa peccatum, & effectus peccati, reddere in ſe recipiant, arbitrio ſe ſuorum adverſariorum permittere.* Sed immeritò ibi duo valdè diſparata conjungit, *reddere rationem* rei, & *ab objectionibus defendere*, dum ſtatim addit: *Coguntur illum* (adverſarium ſuum) *ſequi, quocumque illos ducere voluerit, & turpiter terga dare, victoſque ſe fateri, ſi tandem imbecilliorem eſſe mentem noſtram concedant, quàm ut omnes Philoſophi alicujus inſtantias plenè diluere poſſint.*

58. Videtur hic *Bælio* minus eſſe, *reddere rationem*, quàm *inſtantiis reſpondere*, cùm ei, qui prius illud ſuſcipere auderet, alterum etiam onus ſuſcipiendum eſſe minetur. Sed contrarium omnino verum eſt: Reſpondens non tenetur theſis ſuæ rationem reddere, tenetur tamen opponentis inſtantias diſſolvere. Reus in foro non tenetur (ordinariè) probare jus ſuum, aut poſſeſſionis ſuæ titulum oſtendere; ſed tenetur ad rationes actoris reſpondere. Et miratus profectò ſum centies, Auctorem tam diligentem, tamque ſagacem, qualis erat *Bælius*, ſæpiſſimè res confundere in tantum diverſas, in quantum diverſi ſunt hi tres Rationis actus: comprehendere, probare, & objectionibus reſpondere; quaſi dum de uſu Rationis in Theologia agitur, eundem inter ſe valorem ſervarent. Ita enim loquitur in Dialogis poſthumis p. 73. *Nullum eſt principium, quod* Bælius *frequentiùs inculcavit, quàm iſtud: incomprehenſibilitatem Dogmatis alicujus, & inſolubilitatem objectionum, illud impugnantium, non eſſe rationem ejus repudiandi legitimam.* De *incomprehenſibilitate* concedo, at non de *inſolubilitate*. Id enim revera idem foret, ac ſi diceres, rationem invincibilem, Theſi contrariam, non eſſe legitimam cauſam ad rejiciendam illam. Nam quæ, quæſo, alia repudiandæ alicujus ſententiæ ratio legitima reperiri unquam poteſt, ſi argumentum adverſum,

(xxx) De utroque *Lud. Ellies du Pin*, dans la Bibliotheque des Auteurs ſéparés, &c. Tom. II. Part. I. p. 108. ſqq. *Jac. Arminius*, caput & Princeps Remonſtrantium, natus A. 1560. denatus A. 1609. d. 19. Oct. Præcipuus ejus adverſarius fuit *Franciſc. Gomarus*, Brugæ natus A. 1563. d. 30. Jan. denatus A. 1641. d. 11. Jan.

ſum, idque invincibile, non ſufficit? Et quænam ultrà via ſupererit falſitati, quin immo abſurditati opinionum quarundam, demonſtrandæ (yyy)?

59. Juvat etiam obſervare, eum, qui aliquid *a priori* probat, illius rationem per cauſam efficientem reddere, quique ejuſmodi rationes adcuratè & ſufficienter reddere poteſt, ipſam quoque rem comprehendere valere. Hanc ob cauſam a Theologis Scholaſticis dudum impetitus fuit *Raymundus Lullius*, quòd Trinitatem ope Philoſophiæ demonſtrandam ſuſcepiſſet. Jactata illa demonſtratio exſtat in illius Operibus (zzz). Sed & *Bartholomæus Keckermannus* (aaaa), celebris inter Reformatos Auctor, poſt ſimile omnino circa idem Myſterium tentamen, in non minorem aliquorum recentium Theologorum reprehenſionem incurrit. Reprehendentur itaque, quicunque Myſterii hujus rationem reddere, & comprehenſibile effi ere volent, at qui in tuendo iſto contra objectiones adverſariorum laborabunt, laudabuntur.

60. Dixi ſuprà, Theologos communiter diſtinguere inter ea, quæ ſunt ſupra Rationem, & ea, quæ ſunt contra Rationem. Collocant *ſupra Rationem* id, quod comprehendi non poteſt, & cujus ratio reddi nequit. *Contra Rationem* verò erit omnis illa ſententia, contra quam rationes invictæ militant, aut ſaltem, cujus contradictoria propoſitio methodo adcurata atque ſolida probari poteſt. Fatentur itaque, Myſteria ſupra Rationem eſſe, ſed Rationi adverſari negant. Anglus Auctor Libri ingenioſi, ſed improbati, cujus index: *Chriſtianiſme not myſterious* (bbbb), hanc

(yyy) Addit hic *Interpres Latinus* ſequentia: „Itaque *D. Thomas*, Parte 1. Summæ, Q. 1. Art. 8. docet, adverſario, qui nullam revelationem concedat, non poſſe probari Articulos Fidei per rationes, ſed ſupereſſe viam ſolvendi rationes, quas adducit contra fidem. *Cùm enim* (inquit) *fides infallibili veritati innitatur, impoſſibile autem ſit, de vero demonſtrari contrarium, manifeſtum eſt, probationes, quæ contra fidem inducuntur, non eſſe demonſtrationes, ſed ſolubilia argumenta.* Et ita bene diſtinguit, primò inter probationem Theſeos, & objectionum ſolutionem, deinde inter demonſtrationes, & argumenta tantum veriſimilia. Nam, ut *Cajetanus* ibidem adnotat, *contra veritatem infallibilem nulla poteſt demonſtrativa ratio eſſe.*

(zzz) *Raymundus Lullius*, nat. A. 1235. mort. A. 1315. d. 26. Mart. In Articulis Fidei, quos rationibus neceſſariis demonſtrativè probare voluit, ſeptimo loco occupatur in eo, quòd in Deo ſit perſonarum pluralitas. p. 494. ed. Argent.

(aaaa) *Barth. Keckermann*, Dantiſc. Auctor multorum librorum, qui A. 1614. Genevæ ſimul prodierunt: mort. A. 1609. d. 25. Jul. annos natus triginta ſeptem, Myſterium Trinitatis ex ratione demonſtrare ſuſcepit, refutatus a *Jo. Muſæo* in Diſſ. altera, adjecta Libro de uſu principiorum Rationis & Philoſophiæ in Controverſiis Theologicis. Jenæ A. 1665. 8. iterum prodeunte.

(bbbb) *Chriſtianiſmus Myſterii expers.* Auctor ejus famoſiſſimus *Tolandus.* Ait v. c. doctrinam de incarnatione olim quidem, antequam revelabatur, Myſterii titulum gerere potuiſſe, ſed jam facta ejus plena revelatione, ſub hac χιτωνι ampliùs conſiderari non poſſe. Conf. Exc. Philoſophi, *Dan. Maichelii* Diſſ. de Diſtinctione inter ea, quæ ſunt ſuprà & contra Rationem A. 1729. Tub. habitam.

hanc profligare diſtinctionem ſtuduit, ſed, ſi quid judico, nullam illi plagam adtulit. *Bælius* etiam hac recepta diſtinctione non plane acquieſcit. En, quæ dicit (Tom. 3. Reſponſionis ad Quæſtiones Provincialis cap. 158.) & quidem primò (p. 998.) Diſtinguit is cum *Saurino* inter duas haſce Theſes, quarum prior eſt: *omnia Chriſtianiſmi dogmata cum Ratione concordant*; altera: *Ratio humana cognoſcit, ea cum Ratione concordare.* Priorem concedit, negat alteram. Eandem & ego ſententiam foveo, ſi dicendo, *Dogma aliquod cum Ratione concordare*, intelligatur, fieri poſſe, ut ejus ratio reddatur, aut Ratione explicetur, *quomodo*; Deus enim utique id poſſet, nos minime poſſumus. Sed utramque theſin adfirmandam reor, ſi *cognoſcere, quòd dogma aliquod cum Ratione concordet*, nihil aliud ſignificat, quàm nos pro re nata monſtrare poſſe, nullam inter hoc Dogma & Rationem intercedere contradictionem, repellendo objectiones eorum, qui Dogma iſtud abſurditatis alicujus inſimulare nituntur.

61. Explicat hic mentem *Bælius* ratione, quæ minimè ſatisfacit. Agnoſcit rectiſſimè, Myſteria noſtra conſentanea eſſe Rationi ſupremæ & univerſali, in Intellectu divino exſiſtenti, aut generatim; ſed negat tamen, ea conſentanea illi Rationis particulæ videri, qua homo ad ferendum de rebus judicium utitur. Verùm, cùm particula illa Rationis, qua nos gaudemus, Dei donum ſit, & in naturali lumine, nobis poſt naturæ corruptionem relicto, conſiſtat; portio hæc convenit cum ipſo toto, nec differt ab ea, quæ in Deo eſt, niſi quemadmodum gutta aquæ differt ab Oceano, vel potiùs, quemadmodum finitum differt ab infinito. Igitur Myſteria eam tranſcendere queunt, contraria verò eſſe non queunt. Nihil enim parti contrarium eſſe poteſt, quin idem ſit etiam toti. Quod uni propoſitioni *Euclidis* contradicit, *Euclidis* Elementis contrarium eſt. Id, quod in nobis Myſteriis adverſatur, non Ratio eſt, nec lumen naturale, nec catena veritatum; corruptio eſt, error eſt, vel præjudicium, tenebræ ſunt.

62. *Bælius* (p. 1002.) *Stegmanni* (cccc) ac *Turretini* (dddd), Theologorum Proteſtantium, Myſteria Rationi tantum corruptæ contrariari ſtatuentium, ſententiam haud probat. Quærit jocabundus, num rectæ Rationis nomine intelligatur Ratio Theologi Orthodoxi, nomine verò corruptæ Ratio Hæretici; tum objicit, evidentiam Myſterii Trinitatis non

 fuiſſe

(cccc) Scripſit *Joſua Stegmannus* inter alia *Photinianiſmum, h. e. ſuccinctam refutationem errorum Photinianorum, quinquaginta ſex diſputationibus breviter comprehenſam.* Rinthelii 1623. 8.

(dddd) Celebre apud Genevenſes *Turretinorum* nomen, inprimis autem famam ſingularem adeptus eſt Pater, *Franciſcus Turretinus*, ap. eoſd. Theol. Prof. natus A. 1623. d. 17. Oct. denatus A. 1687. d. 28. Sept. atque Filius, *Jo. Alphonſus Turretinus*, itid. Theol. & Hiſtor. Eccleſ. Prof. Genev.

fuiſſe majorem in mente *Lutheri*, quàm in mente *Socini*. Verùm, ut *Carteſius* præclarè obſervavit, Ratio omnibus eſt communis; igitur Hæreticos juxta cum Orthodoxis ea præditos eſſe cenſendum eſt. Recta Ratio eſt catena veritatum, Ratio verò corrupta præjudiciis atque adfectibus intermiſcetur. Utque unam ab altera diſcernamus, nihil opus eſt, quàm ordine procedere, nullam ſine probatione theſin admittere, nec ulli probationi adſentiri, quæ ad vulgatiſſimas Logicæ leges exacta non ſit. Neque aliud requiritur *Criterium*, aliuſve *Judex Controverſiarum*, in rebus Rationis. Solius profectò hujus conſiderationis neglectu data fuit anſa Scepticis ſeſe efferendi, & in ipſa adeo Theologia *Franciſcus Veronius* (eeee), aliique nonnulli, in controverſiis contra Proteſtantes modum excedentes, & cavillationibus indulgentes, in medium ſe Scepticiſmum conjecerunt, ut ſcilicet Judicis externi infallibilis admittendi neceſſitatem evincerent, in quo ab eruditis Viris, etiam ſuarum partium, non probantur. *Calixtus* (ffff) & *Dallæus*, uti par eſt, inſtitutum exploſerunt, & *Bellarminus* longè aliter ratiocinatus eſt (gggg).

63. Veniamus nunc tandem ad judicium *Bælii* (p. 999.) de recepta illa diſtinctione. *Mihi* (inquit) *æquivocatio irrepſiſſe videtur in celebrem diſtinctionem, quæ fit inter ea, quæ ſunt ſupra Rationem, & ea, quæ ſunt contra Rationem. Myſteria Evangelii ſunt ſupra Rationem, vulgo dicitur, ſed non ſunt contraria Rationi. Arbitror, in priore parte hujus Axiomatis voci* Ratio *non eundem tribui ſenſum, qui tribuitur in poſteriore; ac in priore quidem intelligi Rationem hominis, ſive Rationem* in concreto, *in altera verò Rationem in genere, ſive Rationem* in abſtracto. *Quodſi namque ponamus, ſemper intelligi Rationem in genere ſumtam, ſive Rationem ſupremam, Rationem univerſalem, quæ in Deo eſt; utrumque perinde verum eſt, nec Myſteria Evangelica ſupra Rationem eſſe, nec contra Rationem. Sed ſi in utraque parte Axiomatis intelligatur Ratio humana, non admodum video diſtinctionis ſoliditatem. Nam ii, qui Orthodoxi ſunt rigidiſſimi, fatentur, perſpectam nobis non eſſe Myſteriorum noſtrorum cum Philoſophiæ axiomatibus conformitatem. Itaque nec eſſe Rationi conformia nobis videntur. Atqui quod Rationi noſtræ conforme non eſſe nobis videtur, videtur nobis eſſe Rationi noſtræ contrarium: prorſus uti quod nobis non videtur conforme veritati, veritati nobis contrarium eſſe videtur: igitur cur æquè dici non poterit, & Myſteria*

(eeee) Inter eos, qui novam methodum convertendi hæreticos inveniſſe, ſe jactabant, eminet *Franciſc. Veronius*, a quo etiam methodus *Veroniana* nuncupatur. Prodiit Pariſiis A. 1638. duob. Tom. in fol. *Methodus* illius *tractandi controverſias religionis: Méthode de traiter les controverſes de la religion;* it. *Regula generalis fidei catholicæ, Régle générale de la foy catholique.* A. 1645.

(ffff) *Georgii Calixti* Tr. huc ſpectans, inſcribitur: *Digreſſio de Arte nova, quam nuper commentus eſt Bartholdus Nihuſius*. Helmſt. A. 1634. ad Epitomen Theolog. Moral. & ſeorſim Francof. 1652. 4.

(gggg) V. *Budd.* Iſag. p. 1321.

Myſteria eſſe contra imbecillem Rationem noſtram, *& eſſe ſupra imbecillem Rationem noſtram?* Reſpondeo, uti antè reſpondi, *Rationem* hic eſſe catenam veritatum, nobis naturæ lumine notarum, & in hoc ſenſu receptum axioma ſine ulla æquivocatione verum eſt. Myſteria ſuperant Rationem noſtram, continent enim veritates, in ea catena non comprehenſas; ſed non ſunt Rationi noſtræ contraria, nec ulli veritati contradicunt, ad quam catena iſta nos ducere poteſt. Itaque hic non agitur de Ratione univerſali, quæ in Deo eſt, ſed de noſtra (hhhh). Si quæras, an Myſteriorum cum Ratione noſtra conformitatem cognoſcamus, reſpondeo, nos ſaltem nunquam ullam difformitatem, ullamve inter Myſteria ac Rationem oppoſitionem cognoſcere: & quoniam ſemper oppoſitionem oblatam poſſumus tollere, hoc ſi vocas conciliare, vel conſenſionem Fidei efficere cum Ratione, aut mutuam earum conformitatem cognoſcere, dicendum eſt,

(hhhh) Non alio ſenſu *Chr. Wolffius* in Theologia Nat. Lat. P. I. §. 363. *Myſteria* dicit *in ſe eſſe indemonſtrabilia*, *rationi in ſe ſpectatæ imperveſtigabilia.* Cùm enim ipſi *Ratio* nihil aliud ſit, quam facultas animæ nexum veritatum univerſalium perſpiciendi, uti ſuprà adnotavimus ad §. 1. not. (a) ſequitur, eidem in ſe indemonſtrabile, in ſe imperveſtigabile, id tantum dici, quod ex principiis rationis humanæ, nobilis illius facultatis hominis, penitus explicari nequit, cujus veritas ex comparatione ſubjecti & prædicati non intelligi, cujuſque modus non perveſtigari poteſt, ex iiſdem videlicet principiis rationis. Patet enunciati hujus fides tum in genere ex ill. Auctoris inſtituto, quo exiſtentiam atque attributa Dei a *poſteriori* demonſtrare adniſus eſt, adeoque concludendo ex iis, quæ nos experimur, ad Ens illud Supremum, quod omnia illa produxit: tum in ſpecie ex idea mundi ſui rationalis, per quem intelligit entium univerſalium (a ſingularibus abſtractorum) inter ſe connexorum ſeriem variabilem. Quæcunque igitur veritas in hac ſerie (rationis humanæ ampliſſimo campo, in quo ſe exercet) non continetur, ſed extra ſeu ſupra eam conſtituta eſt, vel quæcunque vi notionum univerſalium (naturæ lumine notarum) demonſtrari non poteſt, illa ex mente ill. Auctoris in ſe eſt indemonſtrabilis, ex principiis rationis humanæ in ſe ſpectatæ imperveſtigabilis. Quodſi ill. Auctor de Ratione omni, etiam ſuprema, ſermocinatur, qui ea, quæ ſunt ſupra rationem, ab impoſſibilitatis macula liberare potuit? Fecit id §. 456. Hinc planè non negat, *ſummam & perfectiſſimam*, *id eſt*, *divinam*, *Rationem myſteria demonſtrata habere*, *aut eorum cum veritatibus univerſalibus nexum perſpicere;* planè non adſerit, *myſterium ſupra divinam etiam rationem eſſe*, *id eſt*, *eſſe extra & ſupra veritates univerſales omnes in ipſo Dei intellectu infinito connexas.* Prona ſic & expedita via ill. Auctori fuit ad ſtatuendum, & quidem *bono animo*, *ſcopoque veritati maximè conſentaneo*, ſtatuendum, *Revelationem divinam myſteria hoc ſenſu dicta*, id eſt, ex principiis rationis indemonſtrabilia, *continere debere*, §. 463. Terror panicus eſt, ſi quis ex verbis citatis metuat, *iſta*, *& ſimilia*, *eò tendere*, *ut illa*, *quæ nunc communi conſenſu pro myſteriis habentur*, *vera myſteria eſſe deſinant*, *& ut deinceps*, *ubi ea dignitate ſpoliata fuerint*, *ipſa etiam humana Ratio jus ac licentiam ſibi vindicet*, *ſuo ipſius tribunali ſubjiciendi*, *& ſua decempeda metiendi.* Qui præter hæc dicta adſerit, *Revelationem divinam continere debere*, *quæ alio modo*, *quàm via revelationis*, *cognoſci minime poſſunt*, *conſequenter nec via demonſtrationis*, §. cit. & 451. hujus certe criminis ne ulla quidem veri ſpecie inſimulari poterit.

eſt, poſſe nos ad hanc conformitatem concordiamque pertingere. Sed ſi conformitas in conſentanea rationibus explicatione modi, *quomodo?* conſiſtat, eam adſequi non valemus.

64. Aliam præterea *Bælius* objectionem ingenioſam depromit ab exemplo viſus. *Cùm turris quadrata, inquit, nobis e longinquo rotunda videtur, non oculi ſolùm noſtri clariſſime teſtantur, ſe in illa turri nihil animadvertere quadrati, ſed etiam, ſe figuram inibi rotundam intueri, quæ cum figura quadrata ſtare non poteſt. Igitur dici poteſt, veritatem, quæ eſt figura quadrata, non ſolum eſſe* ſupra, *ſed etiam* contra *teſtimonium imbecillis noſtri viſûs.* Fatendum eſt, obſervationem hanc eſſe veram, &, quamvis verum ſit, adparentiam rotunditatis oriri ex ſola privatione adparentiæ angulorum, quam tollit diſtantia, verum tamen manet, rotundum & quadratum eſſe res oppoſitas. Ad hanc itaque inſtantiam reſpondeo, repræſentationem ſenſuum, etiam dum agunt, quicquid poſſunt, ſæpe contrariam eſſe veritati; ſed in facultate ratiocinandi non eadem res eſt, quando munere ſuo fungitur, cùm ratiocinium adcuratum nihil aliud ſit, quàm catena veritatum. Et quod ſenſum viſus nominatim adtinet, juvat expendere, dari adhuc alias falſas adparitiones, *ex oculorum noſtrorum imbecillitate minimè profectas*, neque ex eo natas, quòd ob diſtantiam diſpareat; ſed *ex natura ipſa viſionis*, quantumvis perfectæ. Exempli gratiâ, circulus obliquè ſpectatus mutatur in genus quoddam ovalis, quæ a Geometris Ellipſis vocatur, immo interdum etiam in Parabolam, aut Hyperbolam, atque adeo in ipſam lineam rectam, ut in annulo Saturni videre eſt.

65. *Senſus externi*, propriè loquendo, nos minimè fallunt. Noſter *ſenſus internus* ſæpe nos transverſos agit, quod etiam in brutis reperitur, uti dum canis ſuam in ſpeculo imaginem adlatrat: habent enim bruta *conſecutiones* quaſdam perceptionis, *ratiocinium* imitantes, & quæ in ſenſu quoque hominum interno reperiuntur, ubi ſolùm agunt *empiricè*. Sed bruta nihil agunt, quod nos cogat ſtatuere, ea etiam illa facultate prædita eſſe, quæ *ratiocinium* propriè dictum adpellari meretur (iiii), quemadmodum alibi oſtendi. Quando igitur intellectus adhibet & ſequitur falſam interni ſensûs determinationem; (uti dum celebris *Galilæus* (kkkk) *Satur-*

(iiii) *Ubi vis conſecutionis, non empiria nuda, ſed etiam ratione nititur*, addit *Interpres Lat.* Conf. ill. Viri Principia Philoſophiæ, ubi §. 18. Homines beſtiarum inſtar agunt, quatenus conſecutiones perceptionum, quas habent, nonniſi a principio memoriæ pendent, & inſtar Medicorum empiricorum agunt, qui ſimplici praxi abſque theoria utuntur. Et nos non niſi empirici ſumus in tribus actionum noſtrarum quartis, e. g. quando lucem diei craſtini exſpectamus, empiricè agimus, propterea quòd conſtanter ita factum fuit. Soli Aſtronomi per Rationem judicant.

(kkkk) *Galilæus Galilæi*, celebris Mathematicus, qui A. 1642. e vivis exceſſit, annos natus ſeptuaginta octo. Opera ejus Florentiæ 1718. tribus Tomis in 8. comprehenſa ſunt cum Vita Auctoris, à *Viviani* conſcripta.

Saturnum habere duas anſas credidit) ipſe fallit ſe judicio, quod ex adparentiarum effectu efformat, pluſque infert, quàm illæ ferant. Nam phænomena ſenſuum veritatem rerum abſolutè non magis promittunt, quàm ſomnia. Ipſi nos fallimus eorum uſu, hoc eſt, conſecutionibus noſtris. Scilicet nobis per argumenta probabilia imponi ſinimus, & proni ſumus ad credendum phænomena, quæ plerumque connexa comperimus, ſemper connecti. Itaque, cùm plerumque contingat, angulis carere, quod ſine angulis adparet, facilè nobis perſuademus, idem perpetuum ita eſſe. Hujuſmodi error ſæpe veniam meretur, & interdum vitari nequit, ſi agere celeriter urgemur, & eligere id, quod probabilius videtur; at quoties nos colligendi ſuppetit otium & tempus, ſi pro certo ſumimus, quod certum non eſt, culpa non vacamus. Igitur verum eſt, adparentias ſæpe veritati contrarias eſſe, at ratiocinationem nunquam, ſi quidem exacta ſit, & regulis Artis ratiocinandi conformis. Quodſi voce, *Ratio*, generatim facultas ratiocinandi, bene an malè, intelligeretur, fateor, illam nos decipere poſſe, & re ipſa decipere, eſſeque intellectus noſtri adparentias haud rarò æquè fallaces, atque eæ, quæ ſenſus ſuppeditant; ſed hic de catena veritatum agimus, deque objectionibus in bona forma, quo ſenſu fieri non poteſt, ut Ratio nos fallat.

66. Ex omnibus his, quæ jam dixi, patet, *Bælium id, quod ſupra Rationem eſt*, nimis latè ſumere, quaſi etiam objectionum inſolubilitatem includeret; nam juxta ipſum (cap. 10. Reſp. ad Prov. Tom. 3. p. 651.) *ex quo Dogma aliquod ſupra Rationem eſt, nec illud explicare, nec comprehendere, nec difficultatibus contrariis reſpondere Philoſophia poteſt.* Adſentior, quod *comprehenſionem* adtinet, ſed jam oſtendi, Myſteria admittere *explicationem* neceſſariam vocum, ne ſint *ſine mente ſoni*, voces nihil ſignificantes: quin & patefeci, neceſſe eſſe, ut *objectionibus reſponderi* poſſit, alioquin theſin ipſam rejiciendam.

67. Profert idem auctoritates Theologorum, qui objectionum contra Myſteria inſolubilitatem videntur agnoſcere. *Lutherus* unus eſt ex principibus: ſed jam §. 12. reſpondi ad locum, in quo videtur dicere, quod Philoſophia Theologiæ contradicat. Alius exſtat locus (cap. 246. de *ſervo arbitrio*) ubi ait, injuſtitiam Dei adparentem argumentis, a proborum calamitate, improborumque proſperitate, deſumtis, probatam eſſe, quibus nulla Ratio, aut lumen naturale, queat reſiſtere. (*Argumentis talibus tractatam, quibus nulla ratio, aut lumen naturæ poteſt reſiſtere.*) At paullò poſt oſtendit, id ſe intelligere tantùm de iis, qui vitam alteram ignorant: addit enim, hanc difficultatem unica Evangelii vocula profligari, dum nos docet, alteram ſuperare vitam, in qua quidquid in hac vita vel pœnis, vel præmiis condignis, adfectum non fuerit, iis adficietur. Igitur objectio iſta nequaquam invincibilis eſt, immo ſine Evangelii opera reſponſio iſta in mentem alicui venire poſſet. Citatur etiam (Reſp. ad Provinc. Tom. 3. p. 652.) locus *Martini Chemnitii*, a *Vedelio* reprehenſus,

& a *Joanne Muſæo* (IIII) defenſus, in quo celebris ille Theologus apertè videtur dicere, dari in verbo Dei veritates, quæ ſint non ſupra Rationem ſolùm, ſed etiam contra Rationem: verùm locus hic non intelligi debet, niſi de principiis Rationis, ordini naturæ conformibus, quemadmodum *Muſæus* quoque eundem explanat.

68. Interim negandum non eſt, *Bælium* aliquas auctoritates, magis ſibi faventes, invenire. Non eſt inter eas poſtrema *Carteſii*. Vir hic magnus planè dicit, (1. Part. Principiorum ſuorum, Art. 41.) *Illis verò* (difficultatibus, in concilianda arbitrii noſtri libertate cum æterna præordinatione Dei ſurgentibus,) *nos expediemus, ſi recordemur, mentem noſtram eſſe finitam, Dei autem potentiam, per quam non tantùm omnia, quæ ſunt, aut eſſe poſſunt, ab æterno præſcivit, ſed etiam voluit ac præordinavit, eſſe infinitam; ideoque hanc quidem a nobis ſatis adtingi, ut clarè & diſtinctè percipiamus, ipſam in Deo eſſe; non autem ſatis comprehendi, ut videamus, quo pacto liberas hominum actiones indeterminatas relinquat: libertatis autem & indifferentiæ, quæ in nobis eſt, nos ita conſcios eſſe, ut nihil ſit, quod evidentiùs & perfectiùs comprehendamus. Abſurdum enim eſſet, propterea quòd non comprehendimus unam rem, quam ſcimus ex natura ſua nobis eſſe debere incomprehenſibilem, de alia dubitare, quam intime comprehendimus, atque apud noſmet ipſos experimur.*

69. Locus hic *Carteſii*, cui Sectatores adhærent, (rarò de Magiſtri ſui effatis dubitare ſoliti) mihi ſemper inſolentior viſus eſt. Is non contentus dicere, ſe quidem non videre viam duo hæc dogmata conciliandi, totum genus humanum, immo creaturas rationales omnes, eodem in ſtatu collocat. Poteratne verò ignorare *Carteſius*, fieri non poſſe, ut contra veritatem invincibilis objectio exſurgat? cum talis objectio non niſi neceſſaria aliarum veritatum catena eſſe poſſit, quarum ſumma repugnet veritati adſertæ; unde fieret, ut inter veritates mutua foret contradictio, quod abſurdorum omnium abſurdiſſimum eſt. Præterea quamvis mens noſtra ſit finita, nec infinitum comprehendere poſſit, dantur tamen de infinito demonſtrationes, quarum vim vel imbecillitatem comprehendit, cur igitur objectionum vim aut imbecillitatem pariter non comprehendet? Et cum Dei potentia ac ſapientia ſint infinitæ, omniaque contineant, de earum amplitudine nullus dubitandi locus relinquitur. Porrò *Carteſius* libertatem requirit minime neceſſariam, dum vult actiones humanæ voluntatis prorſus eſſe indeterminatas, quod nunquam contingit. Denique *Bælius* ipſe contendit, experientia illa, ſive conſcientia intima noſtræ independentiæ, in qua *Carteſius* libertatis noſtræ probationem conſtituit, eam minime evinci, cùm ex eo, quod cauſas, a quibus pendemus, non percipiamus, haud quaquam ſequatur, eſſe nos independentes. Sed hac de re diſſeremus ſuo loco.

70. *Carte-*

(IIII) V. ſupr. §. 20.

70. *Carteſius* etiam in Principiis ſuis alicubi fateri videtur, quòd impoſſibile ſit reſpondere difficultatibus circa materiæ diviſionem in infinitum (mmmm), quam nihilominus eſſe veram agnoſcit. *Arriaga*, aliique Scholaſtici, eandem fere ſententiam exoſculantur; ſed ſi non pigeret eos, debitam objectionibus formam tribuere, viderent illi, conſequentiam eſſe vitioſam, & falſas ſæpe hypotheſes, quæ moleſtiam creant. En exemplum rei. Vir quidam doctus aliquando objectionem hanc mihi propoſuit: Secetur linea recta BA in duas partes æquales in puncto C, & pars CA in puncto D, & DA in puncto E, ſicque in infinitum; omnes medietates, BC, CD, DE, &c. faciunt ſimul totum BA, ergo dari oportet ultimam medietatem, cùm linea recta deſinat in A. Atqui hæc ultima medietas eſt abſurda: cùm enim medietas illa ſit linea, poterit adhuc dividi in duas partes. Ergo diviſio in infinitum admitti nequit. Sed monui, quamvis detur ultimum punctum A, non ideo ſequi, dandam eſſe medietatem aliquam ultimam, quia punctum hoc convenit omnibus medietatibus versùs A, quod & Amicus ipſe agnovit, dum hanc illationem argumento legitimo probare conatus eſt: immo potiùs, eo ipſo, quòd diviſio tendit in infinitum, nulla datur medietas ultima. Et quamvis linea recta BA finita ſit, non ſequitur, diviſionem ejus habere terminum ultimum. Pariter negotium faceſſunt *ſeries numerorum*, in infinitum procedentes. Concipitur in illis terminus ultimus, numerus infinitus, vel infinitè parvus, ſed omnia hæc nihil aliud ſunt, quàm fictiones. Numerus omnis finitus eſt & adſignabilis, omnis linea ſimili ſe habet ratione, & infinita, aut infinite parva, nihil aliud ſignificant, quàm magnitudines, quæ tam magnæ aut tam parvæ ſumi queunt, quàm libuerit, ut nimirum oſtendatur, errorem eſſe minorem quolibet dato, hoc eſt, errorem revera nullum eſſe: vel ſaltem per infinitè parvum intelligitur ſtatus quantitatis evaneſcentis vel naſcentis, ad inſtar magnitudinum jam formatarum conceptus.

71. Juverit interim expendere rationem a *Bælio* adductam, ut oſtendat, objectionibus, quæ a Ratione Myſteriis opponuntur, ſatisfieri non poſſe. Exſtat ea in Elucidatione ipſius circa Manichæos (p. 3140. Editionis ſecundæ Dictionarii:) *Mihi ſufficit* (inquit) *quòd omnes unanimi conſenſu agnoſcant, Myſteria Evangelica ſupra Rationem eſſe. Hinc enim neceſſariò fluit, fieri omnino non poſſe, ut difficultates Philoſophorum diſſolvantur, atque adeo exitum certaminis, in quo ſolis notitiis naturalibus pugnabitur, Theologis ſemper fore infelicem, dum cogantur pedem referre, & ſub arce lumi-*

(mmmm) *Rodericus de Arriaga, Hiſpanus*, cujus celebre inter Scholaſticos nomen, qui primum Philoſophiam Valliſoleti, tum Theologiam Salmanticæ, tandemque Pragæ in Bohemia docuit, ubi mortuus A. 1667. Reliquit *Curſum Philoſophicum*, it. *Curſum Theologicum*, ſeu *Diſputationes Theologicas in Thomam de Aquino*, Antw. & Lugd. diverſo tempore excuſos octo Tomis in fol.

nis ſupernaturalis quærere perfugium. Miror, *Bælium* adeò generatim loqui, cùm ipſe agnoverit, naturale lumen pro unitate principii ſtare contra Manichæos, & bonitatem Dei modo invicto probari Ratione. Ecce verò verba ejus ſequentia.

72. *Evidens eſt, Rationem ea, quæ ſupra ſe ſunt, adſequi non poſſe. Jam ſi ad objectiones, Dogma Trinitatis & Unionis Hypoſtaticæ impugnantes, exhibere reſponſiones illa poſſet, adſequeretur iſta duo Myſteria, ea ſibi ſubjiceret, ac flecteret ad ultimas uſque collationes cum primis ſuis principiis, vel cum aphoriſmis, qui ex notionibus communibus oriuntur, donec tandem ea cum lumine naturali conſentire collegerit. Faceret itaque Ratio id, quod eſt ſupra vires ſuas, tranſcenderet limites ſuos, quod apertè contradictorium eſt. Dicendum igitur eſt, eam non poſſe ſuppeditare reſponſiones ad ſuas ipſius objectiones, illaſque manere victrices, quamdiu ad divinam auctoritatem, & intellectus in Fidei obſequium cogendi neceſſitatem, non recurritur.* (Ego vim in hocce ratiocinio nullam deprehendo. Id, quod ſupra nos eſt, *adtingere* poſſumus, non quidem illud penetrando, ſed defendendo; quemadmodum cœlum viſu non tactu, poſſumus adtingere. Neque neceſſarium eſt ad reſpondendum objectionibus, contra Myſteria motis, ut Myſteria ipſa ſibi ſubjiciantur, aut ut ad confrontationem cum primis, quæ ex notionibus communibus naſcuntur, principiis ſubmittantur, nam ſi is, qui ad objectiones reſpondet, eatenus progredi deberet, hoc ipſum ille, qui objectionem proponit, princeps facere teneretur; Objicientis enim eſt, argumenti tractationem adgredi, Reſpondenti ſatis eſt, dicere, etiam, aut non; quia loco diſtinctionis ei, rigidè agenti, ſufficit propoſitionis alicujus, in objectione poſitæ, univerſalitatem negare, vel formam argumenti redarguere; quod utrumque fieri poteſt, etiamſi ultra objectionem reſpondens haud adſurgat. Quodſi quis argumentum mihi proponat, quod invictum eſſe jactet, tacere poſſum, obligando duntaxat eum ad probandum in bona forma omnes enunciationes, quas profert, quæque mihi vel tantillùm dubiæ videntur: ut autem dubitem duntaxat, mihi neceſſe non eſt, rei controverſæ intima pernoſcere: immò verò, quo magis ignarus ero, eo majus dubitandi jus habebo.) Pergit *Bælius.*

73. *Rem clariorem reddere conemur: ſi doctrinæ quædam ſupra Rationem ſunt, captum illius ſuperant, ut ad eas pertingere nequeat; quodſi ad eas pertingere nequeat, nec illas comprehendere poterit.* (Poterat a *comprehenſione* facere initium, dicendo, Rationem id, quod ſupra ſe eſt, non poſſe comprehendere.) *Si eas comprehendere non poteſt, nullam quoque earum ideam nanciſci poterit.* (Non valet conſequentia: nam ad *comprehenſionem* rei cujuſpiam non ſufficit, aliquas ejus ideas habere, ſed oportet habere omnes ideas omnium, quæ illius conſtitutionem ingrediuntur, & has

ideas

ideas omnes oportet eſſe claras, diſtinctas, adæquatas (nnnn). Sexcenta inveniuntur in natura objecta, quorum etſi aliquid intelligamus, non ideò comprehenſionem habemus. Ideas habemus aliquas radiorum lucis, de iis condimus demonſtrationes ad certum uſque terminum, ſed tamen ſemper remanet aliquid, quod nos fateri cogat, totam lucis naturam necdum a nobis eſſe comprehenſam,) *nec ullum principium, quod ſolutionis fons exiſtat*, (Quidni principia quædam evidentia inveniremus notitiis obſcuris & confuſis commixta?) *atque adeò prolatæ a Ratione objectiones ſine reſponſione manebunt.* (Minimè gentium; difficultas potius opponentis premet latus. Hujus eſt, evidens inveſtigare principium, a quo derivari aliqua objectio poſſit, tantoque difficiliùs tale principium inveniet, quò res, qua de agitur, erit obſcurior: & ubi id invenerit, adhuc difficilius ipſi erit, oppoſitionem principium inter & myſterium oſtendere: namque ſi myſterium evidenti principio contrariari manifeſtè deprehenderetur, non jam *myſterium obſcurum*, ſed *abſurditas manifeſta* foret.) *Vel, quod idem eſt, per diſtinctionem reſpondebitur, æquè obſcuram, quàm eſt ipſa theſis oppugnata.* (In rigore diſputandi *diſtinctiones* omitti poſſunt negando vel præmiſſam aliquam, vel conſequentiam: cumque de termini alicujus, ab *Opponente* adhibiti, ſenſu dubitatur, poſtulari ab eo illius definitio poteſt, ita ut Reſpondens nihil de ſuo ipſe inſumere cogatur, quando cum adverſario res eſt, qui argumentum, quod nobis opponit, invictum eſſe gloriatur. Verùm quamvis defendens ſive ex indulgentia, ſive compendii ergo, ſive quòd ſe ſatis robuſtum ſentit, æquivocationis, in objectione latentis, detegendæ & aliqua diſtinctione ſubmovendæ, onus in ſe ſuſcipere vellet, nullatenus neceſſe eſt, ut hæc diſtinctio ad aliquid ducat, quod ſit ipſa theſi prima clarius, cùm defendens Myſterium ipſum illuſtrare minime teneatur.)

74. *Atqui exploratum eſt*, (pergit *Bælius*) *objectionem, in notionibus valde diſtinctis fundatam, æquè manere victricem, ſive nihil reſpondeas, ſive reſpondeas aliquid, quod nemo comprehendit. Numquid æquo dimicare marte poteſtis, hinc homo, qui tibi, quod tu & ille clariſſime concipitis, objicit, inde tu, qui te tueri non potes, niſi per reſponſa, in quibus neque tu, neque ille, quidquam comprehenditis?* (Non ſatis eſt, objectionem in notionibus valdè diſtinctis fundari, oportet, eas etiam contra Theſin adplicari. Et quando ego cuiquam reſpondeo negando aut præmiſſam aliquam, ut probationem eliciam, aut conſequentiam, ut bonam formam exigam, non poſſum dici nihil reſpondere, aut nihil, quod intelligi queat, reſpondere. Cùm enim præmiſſa adverſarii, quam nego, dubia ſit, negatio mea æquè intelligi poterit, atque ejus adfirmatio. Denique cùm id

(nnnn) Addit *Interpr. Lat.* „ Itaque eorum, quæ minime comprehendimus, poſſumus aliquas habere ideas. „

adverſario largior, ut diſtinctione aliqua mentem meam explicem, ſufficit, terminos, quos adhibeo, ſenſum aliquem habere, uti in myſterio ipſo: atque ita in reſponſo meo intelligetur aliquid, ſed ut omnia, quæ reſponſo meo involvuntur, intelligantur, neceſſe non eſt, alioqui myſterium ipſum comprehenderetur.)

75. *Bælius* rem ita perſequitur. *Omnis diſputatio philoſophica ſupponit, partes diſputantes de certis quibuſdam definitionibus conſentire*, (optandum id quidem eſſet, ſed plerumque non, niſi in ipſo diſputationis curſu, eo devenitur, cùm opus eſt.) *& regulas Syllogiſmorum, notaſque, ex quibus prava ratiocinia dignoſcuntur, admittere. Poſthæc ſolùm ſupereſt, ut examinetur, num theſis aliqua mediatè, an immediatè, principiis utrimque receptis congruat*; (hoc verò fit per Syllogiſmos opponentis) *num præmiſſæ probationis* (ab opponente prolatæ) *veræ ſint, num conſequentia legitima; annon Syllogiſmus laboret quatuor terminis, annon in aphoriſmum fortè aliquem peccetur capitis* de oppoſitis, vel de ſophiſticis elenchis, *&c.* (ut paucis dicam, ſufficit negare præmiſſam aliquam, vel conſequentiam, vel denique explicare, terminum aliquem æquivocum, aut ejus explicationem rogare.) *Reportabitur victoria, ſi vel oſtenditur, argumentum diſputationis nullam cum principiis, de quibus conventum fuerat, habere connexionem*, (hoc eſt, ſi oſtenditur, objectionem nihil probare, & tunc defendens cauſam vincit) *vel ſi defendens ad abſurdum redactus fuerit*; (ubi omnes præmiſſæ, omneſque conſequentiæ ritè probatæ fuerint) *at redigi ad abſurdum poteſt, ſive monſtretur, ex theſi ejus fluere adfirmationem & negationem, ſive cogatur ea tantum reſpondere, quæ nemo intelligere queat.* (Poſtremum hoc incommodum ſemper caveri poteſt, quia defendens novas proferre theſes non tenetur.) *Scopus ejuſmodi diſputationum eſt, ea, quæ obſcura ſunt, elucidare, & ad evidentiam pervenire*; (Scopus is eſt opponentis, vult enim palam facere, Myſterium eſſe falſum, ſed defendentis hic ſcopus eſſe nequit; dum namque Myſterium admittit, fatetur illud evidens reddi non poſſe.) *Hinc fit, ut, durante lite, eò magis minuſve victoria ſive defendenti, ſive opponenti, favere judicetur, quo plus minuſve claritatis erit in utriuſcumque propoſitionibus.* (Hæc dicuntur, quaſi defendentem & opponentem æque nudatos expoſitoſque eſſe neceſſum foret: at defendens arcis præfecto obſeſſo, munimentis ſuis tecto, eſt ſimilis; adgreſſoris autem eſt, ea perrumpere. Defendens evidentiâ hic non eget, neque illam quærit: ſed opponentis partes ſunt, evidentiam adversùs illum invenire, ſuiſque tormentis munimenta, defendentem tegentia, evertere.)

76. *Denique victus eſſe judicatur ille, cujus reſponſa ſic comparata ſunt, ut de iis nemo quidquam comprehendat*, (eſt id indicium victoriæ oppidò anceps, igitur interrogandi auditores erunt, num eorum, quæ dicta ſunt, aliquid perceperint, & ſæpè in diverſas abibunt ſententias. Verarum diſputationum lex eſt, per argumenta in bona forma procedere, eiſque reſpon-

reſpondere negando vel diſtinguendo.) *& qui reſponſiones ſuas incomprehenſibiles eſſe fatetur.* (Illi, qui Myſterii veritatem tuetur, fateri licet, Myſterium comprehendi non poſſe, &, ſi hoc ſufficit, ut victus eſſe judicetur, nihil opus eſt objectionibus. Veritas quædam incomprehenſibilis eſſe poterit, ſed nunquam ita incomprehenſibilis erit, ut nihil prorſus in ea percipi dicatur. Eſſet enim eo in caſu, quod *Scindapſus* vel *Blityri* antiquæ Scholæ dicebant (oooo), (*Clem. Alex.* Strom. 8.) hoc eſt, voces ſenſu vacuæ.) *Hinc ſecundum regulas, quas in adjudicanda victoria, ſpectare ſolemus, condemnatur, dumque eum perſequi non licet, ob nebulam, qua ſe obtexit, quæque barathrum quoddam inter ipſum atque adverſarios conſtituit, funditùs profligatus reputatur; & cum exercitu comparatur, qui, amiſſo prælio, noctis beneficio manibus victoris perſequentis ſeſe ſubducit.* (Ut allegoriam allegoriâ rependam, dicam ego, defendentem victum non eſſe, quamdiu aggeribus ſuis ſeptus manet; & ſi eruptionis aleam quandoque ſubit citra neceſſitatem, ſemper ad munimenta ſeſe ſua recipere ſine ignominiæ dedecore poſſe.)

77. Placuit prolixo huic loco, ad vivum reſecando, impendere operam, quo *Bælius*, quidquid pro ſua ſententia robuſtiſſimum, & rationibus maxime plauſibilibus fultum, dici poterat, concluſit totum: ac ſpero, me clarè monſtraſſe, quantum vir præſtans a recta via aberrarit: quod ingenioſiſſimo & perſpicaciſſimo cuique accidere poteſt, cùm ingenio habenæ laxantur, & neceſſarius perſcrutando funditùs Syſtemati ſuo labor negligitur. Hæc noſtra etiam diſcuſſio nonnullis ratiociniis, per *Bælii* Opera ſparſis, pro reſponſione eſto, uti, dum ait Reſponſi ad Quæſita Provincialis Cap. 133. (Tom. 3. p. 685.) *Ut Rationem cum Religione conciliaſſe te evincas, oſtendendum non modò, præſtò eſſe axiomata philoſophica, quæ Fidei noſtræ faveant, ſed etiam axiomata illa particularia, quæ, tanquam Catechiſmo noſtro parum conſona, nobis objiciuntur, reapſe illi conſonare ratione quadam diſtincte concepta.* Omnino non video, quid hoc toto opus ſit, niſi ratiocinium ad ipſum uſque Myſterii *modum* provehere velis. Quodſi ſola veritatis Myſterii defenſione contentus, ejus comprehenſionem neutiquam adfectas, neceſſe plane non habes, probationis gratia ad axiomata philoſophica, ſive generalia, ſive particularia, recurrere; &, ſi alius quiſpiam axiomata nonnulla philoſophica nobis opponat, noſtrum non

(oooo) Eſtne demonſtrationis ergo, *ait Clemens*, nomen ejuſmodi, cujuſmodi eſt *Blityri*, vox ſolum nihil ſignificans? Et quomodo neque Philoſophus, neque Orator, ſed neque Judex, tanquam nomen nihil ſignificans, profert demonſtrationem, neque aliquis ex iis, qui judicio contendunt, ignorat eſſe ſignificatum? Jam verò Philoſophi excogitant demonſtrationem, ut quæ conſiſtat, alius aliter. De quavis ergo re quæſita ſi quis rectè tractet, non ad aliud principium quod ſit certum & extra controverſiam potiùs deducet orationem, quam ad id, quod quicunque ſunt ejuſdem generis & ſermonis, ex adpellatione fatentur ſignificari, *&c.*

non eſt, clara diſtinctaque ratione conformitatem eorum cum dogmate noſtro oſtendere, ſed adverſarii eſt, eorum repugnantiam probare.

78. Proſequitur ibidem *Bælius* ſequentem in modum: *Hoc ut præſtemus, opus eſt nobis reſponſione, quæ æque ſit evidens, atque ipſa objectio.* Jam ſuprà oſtendi (pppp), contingere id, quando præmiſſæ negantur; cætera verò neceſſe non eſſe, ut is, qui Myſterii veritatem tuetur, propoſitiones adferat evidentes, cùm Theſis ipſa principalis, quæ circa Myſterium ipſum verſatur, evidens non ſit. Addit adhuc: *Si replicandum, ſi duplicandum eſt, nunquam debemus manere debitores, aut putare, nos ſcopum noſtrum planè adſecutos eſſe, quamdiu adverſarius noſter res æquè evidentes nobis regeret, ac rationes eſſe noſtræ poſſint.* Verùm defendentis non eſt, rationes adducere; ſufficit ei, rationibus adverſarii ſui reſpondere.

79. Concludit Auctor denique: *Iniquus foret, qui contenderet, opponentem acquieſcere reſponſo debere, quo objectioni evidenti inſtantia tantùm poſſibilis, nec ſatis comprehenſa reponitur.* Id ipſum repetit in Dialogis poſthumis adversùs *Jaquelotium*, p. 69. Equidem abſum ab hac ſententia. Si objectio omnimoda gaudeat evidentia, victrix ea foret, & Theſin everteret. Sed ubi objectio non, niſi in adparentibus, aut plerumque contingentibus, caſibus fundetur, & opponens univerſalem atque certam ex ea velit concluſionem elicere; tunc is, qui Myſterium propugnat, reſpondere poteſt per inſtantiam ſimplicis poſſibilitatis, cùm hujuſcemodi inſtantia ſatis indicet, hoc, quod ex præmiſſis inferebatur, minime certum eſſe, nec generale; ſufficit etiam illi, qui pro Myſterio decertat, ejus poſſibilitatem tueri, nec onus habet, ejuſdem veriſimilitudinem adſerendi. Nam, ut ſæpius dixi, conſenſus eſt, Myſteria repugnare adparentiis. Immo nec neceſſe eſt, eum, qui Myſterium tuetur, hujuſmodi inſtantiam adferre; quodſi tamen facit, dici poteſt, eſſe velut opus ſupererogationis, aut eſſe medium, adverſarium magis confundendi.

80. In Reſponſo *Bælii* poſthumo ad *Jaquelotium* quædam etiam reperio, quæ mihi examine digna videntur. *Bælius* (ita legitur p. 36. 37.) *conſtanter in ſuo Dictionario, quotieſcumque ita fert argumentum, adſerit, Rationem noſtram refutando magis & deſtruendo, quàm probando atque ædificando idoneam eſſe, vix ullam eſſe ſive in Philoſophia, ſive in Theologia, quæſtionem, in qua illa non maximas ſuſcitet difficultates, ita ut, ſi quis eam contendendi animo proſequi vellet, quàm longiſſime pateret ipſi via, ſæpe ſe ad maximas redactum anguſtias videret; denique dari doctrinas quaſdam omnino veras, quas Ratio tamen per objectiones ſolvi neſcias oppugnet.* Equidem mihi perſuadeo, id, quod hic vitio vertitur Rationi, eidem potius laudi eſſe. Dum illa Theſin aliquam evertit, oppoſitam Theſin ſtatuit. Dumque utramque ſimul oppoſitam Theſin convellere videtur, tunc aliquid ſublime nobis pollicetur, dummodò eam ſequamur *quoad longiſſimè fieri*

(pppp) §. 74.

fieri poteſt, non animo altercandi, ſed cum ardenti deſiderio, inveſtigandæ detegendæque veritatis, quod ſemper aliquo ſucceſſu, haud quaquam ſpernendo, compenſabitur.

81. Pergit *Bælius*: *tunc objectiones iſtiuſmodi contemnendas, agnoſcendo anguſtos ingenii humani limites.* Ego verò contrarium amplector, & ſtatuo, agnoſcenda potiùs eſſe documenta virtutis, in humano ingenio radiantis, qua rerum intima perſcrutari queat. Sunt hæc nova oſtia, atque, ut ita dicam, radii auroræ, majorem nobis lucem ſpondentis; de argumentis philoſophicis, vel Theologiæ naturalis, ſermo mihi eſt: at, ubi objectiones ejuſmodi contra Fidem revelatam militant, ſufficit, eas repelli poſſe, modò id cum animo modeſtiam & zelum ſpirante, cumque intentione propugnandæ & exaltandæ divinæ gloriæ fiat. Quod qui feliciter circa juſtitiam Dei præſtiterit, ſimul ejus magnitudine percelletur, & ejus bonitate permulcebitur, quæ per medias Rationis, vana eorum, quæ videt, ſpecie deceptæ, nebulas tanto magis tralucebunt, quanto alacrius mens per Rationem veram ad ea, quæ oculis noſtris ſunt occulta, nec ideo minùs certa, adſurget.

82. *Hoc pacto* (ut cum *Bælio* pergamus) *Ratio ponere arma cogetur, ſeque in obſequium Fidei tanquam captivam tranſmittere, id quod facere poteſt, & debet, vi quorundam axiomatum ſuorum, quæ omnium minime controverſa ſunt; & ſic alia quædam axiomata ſua abdicans, non ideò non aget ſecundùm id, quod ipſa eſt, hoc eſt, ſecundùm Rationem.* Sed ſciendum eſt, *axiomata Rationis, quæ hoc caſu abdicanda ſunt, ſolùm eſſe ea, quæ nos ex adparentibus, vel ex ordinario rerum curſu judicare diſcunt*: quod ipſum Ratio nobis in materiis etiam philoſophicis præſcribit, cum probationes invincibiles in contrarium adſunt. Sic, ubi ſemel de bonitate juſtitiaque Dei demonſtrationum beneficio certi facti ſumus, duritatis injuſtitiæque ſpecies contemnimus, quas in permodica hac regni ſui parte, oculis noſtris expoſita, cernimus. Hucuſque *naturæ gratiæque lumine* illuſtrati ſumus, ſed necdum *lumen gloriæ* uſurpamus. Hic in terris injuſtitiam adparentem videmus, & credimus, atque ſcimus etiam, veritatem juſtitiæ Dei occultæ, ſed eam ipſam juſtitiam ſpectabimus, quando Sol juſtitiæ ſeſe, ſicut eſt, conſpiciendum præbebit.

83. Certum eſt, *Bælium* intelligi non poſſe, niſi de his *axiomatis veriſimilibus*, quæ veritatibus æternis cedere debent; agnoſcit enim, Rationem verè non eſſe Fidei contrariam. Et in Dialogis poſthumis queritur (p. 73. contra *Jaquelotium*) inſimulari ſe, quaſi Myſteria noſtra Rationi vere contraria cenſeret, & (p. 9. contra *Clericum*) contendere ſuos adverſarios, quod is, qui doctrinam aliquam objectionibus inſolubilibus expoſitam eſſe agnoſcit, etiam per conſequentiam neceſſariam agnoſcat hujus doctrinæ falſitatem. Interim jure id contenderent, ſi inſolubilitas iſta foret plus, quam adparens.

84. Fortaſſis ergò poſt longum de Rationis uſu certamen, cum *Bælio*

 initum,

initum, comperiemus in fine computationis, ſententiam ejus revera non tam procul a noſtra receſſiſſe, quam præ ſe ferant verba, quæ noſtris animadverſionibus anſam dedere. Videtur quidem, conſentio, abſolutè negare ſæpiſſimè, quòd poſſit unquam objectionibus Rationis adversùs Fidem reſponderi, ac contendere, quod hunc in finem neceſſariò debeat comprehendi, quomodò Myſterium fiat, aut exiſtat. Nihilominùs verò ſunt quædam loca, in quibus mitiora ſentit, ſatque habet dicere, ſolutiones harum objectionum aciem ſuorum oculorum fugere. En aliquem locum ſatis definitum, deſumtum ex hac ipſa elucidatione circa Manichæos, ad calcem editionis ſecundæ Dictionarii ſubjecta. *Ut Lectoribus etiam ſcrupuloſiſſimis quàm ampliſſimè ſatisfaciam, lubens hic profiteor*, (ait ille p. 3148.) *ubicumque in Dictionario meo invenient, hæc illave argumenta inſolubilia eſſe, nolle me, ut reapſe talia eſſe, homines ſibi perſuadeant. Nihil aliud ſignificare mens eſt, niſi quòd inſolubilia mihi videantur. Hoc certè nihil periculi minatur, quiſque, ſi lubet, credet, me ob perſpicacitatis inopiam ita opinari.* Ego verò non iſtud quidem mihi perſuadeo, nimium nota mihi eſt magna viri perſpicacia: id potiùs auguror, poſtquàm omnes ingenii nervos ad roborandas objectiones intenderat, non ſatis adtentionis illi reliquum manſiſſe ad eas ſolvendas.

85. Cæterum fatetur *Bælius* in Opere poſthumo adverſus *Clericum*, objectiones contra Fidem non habere vim demonſtrationum. Itaque *ad hominem* duntaxat, vel potius *ad homines*, id eſt, ſpectata præſente generis humani conditione, objectiones has inſolubiles eſſe judicat, & argumentum inexplicabile. Exſtat etiam locus, in quo innuit, non deſperare ſe, ſolutionem ſeu explicationem illarum aliquando inventum iri, vel ætate noſtra. Ecce verba illius in Reſponſo poſthumo ad *Clericum* dato (p. 35.) *Sperare potuit* Bælius, *ex ſublimibus illis ingeniis, a quibus nova Syſtemata hodie proficiſcuntur, non defore, quæ gloriæ aculeis ſtimulentur opera ſua, fierique poſſe, ut extricationem hactenus incognitam excogitent.* Videtur per hanc *extricationem* intelligere aliquam explicationem Myſterii, quæ progrederetur uſque ad ipſum *quomodò*, ſed id ad reſpondendum objectionibus neceſſarium non eſt.

86. Complures in comprehendendo hoc *quomodò*, probandaque Myſteriorum poſſibilitate deſudarunt. Auctor quidam, qui ſe *Thomam Bonartem Nordtanum Anglum* nominat, in ſua *Concordia Scientiæ cum Fide*, eo adſpiravit. Opus hoc mihi viſum eſt ingenioſum & eruditum, ſed acerbum ac perplexum, immo refertum opinionibus, quæ nulla ratione defendi queunt. Ex *Apologia Cyriacorum*, a *P. Vincentio Barone* Dominicano, conſcripta, didici, opus Romæ cenſuram eſſe paſſum, Auctorem fuiſſe Jeſuitam, editionemque illius haud feliciter ipſi ceſſiſſe. R. P. *des Boſſes*, qui nunc in Hildeſienſi Jeſuitarum Collegio Theologiam profitetur, quique eruditionem haud vulgarem cum magna, quam in Philoſophia ac Theologia prodit, perſpicacitate conjunxit, edocuit me, ge-

nuinum

nuinum *Bonartis* nomen fuiſſe *Thomam Bartonum*, eumque, a Societate digreſſum, in Hyberniam ſe contuliſſe, ibique diem ſuum obiiſſe ratione, quæ bene adhuc de ultimis animi ſui ſenſibus judicare permittat. Doleo vicem eruditorum virorum, qui labore & ardore ſuo ſibi ipſi negotium faceſſunt. Simile quid olim contigit *Petro Abælardo*, *Gilberto de la Porrée* (qqqq), & *Joanni Wiclefo* (rrrr), noſtraque hac ætate *Thomæ Albio* Anglo, aliiſque nonnullis, qui in Myſteriorum explicationem plus nimio ſeſe immerſerunt.

87. Interim tamen *S. Auguſtinus* (æquè atque *Bælius*) non deſperat, optatam extricationem inveniri in hac vita poſſe: ſed hoc ipſum alicui Viro ſancto, gratiâ prorſus ſingulari colluſtrato, reſervatum eſſe exiſtimat: *Eſt aliqua cauſa fortaſſis occultior, quæ melioribus ſanctioribuſque reſervatur, illius gratiâ potiùs, quàm meritis illorum* (in Geneſ. ad litteram, Lib. II. c. 4.) *Lutherus* Myſterii Electionis cognitionem Academiæ cœleſti reſervat (Libro de ſervo arbitrio, cap. 174.) *Illic* (Deus) *gratiam & miſericordiam ſpargit in indignos, hic iram & ſeveritatem ſpargit in immeritos; utrobique nimius & iniquus apud homines, ſed juſtus ac verax apud ſe ipſum. Nam quomodò hoc juſtum ſit, ut indignos coronet, incomprehenſibile eſt modo, videbimus autem, cùm illuc venerimus, ubi jam non credetur, ſed revelatâ facie videbitur. Ita quomodò hoc juſtum ſit, ut immeritos damnet, incomprehenſibile eſt modo, creditur tamen, donec revelabitur filius hominis.* Sperandum eſt, *Bælium* luminibus illis nunc circumdari, quod terris negatum eſt; cum credibile ſit, bonam voluntatem ei nequaquam defuiſſe.

Virgilius. *Candidus inſueti miratur limen Olympi,*
Sub pedibuſque videt nubes & ſidera Daphnis.
- - - *Illic poſtquàm ſe lumine vero.*

Lucanus. *Implevit, ſtellaſque vagas miratus & aſtra*
Fixa polis; vidit, quanta ſub nocte jaceret
Noſtra dies (ssss)

(qqqq) *Gilberto Porretano* idem, quod *Abælardo*, contigiſſe non dubito, ut, dum Tritheiſmum evitare voluit, ad Sabellianiſmum deflecteret, ait *Budd.* Iſag. p. 1131. Fuit *Gilbertus Porretanus* Epiſcopus Pictavienſis, Philoſophus acutiſſimus, mortuus A. 1154. *Petrus Abælardus*, *ſ. Abeillardus*, Gallus, natus A. 1079. denatus A. 1142. d. 21. April. Arianiſmi, Pelagianiſmi & Neſtorianiſmi, inſimulabatur, V. *laud. Buddei* Obſervationem, de hæreſibus ex Philoſophia Ariſtotelico-Scholaſtica ortis, Tom. I. Obſervat. ſelectar. ad rem litterar. ſpectant. Obſ. XV. §. XI. ſqq. p. 187. ſqq.

(rrrr) V. *Henr. Warthonus* in Adpendice ad Hiſtor. Litterar. *Guil. Cavei*, Sæc. XIV. p. 34. ſqq. Obiit autem *Jo. Wiclefus*, eximius teſtis veritatis, A. 1387. d. 31. Dec.

(ssss) Bona hæc ſpes, de *Bælio* concepta, fecit, ut multis *Leibnitii* Religio ſuſpecta videretur: ſed ſine ratione, ut arbitror. Præter enim ea, quæ in Auctoris

ris

ris illuſtris defenſionem adferuntur a *Cel. Stollio*, in Hiſt. Litt. p. 493. *Leibnitium* agere philoſophum, ac rem habere cum adverſario, pari ipſum honoris præfatione tractante, incomparabilem item *Fontenellium* adpellare raram atque inſolitam hanc penes Theologos caritatem, qui damnare ſuos antagoniſtas familiare habent: præter ea, inquam, & ſimilia, non incommodè dicta, obſervandum adhuc eſt, ex hocce loco plane non ſequi, juxta mentem ill. Viri, *qualitercunque bonam voluntatem ſufficientem æternæ ſalutis ac cæleſtis beatitudinis cauſam & fundamentum eſſe*, ſed id tantum patere, *Leibnitium*, cùm in *Bælio* veri amorem certum, voluntatemque pronam adprobandi ea, quæ conſentanea eſſent, reperiſſet, ſperaſſe, *hoc enim Chriſtiani eſt*, Deum, pro ingenti ſua erga homines miſericordia, novo ipſius animum lumine, nova gratia, veram fidem operante, adfeciſſe, ſicque *Bælium* ante diſceſſum ex hac vita ad guſtandas futuræ vitæ felicitates præparaſſe. Conf. infr. *P. I. Theod.* §. 57.

TENTA-

TENTAMINUM THEODICÆÆ, DE BONITATE DEI, LIBERTATE HOMINIS, ET ORIGINE MALI,

PARS PRIMA.

ARGUMENTUM.

§. 1. D*UÆ difficultates circa malum, quarum altera hominis libertatem, altera agendi rationem divinam ſpectat, quæ Dei bonitati, ſanctitati, juſtitiæque videtur adverſari.* §. 2. *Libertati refragatur determinatio ac certitudo qualiſcunque : præſcientia, & ampliùs providentia & præordinatio omne certum determinatumque efficit, ut homo ad bonum & malum videatur neceſſitari, ſicque nec præmium mereri, nec pœnam.* §. 3. *Miſſa hominis libertate, objicitur porrò, omnem realitatem a Deo eſſe, hincque ipſum non ſolùm phyſicam, ſed & moralem peccati cauſam eſſe, & ſine diſcrimine operari omnia, & bonum, & malum, cumque conſervatio ſit creatio continua, hominem continuò creari, corruptum & peccantem.* §. 4. *Miſſo etiam Dei concurſu, objicitur, ut cauſa peccati moralis efficiatur, ſufficere, nihil abſque ejus permiſſu contingere. Cognoſcit Deus, quidquid eventurum eſt, ſi hominem, a ſe creatum, in his illiſve circumſtantiis ponat, nec tamen ponere omiſit. Exponitur homo tentationi, cui ſuccubiturus ſcitur, atque ita horribilium malorum infinitorum causâ futurus. Si ad futuram vitam reſpicitur, pauci ſalvandi, aliique omnes exitio dandi : & Fides adhuc, per quam iſti ſalvantur, Dei donum eſt, nos omnibus bonis operibus mortui ; inde concluditur, Deum ultimam eſſe rationem ſalutis, gratiæ, electionis, in Chriſto, dare fidem & ſalutem,*

cui velit. §. 5. *Terribile igitur, ajunt, judicium eſt, quod Deus, cùm pro toto genere humano det ſuum Filium, nihilominus tam paucos ſalvet, & reliquos omnes diabolo in æternum permittat, ea tantùm de cauſa, quòd eorum parentes tentationi expoſuit, cui eſſe ſuccubituros norat; unde imputatio, etiam in illis, qui voluntate ſua conſenſum præbere nondum potuerunt, & innumeris aliis, qui de Chriſto nihil unquam audierunt. Hæ ſunt potiſſimùm Objectiones multorum, a* Bælio *inprimis exaggeratæ.* §. 6. *Incipit Vir illuſtris ad Objectiones reſpondere.* §. 7. *Probatur exiſtentia Dei, tanquam primæ Rationis rerum.* §. 8. *Oſtenditur, quòd Deus non potuerit non eligere optimum, cùm omnino agat, ſecundùm normam ſupremæ rationis.* §. 9. *Si dicatur, mundum ſine peccato, & ſine ærumnis, eſſe potuiſſe, negatur, hac ratione mundum futurum fuiſſe optimum.* §. 10. *Mundi alii, qui concipiuntur, poſſibiles noſtro ſunt longè inferiores, quoad bonum. Malum ſæpè eſt cauſa boni, & duo mala ſæpè ingens bonum procurarunt.* §. 11. *Eccleſiæ Gallicanæ Epiſcopi, qui contra* Sfondratum, *infantes non baptizatos ipſis beatis feliciores pronunciantem, ſcripſerunt, pariter ſtatuunt, ſeriem rerum, in qua peccatum, eſſe potuiſſe, immo reapſe fuiſſe meliorem alia ſerie peccati experte.* §. 12. *Illuſtratur res ſimilibus, quæ a ſenſuum voluptatibus deſumuntur.* §. 13. *Mala, ſi objicis, ſunt ingentia, nimiſque magno numero, ſi cum bonis comparentur; falleris defectu adtentionis ad bona noſtra.* §. 14. *Hocque eò magis eluceſcit, ſi fragilitas corporis humani conſideretur, divinæ ſapientiæ & bonitatis manifeſtiſſimum documentum.* §. 15. *Querimoniæ iſtiuſmodi ſunt injuſtæ, nihilque aliud eſt, quàm adversùs Providentiæ decreta murmurare. Huc referenda Scripta* Innocentii III. *Abbatis* Eſprit, *de miſeria humana, de falſitate virtutum humanarum.* §. 16. *Fatendum interim, eſſe in hac vita recti ordinis perturbationes, præſertim in improborum felicitate, bonorumque infelicitate, ſe prodentes, quibus tamen ſæpe in hac vita remedium paratur.* §. 17. *Et ſi non in hac vita, tamen in altera. Sed objicitur, etiam in futura æternitate plus mali fore, quàm boni, idque ſub ipſiſſimi ſummi boni auctoritate.* Prudentius *credidit contrarium, & ſtatuit locum medium inter Infernum & Paradiſum, quæ ſententia adſcribitur etiam* S. Gregorio Nyſſeno, S. Hieronymo. *Locus* Pauli, *omnem Iſraëlem ſalvum fieri dictantis.* Origenis *& Origeniſtarum ſententia de* ἀποκαταστάσει πάντων, *quorum cauſam ingeniosè oravit* Clericus. §. 18. *De cujuſdam Viri ingenioſi Theologia Aſtronomica, lepido quodam ſomnio.* §. 19. *Si etiam conceditur, numerum damnatorum infinities majorem eſſe numero ſalvandorum, dicendum tamen eſt, malum, cum bono comparatum, adhuc pro nihilo haberi poſſe, ſi vera Civitatis Dei magnitudo perpendatur.* Cæl. Secundi Curionis *Lib. de amplitudine Regni cæleſtis.* Auguſtinus *in excuſanda mali abundantia magnoperè laboravit. Innumeri in Univerſo ſunt globi, noſtro ſimiles, qui æquale jus habent ad incolas rationales: fieri etiam poteſt, ut Soles omnes a creaturis beatis incolantur: quibus*

quibus rite penſitatis, globus noſter infinities minor habebitur puncto phyſico. §. 20. Oſtenditur, quòd origo mali quærenda in ideali natura creaturæ, in quantum ea natura veritatibus æternis, divino intellectui inhærentibus, comprehenditur, nec a Dei voluntate dependeat. Plato mundum habuiſſe ſuam originem ab Intellectu cum Neceſſitate conjuncto ajebat: Alii Deum & Naturam copularunt. §. 21. Diviſio mali in Metaphyſicum, Phyſicum & Morale. Quid Deum ad permittendum malum perpulerit? §. 22. Ad ejus ideam opus eſt explicare naturam voluntatis, quæ eſt vel antecedens, vel conſequens. §. 23. Deus antecedenter vult bonum, & conſequenter optimum. Malum morale nullo prorſus pacto vult, Malum phyſicum non abſolutè. §. 24. Malum morale non eſt objectum ſufficiens divinæ voluntatis, nec debet permitti, niſi in quantum id ceu certa ſequela obligationis indiſpenſabilis reſpicitur. §. 25. Hinc voluntas Dei conſequens, quæ peccatum pro objecto habet, tantùm permiſſiva eſt; permittit nimirum, ne ei, quod ſibi, quod ſuæ ſapientiæ, quod ſuæ bonitati, quod ſuæ perfectioni debet, ipſe deſit. §. 26. Malum morale ideò tam ingens malum eſt, quia fons malorum phyſicorum. Prava voluntas in ſphæra ſua id eſt, quod malum principium Manichæorum in Univerſo. Sed in Deo, qui ad producendum quàm poteſt plurimum boni fertur, non eſſe poteſt defectus, culpa, peccatum, dumque peccatum permittit, ſapientia & virtus eſt. §. 27. De concurſu Dei Phyſico, citantur Durandus a S. Portiano, Cardinal. Aureolus, Pelagius, Ludov. Peireir à Dola, Bernerius, & oſtenditur, conſervationem Dei ſitam eſſe in influxu perpetuo, quem dependentia creaturarum exigit. Dependentia hæc optimè explicatur dicendo, conſervationem eſſe creationem continuatam. §. 28. Objicitur, ſic Deum creare nunc hominem peccantem, cùm ipſum creaſſet ab initio innocentem. Solutio, quantùm ad concurſum moralem. §. 29. Solutio, quantùm ad concurſum phyſicum: malum eſſe privationem entis, actionem Dei ad aliquid poſitivum pertingere. §. 30. Declaratur res exemplo, ab inertia naturali corporum deſumto. §. 31. Deus nimirum creaturæ ſemper dat, & continuò in ea producit, quidquid poſitivum, bonum, & perfectum eſt; imperfectiones verò & defectus operationum ab originali limitatione proveniunt. §. 32. Concurrit igitur ad actionem Deus & creatura; a Deo eſt τὸ reale, a creatura ſunt limitationes & modificationes. §. 33. Perfectio in genere eſt poſitiva & abſoluta realitas, defectus eſt privativus, a limitatione ortum trahens, & ad novas privationes tendens. §. 34. Libertatis requiſita. §. 35. Libertas non in indeterminatione aut indifferentia quadam æquilibrii ſita eſt. §. 36. Veritas futurorum contingentium eſt determinata. §. 37. Sed hæc determinatio libertati nocere nequit, cùm non gignat neceſſitatem abſolutè neceſſariam. §. 38. Ita præſcientia in ſe ipſa veritatem non reddit magis determinatam: ſed quid, ſi cauſa præſcientiæ id efficit? §. 39. Hæc difficultas duas opiniones peperit, alteram Prædeterminatorum, alteram Patronorum ſcientiæ mediæ, cujus fautor Molina, unde Moliniſtæ. §. 40. Molina tria ſcientiæ divinæ objecta ſtatuit, poſſibilia,

lia, eventus actuales, & eventus conditionales; hinc ſcientia ſimplicis intelligentiæ, viſionis, & media. §. 41. *Thomiſtæ hanc doctrinam & Theologicis & Philoſophicis argumentis impugnarunt.* §. 42. *Explicatio rei ab illuſtri Viro inſtituta per principium de infinitis mundis poſſibilibus.* §. 43. *Præſcientia Dei cum actionum noſtrarum liberarum dependentia, vel independentia, nihil commune habet, ſed non idem valet de præordinatione Dei, ejuſque decretis. Sequitur Vir ill. hic prædeterminatores, ita tamen, ut prædeterminatio nunquam ſit neceſſitans.* §. 44. *De duobus ratiocinationum noſtrarum magnis principiis, principio Contradictionis, & Rationis determinantis.* §. 45. *Neque Deus, neque Angeli, neque homines, ſine ratione inclinante agunt, ſique ſine ea agerent, ingens eſſet defectus.* §. 46. *Datur itaque libertas contingentiæ, vel & indifferentiæ, ſi per eam non intelligatur indifferentia æquilibrii. Conſentiunt hæc Philoſophorum axiomatis, dictitantium, cauſam non poſſe agere, niſi diſpoſitam ad actionem.* §. 47. *Neceſſe hinc non eſt, cum quibuſdam Thomiſtis ad novam aliquam prædeterminationem immediatam Dei recurrere.* §. 48. *Falſa idea indifferentiæ Moliniſtas non parum conturbavit, rogatos, ad quid ſe determinatura eſſet cauſa quæpiam, omni ex parte indeterminata?* §. 49. *Fictio caſûs de aſino* Buridani, *inter duo prata æqualiter ad utrumque inclinati, locum in Univerſo habere nequit. Caſus nimirum perfecti æquilibri in homine eſt impoſſibilis.* §. 50. *Rationem* Carteſii, *ad probandam actionum noſtrarum liberarum independentiam ex jactato quodam vivido ſenſu interno, vim nullam habere, oſtenditur.* §. 51. *Quod ad volitionem, impropriè dicitur, illam eſſe objectum voluntatis liberæ.* §. 52. *Cuncta ſic in homine certa ſunt, & in anteceſſum determinata, & anima humana eſt ſpirituale quoddam automatum.* §. 53. *Quæritur, num igitur Deus nihil poſſit mutare? Reſp.* §. 54. *Objicitur, ſi omnia ordinata, Deus non poterit facere miracula: Reſp. Vota & preces, merita & demerita, bonæ malæque actiones, nihil proficient, cùm nihil immutari poſſit. Reſp.* §. 55. *Evertitur hac conſideratione Sophiſma pigrum: neceſſitas, quæ in eventibus fingitur, a cauſis ſuis avulſa, Fatum Mahumetanum: & monſtratur veritas proverbii Germanici: mors vult ſemper habere cauſam.* §. 56. Joannis Beverovicii *Scriptum de Termino vitæ.* §. 57. *Diſputatio inter Auguſtanæ Confeſſionis Theologos de Termino pœnitentiæ peremtorio, qui apud Deum quidem certus eſt, ſed a nobis ignoratur.* §. 58. *Hinc nobis tantùm incumbit, officii noſtri partes explere ſecundùm rationem, a Deo nobis datam, & ſecundùm regulas, ab eodem nobis præſcriptas; cæterùm animo vivere tranquillo, Deoque ipſi curam eventûs committere, qui ſemper faciet, quod erit optimum.* §. 59. *Dependentia voluntariarum actionum non impedit, quo minus mirabilis quædam in nobis reperiatur ſpontaneitas, quæ mentem in ſuis propoſitis ab omni cæterarum creaturarum influxu phyſico independentem efficit. Eſt hæc ſpontaneitas conſectarium quoddam Syſtematis harmoniæ præſtabilitæ. Scholaſticorum de hac re ſententia.* §. 60. §. 61. Carteſii

Syſtema

Syſtema occaſionale. §. 62. *Quomodò ill. Auctor inciderit in Syſtema novum harmoniæ præſtabilitæ inter animam & corpus.* §. 63. *Explicatur ſimili, a* Jaquelotio *adhibito, quod indicat, hoc Syſtema libertati non præjudicare.* §. 64. *Quicquid in anima fit, juxta hoc Syſtema ab ipſa ſola pendet, unde ejus independentia patet.* §. 65. *Unde manifeſtum eſt, animam in ſe habere principium omnium ſuarum actionum, immo & omnium ſuarum paſſionum.* §. 66. *Explicatur hæc mutua animæ & corporis dependentia ſpeciatim intuitu animæ & corporis.* §. 67. *Qualiſcunque tandem in actionibus voluntariis dependentia concipiatur, ſi vel neceſſitatem abſolutam haberent, tantùm tamen remanet libertatis, quantùm ad præmia pœnaſque ſanciendas requiritur.* §. 68. *Licitum ſic eſt, furioſum occidere, venenata animalia.* §. 69. *Brutis infligimus pœnas ad eorum correctionem.* §. 70. *Si pœna exemplo eſſe poſſet, infligeremus iis etiam pœnas capitales. Exempla ex* Rorario. §. 71. *Adhiberentur igitur præmia pœnæque merito, etiamſi homines ex neceſſitate agerent, cum iis ad bonum compellendis, & a malo abſterrendis, prodeſſent. Ad objectionem hic motam reſpondetur.* §. 72. *Controverſia* Bramhalli & Hobbeſii, *quorum hic probavit, neceſſitatem non omnes divinæ humanæque juſtitiæ regulas evertere, nec penitùs exercitium virtutis hujus ſupplantare.* §. 73. *Sed eſt tamen juſtitiæ quædam ſpecies, quæ ab iis difficulter adplicari poteſt, qui ex neceſſitate abſoluta agunt, Vindicativa ſcil. quæ fundatur in ſola convenientia, certam aliquam ſatisfactionem in expiationem actionis pravæ exigente.* §. 74. *Juxta hanc damnatorum pœnæ perdurant, etiam dum malo avertendo non ampliùs proſunt; & beatorum præmia perdurant, etiam dum ad confirmandos eos in bono nihil ampliùs conferunt.* §. 75. *Repetitur ex ſuprà dictis, neceſſitatem laudes & vituperia, præmia pœnaſque, e medio non tollere.* §. 76. *Difficultates quæ moventur circa Electionem aut Reprobationem hominum cum gratiæ divinæ œconomia.* §. 77. *Alii Theologi Deum conſiderant modo magis metaphyſico, ut Contraremonſtrantes, alii magis morali, ut Remonſtrantes.* §. 78. *Combinandus uterque reſpectus, & dicendum, Deum, creandi mundi decretum formantem, unicè ſtatuiſſe, perfectiones ſuas efficaciſſimè manifeſtare, ſed ob id ipſum omnes creaturarum, adhuc pure poſſibilium, actiones conſiderare neceſſe habuiſſe, ut ſchema quam convenientiſſimum formaret.* §. 79. *Deo ea, quæ extra ipſum, non ſunt indifferentia, neque is ſe ſolum ſpectat, ac ita ſine delectu, ſine ratione, quoſdam felices, quoſdam infelices reddit.* §. 80. *Diſſidium Univerſaliſtarum & Particulariſtarum circa ea, quæ de Gratia & Voluntate Dei docent, verborum potiùs eſt, quàm rerum: ſi adtendatur ad diſtinctionem inter voluntatem antecedentem & conſequentem.* §. 81. *Quæſtio de Prædeſtinatione ad vitam æternam, & omni alia Dei deſtinatione, utrùm hæc deſtinatio abſoluta ſit, an reſpectiva? Diſtinctio inter Prædeſtinationem & Deſtinationem.* §. 82. *Sententia Supralapſariorum, Infralapſariorum: ubi mentio injicitur* Fulgentii, &, *qui ejus nomen adſumſit,* Go-

deſchalci. §. 83. *Sententia Proteſtantium , Catholicorum , Reformatorum. Quæſtio , an Deus priùs hominem velit ſalvum facere , an fidelem?* §. 84. *Diſputatio fortaſſe præcidi poſſet , ſtatuendo , omnia hæc Dei decreta eſſe ſimultanea non tempore ſolùm , ſed etiam in ſigno rationis : eſſe tantùm unum decretum Dei totale , decretum ſcilicet creandi talem mundum.* §. 85. *De diſpenſatione mediorum & circumſtantiarum , ad ſalutem & damnationem conferentium , quo ſpectat materia de Auxiliis Gratiæ. Idea , quam de bonitate & juſtitia Dei habemus , non ſatis congruere videtur cum actionibus ſuis circa ſalutem & damnationem hominum nobis cognitis.* §. 86. *Prima hic difficultas eſt , quo pacto anima , ſalvâ Dei juſtitiâ , potuerit infici peccato originali. Tres inde opiniones : prima Platonicorum ,* Origeni *tributa , de præexiſtentia animarum humanarum in alio mundo , vel alia vita : altera , quæ traductionem : tertia , quæ creationem animæ , adſerit.* §. 87. *In hanc Theologorum controverſiam irrepſit Diſputatio Philoſophica de origine formarum. Quid forma* Ariſtoteli *& Scholæ ?* §. 88. *Philoſophos multùm divexavit origo formarum ſubſtantialium.* §. 89. *Traductio & Eductio ſunt inexplicabiles. Confuſio notionum indeſtructibilitatis & immortalitatis apud* Sennertum *&* Sperlingium , *alioſque : illa etiam animabus brutorum , hæc ſolùm animabus hominum competit.* Jo. Scotus *pro conſervatione animarum omnium ſtetit.* §. 90. *Sententia* Leibnitii , *generationem animalis nihil aliud eſſe , quàm transformationem & augmentationem ; mortem adparentem nihil niſi involutionem.* §. 91. *In ſpecie de animabus hominum , earumque origine.* §. 92. *Num diſpoſitio hominis ad peccandum , nondum per baptiſmum regenerati , ſufficiat ad ejus damnationem , etiamſi ad peccatum actuale nunquam deveniat ? Variæ ſententiæ ,* Gregorii Nazianzeni , Auguſtini , Gregorii Ariminenſis , *Scholaſticorum* , Salmeronis , Molinæ , Sfondrati. §. 93. *Theologorum in Gallia contra* Sfondratum *pugnantium.* Nicolius Auguſtini *in hac materia duritatem vult excuſare.* §. 94. *Qui diſpoſitionem hanc ad infantes anticipatò damnandos , ſufficere putant , uniformiter haud judicant , dictitantes ſimul , Dei prævifionem aut diſpoſitionem ad reſiſtendum cauſam non eſſe damnationis.* §. 95. *Sententia de Adultis. Facienti , quod in ſe eſt , non denegatur gratia neceſſaria , videtur Axioma æternæ veritatis eſſe. Sententia Catholicorum ,* Xaverii , Saleſii. §. 96. Andradii , Friderici Spee. §. 97. *Cujus Lib. Cautio criminalis circa proceſſus contra Sagas citatur , adducta ejus edendi occaſione.* §. 98. *Statui hinc poteſt , Deum notitiam Chriſti omnibus eſſe largiturum , qui , quod in ſe eſt , faciunt , ſi vel ad id miraculo opus eſſet. Infinitæ Deo viæ patent , quibus juſtitiæ ſuæ ſimul ac bonitati conſulere poſſit.* §. 99. *Sed in iis , quibus bona voluntas deeſt , quæritur , cur Deus ipſis non impertiverit bonam voluntatem ? Quid Scripturæ S. induratio , v. g.* Pharaonis *?* §. 100. *De circumſtantiis , quæ ſive ad convertendum , ſive ad pervertendum , faciunt.* Auguſtini : *Tolle , Lege* ; Nicolai Stenonis : *Ne perge , quà tendis , Domine , alteri viæ inſiſte.* §. 101. Jo. Davidii

vidii *Veridicus Chriſtianus.* §. 102. *Num ſcrupulus hic per adlegationem ſcientiæ mediæ tolli poſſit? Neg.* §. 103. *Quæſtio enim ſemper recurreret, cur Deus hominem non in aliis, magis ſalutaribus, circumſtantiis collocaſſet? Reſp.* §. 104. *Num igitur non dentur rationes aliquæ electionis divinæ, & annon eas conſideratio objecti, hoc eſt, hominis indoles, ingredi debeat, quæritur & reſpondetur.* §. 105. *Dici poteſt, eligi homines, & in rerum ſerie collocari, non tam pro excellentia ſua, quàm ſecundùm convenientiam, quam habent cum Dei conſilio.* §. 106. *Ex his omnibus patet, ſexcentos Providentiæ Dei defendendæ modos ſuppetere, omnes difficultates non obſtare, quo minùs cum ratione & omni jure credamus, nihil eſſe ſublimius Dei ſapientiâ, nihil juſtius judiciis, nihil purius ſanctitate, nihil denique immenſius bonitate. Hæc in progreſſu ampliùs oſtendemus.*

1. POſtquàm jura Fidei atque Rationis ita conſtituimus, ut Ratio Fidei ancilletur, minimeque illi ſit contraria: videndum eſt, quo pacto illæ in defendendis & conciliandis iis, quæ tam naturali, quàm revelato, lumine de Deo ac homine circa malum edocemur, jura ipſa exerceant. Duas in *claſſes* dividi *difficultates* poſſunt. Aliæ profluunt ex hominis libertate, quæ cum natura divina ſtare non poſſe videtur; & tamen libertas cenſetur neceſſaria, ut homo culpæ reus, pœnaque dignus, judicari poſſit. Aliæ divinam agendi rationem ſpectant, videnturque Deum, ad mali exiſtentiam nimiùm conferentem, arguere, etiamſi homo liber eſſet, inque eo ſuas quoque partes haberet. Atque hæc agendi ratio bonitati, ſanctitati, juſtitiæque divinæ, videtur adverſari, cùm Deus ad malum, tam phyſicum, quàm morale, concurrat, & quidem concurrat moraliter non minùs, quàm phyſicè, videanturque mala ipſa in ordine naturæ æquè, ac in ordine gratiæ, in futura æternaque non minùs, immo magis etiam, quàm in præſenti vita, ſeſe prodere.

2. Has ut difficultates in compendio exhibeamus, obſervandum eſt, libertati occurrere (in ſpeciem ſaltem) determinationem ſive certitudinem qualemcumque; & tamen commune noſtrorum Philoſophorum placitum eſt, futurorum contingentium veritatem eſſe determinatam. Divina etiam præſcientia futurum omne certum determinatumque reddit: at ejus providentia ac præordinatio, in qua præſcientia ipſa fundari videtur, plus adhuc facit: Deus enim non is eſt, qui hominis inſtar cum indifferentia ſpectare eventus, ſuumque judicium ſuſpendere poſſit; cùm nihil, niſi dependenter a decretis voluntatis ſuæ, & per actionem potentiæ ipſius, exiſtat (a). Et ſepoſito etiam concurſu Dei, cuncta in ordine rerum perfectè colligata ſunt: cùm nihil evenire queat, niſi cauſa exiſtat aliqua

Q 2 ritè

(a) Addit *Interpr. Lat.* Itaque ut præſcientia evincit: ita providentia etiam producit certitudinem & neceſſitatem.

ritè diſpoſita ad effectum producendum: id quod non minus locum habet in actionibus voluntariis, quàm in aliis quibuſvis. Poſitis his, homo ad faciendum bonum ac malum, quod facit, videtur neceſſitari, adeoque nec præmium mereri, nec pœnam, quod actionum moralitatem deſtruit, omnemque juſtitiam, divinam & humanam, offendit.

3. Sed etiamſi homini libertas illa concederetur, quam ſibi damno ſuo vindicat; adhuc divina agendi ratio reprehenſionem non effugeret, ab adrogante hominum ignorantia fabricatam, qui culpam a ſe totam, vel ex parte, removere Numinis ſupremi impendio vellent. Objicitur enim, omnem realitatem, & quidquid ſubſtantia actûs vocatur, in peccato ipſo, opus eſſe Dei, cùm omnes creaturæ, earumque actiones omnes, ab eo habeant, quidquid habent reale; hinc inferre conantur, eum non ſolùm phyſicam, ſed etiam moralem peccati cauſam eſſe, utpote qui agat liberrimè, nec quidquam ſine perfecta rei effectuumque, inde oriturorum, cognitione faciat. Nec ſufficit dicere, Deum impoſuiſſe ſibi legem concurrendi cum humanis voluntatibus aut revolutionibus, ſive ſecundùm ſententiam communem, ſive juxta Syſtema cauſarum occaſionalium; nam præterquàm quòd mirum videatur, ipſum ſibi talem impoſuiſſe legem, cujus effectus non ignorabat; præcipua ſanè difficultas in eo cernitur, quòd prava voluntas exiſtere non poſſe videatur ſine concurſu, immò nec ſine prædeterminatione aliqua ex parte Dei, quæ ad producendum in homine, vel alia quacumque rationali creatura, volendi actum cooperetur: neque enim actio mala minùs, quàm quid aliud, a Deo pendet: ex quibus tandem concludere volent, Deum ſine diſcrimine operari omnia, & bonum & malum: niſi cum Manichæis dicas, duo eſſe principia rerum, unum bonum, alterum malum. Præterea, cùm juxta communem Theologorum Philoſophorumque ſententiam conſervatio ſit creatio continua, dicent, hominem continuò creari, corruptum & peccantem. Adde eſſe quoſdam Carteſianos hodiernos, qui contendunt, Deum ſolum eſſe agens, cujus tantùm inſtrumenta purè paſſiva ſint creaturæ. *Bælius* huic opinioni multùm inſiſtit.

4. Verùm licet Deus non niſi concurſu phyſico, vel etiam planè nullo, ad malas ſaltem actiones, quid conferre deberet; ad imputationem, inquiunt, utque cauſa moralis efficiatur, ſatis eſt, nihil abſque ejus permiſſu contingere. Utque de Angelorum lapſu nihil dicamus, cognoſcit, quidquid eventurum eſt, ſi hominem, quem creavit, in his illiſve circumſtantiis ponat, nec tamen ponere omiſit. Exponitur homo tentationi, cui ſuccubiturus ſcitur, atque ita horribilium malorum infinitorum causâ futurus. Novit Deus, hoc lapſu totum genus humanum inficiendum, & in quadam neceſſitate peccandi conſtituendum, id quod peccatum vocatur originale; novit, mundum hoc pacto mirum in modum perturbandum eſſe, hac viâ morti morbiſque aditum parandum, cum ſexcentis aliis malis ærumniſque, bonos & malos promiſcuè adflicturis;

ćturis; novit, improbitatem adeò regnaturam, & virtutem in terris opprimendam, ut res providentia quadam regi vix, ac ne vix quidem, adpareat. Sed longè adhuc deterior ſeſe facies offert, ubi ad futuram vitam oculos converteris, quandoquidem exiguus duntaxat numerus hominum ſalvandus, aliique omnes æternùm perituri: accedit, quòd homines iſti, ad ſalutem deſtinati, per electionem, rationis expertem, a maſſa corrupta fuerint liberati: ſive dicatur Deus, eos eligens, ipſorum bonas actiones futuras, fidem aut opera, reſpexiſſe, ſive adſeratur, bonas illas qualitates actioneſque ideò eis fuiſſe largitus, quia ad ſalutem eos prædeſtinavit. Licet namque in Syſtemate omnium mitiſſima dicatur, Deum omnes homines voluiſſe ſalvare, & in aliis etiam Syſtematibus, communiter receptis, concedatur, voluiſſe, ut Filius ſuus humanam naturam adſumeret, ad expianda eorum peccata, ut quicumque Fide viva & finali in eum credituri ſint, ſalutem ſint conſecuturi: ſemper tamen verum manet, Fidem hanc vivam eſſe Dei donum; nos omnibus bonis operibus eſſe mortuos; opus eſſe gratiâ præveniente, quæ noſtram adeò excitet voluntatem, Deum denique dare nobis velle & perficere. Et ſive hoc per gratiam fiat ſeipſa efficacem, hoc eſt, per motum divinum internum, qui voluntatem noſtram ad bonum, quod ipſa operatur, penitùs determinet, ſive ſolùm adſit gratia ſufficiens, quæ tamen fine ſuo non deſtituatur, fiatque efficax per circumſtantias internas & externas, quibus homo circumdatur, & in quibus Deus eum conſtituit: ſemper eò recurrendum erit, ut dicatur, Deum ultimam eſſe rationem ſalutis, gratiæ, electionis in Chriſto Jeſu. Et ſive electio ſit cauſa, ſive effectus, divini conſilii dandi fidem; ſemper verum manet, Deum largiri fidem vel ſalutem, cui vult, nec adparere rationem ullam electionis ſuæ, non niſi in exiguum valdè numerum hominum denique recidentis.

5. Itaque terribile prorsùs judicium eſt, quod, cùm Deus pro toto genere humano det unigenitum Filium ſuum, ſitque ſalutis hominum unicus Auctor & Dominus, nihilominùs tam paucos ſalvet, & reliquos omnes Diabolo, hoſti ſuo, permittat, a quo æternùm crucientur, & Creatori ſuo maledicere cogantur; quamvis ad ejus bonitatem, juſtitiam, cæteraſque perfectiones, diffundendas & manifeſtandas, conditi ſint univerſi: hicque eventus tantò majorem terrorem incutit, quòd omnes iſti homines non alia de cauſa ſint per omnem æternitatem infelices, niſi quia Deus eorum parentes expoſuit tentationi, cui eſſe ſuccubituros norat; unde factum, ut hoc peccatum hominibus inhæreat & imputetur, antequàm ſua voluntate conſenſum ei præbere poſſint; ut hereditaria illa labes eorum voluntatem ad actualia peccata perpetranda determinet, utque innumeri homines, ſive pueri ſive adulti, qui de *Jeſu Chriſto*, generis humani Salvatore, nihil unquam audierunt, vel id ſaltem non audierunt, quod potuit ſufficere, ex hac vita migrent, antequàm hæc ſubſidia, ſibi e peccati voragine retrahendis neceſſaria, perceperint, ſicque

 perpe-

perpetuæ in Deum perduellionis rei, in longè horribiliſſimum miſeriarum barathrum præcipites detrudantur, creaturarum omnium nequiſſimis adſociati; quamvis iſti homines reverâ aliis pejores non exſtiterint, & eorum plurimi fortè etiam minùs pravi nocenteſque fuerint, quàm alii inter electos recepti, & mera ex gratia ſine juſta cauſa æternam, quam non meruere, felicitatem adepti. Ecce compendium difficultatum, quas adtigere plurimi; *Bælius* autem omnium maximè urſit atque exacuit, uti patebit in decurſu, quando verba ejuſdem expendemus. Præcipua difficultatum ejus capita me nunc retuliſſe arbitror, conſultò tamen abſtinui a locutionibus & exaggerationibus quibuſdam, quæ offendiculo eſſe poterant, nec tamen vim objectionibus ullam addidiſſent.

6. Mutemus nunc ſcenam, ac quid objectionibus iſtis reſponderi poſſit, oſtendamus; qua in re mentem noſtram prolixiùs explicare neceſſum erit, multæ enim difficultates paucis verbis ingeri poſſunt, diſcuti ſine copioſa oratione non poſſunt. Scopus noſter eſt, homines a falſis ideis abſtrahere, quæ Deum ipſis ſiſtit tanquam Principem ſupremum, deſpotica auctoritate utentem, nec amore noſtro, nec imitatione dignum. Quæ quidem notiones in relatione ad Deum tanto ſunt deteriores, quòd vis pietatis omnis non ſolùm in timore, ſed multo maximè in amore Dei ſuper omnia conſiſtat, id quod cadere non poteſt, niſi in eum, qui perfectiones cognoſcit, excitando amori, Numine digno, amantiumque felicitatem procuranti, idoneas. Itaque dum zelo quopiam, qui ipſi non placere non poteſt, animari nos ſentimus, eſt, quòd ſperemus, Deum lumen atque auxilium ſuum nobis haudquaquam denegaturum in perſequendo conſilio, quod ad gloriam ſuam, hominumque utilitatem, ſuſcepimus. Tam bona cauſa fiduciam ſubminiſtrat: quodſi plauſibilia in ſpeciem argumenta contra nos ſunt, pro nobis certè demonſtrationes militant; ut cuicumque adverſario dicere auſim:

Adſpice, quam mage ſit noſtrum penetrabile telum.

7. *Deus* eſt *prima Ratio rerum*: nam quæ limitatæ ſunt, uti ſunt eæ omnes, quas videmus & experimur, contingentes ſunt, nihilque in ſe habent, quod earum exiſtentiam neceſſariam efficiat; cùm ſit in aperto, tempus, ſpatium & materiam, æquabilia & uniformia in ſeipſis, & ad quodlibet indifferentia, prorsùs alios motus & figuras, alioque in ordine, recipere potuiſſe. Quærenda igitur eſt *ratio exiſtentiæ Mundi*, qui eſt integra rerum *contingentium* collectio: & quærenda ea eſt in *ſubſtantia*, *quæ rationem exiſtentiæ ſuæ in ſe ipſa habeat*, quæque conſequenter *neceſſaria* ſit & æterna (b). Oportet etiam, cauſam hanc eſſe *intelligentem*, cùm

(b) Principium Rationis ſufficientis, ſine qua exiſtentia Dei probari nequit, infra *ill. Auctor* pluribus ſtabilit §. 44. Nempe quicquid exiſtit, rationem ſui ſufficientem vel in ſe habet, vel in alio; Ens, quod rationem ſui ſufficientem in ſe habet, dicitur

cùm enim hic, qui exiſtit, Mundus ſit contingens, & infiniti alii Mundi æquè ſint poſſibiles, & æquè, ut ita loquar, exiſtentiæ candidati, ac præſens, debet Mundi cauſa horum omnium mundorum poſſibilium rationem ſive reſpectum habuiſſe, ut ſcilicet unum ex illis determinaret. Hæc autem ratio ſive reſpectus ſubſtantiæ exiſtentis ad nudas poſſibilitates, nihil aliud eſſe poteſt, quàm *Intellectus* ideas earum complectens; & ex illis aliquam determinare, nihil aliud eſſe poteſt, quàm actus *voluntatis* eligentis; *potentia* verò hujus ſubſtantiæ voluntatem hic reddit efficacem. Potentia tendit ad *eſſe*, ſapientia ſive intellectus ad *verum*, & voluntas ad *bonum*. Hæc etiam cauſa intelligens debet eſſe infinita omni ex parte, & abſolutè perfecta in *potentia*, in *ſapientia*, & in *bonitate*, cùm tendat in omne id, quod eſt poſſibile. Quoniam porrò omnia inter ſe connexa ſunt, non niſi *unica* ſtatuenda eſt (c). Intellectus ejus eſt origo

dicitur ens neceſſarium, quòd non poteſt non exiſtere: Jam cùm mundus ſit collectio rerum contingentium, non poteſt is eſſe illud ens, quod ſui rationem ſufficientem in ſe habet; in quæſtione igitur de mundi exiſtentia, petenda extra eum eſt ratio ab ente quodam, rationem ſui in ſe habente, ab ente ſcilicet neceſſario, ut nimirum quæſtio, unde ſit? non infinities recurrat, ſed penitùs ſiſtatur. Ita ab exiſtentia Mundi contingentis concluditur ad exiſtentiam Entis neceſſarii. Porrò ſi mundus contingens, dantur alii mundi poſſibiles; & quia mundus hic præ ceteris exiſtit, ratio in Ente illo neceſſario debet ineſſe, cur hunc aliis prætulerit; ſi ratio adeſt, neceſſariò in eo eſſe debet actus quidam, per quem unum alteri prætulit; ſi hoc, eſt in eo electio; ſi electio, eſt in eo facultas eligendi; ſi hoc, eſt in eo voluntas, propenſio unum alteri præferendi; ſed cùm ulterius quæri poſſit, cur hunc mundum præ ceteris voluerit, qua ratione ductus eum elegerit, & ratio electionis adeſſe non poteſt ſine cognitione objectorum, cognitio autem pertinet ad intellectum, eſt quoque in eo intellectus, vis poſſibilia diſtinctè cognoſcendi. Hæc fuſiùs docentur ap. ill. *Wolffium*, Theol. Nat. Lat. P. I. §. 24. ſqq. Hoc nimirum eſt argumentum pro demonſtranda Dei exiſtentia, deſumtum a contingentia rerum & totius mundi; ubi enim probatur, res omnes, ſeu totum mundum, poſſe eſſe & non eſſe, vi naturæ ſuæ; non poſſunt habere rationem exiſtentiæ ſuæ in ſe, ſed ratio quærenda eſt in alio, ubi pervenimus ad ideam Entis, quod rationem ſui in ſe habet, cumque hæc idea non competat mundo, ad ideam Dei noſtri, tanquam Entis ſupramundani; per Deum enim intelligimus ſubſtantiam, in qua continetur ratio ſufficiens exiſtentiæ mundi. Quid de aliis exiſtentiam Dei probandi methodis ſentiendum, docet ill. *Wolffius* in Ratione Prælectionum, cap. III. ſect. II. §. 37. Deprehendi, ait, multis ea argumenta imperfectionibus laborare; alia enim vitioſa ſunt, alia conſtant præmiſſis, quas nemo gratis concedet, quaſque difficiliùs demonſtrare licet, quàm exiſtentiam Dei; alia exceptionibus obnoxia ſunt, quæ difficiliùs tolluntur, quàm Dei exiſtentia aliunde demonſtratur. Enunciati exempla dat in ſeqq. §. 39 - - - 47. Cæterum hoc argumentum pro exiſtentia Dei *a poſteriori* deſumtum eſt, quomodò verò etiam *a priori* probetur ex idea poſſibilitatis entis abſolutè perfecti, vide apud Cel. *Canzium*, in *Civit. Dei*, *ſect. I. cap. I. §. 1. - - 47.*

(c) Quod unicum tantùm tale ſit ens; fluit ex eodem principio rationis ſufficientis, quia nimirum in unico ente reperiri poteſt ratio exiſtentiæ mundi. V. Tractatum noſtrum *de Trinitate*, *P. II.* p. 91. ſqq. ubi unitatem Dei fusè docuimus. Cæterùm ad totam hanc meditationem ſolidiſſimam conf. *Principia Philoſophiæ ill. Viri*, ubi §. 49. ait:

go *eſſentiarum*, & voluntas eſt origo *exiſtentiarum.* Habes paucis demonſtrationem unius Dei cum ſuis perfectionibus, perque ipſum originem rerum.

8. Jam ſuprema iſta ſapientia, bonitati non minùs infinitæ adjuncta, non potuit non eligere optimum. Nam ſicut minus malum eſt quoddam boni genus, ita minus bonum eſt ſpecies quædam mali, ſi bono majori ponat obicem: eſſetque in Dei actionibus corrigendum aliquid, ſi meliùs agendi locus foret. Et ſicut in Mathematicis, ubi neque *maximum*, neque *minimum*, nihil denique diſtinctum adeſt, omnia fiunt æqualiter; aut, ſi id non accidat, nihil omninò fit; ita de perfecta quoque ſapientia, quæ non minùs, quàm Mathematicæ diſciplinæ, ordinata eſt, dici poteſt, quòd niſi inter omnes poſſibiles mundos *optimus* eſſet, Deus nullum produxiſſet. Adpello *Mundum* totam ſeriem totamque collectionem rerum omnium exiſtentium, ne dicat aliquis, Mundos plures exiſtere potuiſſe diverſis temporibus diverſiſque locis. Namque omnes ſimul pro uno Mundo, vel, ſi mavis, pro uno *Univerſo*, computandi forent. Et quamvis omnia tempora locaque omnia replerentur; verum tamen ſemper erit, ea modis infinitis repleri potuiſſe, mundoſque infinitos eſſe poſſibiles, ex quibus Deus optimum eligere debuerit, cùm nihil agat ipſe, niſi ſecundùm normam Supremæ Rationis.

9. Adverſarius aliquis, ad hoc argumentum reſpondere non valens, reſpondebit forſitan ad ejus concluſionem per argumentum contrarium, dicetque, Mundum ſine peccato & ſine ærumnis eſſe potuiſſe: at nego ego, hac ratione mundum futurum fuiſſe *optimum.* Sciendum namque eſt, in quolibet mundo poſſibili omnia invicem eſſe *connexa:* Univerſum qualecumque, Oceani adinſtar, totum continuum eſt; vel minimus in eo motus effectum ſuum ad quamcunque diſtantiam diffundit, quamvis effectus iſte proportione diſtantiæ minùs ſenſibilis reddatur, ita ut Deus in eo ſimul & ſemel omnia præordinaverit, cùm preces, actiones bonas malaſque, & reliqua omnia, prævidiſſet; ac res quælibet ante exiſtentiam ſuam *idealiter* ad ſuſceptum de rerum omnium exiſtentia conſilium quid contuliſſet. Hinc in Univerſo non magis, quam in aliquo numero, quidquam, ſalvâ ſuâ eſſentiâ, aut, ſi mavis, ſalvâ ſuâ *individualitate numericâ*, mutari poteſt. Itaque, ſi vel minimum, quod in Mundo contingit, malum deficeret, non ampliùs idem foret Mundus, qui,

ait: *Datur in Deo potentia, quæ eſt fons omnium, deinde cognitio, quæ continet idearum ſchema, & tandem voluntas, quæ mutationes efficit, ſeu productionem ſecundùm principium melioris.* Ad quæ verba *Venerandus Univerſitatis noſtræ Senior, Exc. Dn. Prof. Creilingius*, „Nihil, *ait*, elegantius, nihil jucundius eſt in tota Philoſophia hac contemplatione, qua in Deo infinitam potentiam, infinitum intellectum, & infinitam voluntatem, conſideramus. Hic unum, verum, bonum, deprehendimus, veſtigia Trinitatis in Unitate, immo totius naturalis Theologiæ fundamenta.“

qui, omnibus collectis, omnibuſque deductis, eſſe optimus a Creatore, qui eum elegit, eſt judicatus (d).

10. Poſſumus quidem, conſentio, poſſibiles ſine peccato & ſine ærumnis mundos nobis imaginari, ex iiſque fabulas, *Utopiis* & *Sevarambis* haud diſſimiles, contexere; verùm Mundi illi ipſi aliunde hoc noſtro longè inferiores quoad bonum forent: neque verò id ſigillatim hic oſtendere queo: quî enim infinita cognoſcam, aut tibi repræſentem, invicemque ea conferam? ſed id tu mecum *ab effectu* judicare debes, quia Deus hunc ipſum Mundum, qualis eſt, elegit. Cæterum ſcimus, perſæpè malum eſſe cauſam boni, quod ſine malo iſto non obtigiſſet. Immò ſæpè duo mala bonum ingens procurarunt:

Et ſi fata volunt, bina venena juvant.

Sic duo liquores corpus aliquando ſiccum producunt, uti in ſpiritu vini & ſpiritu urinæ, ab *Helmontio* (e) mixtis, videre eſt: ſic etiam duo corpora frigida & tenebroſa magnum ignem accendunt, uti liquor acidus cum oleo aromatico a Cl. *Hoffmanno* copulatus. Quandoque error felix, a ſupremo exercitus duce commiſſus, magnam victoriam parit, & nonne in Vigilia Paſchatis Eccleſia Romana canit?

O certè neceſſarium Adæ peccatum,
Quod Chriſti morte deletum eſt!

(d) Præter alios argumentum hoc egregiè illuſtravit in obſervationibus ſuis elencticis *Sam. Chriſtian. Hollmannus*, tunc in Acad. Viteberg. nunc Gœttingenſi Philoſ. Prof. cel. §. VI. ubi ill. *Wolffium*, ejuſque Met. Germ. §. 553. adversùs Rev. *Langium* tuetur. Ait, ſenſu Viri celeberrimi etiam leviſſima quæque, minimique rerum humanarum eventus, ad mundum pertinent, ita quidem, ut, ſi in his vel minima aliter, quàm actu ſunt, eſſent comparata, non is, qui nunc eſt, ſed alius jam futurus eſſet mundus, quemadmodum v. c. oratio vel liber, quæ unicam modò amittunt vocem, ſyllabam, litteram, non eadem ampliùs cum priori oratione vel libro ſunt, quibus eadem adhuc aderant, vel pannus, cui unicum ſaltem filum vel demitur, vel additur, vel mutatur, non idem ampliùs eſt, qui antea erat pannus. Quemadmodum enim impoſſibile, ut res eadem ſit maneatque poſt factam commutationem, etiam leviſſimam, quæ ante eandem erat, quia impoſſibile eſt, idem ſimul eſſe & non eſſe: ſic & impoſſibile factu eſt, ut eorum nonnulla, quæ in hoc mundo ſunt & contingunt, aliter, quàm ſunt & contingunt, evenirent, & idem tamen, qui antea fuiſſet, maneret mundus." Fluunt enim hæc omnia ex idea mundi, qui rerum omnium exiſtentium in hoc mundo nexum dicit, ſeu collectionem rerum omnium contingentium, inter ſe connexarum.

(e) *Jo. Baptiſta Helmontius*, Philoſophus per ignem dictus, Bruxellis natus A. 1577. denatus 1644. d. 10. Dec. Scripta ejus, præter alia medica & theologica, ſunt Tractatus de morbis, de Spadanis fontibus, de lithiaſi, de febribus.

O felix culpa, quæ talem ac tantum
Meruit habere Redemptorem (f)!

11. Illuſtres aliquot Eccleſiæ Gallicanæ Epiſcopi, qui ad *Innocentium XII.* Pontificem adversùs Cardinalis *Sfondrati* Librum de Prædeſtinatione (g) ſcripſerunt, quia *S. Auguſtini* principiis inhærent, nonnulla dixerunt, magnæ huic quæſtioni illuſtrandæ perquàm idonea. Hic Cardinalis ſtatum infantum, ſine baptiſmo mortuorum, ipſi regno Cœlorum præferre videtur, eo quòd peccatum malorum omnium maximum eſt, infantes autem ab omni peccato actuali immunes ex hac vita migrarunt. De quo plura inferiùs. Reverendi Antiſtites recte animadverterunt, hanc ſententiam eſſe malè fundatam. Apoſtolus (inquiunt) Rom. III. 8. jure vetat fieri mala, ut inde eveniant bona: ſed quòd Deus ſupereminenti ſua potentia ex peccatorum permiſſione bona iis, quæ ante peccata contigere, majora eliciat, improbari neutiquam poteſt. Non quòd de peccato lætari debeamus, abſit; ſed quòd credimus eidem Apoſtolo, dicenti (Rom. V. 20.) ubi peccatum abundavit, ſuperabundaſſe gratiam: ac Jeſum Chriſtum ipſum occaſione peccati nobis obtigiſſe meminimus. Conſtat igitur, hos Eccleſiæ Antiſtites defendere, ſeriem rerum, in quam peccatum ingreditur, eſſe potuiſſe, immò reapſe fuiſſe meliorem alia ſerie, peccati experte.

12. Ab omnibus retrò ſæculis adhibitæ ſunt comparationes, deſumtæ a ſenſuum voluptatibus, cum eo, quod dolori adfine ſit, mixtis, ut perſuaderetur, ſimile quidpiam in voluptatibus intellectualibus evenire (h). Modicum acidum, acre vel amarum, ſæpè præ ſaccharo delectat; colorum fulgorem intendunt umbræ; immò diſſonantia, debito loco uſurpata, harmoniam perficit. A funambulis lapſabundis terreri volumus, & in tragœdiis ad lacrymas moveri placet. Qui nunquam ægrotavit, num bonæ valetudinis pretium ſatis æſtimat, aut ſatis dignas Deo gratias perſolvit? Et nonne modico plerumque malo opus eſt, ut boni ſenſus acuatur, hoc eſt, ut bonum ipſum augeatur?

13. At, inquies, mala ſunt ingentia, magnoque nimis numero, ſi cum bonis

(f) Addit *Interpr. Lat.* „Iſtud, O felix culpa, *Cajetanus Gregorio* (*Magno* opinor) tribuit.

Fuit autem hæc *culpa* ſimul *infelix*, quòd tanta mala invexit, & *felix*, quòd tantum bonum elicuit; ſed niſi prævaluiſſet bonum malo, Deus eam non permiſiſſet.“

(g) *Cæleſtinus Sfondrati* purpuram accepit A. 1695. Romæ mortuus A. 1696. d. 4. Sept. Nodus *ipſius* Prædeſtinationis, ex S. Litteris, doctrinaque *SS. Auguſtini*, & *Thomæ*, quantùm homini licet, diſſolutus, *Colon. Agripp.* 1705. *in* 8. prodiit, ubi §. XXIII. hoc argumentum tractat, ſententiamque ill. *Leibnitio* memoratam proponit, p. 181. 182. Conf. infr. §. 92.

(h) Addit *Interpr. Lat.* „*Plato* in Phædone notavit confinium voluptatis & doloris, cum unguibus ſcalpuntur loca, in quibus eſt pruritus.“

bonis conferantur: falleris. Defectus tantùm adtentionis extenuat bona noſtra, & hanc adtentionem nobis aliqua malorum mixtura conciliare debet. Quodſi plerumque ægrotaremus, & rarò valeremus, ingenti illo bono valetudinis mirum quantùm adficeremur, malaque noſtra minùs perſentiſceremus; ſed annon præſtat valere plerumque, ægrotare rarò? Suppleamus ergò adplicatione mentis id, quod perceptioni noſtræ deeſt, ut ſanitatis beneficium nobis tantò ſuavius efficiamus. Credo equidem, ſi vitæ futuræ notitia careremus, repertum iri paucos, qui, imminente jam morte, vitam hac lege paciſci non cupiant, ut ad æquivalentia præteritis bona malaque, dummodò nova fuerint, regrediantur. Variatione contenti foremus, nec meliorem ea, qua ante uſi ſumus, conditionem exigeremus.

14. Jam ſi fragilitatem corporis humani conſideremus, Auctoris naturæ ſapientiam bonitatemque admiramur, qui illud tam durabile, ejuſque conditionem adeò tolerabilem effecit. Unde perſæpè dixi, minimè mihi mirum eſſe, quòd ægrotent interdum homines, mirum potiùs eſſe, quòd tam rarò, nec ſemper ægrotent. Ex quo etiam divinum animalium mechaniſmi artificium tantò pluris a nobis æſtimari debet, quorum Auctor machinas tam fragiles, tamque obnoxias corruptioni, & tamen tam durabiles, condidit, nam naturâ potiùs, quàm medicamentis, ſanamur. Hæc autem ipſa fragilitas ex natura rerum derivanda eſt, niſi fortè velis, hoc creaturarum genus, quod ratione præditum, quodque carne & oſſibus veſtitum eſt, a mundo abeſſe. Verùm quid hoc aliud eſſet, quàm defectus ille, quem Philoſophi quidam alias *Vacuum Formarum* adpellarunt, Vacuum in ordine ſpecierum.

15. Qui ita comparati ſunt, ut naturam fortunamque deprædicent magis, quàm culpent, licet utriuſque præſidiis haud optimè inſtructi ſint, cæteris mihi præferendi videntur. Nam præterquàm quòd injuſtæ ſint iſtæ querimoniæ, quid hoc aliud eſt, quàm reapſe adversùs Providentiæ decreta murmurare? In Republica quacumque, cujus civis es, malè contentis adgregari non facile oportet; at in Civitate Dei, in qua nemo, niſi injuſtè, queri poteſt, nullo prorſus pacto oportet. Libri de miſeria humana, cujuſmodi eſt *Innocentii III.* Pontificis (i), utiliſſimi mihi eſſe non videntur: geminantur mala adtentione, quam a malis ad bona longè potiora deducere oporteret. Minùs adhuc probo Libros ei ſimiles, quem Abbas *Eſprit* (k) evulgavit de falſitate virtutum humanarum, cujus

(i) *Innocentius III.* Papa ſæculi XIII. antè *Joannes Lotharius* dictus, patriâ Anagninus. De ejus ſcriptis v. *Du Pinii* Bibl. Nouvell. T. X. qui epiſtolarum etiam hujus Pontificis compendium exhibet, deque aliis illius ſcriptis magnificè judicat.

(k) *Jacobus Eſprit*, Presbyter Oratorii; Biterris natus A. 1611. d. 22. Oct. ibidem denatus A. 1678. d. 6. Jul. Scriptum *La fauſſeté des vertus humaines*, quod duab. partibus Amſtelodami, 1709.8. prodiit, multis fuit ad palatum. V. *Buddei* Iſag. p. 671.

jus nuper epitome prodiit. Ejuſmodi namque Liber eò tendit, ut in deteriorem partem vertantur omnia, homineſque tales efficiat, quales eos depingit.

16. Fatendum interim eſt, eſſe in hac vita perturbationes recti ordinis, quæ præſertim in complurium improborum proſperitate, & multorum bonorum infelicitate, conſpiciuntur. Datur etiam proverbium quoddam Germanicum, improbos præ bonis plerumque fortunatiſſimos pronuncians:

„ Je krümmer Holtz / je beſſre Krücke:
„ Je ärger Schalck / je gröſſer Glücke (l).

Atque optandum foret, ut Horatiani dicti veritatem oculis noſtris cerneremus:

Rarò antecedentem ſceleſtum
Deſeruit pede pœna claudo.

Interim ſæpè etiam evenit, quanquam fortè non ſæpiſſimè,

In Univerſi oculis ut ſe Cœlum exculpet (m);

Et dici cum *Claudiano* poteſt:

Abſtulit hunc tandem Rufini *pœna tumultum*
Abſolvitque Deos.

17. Sed quamvis iſtud hac in vita non contingeret, paratum omninò eſt in altera vita remedium. Religio, immò & Ratio, nos illud docent, nec murmurare fas eſt ob tantillam dilationem, quam hominibus ad pœnitentiam Sapientia Suprema concedendam judicavit. Sed hic alio ex latere ingraveſcunt objectiones, cùm ſalus & damnatio conſiderantur, propterea quòd mirum videtur in vaſtiſſimo futuræ æternitatis ſpatio plus etiam mali fore, quàm boni, idque ſub auctoritate ſuprema illius, qui eſt ipſiſſimum ſummum bonum: quandoquidem multi ſint vocati, pauci verò electi vel ſalvati. Adparet quidem ex quibuſdam *Prudentii* verſibus, (Hymn. ante Somnum.)

Idem tamen benignus
Ultor retundit iram,
Paucoſque non piorum
Patitur perire in ævum;

multos

(l) *Interpres Lat.* „ id eſt:
Aptius eſt fulcro lignum quod curvius exit,
Nequior & fruitur ſorte favente magis."

(m) *Idem*:
Sæpè tamen etiam, licet non ſæpiſſimè,
In orbis oculis ſe probat juſtum Polus.

multos ea ætate exiſtimaſſe, eorum exiguum fore numerum, quorum tanta eſſet malitia, ut damnatione mulctarentur. Et ſunt, qui putent, eo tempore creditum non paucis fuiſſe medium quendam locum inter Infernum & Paradiſum, ipſumque *Prudentium* loqui non aliter, ac ſi medio iſto loco contentus foret; addunt, *S. Gregorium Nyſſenum* etiam huic parti favere, & ipſum *S. Hieronymum* inclinare in opinionem, quæ Chriſtianos omnes gratiæ denique reſtitutum iri contendit. Unicum *S. Pauli* verbum, quod ipſe myſterio non carere innuit, omnem nimirum Iſraëlem ſalvum fieri dictans, multis ſpeculationibus argumentum ſuppeditavit. Multi quidem Viri, cæteroquin pii, nec ineruditi, ſed audaces, nuper opinionem reſuſcitarunt *Origenis*, adſerentis, fore, ut bonum denique in omnibus & ubique prævaleat, omneſque creaturæ, ratione gaudentes, ipſique adeò mali Angeli, ſancti tandem evadant, ac beati: Liber Evangelii æterni, nuper idiomate Germanico vulgatus, & ingenti, atque erudito volumine, ſub titulo Ἀποκαταστάσεως πάντων, defenſus, haud modicas circa grande iſtud paradoxum turbas excitavit. *Clericus* etiam Origeniſtarum cauſam ingenioſè oravit, licèt pro iis ſe ſtare non profiteatur (n).

18. Vir quidam ingenioſus, meum Harmoniæ principium provehens ad arbitrarias uſque Suppoſitiones, quas nullatenùs probo, prope *Aſtronomicam quandam Theologiam* ſibi fabricavit. Arbitratur, præſentem inferioris hujus mundi corruptionem inchoaſſe, cùm Angelus, Globi Telluris Præſes, quæ tum adhuc Sol aliquis, (hoc eſt, Stella quædam fixa & de ſe luminoſa erat) cum minoribus aliquot ſuæ diœceſis Angelis peccaſſet; fortaſſis adversùs Angelum Solis alterius majoris temerè ſeſe efferendo; eodem tempore per *Harmoniam præſtabilitam* Regnorum *Naturæ*

R 3 &

(n) Dogma *de Apocataſtaſi*, ſeu *Reſtitutione univerſali* reſuſcitavit inprimis *Jo.Guil. Peterſenius*. Ideam ejus ſatis plenam quis hauriet ex Libro A. *1699*. edito ſub indice: *Evangelium æternum reſtitutionis univerſalis omnium creaturarum, prout hæc in ſolida cognitione ſtatus intermedii animarum poſt mortem fundata eſt, & poſt ultimorum Dei judiciorum executionem aliquando implebitur, ad gloriam Numinis æternùm clementis, excitandumque amorem in illud gratum & mutuum, promulgatum a Membro quodam Societatis Philadelphicæ.* Ipſum Evangelium æternum definit *Peterſenius*, quod ſit lætum nuntium de reparatione rerum omnium, per quod adnuntiatur, omnes creaturas, ſive in cœlo, ſive in terra, & ſub terra, ſive in mari & quavis abyſſo, ſingulas tamen tempore & ordine a Deo definito, poſt antegreſſas præparationes ſive in hac vita, ſive in æonibus futuris, per judicia ratione quadam juſtiſſima juſti non minùs, quàm benigni Numinis per Jeſum Chriſtum, initium & finem omnis creaturæ, Reſtauratorem omnium, Propitiatorem & Pacificatorem, a peccato & pœnis tandem liberatum iri, atque in priorem ſtatum, unde per peccatum exciderunt, in gloriam, honorem, & magnificentiam ſanctiſſimi potentiſſimique Conditoris transferendas & reſtituendas eſſe. V. Summè Venerandi Theologi noſtratis, *D. Chriſtian. Eberhard. Weiſmanni*, Introd. in Memorabilia Eccleſiaſtica Hiſtoriæ S. N. T. Sæc. XVII. n. 8. p. 1255. ſqq.

& *Gratiæ*, atque adeò per cauſas naturales, definito termino reſpondentes, Globum hunc noſtrum terraqueum maculis obtectum, opacum redditum, & loco ſuo depulſum fuiſſe: unde ſidus errans, ſive Planeta, evaſit, hoc eſt, Satelles alterius Solis, & quidem illius fortaſsè ipſius, cujus ſuperioritatem agnoſcere noluerat Globi noſtri Angelus; atque in hoc *Luciferi* lapſum conſiſtere. Poſthæc malorum Angelorum Coryphæum, qui in ſacris Pandectis Princeps, immo Deus hujus mundi, nuncupatur, invidiâ accenſum cum Angelis ſequacibus adversùs animal iſtud rationale, quod globi hujus ſuperficiem incolit, quodque Deus fortaſsè ad reparandam iſtorum ruinam ſuſcitavit, id nunc agere, ut in ejuſdem ſecum criminis & pœnæ conſortium homines pertrahat. Supervenit hiſce Jeſus Chriſtus, ad ſalvandos homines miſſus. Hic eſt æternus Dei Filius, in quantum filius unicus, ſed (ſi veteres nonnullos Chriſtianos, & hujus Hypotheſis Auctorem audimus) cùm a rerum primordiis naturam creatarum omnium nobiliſſimam induiſſet, ut omnes illas perficeret, creaturis ſeſe ſociavit, & hæc eſt filiatio ſecunda, per quam primogenitus omnis creaturæ factus eſt. Hoc ipſum Cabaliſtæ indigitabant per *Adam Cadmon*. Fortaſsè in Sole iſto magno, qui nos colluſtrat, fixerat ille ſuum tabernaculum: ſed tandem in hunc globum noſtrum devenit, in eo natus eſt e Virgine, adſumtâ humanâ naturâ, ut homines e communis hoſtis manibus eriperet. At quando judicii tempus inſtabit, cùm præſens globi noſtri facies jamjam peritura eſt, redibit ad nos adſpectabilis, ut bonos eripiat, in Solem fortaſsè tranſplantandos, pravos autem cum Dæmonibus, a quibus ſeducti ſunt, puniat. Tum vero Terræ globus deflagrare incipiet, & fortaſſis erit Cometa. Incendium iſtud neſcio quot æonas durabit; Cometæ caudam deſignat fumus, qui ſecundùm Apocalypſin adſcendet in ſæcula ſæculorum, hæcque deflagratio erit Infernus, ſive ſecunda mors, de qua ſacer Codex loquitur. Sed denique Infernus reddet mortuos ſuos, mors ipſa deſtruetur, Ratio & Pax in animis antè perverſis regnare incipient, culpam hi ſuam agnoſcent, Creatorem ſuum adorabunt, immò amare eò magis ſatagent, quod abyſſi, e qua egreſſi ſunt, magnitudinem intuebuntur. Eodem tempore (vi *Paralleliſmi Harmonici* regnorum Naturæ & Gratiæ) cernetur per ingens iſtud ac diuturnum incendium maculis ſuis Terræ globus expurgatus. Terra rurſus fiet Sol: Angelus, ei præſidens, cum Angelis ſectatoribus locum ſuum recuperabit, & cum illis damnati homines in bonorum Angelorum numerum venient; ille globi noſtri præfectus Meſſiæ, creaturarum Capiti, fidem atque clientelam profitebitur, reconciliatique hujus Angeli major erit gloria, quàm fuerat ante ipſius lapſum:

Inque Deos iterum fatorum lege receptus
Aureus æternùm noſter regnabit Apollo.

Somnium hoc lepidum mihi viſum eſt, & Origeniſta dignum, ſed nos iſtius-

ejuſmodi hypotheſibus aut fictionibus minimè indigemus, in quibus ingenii potiores ſunt partes, quàm Revelationis, immò ubi nec Rationi ipſi uſquequaque ſit, quod ſatis eſt. Neque enim adparet, eſſe in Univerſo nobis noto locum aliquem præcipuum, qui præ ceteris mereatur eſſe ſedes primogeniti creaturarum: ſaltem Sol noſtri ſyſtematis talis dici nequaquam poteſt.

19. Itaque ſi adſurgamus doctrinæ receptæ, quòd numerus hominum in æternum damnatorum infinitis paraſangis ſit major numero ſalvandorum; nihilominùs dicendum erit, malum, comparatum bono, adhuc pro nihilo haberi poſſe, ſi vera Civitatis Dei magnitudo perpendatur. *Cœlius Secundus Curio* (o) libellum compoſuit *de Amplitudine Regni Cœleſtis*, haud ita pridem recuſum, ſed a comprehendenda Regni Cœlorum vaſtitate nimium quantum abſuit. Antiqui exiles ſanè divinorum operum ideas habebant, & *S. Auguſtinus*, recentiorum detectionum expers, in excuſanda mali abundantia magnoperè laborabat. Veteribus ſola Terra noſtra habitari videbatur, in qua ipſa adeo Antipodas admittere verebantur: quod in Mundo reliquum eſt, fulgentes quidam globi ipſis erant, & ſphæræ aliquot cryſtallinæ. Hodie quicumque ſtatuantur, vel non ſtatuantur, Univerſo limites, innumeros in eo globos, noſtro æquales, aut majores, eſſe agnoſcendum eſt, qui æquali jure gaudeant incolas habendi rationales, quamvis homines eſſe neceſſe non ſit. Globus noſter nihil niſi Planeta eſt, unus ex ſex primariis Solis noſtri ſatellitibus: & quoniam ſtellæ fixæ omnes etiam Soles ſunt, patet, quàm puſilla ſit Terra noſtra, cum globis viſibilibus cæteris comparata, cum nihil ſit, niſi unius ex illis adpendix. Fieri poteſt, ut Soles omnes a ſolis creaturis beatis incolantur, nec quidquam nos cogit credere, multas ibi eſſe damnatas, nam pauca exempla ſive ſpecimina ſufficiunt ad utilitatem, quam bonum e malo elicit. Præterea, cùm ratio nulla nobis ſuadeat, ubique Stellas eſſe, nonne magnum ſpatium eſſe poteſt trans regionem ſtellarum? ſive hoc ſit Cœlum Empyræum, ſive non, ſemper tamen ſpatium hoc immenſum, totam regionem adſpectabilem ambiens, felicitate gloriaque refertum eſſe poterit. Haberi id poterit Oceani inſtar, ad quem omnium beatarum creaturarum flumina revertantur, quando in ſidereo Syſtemate ad perfectionem ſuam pervenerint. Quantilla jam globi noſtri, ejuſque incolarum, æſtimatio fiet? annon infinities minor habebitur puncto phyſico, cùm Terra noſtra vel ad diſtantiam quarundam fixarum inſtar puncti ſe habeat? Itaque cùm magnitudo portionis Univerſi, nobis cogniti, in nihilum

(o) *Cælius Secundus Curio*, in agro Taurinenſi natus A. 1530. poſt adſumtam Proteſtantium religionem ex Italia profugus, Helvetios adiit, tandemque Baſileæ Profeſſor Eloquentiæ factus eſt, ubi Anno 1569. diem ſuum obiit. Varia ſcripſit, v. gr. *de Providentia Dei*, *de immortalitate animorum*, *de utilitate legendæ hiſtoriæ*, & *de amplitudine beati regni Lib. II.* quos citat ill. *Leibnitius*.

hilum ferè abeat, ſi cum eo, quod nobis ignotum eſt, quodque ratio nos jubet admittere, conferatur; cumque mala, quæ nobis objici poſſunt, in hoc quaſi nihilo concludantur univerſa, fieri poteſt, ut mala omnia nihil aliud ſint, quàm quoddam quaſi nihilum comparatione bonorum, quæ in Univerſo reperiuntur (p).

20. Sed ſatisfaciendum eſt etiam difficultatibus magis ſpeculativis, magiſque metaphyſicis, quarum mentionem injecimus, quæque ipſam mali cauſam reſpiciunt. Quæritur ante omnia, unde malum proveniat? *Si Deus eſt, unde malum? ſi non eſt, unde bonum?* Mali cauſam Veteres adſcribebant *materiæ*, quam increatam, & a Deo independentem, cenſebant (q); nos verò, qui omne, quod exiſtit, a Deo derivamus, unde mali originem accerſemus? Reſpondetur, eam quærendam eſſe in ideali natura creaturæ, in quantum ea natura veritatibus æternis, divino intellectui inhærentibus, comprehenditur, nec a Dei voluntate dependet. Conſiderandum namque eſt, eſſe *in creatura imperfectionem quandam originalem* ante peccatum, quia creatura eſſentialiter eſt limitata; ex quo fit, eam non poſſe omnia ſcire, poſſe falli, aliaque errata admittere. *Plato* in *Timæo* dixit, Mundum habuiſſe ſuam originem ab intellectu cum neceſſitate conjuncto. Alii Deum & Naturam copularunt. Dictis hiſce ſenſus tribui commodus poteſt. Deus erit intellectus, & neceſſitas, hoc eſt, natura eſſentialis rerum, erit objectum intellectûs, in quantum id in veritatibus æternis conſiſtit (r). Sed objectum hoc internum eſt, & in Intellectu divino reperitur. Hic reſidet non ſolùm forma primitiva boni, ſed etiam ipſa origo mali: hæc eſt *Regio veritatum æternarum*, quæ in materiæ locum ſubſtituenda eſt, quando de origine rerum perveſtiganda agitur. Hæc Regio eſt *cauſa idealis* mali, ut ita dicam, æquè ac boni: quanquam propriè loquendo ipſum formale mali cauſam *efficientem* non habet, eſt enim in privatione ſitum, uti mox videbimus, hoc eſt,

(p) Materiam hanc egregiè illuſtrat laud. *Canzius* de Civit. Dei, S. II. c. II. de civium numero, i. e. vaſta Reipubl. divinæ magnitudine. Fluunt hæc ex Syſtemate Copernicano, cujus veritatem ſi nullum aliud argumentum evinceret, evinceret certè illud, quod a retrogradatione planetarum, aliis inexplicabili, deſumitur.

(q) Vid. Diſſ. Exc. Dn. Prof. *Maichelii*, 1729. habit. ſub Tit. *Idolum de Æternitate materiæ deſtructum atque everſum.* Veteres quidem hujus Univerſi ſtatuerunt aliquod initium, ejuſque Auctorem quendam agnoverunt: ſed inſimul iidem materiam aliquam præexiſtentem, independentem ac æternam, ſupponere viſi ſunt, Auctori iſti ſupremo nulla alia, quàm ordinis & formæ in materiam illatæ atque introductæ gloria relicta, ut Diſſ. cit. ait Vir eximius, §. III..

(r) Ita initio Diſcurſ. *de Anima Mundi*; *i. e. Natura*, legimus. Τίμαιος ὁ Λόκρος τάδε ἔφα· δύο αἰτίας εἶμεν τῶν συμπάντων· νόον μὲν, τῶν κατὰ λόγον γιγνομένων· ἀνάγκαν δὲ, τῶν βίᾳ κάτ' τὰς δυνάμεις τῶν σωμάτων. Interpretatur hæc in ſequentibus ratione ab ill. *Leibnitio* indigitata;

eſt, in eo, quod cauſa efficiens non facit. Hinc Scholaſtici cauſam mali vocare ſolent *deficientem*.

21. Malum accipi poteſt metaphyſicè, phyſicè & moraliter. *Malum Metaphyſicum* conſiſtit in nuda imperfectione, *Malum Phyſicum* in perpeſſione, & *Malum Morale* in peccato. Quamvis autem malum phyſicum ac malum morale neceſſaria non ſint, ſufficit, hæc ipſa vi veritatum æternarum eſſe poſſibilia. Et quia immenſa iſta veritatum *Regio* poſſibilitates omnes complectitur, oportet eſſe infinitos mundos poſſibiles, eorum plurimos malum ingredi, immò omnium optimum mali quid includere; hoc eſt, quod Deum ad permittendum malum perpulit.

22. At dicet aliquis; cur Deum ais *permittere?* nonne ipſe malum facit, & malum vult? Hic igitur explicandum venit, &, quid ſit *Permiſſio*, ut palam fiat, hunc terminum non ſine ratione uſurpari. Verùm explicanda prius eſt natura voluntatis, quæ ſuos habet gradus: & quidem ſenſu generali dici poteſt, voluntatem conſiſtere in inclinatione faciendi aliquid pro menſura boni, quam continet. Hæc voluntas vocatur *antecedens*, quando ab aliis ſejuncta, ſingula bona ſeorſim ſpectat, in quantum bona ſunt. Hoc ſenſu dici poteſt, Deum tendere ad omne bonum, in quantum bonum, *ad perfectionem ſimpliciter ſimplicem*, ut Scholaſticè loquar, idque voluntate antecedente. Habet inclinationem ſeriam ad ſanctificandos & ad ſalvandos omnes homines, ad excludendum peccatum, & ad impediendam damnationem. Quin etiam poteſt hæc voluntas dici *per ſe* efficax, hoc eſt, ex qua effectus ſequeretur, niſi alia quæpiam ratio fortior obſtaret: hæc enim voluntas *ad ſummum conatum* haud progreditur, alioqui ſemper effectum ſuum plenum produceret, cùm Deus ſit omnium rerum dominus. Eventus igitur integer & infallibilis pertinet ad ſolam *voluntatem conſequentem*, uti vocant. Hæc certè plena eſt, ejuſque intuitu locum habet *regula*, nunquam dubitare quenquam facere id, quod velit, ſi poſſit. Sed hæc voluntas conſequens, finalis & decretoria, ex omnium voluntatum antecedentium conflictu reſultat, tam earum, quæ tendunt ad bonum, quàm earum, quæ malum propulſant: & ex omnium harum voluntatum particularium concurſu voluntas totalis oritur: quemadmodum in mechanicis motus compoſitus reſultat ex omnibus tendentiis, in eodem mobili concurrentibus, & æqualiter cuilibet ſatisfacit, quantùm ſimul fieri poteſt. Et perinde eſt, ac ſi mobile ſeſe inter tendentias iſtas diſpertiretur juxta id, quod olim demonſtravi in Diario quodam Pariſienſi (7. Sept. 1693.) ubi dedi legem generalem compoſitionum motûs. Atque hoc etiam ſenſu dici poteſt, voluntatem antecedentem eſſe quodammodo efficacem, immò effectivam cum ſucceſſu (s).

 23. Hinc

(s) Quæ hic de Voluntate docentur ab ill. Viro, egregiè illuſtrantur ab ill. *Bilfingero*, tum in Libr. de Origine Mali, tum in Dilucidd, Philoſ. §.CCCCXXX. ſqq. *Voluntas*

23. Hinc conſequitur, Deum velle *antecedenter* bonum, & *conſequenter* optimum. Quod verò malum adtinet, Deus nullo prorſus pacto vult malum morale, nec abſolutè vult malum phyſicum, ſive perpeſſiones: hinc non datur abſoluta prædeſtinatio ad damnationem, dicique poteſt, Deum ſæpè velle malum phyſicum, tanquam pœnam culpæ debitam, & ſæpè etiam tanquam medium idoneum ad finem aliquem, hoc eſt, vel ad impedienda majora mala, vel ad obtinenda majora bona. Pœna etiam prodeſt ad emendationem & ad exemplum, & malum ſæpè utile eſt ad meliùs percipiendum bonum; aliquando etiam juvat ad majorem perfectionem ejus, qui id patitur, uti granum, quod ſeritur, generi cuidam corruptionis obnoxium eſt, ut germinet; qua eleganti comparatione uſus eſt ipſe Jeſus Chriſtus.

24. Quod peccatum, ſive malum morale, ſpectat, quamvis etiam ſæpè accidat, ut poſſit inſtar medii eſſe ad obtinendum bonum aliquod, vel ad impediendum aliud malum; non ideò tamen divinæ voluntatis objectum ſufficiens evadit, aut ſaltem objectum legitimum voluntatis alicujus creatæ; nec debet admitti ſive *permitti*, niſi in quantum id ceu certa ſequela obligationis indiſpenſabilis reſpicitur: ita ut, qui peccatum alienum permittere nollet, ipſemet ſuo officio deeſſet; veluti ſi Tribunus aliquis, cujus cuſtodiæ ſtatio quædam gravis momenti commiſſa eſſet, hanc ſtationem deſereret, tempore præſertim periculi, ut duorum in urbe-

luntas nim. generaliter eſt illa in ente intelligente facultas, qua rem, ſibi propoſitam, tanquam bonam adpetit, aut tanquam malam averſatur, atque adeo ad illam præſtandam, removendamve, connititur: ſeu eſt inclinatio faciendi aliquid ſecundùm menſuram boni, quam continet. *Voluntas perfectiſſima*, quæ vult bona in univerſum omnia, & perpetim, ſed pro gradu unumquodque ſuo, adeoque *maxima, maxime, tanquam maxima*: E. illa, quæ pro motivis habet *adæquatam optimi repræſentationem*. Voluntas *antecedens* eſt, vel *conſequens*. *Antecedens*, quæ & primitiva dicitur, prævia, inclinatoria & quaſi ad agendum exercitatoria, eſt in genere, quæ obtinet nondum conſideratis omnibus actionis circumſtantiis & motivis: *Conſequens*, quæ deciſiva, decretoria, finalis, quæ perpenſis demum omnibus locum habet. Prima ſc. fertur in omne bonum; ſecunda verò in bonum prævalens. Inter utramque aliquid medio quaſi loco interjicitur, quod vocatur Voluntas *Media*, quæ fertur in combinationes, cum ſc. cui malo bonum aliquod adfigitur, voluntas aliquatenus in combinationem iſtam tendet, quod bonum malo potius eſt. Seria eſt Voluntas antecedens atque efficax, cùm ipſi debeatur, quod Voluntas conſequens optimum decernat. Id cit. ill. Auctor §. CCCCXXXI. ita probat. *Quicunque in Voluntate ſua prævia inclinatoria ſeriò vult omne bonum, is in finali decretoria tantùm decernit, & curat fieri, quantùm rationabiliter obtinere poteſt.* Atqui *Deus, &c.* Ergo *&c.* Porrò: *Qui tantùm boni ex decreto ſuo fieri curat, quantùm rationabiliter obtineri poteſt, illius univerſum opus* (res cum operandi modo ſpectatæ) *eſt inter omnia poſſibilia optimum.* Atqui *Deus, &c.* Ergo *&c.* Cæterùm, dum ita de Deo loquimur, non fingimus in eo diſtinctionem; ſcimus, eum unico voluntatis actu omnia abſolvere: quicquid hîc dicimus, pertinet ad noſtrum concipiendi modum, in ſigno rationis, uti loquuntur, & quoad terminum, ſive objecta volitionis.

be militum præſidiariorum, in mutuam cædem ruentium, rixam compeſceret.

25. Regula, quæ docet, *non eſſe facienda mala, ut eveniant bona*, quæque etiam vetat permitti malum aliquod morale ad obtinendum bonum aliquod phyſicum, confirmatur hic potius, tantùm abeſt, ut violetur, ejuſque origo ac ſenſus oſtenditur. Nemo adprobabit conſilium, ſi Regina aliqua, committendo, vel etiam permittendo flagitium, Reipublicæ conſulere adgrediatur. Flagitium certum eſt, & Reipublicæ malum anceps: præterquàm quòd hæc ratio crimina rata habendi, ſi reciperetur, ipſa regni alicujus everſione deterior foret, quæ abſque eo ſatis contingit, & fortaſsè magis crebriuſque contingeret, initis hujuſmodi ad impediendum viis. Sed intuitu Dei nihil dubium eſt, nihil *Regulæ Optimi* contrarium eſſe poteſt, quæ nullam exceptionem diſpenſationemve patitur. Atque hoc ſenſu Deus peccatum permittit; nam ei, quod ſibi, quod ſuæ ſapientiæ, quod ſuæ bonitati, quod ſuæ perfectioni debet, ipſe deeſſet, niſi conſectariam illam omnium ad bonum tendentiarum ſummam proſequeretur, nec eligeret id, quod abſolute optimum eſt; nihil obſtante malo culpæ, quod per ſupremam veritatum æternarum neceſſitatem optimo involutum eſſe reperitur. Ex quo concludendum eſt, Deum *antecedenter* velle omne bonum in ſe, velle *conſequenter* optimum, tanquam *finem*, velle id, quod indifferens eſt, & malum phyſicum interdum tanquam *medium*, ſed velle duntaxat permittere malum morale, tanquam conditionem, *ſine qua non*, obtineretur optimum, ita nimirum, ut malum non, niſi titulo neceſſitatis hypotheticæ, id ipſum cum optimo connectentis, admittatur. Quapropter *Voluntas* Dei *Conſequens*, quæ peccatum pro objecto habet, tantùm permiſſiva eſt.

26. Juvat præterea conſiderare, quòd malum morale ideo tam ingens malum ſit, quia fons eſt malorum phyſicorum, in creatura potentiſſima, & ad malum phyſicum inducendum maximè idonea ſcaturiens. Prava enim voluntas in ſphæra ſua id eſt, quod malum Manichæorum principium foret in Univerſo; & Ratio, quæ eſt imago divinitatis, pravis mentibus ingentes ad plurima mala perpetrandi vias ſuppeditat. Unicus *Caligula*, vel *Nero* aliquis, plurium malorum auctores fuere, quàm ullus terræ motus. Homo pravus aliorum cruciatu excidioque delectatur, nec deſunt amplæ occaſiones. At verò Deus, cùm ad producendum quàm poteſt plurimum boni feratur, omnique ad id neceſſaria, & ſcientia, & potentia gaudeat; fieri nequit, ut in eo ſit defectus, culpa, aut peccatum, dumque peccatum permittit, ſapientia eſt, virtus eſt.

27. Extra controverſiæ aleam profectò eſt poſitum, abſtinendum eſſe ab impediendo peccato alieno, quando illud ſine peccato proprio impedire nequimus. Verùm opponet fortaſſe quis, Deum ipſum eſſe, qui agat, quique faciat, quidquid in peccato creaturæ reale ſit. Objectio hæc nos ad expendendum Dei cum creatura *concurſum phyſicum* invitat,

 poſt-

poſtquàm ſub examen vocavimus *concurſum moralem*, plus negotii faceſſentem. Nonnulli cum celebri *Durando a S. Portiano* (t), & Cardinali *Aureolo* (u), celebri Scholaſtico, cenſuerunt, concurſum Dei cum creatura (puta concurſum phyſicum) eſſe duntaxat generalem ac mediatum; Deum condere creaturas, iiſque virtutem neceſſariam indere; & deinceps ſinere eaſdem agere, nec in actionibus ſuis juvare, ſed tantum conſervare. Hæc opinio a pleriſque Theologis Scholaſticis refutata fuit, & jam olim in *Pelagio* (x) improbata fuiſſe videtur. Interim Capucinus quidam, *Ludovicus Pereir a Dola*, circa annum MDCXXX. juſto volumine eandem reſuſcitare adgreſſus erat, ſaltem quoad actus liberos. Recentiores nonnulli in eandem ſententiam propendent, & *Bernerius* (y), in libello quodam de libero & voluntario, eam propugnat; verùm dici non poteſt, quid ſit in Deo *conſervare*, niſi ad ſententiam communem fiat reditus. Conſiderandum etiam eſt, actionem Dei conſervantis debere referri ad id, quod conſervatur, quale ipſum eſt, & ſecundùm ſtatum, in quo eſt; atque ita non poteſt eſſe concurſus generalis & indeterminatus. Generalitates iſtæ ſunt abſtractiones, quæ a parte rei ſingularis haud quaquam reperiuntur, & conſervatio hominis ſtantis differt a conſervatione hominis ſedentis. Id autem non fieret, ſi conſervatio ſolùm cerneretur in actu impediendi & removendi cauſam aliquam extraneam, id, quod conſervatum velit, deſtruere valentem, quemadmodum ſæpe contingit, cùm homines aliquid conſervant. Verùm præterquam quòd nos ipſi interdum id, quod conſervamus, favere ac nutrire debemus; ſciendum eſt, Dei conſervationem ſitam eſſe in influxu iſto immediato perpetuo, quem dependentia creaturarum exigit. Hæc dependentia non ſolùm in ſubſtantia locum habet, ſed etiam in actione, neque res fortaſſe meliùs explicari poſſet, quàm dicendo cum communi Theologorum ac Philoſophorum

(t) *Durandus*, in oppidò, quod a *S. Portiano* nomen habet, natus, indeque *a S. Portiano* dictus, aliàs Doctoris reſolutiſſimi nomen adeptus, eo vixit temporis intervallo, uti *Buddeus* ait *in Iſag. Hiſt. Theol.* p. 367. ubi quicquid forte boni adhuc in Theologia Syſtematica ſuperfuit, penitùs exſtinctum, ac obſcuratum, nugis contrà & quiſquiliis cuncta obruta. Scripſit Comment. in VI. Libros Sententiarum, it. Librum de origine juris dictionum, & obiit A. 1334. d. 13. Sept. V. Cel. *Stollii Hiſt. Litt.* P. II. c. I. §. LXXVII.

(u) *Petrus Aureolus*, Doctoris Facundi elogio ornatus, obiit A. 1322. Scripſit inter alia Commentarios in Magiſtrum Sententiarum, a *Conſtant. de Sernano* editos, quibus & *Aureoli* vita adjecta eſt.

(x) *Pelagius*, Monachus Britannus ſæc. V. ſtatuit inter alia, referente *Auguſtino*, ad mandata ſervanda & implenda nullo divino adjutorio nos indigere. *Voſſius* in *Hiſt. Pelag.* p. 310. *ſqq.* Luſiſſe eum, ait, in vocabulo gratiæ, neque gratiæ divinæ, internæ, operantis in non reſiſtentibus efficaciſſimè neceſſitatem abſolutam, virtutem internam, & ſpiritualem, effectuſque cœleſtes & ſalutares, ſeriò agnoviſſe.

(y) *Bernerius*, adſecla *Gaſſendi*, cujus Philoſophiæ compendium dedit lingua Gallicana, A. 1684. ſeptem tomis in 12. ed.

phorum Schola, eſſe creationem continuatam (z).

28. Objicietur: Deus igitur creat nunc hominem peccantem, is, qui eum ab initio creaverat innocentem. Sed hic dicendum, quantùm ad moralem concurſum ſpectat, quòd Deus, cùm ſit ſumme ſapiens, non poſſit non obſervare certas quaſdam leges, & non agere ſecundùm regulas, tam phyſicas, quàm morales, quas ſapientia eum eligere fecit; eademque ratio, quæ fecit, ut crearet hominem innocentem, ſed lapſurum, fecit, ut recrearet hominem labentem, quandoquidem ejus ſcientia faciat, ut futurum habeat inſtar præſentis, nec probata ſemel conſilia repudiare poſſit.

29. Quod verò concurſum concernit phyſicum, conſideranda hic eſt veritas illa, quæ jam in Scholis tantos dedit ſtrepitus, ex quo a *S. Auguſtino* introducta eſt, malum videlicet eſſe privationem entis, cùm contrà actio Dei ad aliquid poſitivum pertingat. Reſponſio hæc tantùm pro inani effugio, proque figmento quodam chimærico, a multis habetur. Verùm ecce exemplum ſatis congruum, quod eos ab errore revocare poterit.

30. Celebris *Keplerus* (aa), & poſt illum *Carteſius* (in Epiſtolis) locuti ſunt de *inertia naturali corporum*, cujus natura, ſi propiùs inſpicias, talis eſſe reperitur, ut tanquam perfecta imago, immò tanquam ſpecimen aliquod originalis creaturarum limitationis, conſiderari poſſit, & oſtendi, privationem facere formale imperfectionum & incommodorum, in ſubſtantia æque, atque in ejus actionibus occurrentium. Ponamus, ejuſdem fluminis raptum ſecum vehere naves plures, onere ſolo inter ſe diverſas, alias ligno, alias lapidibus, plus minuſve oneratas. Hoc poſito, fiet, ut naves magis oneratæ lentiùs procedant, quàm reliquæ, mòdò ventis, aut remis, vel alia quacumque ratione, non juvari ſumantur. Hujus autem retardationis cauſa propriè non eſt gravitas, cùm naves utique deſcendant, non adſcendant, ſed eadem hic cauſa eſt, quæ etiam

(z) Hoc eſt, Conſervatio eſt continuatio actionis illius divinæ, qua rei, quæ de ſeſe nihil eſſet, confertur exiſtendi realitas. Igitur conſervatio non differt a creatione, niſi formaliter, quatenùs in idea conſervationis præſupponitur exiſtentia, in idea creationis non item. Creatio procedit a τῶ μὴ εἶναι ad ὄντως εἶναι, ab eo, quod nondum eſt, ad id, ut jam ſit: Conſervatio autem pergit ab eo, quod incepit eſſe, ad id, ut deinceps ſit. V. ill. *Bilfingeri* Dilucidd. Phil. §. CCCCLXVIII. Cel. *Canzii* Civit. Dei, §. 86.

(aa) *Jo. Keplerus*, celeberr. Aſtronomus, Würtemb. natus A. 1571. d. 27. Dec. denatus Ratisbonæ 1631. d. 15. Nov. Cel. *Hanſchius* conſilium cepit, Scripta inſignis hujus Mathematici XXII. voluminibus in fol. comprehendendi, lucique publicæ dandi, quod ill. *Leibnitius* valdè laudavit; A. 1718. fecit etiam initium edendis epiſtolis Keplerianis, juxta mentem ill. Viri, quam exhibet Epiſtola ad laud. *Hanſchium* vigeſima in *Kortholti* Collect. T. III. p. 89. Præmiſit Epiſtolis Hiſtoriam quoque vitæ Keplerianæ, quam invenies inſuper in *Reimm.* Hiſt. Litt. Vol. IV. p. 167. ſqq.

gravitatem majorem reddit in corporibus magis denſis, hoc eſt, minùs ſpongioſis, & plus materiæ, ſibi propriæ, habentibus: nam materia, quæ poros transfluit, cùm eundem motum non recipiat, in computum venire non debet. Hinc materia indole ſua nativa ad tarditatem, vel privationem celeritatis, inclinat, non ut eam, quam ſemel recepit celeritatem, per ſe diminuat, hoc enim eſſet agere; ſed ut receptivitate ſua impreſſionis effectum temperet, quando illam receptura eſt. Adeoque cum plus materiæ per eandem virtutem fluminis moveatur, quando navis majore mole gravetur, eam lentiùs procedere neceſſe eſt (bb). Sed & experimenta colliſionis corporum, rationi juncta, oſtendunt, adhibendam eſſe vim duplo majorem, ad dandam eandem velocitatem corpori ex eadem materia duplo majori, quod neceſſe non eſſet, ſi materia foret prorsùs indifferens ad quietem & motum, nec eam, quam diximus, inertiam naturalem haberet, quæ illam quodammodo motui repugnantem facit. Conferamus nunc vim, quam fluvius in naves exercet, quamque illis impertit, cum actione Dei, producente & conſervante, quidquid in creaturis eſt poſitivi, & largiente iis perfectionem, eſſentiam, & virtutem: conferamus, inquam, inertiam materiæ cum imperfectione naturali creaturarum; & tarditatem navis onuſtæ, cum defectu, in qualitatibus & actione creaturæ reperto: & comperiemus, nihil hac eſſe comparatione concinnius. Fluvius eſt cauſa motus navis, ſed non eſt retardationis; Deus eſt cauſa perfectionis in natura, inque actionibus creaturæ, ſed limitatio receptivitatis creaturæ eſt cauſa defectuum, qui ſunt in ejuſdem actione. Sic Platonici, *S. Auguſtinus*, & Scholaſtici, meritò dixere, Deum eſſe cauſam ejus, quod eſt materiale mali, conſiſtens in poſitivo, ſed non ejus, quod eſt formale, quodque in privatione conſiſtit, uti flumen dici poteſt cauſa retardationis ſecundùm materiale, non verò ſecundùm formale, hoc eſt, cauſa eſt velocitatis navis, non verò cauſa limitationis in hac velocitate. Nec Deus eſt magis peccati cauſa, quàm curſus fluminis cauſa eſt retardationis in navi. Vis etiam ad materiam ſe habet, ſicut ſpiritus ad carnem; ſpiritus quidem promtus eſt, ſed caro infirma, & ſpiritus agunt,

- *quantum non noxia corpora tardant.*

31. Itaque relatio prorſus conveniens eſt inter hanc & hanc Dei actionem, & inter hanc & hanc paſſionem aut receptionem creaturæ, quæ ab actione Dei non perficitur in curſu rerum ordinario, niſi pro menſura ſuæ *receptivitatis*, uti vocant. Dumque dicitur, creaturam pendere a Deo

(bb) „ Quanquam viciſſim verum ſit, *addit. Interpr. Lat.* ubi ſemel ſuperata eſt inertia, motuſque materiæ impreſſus, vim tanto majorem eſſe eadem velocitate poſita, quanto materia eſt major.

Deo ſecundùm eſſe & operari, immo conſervationem eſſe creationem continuam: intelligendum eſt, Deum creaturæ ſemper dare, & continuò in ea producere, quidquid ineſt poſitivum, bonum atque perfectum; omne donum perfectum eſt a Patre luminum, cum contra imperfectiones defectuſque operationum proveniant ab originali limitatione, quam creatura non potuit non accipere a primo ſuæ exiſtentiæ exordio per rationes ideales, quibus ipſa terminatur (cc). Neque enim Deus ei omnia largiri poterat, quin illum faceret Deum; Oportebat ergò, diverſos eſſe in perfectione rerum gradus, omnigenaſque limitationes.

32. Hæc conſideratio proderit etiam, ut ſatisfaciamus nonnullis Philoſophis recentioribus, qui dicere non dubitant, Deum ſolum agere. Verum quidem eſt, Dei ſolius actionem eſſe puram, & omni mixtura *paſſionis* vacuam; ſed id non obſtat, quo minus etiam creatura ſit particeps actionum (dd), cùm *actio creaturæ* ſit modificatio ſubſtantiæ ſuæ, ex ipſa naturaliter fluens, & variationem includens non ſolum in perfectionibus, quas Deus cum creatura communicavit, ſed etiam in limitationibus, quas ea ex ſe ipſa adfert, ut ſit id, quod eſt. Unde etiam patet, ſubſtantiam a ſuis modificationibus ſive accidentibus realiter diſtingui, contra quam ſentiunt Recentiores quidam, & nominatim defunctus Buckingamiæ Dux, qui de hoc verba fecit in Diſſertatiuncula de Religione, nuper recuſa. Malum itaque eſt ſicut tenebræ, nec ſolùm ignorantia, ſed

(cc) In rebus ſc. creatis omnibus duo poſſunt diſtingui: alterum eſt τὸ *reale*, quod in ente etiam finito perdurat, & ſubjectum eſt modificationum ejus; alterum ſunt *modificationes* ipſæ, mutationibus obnoxiæ perpetuis. Dicam id in exemplo. Anima mea eſt ſubſtantia repræſentativa mundi pro ratione corporis mei organici, ſive eſt vis cogitandi & adpetendi. Hoc eſt illud perdurans in mente, vel potiùs hæc eſt mens mea. Eadem tamen vis diverſa cogitat & adpetit ſucceſſivè, diverſis igitur modificationibus prædita eſt. Modificationes illæ pendent a limitatione ejus & finitudine: infinita enim mens reſpuit modificationes, cogitat ſimul omnia perpetim. *Cohærent* igitur *modificationes* illi, quod ſubſtantiale & perdurans eſt in rebus, cohærent, inquam, illi *tanquam finito*; & conſiſtunt in *negatione* vel *privatione* realitatis amplioris. - - - Quodſi igitur quæras, *quid* ſit illud, quod *Deus poſitivo* ſuo influxu conſervat, facilis eſt reſponſio, id quod reale eſt, & ſubſtantiale. Limitationes, & pendentes exinde modificationes rerum, peculiari influxu conſervatorio non indigent: ſunt verba ill. *Bilfingeri* in Dilucidd. Philoſ. §. CCCCXXX.

(dd) Actio ſic Dei & creaturæ eſt numero unica. A Deo eſt τὸ reale in adpetitu tanquam principio actionis: a Creatura ſunt modificationes illius adpetitûs. Actio inde pendens participat de reali & de limitato, utrumque complexa. Igitur in eadem numero actione concurrunt Deus & homo. Deus autem agit id, quod reale; homo illi limitationes & modificationes infert: igitur Deus concurrit ad τὸ *materiale*, non ad *formale* actionis. Ab eo eſt vis agendi, eſt motus, ſive (generaliter) conatus phyſicus: determinatio ejus ad hoc vel illud objectum, hoc vel illo modo, gradu, ordine, eſt a creatura. Si itaque vitioſa ſit actio, concurrit ad actum, non ad vitioſitatem ejus. *Id.* §. CCCCLXXII.

ſed etiam error & malitia, in quadam privatione formaliter conſiſtunt. En exemplum erroris, quo jam ſuprà uſi ſumus. Video turrim, quæ e longinquo rotunda videtur, quamvis ſit quadrata. Cogitatio, quod turris talis ſit, qualis adparet, naturaliter fluit ex illo, quod video; & ſi in hac cogitatione ſubſiſtam, fit adfirmatio atque judicium falſum; at ſi proſequar examen, ſi qua mentis adtentio moneat me ſpecie decipi, errorem certè vito. Pedem alicubi figere, nec ulteriùs progredi, vel obſervatione nulla ſibi proſpicere, privationes ſunt.

33. Eodem modo ſe res habet cum malitia, ſive mala voluntate. Voluntas tendit ad bonum in genere; ferri debet in perfectionem, quæ nobis congruit, & ſuprema perfectio in Deo eſt: voluptates omnes aliquem perfectionis ſenſum in ſeipſis habent, ſed ubi in ſenſuum voluptatibus, vel aliis quibuſcumque, ſubſiſtimus, cum diſpendio majorum bonorum, puta valetudinis, virtutis, unionis cum Deo, felicitatis: in hac ipſa privatione tendentiæ ulterioris defectus conſiſtit. Perfectio generatim eſt poſitiva, eſt abſoluta realitas; defectus autem eſt privativus, a limitatione ortum trahens, atque ad novas privationes tendens. Itaque non minùs verum, quàm vetus verbum eſt: *bonum ex cauſa integra*, *malum ex quolibet defectu*; uti & illud, quod jam adtigimus: *malum cauſam habet non efficientem*, *ſed deficientem* (ee), quorum Axiomatum ſenſum ex jam dictis meliùs intellectum iri confido.

34. Phyſicus porrò Dei & creaturarum cum voluntate concurſus, difficultates etiam, libertatem petentes, exacuit. Equidem cenſeo, voluntatem noſtram non ſolum a coactione, ſed etiam a neceſſitate, immunem eſſe. Dudum notavit *Ariſtoteles*, in libertate duo eſſe, ſcilicet ſpontaneitatem & electionem, & in hoc ſitum eſt noſtrum in actiones noſtras imperium. Quòd ſi liberè agimus, non cogimur, uti quidem fieret, ſi quis nos in præcipitium ageret, deque loco ſublimi in terram deturbaret: nec obſtat, quo minùs animus noſter ſit liber, ubi deliberationem inſtituimus, quod fieret, ſi quis per propinatum pharmacum judicandi vim nobis eriperet. Nimirum in innumeris naturæ operationibus *contingentia* locum habet; ſed ubi judicium deeſt agenti, deeſt quoque libertas. Et ſi judicium haberemus, abſque ulla ad agendum inclinatione ſtipatum, mens noſtra foret intellectus ſine voluntate (ff).

35. Non

(ee) *Auguſtinus* de *Civitate Dei L. XII. c. VII.* Malæ voluntatis nemo quærat cauſam efficientem: non enim eſt *efficiens*, ſed *deficiens*, quia nec illa eſt *effectio*, ſed *defectio*.

(ff) Partes Libertatis ex his ill. *Bilſingeri* cogitatis diſtinctè concipiuntur. 1. Libera, *inquit*, non eſt actio, de qua agens nullam habet intelligentiam. Eſt igitur hoc *prærequiſitum* libertatis, ut *agens* liberum ſit *intelligens*. 2. Libera non eſt actio, quæ ſola in ſeſe eſt poſſibilis, adeoque abſolutè neceſſaria. Requiritur itaque, ut *actio* ſit *in ſeſe contingens*. 3. Libera non eſt actio, quæ ex ſtatu antecedente, non in facultate agentis poſito, ita ſequitur, ut poſita conditione illa non poſſit non ſequi, h. e. quæ ex conditione antecedanea influente

35. Non tamen inter hæc exiſtimandum, libertatem noſtram in indeterminatione, aut *indifferentia* quadam *æquilibrii* ſitam eſſe; quaſi æqualiter in utramque partem, & adfirmativam, & negativam, ac in plures partes diverſas propendere oporteret, cùm plura nobis eligenda proponuntur. Hoc æquilibrium uſquequaque impoſſibile eſt: nam ſi æqualiter propenderemus in tria eligibilia, A, B & C, non poſſemus æqualiter propendere in A, & non A. Hoc æquilibrium etiam prorsùs adverſatur experientiæ, & ubi noſtra intùs ſcrutabimur adtentiùs, ſemper aliquam cauſam, ſive rationem, adfuiſſe deprehendemus, quæ nos in eam, quam amplexi ſumus, partem inclinavit, quamvis frequenter id, quod nos movet, non percipiamus; planè ſicut vix percipimus, quare, porta aliqua egredientes, pedem dextrum ſiniſtro, vel ſiniſtrum dextro, præpoſuerimus.

36. At nos ad ipſas difficultates accingamus. Inter Philoſophos hodie convenit, veritatem futurorum contingentium eſſe determinatam, hoc eſt, futura contingentia eſſe futura, ſive fore, eſſe eventura: tam enim exploratum eſt, futurum fore, quàm certum eſt, præteritum fuiſſe. Profectò centum ante annos verum erat, me hodie ſcripturum, ſicut poſt centum annos verum erit, me ſcripſiſſe. Itaque contingens ex eo, quod futurum ſit, non ideò minus contingens eſt; nec *determinatio*, quæ ſi cognita foret, *certitudo* adpellaretur, cùm contingentia pugnat. Sæpe *certum* & *determinatum* pro eòdem accipitur, quia veritas determinata ſaltem cognoſci poteſt, ita ut *determinatio* dici poſſit eſſe certitudo aliqua objectiva.

37. Hæc determinatio, quæ ex ipſa veritatis natura oritur, libertati nocere non poteſt: ſed dantur aliæ præterea determinationes, quæ aliunde deſumuntur, & inprimis quidem a præſcientia Dei, quam plures libertati contrariam cenſuerunt. Dicunt enim, id, quod prævisùm eſt, non poſſe non exiſtere ſuo tempore, & verum dicunt, ſed inde non ſequitur, id eſſe neceſſarium. *Veritas* namque *neceſſaria* ea eſt, cujus contrarium impoſſibile, aut contradictionem implicat. Jam verò hæc veritas, cras ſcribam, non eſt hujuſmodi, ergò non eſt neceſſaria. At poſito, quòd Deus eam prævideat, neceſſe eſt, ut contingat, hoc eſt, con-

fluente phyſica, & per ſeſe neceſſitante, eſt hypotheticè neceſſaria. Requiritur igitur, ut *actio* ſit *hoc* ſenſu *hypotheticè contingens*. 4. Libera non eſt, quæ non oritur a principio agentis interno, ſed ab extrinſeco in ſolidum dependet. Requiritur itaque *ſpontaneitas*. Ex his conſequitur 5. quòd libera actio non ſit, niſi adfuerit in animo *facultas* actionem iſtam ſuſcipiendi & negligendi, ſuſcipiendi hanc vel aliam. Ea facultas dici ſolet *indifferentia*, non æquilibrii, ſed *exercitii*; vi cujus, etſi voluntas in unam partem magis inclinet, quàm in alteram; eoque illam ſine dubio electura ſit: non obſtantibus tamen rationibus determinandi ſe in hanc partem, poſſet etiam eligere alteram, vel deciſionem ſaltem ſuſpendere, §. CCCII.

ſequentia eſt neceſſaria, nempe ut exiſtat, quoniam prævisſa eſt, Deus namque falli nequit, & hæc *neceſſitas hypothetica* dicitur; verùm de hac neceſſitate non agimus hoc loco. Scilicet *neceſſitas abſoluta* requiritur, ut dici queat, actionem eſſe neceſſariam, non contingentem, non eſſe effectum liberæ electionis (gg) Et aliunde perfacile eſt judicatu, præſcientiam ex ſe ipſa determinationi veritatis futurorum contingentium nihil addere, niſi quòd determinatio iſta cognoſcatur, id quod determinationem ipſam, ſive *futuritionem* (uti vocant) eventuum iſtorum, jam dudum admiſſam, minimè auget.

38. Atque hæc reſponſio ſine dubio quàm commodiſſimè quadrat; eſt enim in confeſſo, præſcientiam in ſeipſa non reddere veritatem magis determinatam: prævidetur, quia determinata eſt, quia vera eſt, ſed vera non eſt, quia prævidetur: & in hoc articulo cognitio futuri nihil habet, quod non etiam ſit in cognitione præteriti vel præſentis. Sed vide, quid replicare adverſarius aliquis poſſit: Concedo vobis, præſcientiam in ſe ipſa non reddere veritatem magis determinatam, ſed hoc efficit cauſa præſcientiæ. Nam oportet etiam Dei præſcientiam in natura rerum fundatam eſſe; hoc verò fundamentum, cùm veritatem *prædeterminatam* faciat, impediet, quo minùs veritas contingens & libera cenſeri poſſit.

39. Hæc difficultas duas opiniones peperit: alteram *Prædeterminatorum*, alteram Patronorum *Scientiæ mediæ*. Dominicani & Auguſtiniani ſtant pro prædeterminatione, Franciſcani & Jeſuitæ hodie ſcientiæ mediæ

(gg) Ex iis, quæ ſuprà ad §. 34. ex ill. *Bilfingeri* Dilucidd. Philoſ. adduximus, ſi cum iis, quæ ill. *Leibnitius* diſputat, conferantur, luculenter pateſcit, vim fieri Viris Philoſophis, ſi dicatur, *neceſſitatem ex antecedente & prædeterminante cauſa*, ab iis adſumtam, *libertati* infeſtam eſſe. Determinatur quidem actus voluntatis conſequens per ſtatum animæ antecedentem, ſed rationes illæ determinantes ſuadent tantùm ad agendum, movent, flectunt, invitant, non neceſſitant, ita ut verum ſemper maneat, hominem, poſitis iis, poſſe tamen agere, & non agere, agere hoc & aliud. Quoniam verò Deus præſcit omnes haſce determinationes, omnia illa argumenta moventia, & quantum quiſque eis ſe moveri velit, actiones hominis liberæ omnino certæ ſunt, & fundunt ſcientiam; ſed illa præſcientia divina actiones iſtas hominis liberas ſupponit modò, non cogit, non neceſſitate abſoluta adficit. Inquies, *actum voluntatis per ipſam animæ eſſentiam & naturam individualem ita determinari, & tam neceſſariò produci, ut, antecedente poſito, impoſſibile ſit, ut anima, ſi per omnipotentiam Dei immediatè non impediatur, id, quod deinceps agit, non agat, aut aliud agat, ſicque libertatem ſalvam ampliùs haud eſſe*: reſpondemus, a nemine noſtrûm cenſeri, omnia inevitabili neceſſitate in anima ſequi, ipſamque ad omnes modificationes per eſſentiam determinatam eſſe, quod foret *Spinoſæ* dogma, ſed ſtatui, iis in caſibus, ubi per eſſentiam ſufficienter determinata non ſit, ſeipſam determinare, quæ determinatio libertatis eſſentiam conſtituit, & ſervari ſic non contingentiam tantùm conſtitutionis, ſed & conſecutionis. V. ill. *Wolffii* Commentatio lucul. Sect. II. §. XXII. ſi igitur dicatur, impoſſibile eſſe in hoc mundo, ut aliter agat, nihil aliud intelligi, quàm actiones alias in hoc nexu rerum veritatem determinatam non habere.

diæ potius favent. Hæ duæ opiniones circa medium decimum ſextum ſæculum, & paullo poſt coortæ ſunt. *Molina* (hh) ipſe (qui fortaſsè cum *Fonſeca* (ii) inter primos hoc argumentum in ſyſtema redegit, & a quo alii Moliniſtarum nomen accepere) in Libro Concordiæ Liberi Arbitrii cum Gratia, circa annum MDLXX. a ſe edito, dicit, Doctores Hiſpanos (intelligit præcipuè Thomiſtas) qui a viginti annis ſcripſerant, aliam rationem non reperientes explicandi, quo pacto Deus futurorum contingentium ſcientiam certam habere poſſet, prædeterminationes, tanquam ad actiones liberas neceſſarias, introduxiſſe.

40. Ipſe quidem aliam ſe viam inveniſſe exiſtimavit. Tria *ſcientiæ divinæ* objecta eſſe conſiderat, poſſibilia, eventus actuales, & eventus conditionales, qui exſtituri forent, ſi certa quædam conditio in actum deducta eſſet. Scientia poſſibilitatum ea eſt, quam *ſcientiam ſimplicis intelligentiæ* vocant, ſcientia verò eventuum, in ſerie Univerſi actu contingentium, nuncupatur *ſcientia Viſionis*. Et quia medium quoddam datur inter ſimpliciter poſſibile, & eventum actualem purum atque abſolutum, eventum videlicet conditionatum; dici etiam poterit, ſecundùm *Molinam*, aliquam eſſe *ſcientiam mediam* inter eam, quæ viſionis eſt, & alteram, quæ eſt ſimplicis intelligentiæ. Celebre in eo exemplum adducitur *Davidis*, Oraculum divinum conſulentis, num habitatores urbis Ceilæ, cui ſe includere decreverat, *Sauli* eum tradituri forent, ſi *Saul* urbem obſeſſurus veniret? Reſpondit Deus, tradituros, quo audito, *Davides* alia conſilia iniit. Jam quidam ſcientiæ mediæ defenſores conſiderant, quòd Deus, prævidens, quòd homines liberè acturi forent, ſi in his vel illis circumſtantiis ponerentur, ſcienſque, eos libero ſuo arbitrio malè uſuros, ſtatuat, negare illis gratias & circumſtantias favorabiles: quod quidem juſte ſtatuere poteſt, cùm circumſtantiæ iſtæ, auxiliaque illa, nihil ipſis profutura fuiſſent (kk). Verùm *Molina* ſatis habet in ea ſcientia

(hh) *Ludov. Molina*, S. J. Conchenſis, Madriti mortuus A. 1600. d. 12. Oct. Liber ejus *de liberi arbitrii cum gratiæ donis concordia* magnos excitavit motus inter Dominicanos & Jeſuitas, de gratia & libero arbitrio inter ſe contendentes.

(ii) *Petrus Fonſeca*, S. J. Luſitanus, Lisbonæ mortuus A. 1619. d. 4. Nov. Memoratur inter præcipuos Philoſophiæ Scholaſticæ cultores poſt Eccleſiæ emendationem.

(kk) Dum quidam Eccleſiæ Catholicæ Theologus in judicio, quod de Theodicæa *Leibnitiana* tulit, tertio loco monuit, *nunquam ſe legiſſe defenſores ſcientiæ mediæ, quales deſcribantur* §. 40. *Tentaminum*, Interpres Lat. itidem Romanæ Eccleſiæ addictus, ita defendit ill. Auctorem. „ *P. Livinus de Meyer*, inſignis e Societate Jeſu Theologus, in *Reſponſione ad Librum* Henrici a S. Ignatio, *Cap. 6. p. 127. optimè monet, omnes hactenus Societatis Theologos conſtanter docuiſſe, non ideò Deum homini dare gratiam, cui, ſi daretur, conſenſurum prævidit, quia prævifus erat liberè conſenſurus, ſi talis gratia daretur: hoc enim, inquit, falſum eſſe adſerimus; patetque exemplo Tyriorum & Sidoniorum, qui licèt a Deo prævifi fuerint pœnitentiam acturi, ſi talem, qualem habuerunt Corozaitæ,*

tia generatim invenire rationem decretorum divinorum, fundatam in eo, quòd creatura libera his vel illis circumſtantiis actura foret.

41. Hanc

zaitæ, gratiam accepiſſent, tamen propterea nec eam gratiam acceperunt, nec pœnitentiam egerunt: neque etiam ideò Deum negare alicui gratiam, cui conſenſurus erat, ſi daretur, quia præviſus erat diſſenſurus alteri gratiæ, ſi iſta daretur. Aliàs in utroque caſu omnes homines ſalvi ſimul eſſe deberent, & damnati. Nullus enim eſt, de quo non præviderit Deus, aliquibus eum gratiis liberè conſenſurum, ſi darentur: ergo ſi ideò eas gratias acciperent, omnes acciperent gratias, quibus, ſi darentur, præviſi ſunt liberè conſenſuri, & conſequenter omnes ſalvarentur. Similiter nullus eſt, qui non ſit præviſus aliquibus gratiis diſſenſurus, ſi darentur: ergò ſi ideò Deus negaret illis alias gratias, quibus, ſi darentur, præviderat conſenſuros, omnibus negaret gratias, quibus viderat conſenſuros, adeoque omnes damnarentur. Ratio eſt, quia Deus ad dandum vel non dandum hanc vel illam gratiam nullo modo movetur operibus, quæ nunquam abſolutè erunt, ſed tantùm eſſent, ſi hæc vel illa conditio poneretur: quia opera, quæ nunquam erunt, ſed tantùm eſſent ſub conditione, non poſſunt dici ſimpliciter & abſolutè futura, quia nunquam erunt, adeoque non poſſunt habere coram Deo rationem meriti vel demeriti, qui redditurus eſt unicuique ſecundùm id, quod reipſa geſſit in corpore, ſive bonum, ſive malum, non autem ſecundùm id, quod facturus erat, ſi diutiùs vixiſſet, vel majoribus præventus gratiis, vel gravioribus tentationibus fuiſſet pulſatus. Verùm non deſunt hodie, qui hanc tam falſam, tamque abſurdam, doctrinam nobis pergunt opponere, quidquid omnes omnium Theologorum Libri reclamant. Hæc P. Livinus de Meyer.

Ego planè Viro doctiſſimo adſentior, Deum homini nec dare, nec negare gratiam ob opera bona vel mala tantùm conditionatè prævisa, tanquam ob cauſam meritoriam. Hæc enim merita conditionata Semipelagiani commenti ſunt, & a *S. Auguſtino* penitùs ſunt profligata, uti fatentur omnes Theologi Catholici, qui cum *S. Thoma* 1. p. q. 23. art. 5. ad 1. unanimi ſententia docent, *uſum gratiæ præſcitum non eſſe rationem collationis gratiæ, niſi ſecundùm rationem cauſæ finalis*, non verò meritoriæ.

Fatendum tamen eſt, fuiſſe, & eſſe hodieque quoſdam ſcientiæ conditionatæ Defenſores, ſive Catholicos, ſive alios, qui a doctrina, quam *Leibnitius* hic memorat, non abhorreant. Ut enim *Alexandrum Alenſem* prætercam, cui *Gamachæus* in 1. p. qu. 23. cap. 6. pag. mihi 172. hanc ſententiam tribuit. *Quòd Deus ab æterno ſtatuerit, primam gratiam iis conferre, quos prævidit, illa bene uſuros. Alphonſus Antonius de Saraſa* aliquatenus huc trahi poſſe videtur, dum Artis ſemper gaudendi p. 1. tract. 10. n. 41. ſic loquitur: *Planè mihi perſuadeo, tantam eſſe divinam pietatem & miſericordiam, ut ex omnibus eis ſtatibus, in quibus cognoſcit hominem pro ſua libertate & malitia damnandum, eum adhuc eligat, in quo ſecundùm communem gratiarum curſum ſcit minimè ſaltem malè libertate ſua abuſurum hominem, minoremque ſibi propterea damnationem pariturum: aut certè eum deligit, in quo graviſſima etiam ſcelera permittere ingentem aliquam Deo gloriam ſit adlaturum, prout de Tyrannorum immanitate philoſophati ſumus, quorum ſævitia tantam Martyrum multitudinem Deo gloriamque cumulavit.* Ex hac enim *Saraſæ* doctrina confici videtur, Deum prævidentem, quid homines v. g. negativè infideles acturi liberè forent, ſi in his vel illis circumſtantiis ponerentur, ſcientemque eos arbitrio ſuo liberè malè uſuros, ſtatuiſſe negare gratias, & circumſtantias favorabiles, v. g. occaſionem audiendi Evangelii, quod quidem juſtè, immo piè & miſericorditer, juxta *Saraſam*, ſtatuere poteſt, cùm circumſtantiæ illæ, auxiliaque illa, nihil illis profutura fuiſſent ad ſalutem, immò potiùs ad damnationis incrementum.

Hanc

41. Hanc controverſiam ſigillatim expendere non lubet, ſufficit mihi ejus aliquod proferre ſpecimen. Veteres quidam, quos *S. Auguſtinus*, primi-

T 3

Hanc opinionem (a *Saraſa* temperatam, & ad communem gratiarum curſum reſtrictam) diſcutere non eſt hujus loci (Videatur hic n. 102. & ſqq.) Semipelagianorum certè errori an faveat, & ſequentibus *Auguſtini* verbis (de bono Perſeverantiæ cap. 10.) colligi poteſt. *Nullus mortuus judicatur ex bonis ſeu malis, quæ fuerat, ſi moreretur, acturus: alioquin Tyrii & Sidonii non ſecundùm ea, quæ geſſerunt, pœnas luerent, ſed potius ſecundum ea, quæ geſturi fuerant, ſi in eis illæ virtutes Evangelicæ factæ fuiſſent, per grandem pœnitentiam, & per Chriſti fidem conſequerentur ſalutem. Quidam Diſputator* Catholicus *non ignobilis, hunc Evangelii locum expoſuit, ut diceret, praſciſſe Dominum, Tyrios & Sidonios a fide fuiſſe poſtea receſſuros, quum factis apud ſe miraculis credidiſſent, & miſericordia potius non eum illic iſta feciſſe: quoniam graviori pœnæ obnoxii forent, ſi fidem, quam tenuerant, reliquiſſent, quàm ſi eam nullo tempore tenuiſſent. In qua ſententia docti hominis, & admodum acuti, quæ ſint adhuc meritò requirenda, quid me nunc adtinet dicere, cùm & ipſa nobis ad id, quod agimus, ſuffragetur? Si enim miſeratione Dominus non fecit in iſtis virtutes, per quas fieri poſſent fideles, ne graviùs punirentur, cùm poſtea fierent infideles, quòd eos iterum infideles futuros fuiſſe praſcivit: ſatis aperteque demonſtratur, de his peccatis neminem judicari mortuorum, quæ præſcivit fuiſſe facturum, ſi aliquo modo ei, ne illa faciat, ſubvenitur: ſicut Tyriis & Sidoniis, ſi ſententia illa vera eſt, ſubveniſſe dicitur Chriſtus, quos maluit non accedere ad fidem, quàm ſcelere multo graviore diſcedere a fide, quod eos, ſi acceſſiſſent, prævideraт fuiſſe facturos. Quamvis ſi dicatur: cur non factum eſt, ut crederent potiùs, & hoc eis præſtaretur, ut, antequam fidem relinquerent, ex hac vita migrarent, quid reſponderi poſſit, ignoro. Qui enim dicit, relicturis fidem beneficium fuiſſe conceſſum, ne habere inciperent, quod graviore impietate deſererent, ſatis indicat, non judicari hominem ex eo, quòd prænoſcitur malè fuiſſe facturus, ſi ei quocumque beneficio, ut id non faciat, conſulatur. Conſultum eſt igitur & illi, qui raptus eſt, ne malitia mutaret intellectum eorum; forſan reſponderet ille, cui placuit iſto modo hanc ſolvere quæſtionem. Ego verò quantùm ad hoc, quod ago, adtinet, ſufficere video, ut ſecundùm iſtam quoque ſententiam demonſtrentur homines non judicari de his, quæ non fecerunt, etiamſi facturi fuiſſe præviſi ſint.* Hæc *S. Auguſtinus.*

Sciendum præterea, Proteſtantes non paucos, ac nominatim Remonſtrantes, quos vocant, a ſcientia media non abhorrere, quorum aliquos merita conditionata in abuſu ſcientiæ conditionatæ a *SS. Auguſtino* & *Thoma* improbato fundata tueri mirum videri non debet, cùm Proteſtantes non paucos ad Semipelagianiſmum deflectere teſtetur ſuprà laudatus Præſul Meldenſis. Vide Indicem Voluminis prioris Hiſtoriæ Variationum, verbo: *Semipelagianiſmus.* Et hos fortaſsè præcipuè indigitare voluerit *Leibnitius.*

Quid quòd & e Reformatis, uti ſe vocant, etiam Particulariſtis nonnulli in hanc ſententiam eunt, & nominatim *Joannes de la Placette*, Eccleſiæ Gallicæ Reformatæ Hafnienſis Paſtor (qui Libro, quem Gallicè inſcripſit, *Elucidationem aliquot difficultatum ortarum ex conſideratione libertatis ad moraliter agendum neceſſariæ*, Scientiam mediam ſtrenuè tuetur) ut *Reſponſionis ad duas* Bælii *objectiones Appendice*, (*cap.* 10. *in fine*) contra Univerſaliſtas probet, Deum negare peccatoribus gratias, quas ab ipſis repudiandas prævidit, hoc maximè argumento nititur. *Utiliusne eſt*, inquit, *accipere gratias, quæ ad nihil proderunt, niſi ut magis inexcuſabiles, magis culpabiles, magiſque infelices reddantur illi, quibus eæ concedentur, quàm nullas accipere?* Hactenus *Interpres Latinus.* Qui plura de Jeſuitarum ſententia hoc in argumento ſcire aveat, præter alios adeat *Cor-*

næi

primique ejus diſcipuli, non probabant, videntur a *Molinæ* cogitationibus haud multùm abfuiſſe. Thomiſtæ, & qui ſe *Auguſtini* diſcipulos (ſed Adverſarii Janſeniſtas) adpellant, hanc doctrinam & philoſophicis & theologicis argumentis oppugnant. Nonnulli contendunt, ſcientiam mediam intra ſcientiam ſimplicis intelligentiæ comprehendi debere. Sed præcipua objectio fundamentum hujus ſcientiæ impetit. Nam quæritur, quodnam Deus habere poſſit fundamentum videndi, quid Ceilitæ ſint acturi? Nudus aliquis actus contingens & liber nihil in ſe habet, quod certitudinis principium ſuppeditare poſſit, niſi ſpectetur tanquam prædeterminatus per decreta divina, perque cauſas ab illis decretis dependentes. Igitur difficultas, quæ in actionibus liberis & actualibus reperitur, etiam in actionibus liberis conditionalibus reperietur, hoc eſt, Deus eas, niſi ſub conditione cauſarum & decretorum, quæ ſunt primæ rerum cauſæ, non cognoſcet: nec poterunt ab his cauſis ita avelli, ut independenter a cauſarum iſtarum notitia cognoſcatur eventus contingens. Totum igitur ad decretorum Dei prædeterminationem reducendum erit: ergo (inquient) ſcientia iſta media nulli incommodo medebitur. Theologi, qui ſe *S. Auguſtini* adſeclas profitentur, contendunt, etiam ex Moliniſtarum ſententia effici, quòd gratia Dei a bonis hominis qualitatibus originem habeat, id quod & divino honori, & *S. Pauli* doctrinæ, adverſari judicant.

42. Longum foret atque tædioſum, argumenta, utrimque iteratis vicibus adduci ſolita, hîc recenſere; ſufficit mihi explicare, quo pacto ab utraque parte veri quid eſſe concipiam. Hunc in finem venio ad principium meum de infinitis mundis poſſibilibus, repræſentatis in regione veritatum

næi S. J. Medullam Theologiæ, ed. 1665. ubi Diſp. V. *de Scientia Dei*, Diſp. VI. *de Scientia Viſionis*, Diſp. VII. *de Scientia media*, a p. 389.--538. Totam verò rem ex cel. *Wolffio* diſtinctè ita tradit meritiſſimus Ienenſium Profeſſor, *Jo. Petr. Reuſchius*, in Syſt. Metaph. §. 922. *Res in quolibet mundo obviæ poſſunt conſiderari & tanquam poſſibilia modò, & tanquam exiſtentia ſeu quatenus futuritionem habent. Unde in puncto rationis, ut vocant, ſeu ſecundùm noſtrum concipiendi modum, in Deo conſiderare poſſumus*, primò *intellectum, quatenus ſibi repræſentat omnia poſſibilia, quà poſſibilia; & ea adpellatur* ſcientia ſimplicis intelligentiæ, *quia nullus hic ſpectatur voluntatis actus, ſeu nuda contemplatio; item* Scientia neceſſaria, *quia poſſibilia, quà poſſibilia, ſunt neceſſaria, & a Deo neceſſariò cognoſcuntur, qualia ſunt:* deinde *intellectum, quatenus ſibi repræſentat omnia poſſibilia, quà exiſtentia, ſeu poſſibilia in futuritione, eaque* vel *ſub conditione hujus mundi, quæ vocatur* Scientia Viſionis, *item* Libera, *quia exiſtentia hujus mundi a libero Dei actu dependet;* vel *ſub conditione alîus mundi, ſeu alicujus, quod in hoc mundo nunquam exiſtit, quæ dicitur* Scientia Dei media, *quoniam quaſi media incedit inter ſcientiam ſimplicis intelligentiæ & viſiònis, atque de utraque participat; item* Scientia conditionata, *quoniam expreſſa conditio alterius mundi hic adſumitur, quæ tamen* adcuratiùs *adpellanda videtur* Scientia conditionatorum, *quia conditio illa non adficit Deum, ſed objectum. Exempla illius ex S. Codice citantur Matth. XI. 25. 1. Sam. XXXIII. 10. Ezech. III. 16.*

ritatum æternarum, hoc eſt, in objecto Intelligentiæ divinæ, ſub quo omnia futura conditionata comprehendi neceſſe eſt. Nam caſus obſidionis Ceilanæ pars eſt mundi poſſibilis, *qui a noſtro duntaxat differt in iis, quæ cum iſta hypotheſi connexa ſunt*, & poſſibilis iſtius mundi idea repræſentat, quid eo caſu futurum fuiſſet. Habemus igitur principium certæ futurorum contingentium ſcientiæ; ſive hæc actu eveniant, ſive certa ſub conditione eventura eſſent. Nam in *regione* poſſibilium repræſentantur, uti ſunt, hoc eſt, contingentia libera. Igitur neque futurorum contingentium præſcientia, nec certitudinis hujus præſcientiæ fundamentum nos conturbare debet, aut libertati præjudicare poteſt. Et quamvis verum eſſet, futura contingentia, in liberis creaturarum rationalium actionibus ſita, nullatenus a decretis Dei, cauſiſque ſuis externis, dependere, non deforet tamen modus ea prævidendi: Deus enim ea videret, qualia ſunt in regione poſſibilium, antequàm eorum exiſtentiam decerneret.

43. Verùm enim verò, tametſi præſcientia Dei cum actionum noſtrarum liberarum dependentia vel independentia commune nihil habeat, non tamen idem valet de præordinatione Dei, de decretis ejus, deque ſerie cauſarum, quas ad voluntatis determinationem aliquid conſerre cenſeo. Et quamvis Moliniſtis, quod primum caput concernit, conſentiam, tamen prædeterminatores ſequor, quod ad ſecundum pertinet, at ſemper cavendo, ne prædeterminatio ſit neceſſitans. Verbo, arbitror, voluntatem ſemper magis inclinari in partem, quam amplectitur, ſed nunquam ad eandem amplectendam neceſſitari. Certum eſt, hanc a voluntate partem electum iri, ſed neceſſe non eſt, ut eligatur. Loquor hic ad imitationem celebris illius dicti: *Aſtra inclinant, non neceſſitant*; quanquam caſus non ſit omni ex parte ſimilis. Nam eventus, ad quem Aſtra inclinant (ut cum vulgo loquar, quaſi aliquo niteretur Aſtrologia fundamento) non ſemper contingit; cùm contrà ea pars, ad quam voluntas magis inclinatur, nunquam non eligatur. Et verò aſtra non niſi partem facerent inclinationum, ad eventum concurrentium, ſed dum de majori voluntatis inclinatione loquimur, ſermo eſt de collectione omnium inclinationum; ad eum ferè modum, quo ſuprà de voluntate Dei conſequente, ex omnibus voluntatibus antecedentibus reſultante, verba fecimus.

44. Interim certitudo objectiva, vel determinatio, neceſſitatem non infert veritatis determinatæ. Omnes Philoſophi id agnoſcunt, dum veritatem futurorum contingentium determinatam eſſe fatentur, nec illa tamen propterea deſinere eſſe contingentia arbitrantur. Ratio eſt, quia res in ſeipſa nullam contradictionem implicaret, ſi vel effectus non ſequeretur, in quo ipſo *contingentia* conſiſtit (ll). Hoc ut meliùs percipiatur, con-

(ll) Diſtinguitur nimirum *determinatum* a Philoſophis in determinatum neceſſariò tale, & contingenter, vel & liberè tale; *hoc* opponitur neceſſitati, & vocatur *determi-*

conſiderandum eſt, duo eſſe ratiocinationum noſtrarum magna principia, quorum primum *principium contradictionis* (mm), quo ſtatuitur, ex duabus propoſitionibus contradictoriis alteram eſſe veram, alteram falſam; ſecundum eſt *principium rationis determinantis* (nn). Vis ejus eſt, nihil unquam

terminatum ratione actualitatis, contingenter determinatum, determinatum in ſenſu ſpecialiori, determinatum in oppoſitione ad neceſſ. unicum exiſtentiæ, &c. vocabulis, quæ ſubinde neceſſitatem excludunt.

(mm) Illud ſc. Ariſtotelicum: *Impoſſibile eſt, idem ſimul eſſe & non eſſe:* cum quo conſentit illud alterum identitatis: *Quicquid eſt, eſt*, & illud tertium: *Quodlibet eſt, aut non eſt.*

(nn) Eſt illud, quod vocant *Principium rationis ſufficientis*, vocatum ab ill. Viro *Principium rationis determinantis*, quia facit ratio ſufficiens, ut de rebus cum certitudine aliquid prædicare queamus. Uſus olim eſt hoc principio *Archimedes* in ſtabiliendis principiis ſtaticis: *Confucius* etiam id tanquam univerſaliter verum agnovit, & ad ipſas veritates morales extendit. Primus verò ill. *Leibnitius*, tum hic, tum in litteris, ad *Sam. Clarckium*, Anglum, perſcriptis, eo uſus eſt in rectificandis notionibus, propoſitionibuſque demonſtrandis. *Clarkius* quidem principii probationem poſtulavit, ſed ill. *Vir* probationem non dedit, ſecutus in hoc exemplum *Euclidis*, aliorumque veterum Geometrarum, quorum rigorem in demonſtrando nemo unquam vicit: Provocavit tantùm ad experientiam in omni caſu obviam, & negavit exemplum in contrarium adferri poſſe, monens, *etſi exempla dentur, ubi ratio ſufficiens lateat, nullum tamen dari, ubi non pateat, quòd aliqua adeſſe debeat. Chr. Wolfius* id in numerum principiorum ontologicorum retulit, quod eodem non minùs, quàm principio contradictionis, ad ſtabilienda firma omnis cognitionis fundamenta uti poſſumus. Dedit etiam ejus demonſtrationem, a nonnullis requiſitam. His licet ita geſtis, fuerunt tamen, qui amplitudinem hujus principii in dubium vocare non dubitarent, vel metu, ne quid libertas hominis capiat vel detrimenti, vel quia credebant, complures hominis adpetitus liberos ſine ratione naſci. Nimirum canonem facilè admiſerunt de corporibus; negarunt ſaltem de Deo & ſpiritibus finitis; intellexerunt forte rationem ſufficientem ejuſmodi, qualis in corporibus deprehenditur, in ſpiritibus non adeſſe, idque rectiſſimè; adtenduntur enim hic ſolùm efficientes externæ; in ſpiritibus non item; argumenta actionum hîc ſunt agentibus intrinſeca; in corporibus nulla eſt ratio ſufficiens, niſi neceſſitans; in ſpiritibus, qui ſe ipſos determinant, poteſt ad excitationem hujus facultatis determinandi ſufficere occaſio, ex cognitione rerum deſumta, etſi illa non ſit tantæ virtutis, ut, ea poſita, impoſſibile ſit, non ſequi hanc voluntatis determinationem. Igitur libertas, ſtante hoc principio, ſibi nihil metuere poteſt. Porrò cùm ratio non ſemper ſit extrinſeca, ſed ſæpè intrinſeca agenti, cùm conſtet, infinitam eſſe multitudinem adpetituum atque perceptionum obſcurarum, quarum non magis conſcii ſumus, quàm perceptionum in ſomno inſenſibilium, ſit, ut non ſemper rogati hujus vel illius actionis rationem determinantem proferre queamus, ſed ideò tamen negare eandem haud quaquam poſſimus. Manet igitur firma hujus principii univerſalitas, *ſine quo*, uti hic ait *Vir illuſtris, exiſtentiam Dei probare non valemus, nec etiam*, uti idem obſervat in Ep. ad Cel. *Clarckium, præſcientiam Dei adversùs Socinianos tueri poſſumus;* quin fortuitum *Epicuri* atomorum concurſum profligare ſine hoc canone nobis itidem non erit integrum. Satis hæc, opinor, utilitatem hujus principii, verè *magni*, ubi verſamur in veritatibus contingentibus, monſtrare poſſunt. Propter evidentiam hujus principii, omnibus hominibus, ſæpius licet inſciis, triti, *Vir & in Theol. & Philoſ. meritorum inſignium, Summè Rev.* Reinbeckius, in *Conſiderat. Auguſt.*

quam evenire, cujus non exiſtat aliqua cauſa, vel ſaltem ratio aliqua determinans, hoc eſt, aliquid, quod inſervire poſſit ad reddendam *a priori* rationem, cur hæc res potiùs exiſtat, quàm non exiſtat, & cur hoc modo potiùs, quàm alio quolibet. Magnum hoc principium locum habet in omnibus eventibus, nec unquam exemplum in contrarium adferetur: & quamvis hæ rationes determinantes plerumque nobis ſatis notæ non ſint, ſubodoramur tamen haud dubie, tales præſto eſſe. Abſque hoc magno principio nunquam Dei exiſtentiam probare valebimus, & innumeris ratiociniis optimis utiliſſimiſque carebimus, huic fundamento innixis: neque exceptionem ullam patitur hoc principium, alioqui vis ejus infirmaretur. Et verò nihil imbecillius eſt Syſtematibus iſtis, in quibus omnia titubant, & exceptionibus plena ſunt. Hoc autem vitio certè noſtrum minimè laborat, in quo omnia per regulas generales procedunt, quæ ad ſummum mutuo ipſæ ſeſe limitant.

45. Non itaque cum Scholaſticis quibuſdam, qui chimæris aliquando indulgent, exiſtimandum eſt, futura contingentia libera ab hac generali rerum naturæ regula exemta eſſe. Præſto ſemper eſt aliqua ratio prævalens, quæ voluntatem ad eligendum permovet, cujus libertati ſalvandæ ſufficit, quòd ratio iſta inclinet, non neceſſitet. Et hæc eſt ſententia priſcorum omnium, *Platonis*, *Ariſtotelis*, *S. Auguſtini.* Nunquam voluntas ad agendum perducitur, niſi repræſentatione boni, repræſentationibus contrariis prævalente. Hoc in Deo, bonis Angelis, beatiſque mentibus, verum eſſe in confeſſo eſt, nec ideò tamen minùs eſſe liberæ agnoſcuntur. Deus nunquam non eligit optimum, quamvis nulla ad id abſoluta neceſſitate adſtringatur, nec in electionis divinæ objecto neceſſitas hujuſmodi adpareat, cùm alia rerum ſeries æquè ſit poſſibilis. Atque ob hoc ipſum electio eſt libera, & a neceſſitate independens, quia illa fit inter plura poſſibilia, & voluntas tantùm bonitate objecti prævalente determinatur. Tantum vero abeſt, ut hæc doctrina Deo, Beatiſque, defectum tribuat, ut contrà ingens futurus eſſet defectus, aut potiùs manifeſta abſurditas, ſi aliter ſe res haberet, etiam apud homines in hac vita, ſi quæ ſine ratione inclinante agere poſſent. Certè ejus exemplum nullum unquam invenietur, & dum quis fortaſſe ex repentino animi impetu quid

I. *Auguſt. Confeſſion.* §. *XII.* p. 13. rectè pronunciavit: *Manet igitur veritas æterna:* Nihil eſt ſine ratione ſufficiente, cur potiùs ſit, quàm non ſit, cur potiùs ita ſit, quàm non aliter. *Qui negare id vellet, indignus, quicum amplior inſtitueretur diſputatio, ablegandus ad gyrgathum, ceu is, qui ſibi perſuaderet, aliquid ſimul nigrum & album eſſe poſſe.* Conſ. *ejuſd. Viri incomparabilis* Vindicias, *Abfertigung*, *Tentam. I. de Principio Rat. ſuff.* Ex dictis etiam intelligitur, quàm verum ſit, *principium rationis ſuff. a* Leibnitio *excogitatum eſſe, ut ſuas novas opiniones de tempore, ſpatio, vacuo, atomis, adtractione, & influxu phyſico inter animam & corpus, conſervaret.*

eligit, ut libertatem ſuam oſtendat, ipſa voluptas, vel commodum, quod in hac adfectatione reperire ſe putat, una eſt ex rationibus, quibus impellitur.

46. Datur itaque libertas contingentiæ, vel etiam quodammodo indifferentiæ, ſi per *indifferentiam* intelligatur, nihil eſſe, quod in alterutram partem nos neceſſitet; ſed non datur unquam *indifferentia æquilibrii*, hoc eſt, talis, in qua omnia utrimque perfectè ſint æqualia, nec major ſit alterutram in partem inclinatio. Innumeri magni parvique motus interni & externi, plerumque a nobis haud percepti, concurrunt nobiſcum; & jam dixi, dum conclavi egredimur, adeſſe rationes, quæ nos ad hunc pedem præ altero promovendum determinent, utut incogitantes. Non enim ubique, ut in *Trimalcionis* domo apud *Petronium* præſto eſt puer, inclamans: dextro pede. Cuncta, quæ hactenus dicta ſunt, conſentanea omninò ſunt axiomatis Philoſophorum, docentium, cauſam non poſſe agere, niſi diſpoſitam ad actionem; atque hæc diſpoſitio eſt, quæ prædeterminationem quandam continet, ſive eam agens extrinſecùs acceperit, ſive virtute propriæ conſtitutionis anterioris illam habeat.

47. Itaque neceſſe non eſt, cum recentioribus quibuſdam Thomiſtis ad novam aliquam prædeterminationem immediatam Dei recurrere, quæ creaturam liberam ab indifferentia ſua extrahat, & ad aliquod Dei decretum, prædeterminandi eam, confugere, quod Deo modum ſubminiſtret cognoſcendi, quid illa factura ſit: ſufficit enim, creaturam prædeterminari per ſtatum ſuum præcedentem, qui illam ad hanc potiùs partem, quàm aliam, inclinet; omneſque hi nexus actionum creaturæ, omniumque creaturarum, repræſentabantur in intellectu divino, & cognoſcebantur a Deo per ſcientiam ſimplicis intelligentiæ, antequàm illis exiſtentiam dare decreviſſet. Ex quo patet, ad reddendam præſcientiæ Dei rationem, careri poſſe, tam ſcientia media Moliniſtarum, quàm ea prædeterminatione, quam *Banneſius*, vel *Alvareſius* aliquis (oo), (Auctores aliàs profundiſſimi) docuerunt.

48. Falſa hæc indifferentiæ idea, quæ æquilibrium continere viſa eſt, Moliniſtas non parum conturbavit. Quærebatur ex iis non ſolùm, quo pacto cognoſci poſſet, ad quid ſe determinatura eſſet cauſa quæpiam, omni ex parte indeterminata, ſed etiam, qua ratione fieri poſſet, ut tandem determinatio aliqua ex eo reſultaret, cujus fons nullus præſto eſſet: dicere enim cum *Molina*, iſtud eſſe cauſæ liberæ privilegium, nihil eſt dicere, eſt ei dare privilegium, ut poſſit eſſe chimærica. Jucundum eſt ſpectare, quantoperè angantur, ut hoc labyrintho, exitu planè carente, ſe evolvant. Nonnulli docent, priuſquàm voluntas ſe formaliter determinare

(oo) *Dominicus Banneſius*, & *Didacus Alvarez*, prædeterminationis divinæ defenſores, *Auguſtini* hinc Libros *de prædeſtinatione Sanctorum*, & *de dono perſeverantiæ*, penitùs adprobarunt. De iis v. *Jo. Hülſemannum*, de Auxiliis Gratiæ, p. 294.

minare queat, neceſſe eſſe, ut ſe virtualiter determinet, ut nimirum ex hoc ſuo æquilibrii ſtatu exeat: & *P. Ludovicus de Dola*, in Libro de Concurſu Dei, Moliniſtas aliquot citat, qui hac via elabi conantur: fateri namque tenentur, neceſſe eſſe, ut cauſa ſit diſpoſita ad agendum. At verò nihil proficiunt, difficultatem tantùm ab oculis longiùs removent; quæretur enim ex illis iterum, quo pacto fiat, ut cauſa libera ſeſe virtualiter determinet? Igitur nunquam ſe ex hocce negotio extricabunt, niſi fateantur, eſſe prædeterminationem aliquam in præcedenti creaturæ liberæ ſtatu, quæ eam ad ſe determinandum inclinet.

49. Hinc etiam fit, ut *caſus de aſino Buridani*, *inter duo prata*, æqualiter ad utrumque propendentis, fictio ſit, quæ locum habere nequit in Univerſo, in ordine naturæ, licet *Bælius* aliter ſentiat. Verum quidem eſt, ſi caſus iſte poſſibilis foret, dicendum eſſet, aſinum moriturum fame: ſed revera quæſtio hæc eſt de re impoſſibili, niſi Deus de induſtria rem procuret. Neque enim Univerſum bifariam ſecari poteſt plano aliquo ad aſinum verticali, eumque ſecundùm longitudinem ſecante, ut omnia ſint utrimque æqualia & ſimilia; quemadmodum Ellipſis & figuræ aliæ planæ ex earum numero, quas *amphidextras* adpello, bifariam ſecantur, a quacumque linea recta, tranſeunte per figuræ centrum. Nam Univerſi partes, ipſaque viſcera animalis, nec ſimilis ubique naturæ ſunt, neque æqualiter locata ab utroque latere plani hujus verticalis. Erunt ergo ſemper multa tam intra, quàm extra aſinum, licèt nobis non adpareant, quæ ad declinandum potiùs versùs unam quàm alteram partem illum determinabunt. Et quamvis homo ſit liber, quod aſino non competit, ob eandem tamen rationem ſanè verum erit, etiam in homine caſum perfecti æquilibrii inter duas partes eſſe impoſſibilem, & Angelum, vel ſaltem Deum, ſemper poſſe rationem reddere, cur homo potiùs hoc, quàm illud, elegerit, adſignando cauſam aliquam ſive rationem inclinantem, quæ revera eum ad hoc amplectendum permovit; licèt hæc ratio ſæpè ſit valdè compoſita, & nobis ipſis incomprehenſibilis, eo quòd nexus cauſarum, ſibi mutuò copulatarum, longiſſimè procedit.

50. Quamobrem ratio illa, quam *Carteſius* adduxit, ad probandam actionum noſtrarum liberarum independentiam, ex jactato quodam vivido ſenſu interno, vim nullam habet. Non poſſumus propriè experiri independentiam noſtram, nec cauſas, a quibus electio noſtra pendet, ſemper percipimus, utpote ſæpè ſenſum omnem fugientes. Et perinde eſt, ac ſi acus magnetica versùs polum converti lætaretur; putaret enim, ſe illuc converti independenter a quacumque alia cauſa, cùm non perciperet motus inſenſibiles materiæ magneticæ. Interim videbimus infrà, quo ſenſu veriſſimum ſit, animam humanam proprium penitùs principium naturale ſuarum actionum in ſe habere, a ſemet ipſa dependentem, atque a cunctis aliis creaturis independentem.

51. Quod ad *Volitionem* ipſam adtinet, impropria quodammodo locu-

tio eſt, ubi dicitur, illam eſſe objectum voluntatis liberæ. Propriè loquendo, volumus agere; non verò volumus velle; alioqui dicere etiam poſſemus, velle nos habere voluntatem volendi, quod in infinitum abiret. Neque ſemper ſequimur ultimum judicium intellectûs practici, dum ad volendum nos determinamus; at, ubi volumus, ſemper ſequimur collectionem omnium inclinationum, tam a parte rationum, quàm paſſionum, profectarum; id quod ſæpè numero ſine expreſſo intellectûs judicio contingit.

52. Cuncta itaque in homine certa ſunt, & in anteceſſum determinata, uti in cæteris rebus omnibus, & anima humana eſt *ſpirituale quoddam automatum* (pp), quamvis actiones contingentes in genere, & actiones liberæ in particulari, non ideo ſint neceſſariæ, neceſſitate ſcilicet abſoluta, quæ revera cum contingentia ſtare non poſſet. Itaque nec futuritio in ſe ipſa, quantumvis certiſſima, neque infallibilis Dei præviſio, neque cauſarum, decretorumve divinorum, prædeterminatio, contingentiam aut libertatem hancce deſtruunt. At de futuritione quidem & prævisione nulla controverſia eſt, quemadmodum ſuprà jam explicatum eſt; cumque Dei decretum unicè conſiſtat in voluntate, quam poſt omnes mundos poſſibiles invicem comparatos ſuſcipit, optimum inter illos eligendi, & ad exiſtentiam admittendi per verbum omnipotens *Fiat*, cum omnibus iis, quæ Mundus continet; manifeſtum eſt, decretum hoc in rerum conſtitutione nihil immutare, eaſque, quales in ſtatu puræ poſſibilitatis erant, relin-

(pp) Locum hunc Leibnitianum eximie illuſtrat in *Tr. Harmon. Præſtab. Sect. VI.* §. 124. not. y. ill. *Bilſingerus. Machinam novi generis*, ait in §. *per nos dicas*, (animam) *ſi machinam voces omne id, ubi ordine ſibi mutationes ſuccedunt, ſingulæ ex antecedentibus ſuo ordine & modo determinatæ: quo ſenſu &* Leibnitius *eam vocavit automatum ſpirituale vel formale, &, quoniam rationale eſt, liberum. In* nota adjecta: *Memento, Animam ſenſu* propriiſſimo *eſſe automaton; machinas eo nomine adpellari ſolitas, ſenſu minùs proprio: Norunt id, quicunque Græca callent, & Mechanicam. - - Αὐτόματον deſcendere exiſtimatur per Lexicographos ab αὐτὸς & μάω, vel & ματέω, inquiro, deſidero, vehementer adpeto. Eſt igitur αὐτόματον Ens ſeipſo deſiderativum, ſive* cujus mutationes ab ipſo adpetitæ ſunt. *Id animæ competit* propriiſſimè, *quicquid in illa fit, fit per principium internum, ſive per adpetitum ſuum. Machinæ omnes, per doctrinam mechanicam, habent principium motûs ſui externum: igitur* non *moventur* ſeipſis, *multo minùs ex adpetitu interno. Quod igitur αὐτόματα dicuntur, eſt ab ignorantia philologorum* antiqui *temporis, eademque per philologos* noſtri *ævi dudum agnita & emendata. Suicerus in Lexico: αὐτόματα, vel αὐτόματοι, μηχαναὶ ſunt opera Mechanicorum, quæ per ſe moveri* videntur, *ut ſunt horologia:* Conf. infr. §. 403. Hæc ideo repetere volui, ut pateat, quàm vanus ſit eorum metus, qui ex comparatione automati, horologii, ſuſpicantur, Auctores hos animæ libertatem auferre, introducere fatum Stoicum, ſeu Spinozianum. *Si certitudo*, ait quiſpiam, *eventuum in mundo eſt, & mundus eſt machina, nullus datur locus humanæ libertati.* Ex dictis reſponſio facilis eſt: ſi vis, vide prolixam totius negotii tractationem in eleganti *Commentatione de Deo, Mundo, & Homine atque Fato*, A. 1726. ed. §.XXI.

relinquere, hoc eſt, nihil immutare neque quoad eſſentiam vel naturam, neque etiam quoad accidentia quæcumque; cùm omnia jam in mundi hujus poſſibilis idea perfectè repræſententur? Atque ita, quod contingens & liberum eſt, non minùs contingens & liberum manet ſub decretis Dei, quàm ſub prævisione.

53. Quid ergò? Deus ipſe (dicet aliquis) nihilne poterit in mundo mutare? Sine dubio, ſalvâ ſuâ ſapientiâ, nihil nunc mutare poterit, cùm exiſtentiam hujus mundi, & omnium, quæ mundus hic continet, prævi- derit, immò cùm propria voluntate exiſtentiam ejus admittere decreverit: neque enim falli aut pœnitere poteſt, nec eum decebat aliquid imperfectè ſtatuere circa partem aliquam, alia parte neglectâ, totoque adeò imperfecto manente. Cùm igitur omnia ſint ab initio ordinata, hæc ſola neceſſitas hypothetica, de qua omnes omninò conveniunt, efficit, ut, poſt Dei præviſionem, vel ejus propoſitum, nihil immutari poſſit: & tamen eventus in ſe ipſis manent contingentes. Namque (ſepoſita tantisper illa hypotheſi futuritionis rei & præviſionis, vel propoſiti divini, quæ hypotheſis utique jam ponit rem fore, &, qua ſemel admiſſa, dicendum eſt, *unumquodque, quando eſt, oportet eſſe, aut unumquodque, ſi quidem erit, oportet futurum eſſe* (qq) eventus nihil habet in ſe, quo reddatur neceſſarius, aut quod prohibeat concipere, aliam quamvis rem ejus loco evenire potuiſſe. Nexus verò cauſarum cum effectibus inclinabit ſolùm, non neceſſitabit, agens liberum, uti jam explicavimus, ſicque ne neceſſitatem quidem hypotheticam efficiet, niſi extrinſecum aliquid addatur, axioma ſcilicet ipſum, quod inclinatio prævalens ſemper vincat.

54. Dicet aliquis præterea: ſi omnia ordinata ſunt, Deus non poterit facere miracula. Verùm ſciendum eſt, miracula, quæ in mundo eveniunt etiam fuiſſe involuta, & repræſentata tanquam poſſibilia in hoc ipſo mundo, conſiderato in ſtatu puræ poſſibilitatis; & Deus, qui ea poſtea patravit, jam tunc, cùm mundum hunc elegiſſet, ea facere decrevit. Objicietur etiam, vota & preces, merita & demerita, bonas malaſque actiones, nihil profecturas, cùm nihil immutari poſſit. Hæc objectio vulgo plurimum negotii faceſſit, cùm tamen purum putum ſit ſophiſma. Illæ preces, illa vota, illæ bonæ malæque actiones, quæ hodie eveniunt, erant jam præſentia Deo, cum ordinandarum rerum conſilium cepit. Ea, quæ in actuali hoc mundo accidunt, in hujus mundi, adhuc poſſibilis, idea repræſentabantur, cum ſuis effectibus & adpendicibus; repræſentabantur, inquam, adtrahentia gratiam, vel naturalem vel ſupernaturalem, exigentia punitiones, petentia præmia; prorsùs uti reverâ contingit in hoc mundo, poſtquàm Deus eum elegit. Precatio &

V 3 bona

(qq) Conf. Dilucidd. Philoſ. ſect. I. c. II. §. LI.

bona actio jam tunc erat *cauſa* vel *conditio idealis*, hoc eſt, ratio inclinans, quæ ad Dei gratiam, aut præmium, conferre quid poterat idealiter, uti modò confert actualiter. Et quia cuncta in mundo ſapienter colligata ſunt, manifeſtum eſt, Deum, prævidentem, quid liberè eventurum eſſet, reliqua etiam omnia in anteceſſum illis adtemperaſſe, vel, (quod idem eſt) elegiſſe hunc mundum poſſibilem, in quo omnia hac ratione ordinata erant (rr).

55. Hac conſideratione ſimul evertitur id, quod Veteribus adpellabatur *ſophiſma pigrum* (λόγος ἀργος) quod ad nihil agendum deducebat: ſi namque (inquiebant) id, quod expeto, eventurum eſt, eveniet, quamvis nihil agam; & ſi eventurum non eſt, non eveniet, quamcunque ſubeam ad illud obtinendum moleſtiam. Neceſſitas hæc, quæ in eventibus fingitur, a cauſis ſuis avulſa, poſſet *Fatum Mahumetanum* vocari, quemadmodum jam ſuprà notavi; nam Turcæ perhibentur ob ſimile argumentum loca, peſte infecta, minimè vitare (ss). Verùm in promtu reſponſum eſt; cùm effectus certus ſit, cauſa etiam, quæ effectum producet, certa eſt; &, ſi effectus eveniat, utique per cauſam proportionatam eveniet. Atque ita ſocordia tua fortaſſis efficiet, ut eorum, quæ deſideras, nihil obtineas, utque in mala incidas, quæ induſtria tua effugiſſes. Patet itaque, *connexionem cauſarum cum effectibus*, non tantùm non eſſe cauſam intolerabilis fati, ſed potiùs ejus tollendi modum ſuppeditare. Eſt apud Germanos proverbium, mortem, pronuncians, velle ſemper habere cauſam. Et nihil illo verius. Morieris hoc die (ponamus, hoc ita eſſe, & a Deo prævideri) utique, ſine dubio; ſed eveniet id propterea, quòd ea perages, quæ te ad mortem deducent; idem eſt de divinis punitionibus, quæ etiam a ſuis cauſis pendent, & e re erit celebre illud *S. Ambroſii* dictum (in Lucæ cap. I.) hic referre: *Novit Dominus mutare ſententiam, ſi tu noveris mutare delictum*, quod intelligi non debet de reprobatione, ſed de comminatione, qualis erat, quam *Jonas* Dei nomine Ninivitis intentavit. Atque vulgare iſtud dictum, *ſi non es prædeſtinatus, fac, ut prædeſtineris*, non debet ad litteram accipi, cùm verus ejus ſenſus ſit, eum, qui dubitat, utrum ſit prædeſtinatus, ea ſolùm agere debere, quæ oporteat, ita per Dei gratiam prædeſtinatum fore. Sophiſma illud, quod nihil curandum eſſe colligit, utile fortaſſis interdum

(rr) Conf. ill. *Bilfingeri* Comment. de origin. & permiſſ. mali, §. 75. ſqq. Dilucidd. Philoſ. §. CCCCLXXX. ſq.

(ss) *Busbequius* de Turcis, *Ep. Legationum ſuarum IV.* p. 306. Turcas a peſte ſecuros, ſed non tutos, præſtat opinio, qua mortis tempus & genus, uniuſcujuſque fronti a Deo inſcriptum, perſuaſum habent. Si mori fatum ſit, fruſtrà declinari; ſin contrà, ſtultè metui. Itaque veſtes & lintea, in quibus peſte ægri animam exhalarunt, etiamnum à mortifero madentes, contrectant, immò iis perfricant faciem. Si Deo, inquiunt, viſum, ut ſic moriar, fieri neceſſe eſt; ſin minùs, obeſſe non poterit. "

dum eſſe poterit, ſi homines quidam ad ſubeunda impavidè diſcrimina impellantur; quod nominatim de militibus Turcis ferebatur: quanquam *τῷ Maslac* (tt) potiùs, quàm ſophiſmati iſti tribuenda hæc videtur audacia eſſe, ut taceam, obfirmatum hunc Turcarum animum ætate noſtra plurimum degeneraſſe.

56. *Joanni Beverovicio* (uu), docto apud Batavos Medico, in mentem venit ſcribere *de Termino vitæ*, plurimaque eruditorum ſui temporis reſponſa, epiſtolas, & diſſertationes, colligere. Hæc Sylloge lucem vidit, oſtenditque mirificè, quantoperè a propoſito paſſim aberretur, quantiſque tricis involvatur problema iſtud, quo, ſi rectè capiatur, nihil eſt facilius. Miremur deinceps, plurimas eſſe dubitationes, e quibus extricare ſe genus humanum nequeat. Nimirum errare libet, taliaque ſpatia ambulationis præſtare animo, nolenti ſe adtentioni, ordini, regulis, ſubjicere. Ita ludo nugiſque adſueviſſe videmur, ut vel inter negotia maximè ſeria, nihilque minùs cogitantes, ludamus.

57. Vereor, ne in poſtremam inter Auguſtanæ Confeſſionis Theologos *de Termino Pœnitentiæ peremptorio* diſputationem, quæ tot in Germania tractatus peperit, æquivocatio aliqua, ſed diverſi generis, irrepſerit (xx). Termi-

(tt) *Maslac* Turcarum, opiata confectio, qua lætitiæ & audaciæ crapulam ſibi inducunt. *Nicol. Lemery* in *Diction. des Drogues ſimples*, tit. *Bangue* ex *Cluſio Maslac* comparat cum *Bangue*, planta cannabi ſimillima, ad inebriandum apud Indos frequentata. Cel. *Kæmpferus* Amœnitatum exoticarum faſciculo III. p. 645. de *Cannabi* ita: Qui inebriantium gaudent varietate, vel opii ſapore non admodum capiuntur, illi ab hac planta ecſtaſin petunt temulentiæ. An hæc vera ſit cannabis noſtras, an ejus quædam ſpecies, *Bangue* dicta, (ab Auctorib. Horti Malab. T. X. p. 119. deſcripta) hic non diſquiſivero. *&c.* Idem dic de *Maslac Turcarum.*

(uu) *Jo. Beverovicius*, ſeu *van Beverwyk*, Dordraci A. 1594. d. 17. Nov. natus, ibidemque mortuus A. 1647. d. 19. Jan. Plurima Viri monumenta luculenta exſtant, interque ea *Epiſtolica Quæſtio de vitæ termino fatali, an mobili, cum Doctorum reſponſis.* Scripti tres editiones adparuerunt; primò Dordraci prodiit A. 1634. 8. altera triplo auctior Lugd. B. 1636. tertia ib. 1639. 4. Reſponſa hîc collecta ſunt *Abr. van der Muelen*, *Andr. Colvii*, *A. Riveti*, *Arnoldi de Reek*, *Caſp. Barlæi*; *Corn. Beverovicii*, *Corn. a Someren*, *Gerh. van der Laan*, *Gisb. Voëtii*, *Jac. Crucii*, *Jo. Junii*, *Jo. Polyandri*, *Jo. Weſterburgii*, *Juſti Cæcilii Puteani*, *Marini Merſenni*, & *Sim. Epiſcopii.*

(xx) Occaſionem Controverſiæ *de Termino Gratiæ revocatricis*, *ſ. de termino ſalutis & gratiæ peremtorio*, dedit Libellus *Jo. Georg. Bœſe*, Diaconi Soravienſis, de hac materia. Reſponſum Facultatis Theol. Lipſienſis per calamum D. *Carpzovii*, ſcripto fuit moleſtum; ſed cùm poſt obitum DD. *Carpzovii* & *Lehmanni*, membrorum Facultatis, idem Libellus denuò Theologorum Lipſ. judicio ſubmiſſus eſſet, pro innocente & orthodoxo eſt declaratus. Carpzovianam ſententiam probarunt *Fac. Roſtochienſis & Vitebergenſis.* Duces certaminis deinceps fuerunt ex uno latere D. *Ittigius*, ex altero D. *Rechenbergius.* V. hanc materiam, fuſiùs tractatam, in *Introd. in Memorabil. Eccleſ. Hiſtoriæ S. N. T. ſummè Rev. Theol. Chr. Eberh. Weiſſmanni*, p. 1253. ubi etiam oſtenditur, qua moderatione uſi ſint in hoc argumento Theologi Würtembergenſes, p. 1254. *Reverendiſſ.* Dn.

Termini Legibus præſcripti a Juris peritis *Fatalia* nuncupantur. Jam dici quodammodo poteſt, *terminum peremptorium*, ad pœnitentiam & emendationem homini præſcriptum, apud Deum eſſe certum, apud quem omnia certa ſunt. Novit Deus, quando peccator ita ſe obduraverit, ut poſthac nihil pro illo agendum maneat reliquum; non quidem, quod poſſibile non ſit, eum agere pœnitentiam, neque quod poſt certum quendam terminum neganda ſit ei gratia ſufficiens, gratia, quæ nunquam deeſt; ſed quia tempus erit, ex quo ad vias ſalutis non ampliùs adpropinquabit. Verùm enim verò nos nunquam indicia certa habemus, ex quibus hunc terminum cognoſcamus, nec unquam jus nobis competit, hominem aliquem æſtimandi pro penitùs deſperato; tale quid de alio ſtatuere eſſet temerè judicare. Satius eſt ſperandi nos jus habere ſemper, & hìc, atque ſexcentis aliis occaſionibus, utilis eſt noſtra ignorantia.

Prudens futuri temporis exitum
Caliginoſa nocte premit Deus.

58. Omne futurum abſque dubio determinatum eſt: ſed, quia quo pacto determinatum, aut quid præviſum decretumque ſit, ignoramus, officii noſtri partes explere debemus, ſecundùm Rationem, a Deo nobis datam, & ſecundùm regulas, ab eodem nobis præſcriptas: quibus peractis, animo vivere tranquillo debemus, Deoque ipſi curam eventûs committere; ſemper enim faciet, quod erit optimum, non in genere ſolùm, ſed etiam in particulari, ergo illos, qui veram in ipſo fiduciam collocant, hoc eſt, fiduciam, quæ a vera pietate, fide viva & ardente charitate, nihilo diſcrepat; quæque nihil nos omittere patitur eorum, quæ ratione noſtri officii, divinique obſequii, a nobis proficiſci queunt. Verum quidem eſt, nos *Deo inſervire* non poſſe, nullius enim rei indiget: ſed noſtra phraſi ei *ſervire* dicitur, ubi *voluntatem ejus præſumtivam* exſequi conamur, concurrendo ab bonum, quod cognoſcimus, & ad quod aliquid conferre poſſumus, nam ſemper credendum eſt, ipſum eo inclinari, donec ab eventu nobis innoteſcat, fortioribus eum rationibus, etſi nobis fortean incognitis, adductum fuiſſe ad bonum, quod quærebamus, poſthabendum alteri bono majori, quod ipſe ſibi propoſuit, quodque vel jam exſequutus eſt, vel certo certiùs exſequetur.

59. Hactenùs oſtendimus, quomodo voluntatis actio a ſuis cauſis pendeat; nihil naturæ humanæ tam eſſe conſentaneum, quàm hanc actionum noſtrarum dependentiam, cùm alias futurum ſit, ut incidamus in fatum

Dn. Cancell. Pfaffius, in *Introd. in Hiſt. Litt. Theol. P. II.* dum in recenſendis hujuſmodi controverſiis occupatur; *Eja*, inquit, *quando veniet, quæſo, beata illa dies, ubi gladios in vomeres, & lanceas in falces, commutabimus, atque in unam eandemque ſententiam luce gloriæ omnes circumfuſi deſcendemus.*

ſatum abſurdum atque intolerandum, hoc eſt, in *Fatum Mehumetanum*, quod omnium teterrimum eſt, quia prudentiam & bonum conſilium evertit. Interim juvat palam facere, quo pacto dependentia iſta voluntariarum actionum non impediat, quo minùs, ſi rem ipſam intimè ſcrutemur, mirabilis quædam in nobis *ſpontaneitas* reperiatur, quæ, rectè accepta, mentem in ſuis propoſitis ab omni cæterarum creaturarum *influxu phyſico* independentem efficit (yy). Hæc ſpontaneitas, hucuſque parum cognita, quæ noſtrum in actiones noſtras imperium extollit quàm fieri maximè poteſt, conſectarium quoddam eſt *Syſtematis Harmoniæ præſtabilitæ*, cujus aliquam hic explicationem dare neceſſarium ducimus. Philoſophi ſcholaſtici mutuum inter corpus & animam influxum phyſicum ſtatuebant: verùm, ex quo probe ponderatum fuit, animam cogitantem, & maſſam extenſam, nullam inter ſeſe habere connexionem, eſſeque creaturas *toto genere* diverſas (zz); multi recentiores nullam inter animam & corpus *commu-*

(yy) Quomodo cum negato creaturarum influxu phyſico, cum adſerta animæ ſpontaneitate & independentia *cadant uno ictu omnes omnium ſpirituum actiones in ſe invicem, ubicumque ſint, in terra, in cælo, in inferno, operationes omnes angelorum, tam bonorum, quàm malorum*, uti objicitur, planè non video. De ſpiritu infinito nulla hic quæſtio, nulla controverſia eſt: ſermo de creaturis, adeoque rebus finitis. Determinatio perceptionis ſ. repræſentationis animæ humanæ, juxta Recentiores, pendet a ſitu ſui corporis organici in Univerſo, (eſt enim anima vis repræſentativa hujus Univerſi pro ſitu ſui corporis) ita ut Univerſum repræſentet eo præcisè & tantùm modo, qui poſitioni corporis in mundo reſpondeat. Jam cùm omnes ſpiritus finiti ſecundùm eoſdem corporibus ſuis ſint induti, ſicque illi agere & in noſtra, & in alia, corpora poſſint, animâ, quod ſibi res repræſentat pro ſui corporis ſitu, etiam has actiones & operationes ſibi repræſentabit, & quidem ut ſpirituum, ubi nec mechaniſmo corporum, nec ſoli hominum phantaſiæ, nec Deo tribui poſſunt.

(zz) Cl. *Martin. Knutzen*, Regiom. A. 1735. d. 22. April. eruditam Commentationem Philoſophicam exhibuit *de Commercio Mentis & Corporis per Influxum Phyſicum explicando*, in qua ex ipſis principiis Harmoniſtarum influxum phyſicum ſtabilire contendit. *Ad influxum*, putans, *phyſicum ſufficere actionem mentis in ſimplicia corporis, & ſimplicium, ex quibus corpora conſtant, in mentem*, §. 32. *Utplurimum*, ait ibid. Auctor eruditus in adjecta nota, *offendiculo eſſe ſolet influxûs phyſici oſoribus, quòd in eodem res omnino heterogeneæ, corpus & mens, quæ nil ferè commune habere videntur, in ſe invicem agere ſupponantur. Simplicibus autem in corpore detectis, phyſicus influxus non niſi actionem ſimplicis in ſimplicia, i. e. ſimplicis cujuſdam, præſtantioris naturæ ac eminentioris gradûs, in ſimplicia, inferiorum graduum, monadeſque elementares; & contra ſimplicium inferiorum in quandam eminentiorem ſimplicem ſubſtantiam, mentem nimirum, denotat ac ſupponit. &c.* Arbitramur autem, hac explicatione ſcrupulum nondum tolli. Quando enim anima agit in ſimplicia, agit in ea tanquam unita, tanquam adgregata; adgregatio verò ſimplicium jam dicit compoſitum, corpus; hinc manet omninò difficultas, *animam cogitantem, & maſſam extenſam, nullam inter ſe habere connexionem, eſſeque creaturas* toto genere *diverſas*; alia res eſſet, ſi ea ſimplicia ſeparatim exiſterent; tum enim anima, tanquam ens ſimplex, agere poſſet in id, quod itidem ens ſimplex ſalutaretur, ſed tum influxui nihil prodeſſet; rediret namque quæſtio,

communicationem phyſicam agnoverunt, quamvis ſubſiſtat ſemper *communicatio metaphyſica*, quæ facit, ut anima & corpus componant unum *ſuppoſitum*, aut id, quod *perſona* nuncupatur. Hæc communicatio phyſica, ſi quæ foret, efficeret, ut anima mutaret gradum velocitatis, lineam directionis quorundam motuum, qui ſunt in corpore, & *vice verſa*, ut corpus mutaret ſeriem cogitationum, quæ ſunt in anima. Enimverò hic effectus nequit elici ex ulla notione, quæ in corpore animaque concipitur; quamvis nihil nobis ſit anima notius, utpote quæ nobis, hoc eſt, ipſa ſibi intima eſt.

60. *Carteſius* negotium hoc velut tranſactione quadam dirimere, actioniſque corporeæ partem ab anima dependentem facere voluit. Perſuaſum enim habebat, ſe ſcire quandam naturæ regulam, præcipientem, ut ipſi videbatur, eandem motus quantitatem in corporibus conſervari. Fieri hinc non poſſe judicavit, ut legem hanc corporum influxus animæ violaret (aaa), ſed exiſtimavit, animam poſſe nihilominus habere vim mutandæ directionis motuum, qui fiunt in corpore, ad eum prope modum, quo eques, quamvis equo, in quo inſidet, vim nullam impertiatur, ejus tamen greſſum, vires quò libuerit dirigendo, moderari non intermittit. Sed quia hoc fit ope habenæ, freni, calcaris, aliorumque inſtrumentorum materialium, quo pacto fieri poſſit, concipimus; quæ verò inſtrumenta hunc in finem adhibere anima poſſit, non reperimus. Denique nihil eſt, nec in anima, nec in corpore, hoc eſt, neque in cogitatione, neque in maſſa, quod ad explicandam hanc unius per alterum immutationem facere poſſit. Verbo, ſive anima quantitatem virtutis, ſive lineam directionis, in corpore mutare dicatur, utrumque æquè inexplicabile eſt.

61. Adde, quòd poſt tempora *Carteſii* detectæ ſint duæ hoc in negotio magni momenti veritates: prima eſt, quòd quantitas virtutis abſolutæ, quæ reapſe conſervatur, diverſa ſit a quantitate motûs, uti alibi demonſtravi. Altera detectio eſt, quòd conſervetur etiam eadem directio in omnibus ſimul corporibus, quæ inter ſe agere ſupponuntur, quomodocunque demum ſibi mutuò occurrant. Quodſi lex hæc *Carteſio* nota fuiſſet, corporum directionem æque (bbb), atque virtutem, ab anima inde-

ſtio, quomodò igitur hoc ſimplex, vel hæc ſimplicia, ſingula nim. ſeorſim exiſtentia, influere in aliquod corpus phyſicè poſſent. Eadem difficultas oritur in corpore. Objecta agunt in corpus, tanquam adgregatum ſimplicium, non in ſimplicia, ut ſeparatim exiſtentia: igitur & actio in animam ſimplicibus non ut ſimplicibus, ſed ut corpori, ut adgregato, tribuenda eſt.

(aaa) Addit *Interpr. Lat.* „novumque motûs gradum, novam vim corpori imprimeret, cùm tamen animadverteret in actione motrice diſtingui poſſe ipſam motûs quantitatem a directione. "

(bbb) Quomodo hæc intelligat ill. *Leibnitius*, oſtendit ill. *Bilfingerus* in *Tr. Harm. Præſt. ſect. IV. §. 66.* p. *75.* not. * ubi, quæ §. *60.* & *61.* proponuntur, repetit, & deinceps ulteriùs explicat. v. inprimis §. *69.* 70.

independentem feciſſet, & hoc, opinor, eum ad Harmoniæ præſtabilitæ hypotheſin rectà perduxiſſet, quò eædem me regulæ duxerunt. Nam præterquàm quòd alterius ex his ſubſtantiis phyſicus in alteram influxus nulla ratione explicari poteſt, obſervavi, abſque omnimoda legum naturæ perturbatione in corpus animam phyſicè agere non poſſe. Nec audiendos hic putavi Philoſophos, alioquin acutiſſimos, qui Deum aliquem ex machina theatrica ad nodi ſolutionem accerſunt, ſuſtinentes, Deum ad libitum animæ de induſtria movere corpora, & juxta corporis exigentiam animæ perceptiones impertire. Hoc namque *Syſtema cauſarum occaſionalium*, (ita dictum, quod doceat, Deum occaſione animæ in corpus agere, & *vice verſâ*) præterquàm quòd ad conciliandum hujus utriuſque ſubſtantiæ commercium miracula perpetua introducit, non cavet perturbationi legum naturalium, in utraque ſubſtantia pariter ſtabilitarum, quam mutuus earum influxus juxta opinionem communem cauſaretur.

62. Itaque, cum aliunde mihi exploratum ſit principium *Harmoniæ* in genere, & conſequenter *præformatio* atque Harmonia præſtabilita rerum omnium inter ſe, inter naturam & gratiam, inter decreta Dei & actiones noſtras prævisas, inter omnes materiæ partes, immò etiam inter futurum ac præteritum: idque penitùs conformiter ſupremæ Dei ſapientiæ, cujus opera omnium, quæ concipi queunt, maximè ſunt harmonica; non potui non in hoc Syſtema delabi, quod adſerit, Deum ſtatim animam creaſſe ea ratione, ut ipſa ſibi producere ſibique repræſentare ordinatè debeat, quidquid in corpore tranſigitur; & viciſſim corpus ea ratione, ut ex ſe facere debeat id, quod ab anima præcipitur. Ita ut leges, quæ in finalium cauſarum ordine, & ſecundùm evolutionem perceptionum, animæ cogitationes colligant, debeant eo ipſo imagines producere, quæ corporum in organa noſtra impreſſionibus reſpondeant, & viciſſim, ut leges motuum corporeorum, in cauſarum efficientium ordine ſibi ſuccedentium, reſpondeant cogitationibus animæ ſic, ut corpus ad agendum moveatur eo tempore, quo vult anima, ut moveatur.

63. Tantùm verò abeſt, ut hoc libertati præjudicet, ut potiùs, ſi quid unquam, illi maximè faveat. Oſtendit etiam *Jaquelotius* (ccc)

X 2 quàm

(ccc) *Iſaacus Jaquelot*, celebris Theolog. Reform. Gallus, Vaſſyo-Campanus, natus A. 1647. d. 16. Dec. Berolini denatus A. 1708. d. 20. Oct. Varia ſcripſit, uti v. gr. *Diſſertations ſur l'exiſtence de Dieu*, in quarum Diſſ. prima etiam *Ciceronem*, ob Libros de Natura Deorum, in catalogum Atheorum refert, c. XI. p. 132. & inprim. contra *Bælium*, Tr. *Conformité de la Foi avec la Raiſon*, ab ill. Viro citatum. Simile *Jaquelotianum* exhibet quoque ill. *Bilfingerus*, Tr. *Harm. Præſt. Sect. V.* §. 116. & §. 117. ita. „*Suppone* nunc famulo huic mechanico *corpus* humanum, quod & ipſum eſſe machinam in confeſſo eſt, Hydraulico-Pneumaticam vulgò dictam, vel cum *Leibnitio* Pyrotechnico-Hydraulico-Pneumaticam; ſubſtitue *Hero animam*, quæ quid fieri velit, intelligat, eademque fieri præoptet vel jubeat. Videbis eadem in

quàm optimè, in ſuo de Conformitate Rationis & Fidei Libro, idem hic eſſe, ac ſi is, qui cuncta cras a me per totam diem famulo meo præcipienda prænoſſet, automatum pararet, illi famulo ſimillimum, quod cras adcurate exſequeretur, quidquid præcepturus eſſem; id quod certe non obſtaret, quo minùs, quidquid luberet, liberè præciperem, quamvis automati, mihi ſervientis, actio libertatis expers omninò foret.

64. Præterea, cùm juxta hoc Syſtema, quidquid in anima conſit, ab ipſa ſola pendeat, & ſtatus ſequens non, niſi ab ipſa & ſtatu ejus præſente, oriatur, qua, quæſo, ratione ipſi majorem tribuere *independentiam* (ddd) potuerimus? Verum quidem eſt, adhuc aliquam in animæ conſtitu-

in utroque negotio phænomena fore, atque adeo vel hoc ſimili intelliges, quomodo corporis motus conſentire poſſint adpetitibus animæ ex præordinato corporis Mechaniſmo, ſine vero, reali, effectivo, phyſicove animæ in corpus influxu. "

Impoſſibilitatem hujuſmodi machinæ nemo demonſtravit: poſſibilitas evincitur ex finitudine numeri adpetituum, ex præſcientia illorum in Deo certiſſima, ex multitudine machinarum in corpore humano, ex potentia Dei & ſapientia coordinandi ſibi machinas ad hunc effectum; v. *Dilucidd. Philoſ.* §. CCCXLVIII. ut hinc *poſſibilitas non niſi precario a Recentioribus adſumta dici nequeat.*

(ddd) Cùm *Vir ill.* animæ tribuat *independentiam*, & in §. 65. *ipſam in ſe habere* dicat *principium omnium ſuarum actionum, immò & omnium ſuarum paſſionum*, & alibi, *eſſe parvam quandam divinitatem, ſpeculum vivum totius univerſi*, & quæ ſunt aliæ dictiones iſtiuſmodi figuratæ, animam nequaquam a Deo independentem adſerit, nec operationes ejus immediatas & ſupernaturales negat. Sunt in anima multæ imperfectiones, multi defectus, quos per ſuam gratiam divina Bonitas ſupplet. Ita v. gr. homo naturalis veritatum revelatarum neque exiſtentiam competam habet, neque earum nexum perſpicit: audito verò verbo divino, per quod Deus operatur, ſuppletur hic defectus, ut & de earum exiſtentia convincatur animus, & nexus pandatur. Sic homo naturalis ægrè adſentitur veritatibus revelatis: ſuperveniente verò Spiritus divinioris gratiâ, per verbum operante, animus divino inſtinctu percellitur, prenſatur, urgetur, ut firmiſſimum veritati adſenſum præbeat; quemadmodum hæc egregiè docentur, & ulteriùs adplicantur, a Cel. *Canzio in U. P. L. & W. T. I.* §. 4 - 8. *Diſc. Prælim. cap. II.* itemque ab *ill.* Leibnitio, *Diſcurſ. Præl. de Conform.* §. 29. Sed, inquies, *per harmoniam univerſalem*, cui hæc de animæ independentia doctrina innexa eſt, *ſpeciales Dei influxus, commercium v. gr. propius & intimius cum ſuis, excluduntur, cum natura omnibus gratiæ & juſtitiæ divinæ conſiliis & decretis exſequendis per primam & originariam ſuam conſtitutionem par ſit & ſufficiens: cùm Deus finibus, quos rebus ſuo decreto præfixit, convenientes & ſufficientes naturas & ſtructuras iis dederit, cùm eas condidiſſet: cùm adeò quævis ſubſtantia (anima, ſpiritus, &c.) conſilia & decreta Dei omnia de ſeipſa & de omnibus creaturis, omnemque ejus de illis voluntatem, totamque œconomiam gratiæ, omnia myſteria, Chriſtum, ejuſque opera omnia, & omnes ſuos ſtatus & mutationes, quas inde ab initio rerum in ævum ſubitura eſt, naturæ ſuæ per originariam ſuam conſtitutionem inſcripta habeat neceſſe ſit, evolutura deinceps continuò ea omnia, quæ vulgò extraordinariis & immediatis Dei, & Chriſti, & Spiritus S. operationibus tribuuntur æquè naturaliter, ac quævis communiſſima, & maximè ordinaria.* Jam dictum eſt, Deum per operationes ſupernaturales ſupplere defectus naturales;

ſtitutione imperfectionem ſupereſſe. Quidquid in anima contingit, ab ea dependet, ſed non ſemper dependet ab ejus voluntate; nimium id quidem foret (eee). Nec ipſe intellectus id ſemper cognoſcit, aut diſtinctè percipit. Namque in ea non ordo ſolùm aliquis perceptionum diſtinctarum animadvertitur, in quo ejus imperium reſidet, ſed etiam perceptionum confuſarum, vel adfectuum ſeries intercurrit, in qua ſervitus ejus cernitur: nec id mirum, anima enim divinitas quædam eſſet, ſi nullas, niſi diſtinctas, perceptiones haberet. Interim & in has perceptiones confuſas poteſtatem adhuc aliquam, licèt indirecta ratione, obtinet; tametſi enim adfectus ſuos extemplo immutare nequeat, poteſt nihilominùs haud ſine ſucceſſu e longinquo in id conniti, ut novos ſibi adfectus, immò & habitus, comparet. Immò ſimilem quoque poteſtatem habet in perceptiones magis diſtinctas, utpote quæ opiniones & voluntates indere ſibi indirectè poteſt, & has, vel illas, a ſe arcere, judiciumque ſuum ſuſpendere, vel ulteriùs promovere. Poſſumus enim in anteceſſum modos inveſtigare, quibus, ſi occaſio fuerit, in lubrico judicii temerarii veſtigio conſiſtamus; poſſumus etiam diverticulum aliquod captare ad diſferendam ſententiam noſtram, etiam cum negotii deciſio in promtu eſſe videtur; & quamvis opinio noſtra, actuſque noſter volendi, objecta voluntatis noſtræ directè non ſint (uti paullo ante notavi) ſubinde tamen animus cum tempore aptatur ad volendum, immò & ad credendum id, quod modò nec volumus, nec credimus. Tanta eſt humanæ mentis profunditas (fff).

65. Denique, ut hoc de *Spontaneitate* caput concludamus, dicendum eſt, animam, ſi res in rigore ſumatur, in ſe habere principium omnium ſuarum actionum, immò & omnium ſuarum paſſionum; idemque verum

 eſſe

rales, animæ ſuccurrere per ſuam gratiam; ut eo pertingat, quo per vires naturales pertingere non potuerit. Has igitur gratias cum Deus ab initio rerum pro ideali Mundi contemplatione, a ſe ſubſtantiis largiendas eſſe ſtatuiſſet, earumque effectus ſingulos prævidiſſet, fecit etiam, ut in mundo adſpectabili iſtiuſmodi effectus quolibet tempore ſe exſererent, qui iſtis effectibus in regno gratiæ reſponderent: ubicumque autem vires rebus inditæ ad hoc haud ſufficerent, præſtaretur miraculo id, quod ſervando huic paralleliſmo inſerviret. Operationes in regno gratiæ divinæ nexui huic rerum includendi, non ab eo excludendi. Ita ferè Defenſores Harmon. Præſt. reſponderent. Conf. *Comment. de Deo, Mundo & Homine atque Fato ſupra cit.* §. *XLIII.*

(eee) Addit *Interpr. Lat.* „ Creaturæ vires tranſcenderet, & ſoli Omnipotenti competere poteſt, qui idem etiam eſt omniſcius, omniaque diſtinctè cognoſcit. Ita fit, ut nunquam eventus ab ejus voluntate aberret. Sed in mente creata non ſolùm ordo, *&c.*

(fff) Addit *Interpr. Lat.* „ Sed hæc in ſententias opinioneſque noſtras poteſtas ex ipſa ſentiendi ſtatuendique imperfecta ratione oritur. Unde in Deo nulla eſt, cujus ſententiæ per ſe ratæ ſunt, & veritati commenſurantur. "

eſſe in omnibus ſubſtantiis ſimplicibus, per totam naturam diffuſis, quanquam libertas non inſit, niſi intelligentibus. Loquendo tamen in ſenſu populari, juxta ea, quæ adparent, dicendum eſt, animam quodammodo a corpore, & impreſſionibus ſenſuum, pendere; ferè ſicut in uſu quotidiano, cùm de Solis ortu occaſuque agitur, cum *Ptolemæo* ac *Tychone* loquimur, & cum *Copernico* cogitamus.

66. Huic tamen *dependentiæ mutuæ*, quam inter animam corpuſque concipimus, ſenſus verus & philoſophicus tribui poteſt. Nempe quod harum ſubſtantiarum altera pendeat idealiter ab altera, in quantum ratio ejus, quod in una fit, per id, quod in altera eſt, reddi poteſt; quod jam tum in decretis divinis locum habebat, ex quo Deus harmoniam, inter eas futuram, præordinavit. Prorsùs ſicut automatum iſtud, quod famuli vicem ſubiret, a me dependeret idealiter, virtute ſcientiæ illius, qui, mandata mea futura prævidens, ad præſtanda mihi toto die officia id adtemperaſſet. Cognitio futurarum mearum voluntatum moviſſet ſummum hunc artificem ad formandum dein automatum: meus in illud influxus eſſet objectivus, illius verò phyſicus. Scilicet in quantum anima perfectionis aliquid & cogitationes diſtinctas habet, Deus animæ corpus aptavit, effecitque per anticipationem, ut corpus ad exſequenda animæ juſſa moveretur: & in quantum anima imperfecta eſt, & perceptiones habet confuſas, Deus animam adtemperavit corpori, ita ut anima per adfectiones, a repræſentationibus corporeis ortum ducentes, inclinari ſe ſinat: id quod eundem effectum, eandemque adparentiam, præſtat, ac ſi unum ab altero immediatè, perque influxum phyſicum, dependeret. Fit verò propriè per cogitationes confuſas, ut anima ſibi corpora circumſtantia repræſentet. Et idem intelligendum eſt de omnium ſubſtantiarum ſimplicium actionibus. Scilicet quælibet cenſetur agere in aliam pro menſura ſuæ perfectionis, quamvis id non, niſi idealiter fiat, & in rationibus rerum, in quantum Deus unam ſubſtantiam alteri juxta cujuſlibet perfectionem imperfectionemve adtemperavit: quamvis actio paſſioque in creaturis ſemper mutuæ ſint, quia rationes, quæ ad eventum diſtinctè explicandum faciunt, quæque ejus exiſtentiam promoverunt, partim ab una harum ſubſtantiarum, partim ab altera ſumi debent, cùm perfectiones imperfectioneſque ſemper mixtæ ſint & diviſæ. Inde fit, ut perfectionis nomine *actionem*, imperfectionis *paſſionem* rebus tribuamus.

67. Interim qualemcunque in actionibus voluntariis dependentiam concipiamus, ſi vel neceſſitatem abſolutam & mathematicam haberent (quam non habent), exinde tamen haud ſequeretur, non ſupereſſe tantùm libertatis, quantùm ad præmiorum pœnarumque juſtitiam æquitatemque ſanciendam requireretur. Verum quidem eſt, non aliter vulgò loquimur, ac ſi neceſſitas actionis omne meritum & demeritum, omnem laudis & vituperii, præmii ac pœnæ, rationem tolleret: ſed fatendum eſt, hanc conſequentiam non eſſe uſquequaque exactam. Ego quidem a *Bradwar-*

dini

dini (ggg), *Wiclefi*, *Hobbeſii*, & *Spinoſæ*, opinionibus alieniſſimus ſum, qui neceſſitatem hanc rerum omninò mathematicam docere videntur, quam ſatis ſuperque, ac fortè clariùs, quàm vulgò ſolet, a me refutatam arbitror: interim tamen ſemper veritati litandum, nec dogmati cuipiam imputandum eſt id, quod ex illo non ſequitur. Præterea hæc argumenta nimiùm probant, cùm etiam contra neceſſitatem hypotheticam valerent, & ſophiſma pigrum a vitio abſolverent: neceſſitas namque abſoluta ſeriei cauſarum hac in parte nihil ad infallibilem neceſſitatis hypotheticæ certitudinem adderet (hhh).

68. Primò igitur inficias ire nemo poteſt, licitum eſſe furioſum occidere, quando aliter illum a nobis propulſare nequimus. Sed & animantia venenata, vel valdè noxia, quamvis citra culpam ſuam talia ſint, perimere licitum, immò ſæpè neceſſarium eſſe, quivis fatebitur.

69. Secundò, bruto, quamvis ratione & libertate deſtituto, pœnas infligimus, cùm id ad correctionem ejus quid conferre poſſe judicamus; ſic canes, & equi, mulctantur, idque felici cum ſucceſſu. Nec minùs animalibus gubernandis præmia proſunt, nam eſurienti animali alimenta præbens, ab eo obtinebit, quod alioqui nullo pacto extorſerit (iii).

70. Tertiò, infligerentur etiam belluis pœnæ capitales (in quibus non ampliùs de correctione luentis belluæ agitur) ſi iſta pœna exemplo eſſe poſſet, aliaſque terrere, ut a noxa cohiberentur. *Rorarius*, Libro de brutorum ratione (kkk), memorat, leones in Africa cruci adfigi, ut leones cæteri ab urbibus, lociſque frequentioribus, arceantur; & ſe, dum per

(ggg) *Thomas de Bradwardina*, Theolog. & Mathem. Anglus, ob inſignem eruditionem *Doctor profundus* vocatus, natus A. 1290. circa A. 1355. mortuus. Poſt varia munera Archiep. Cantuarienſis factus eſt. Scripſit *Libros tres de cauſa Dei & de veritate cauſarum contra Pelagianos, editos ab* Henrico Savilio, *Londini*, 1618. *fol. Opus* item *de Geometria ſpeculativa & Arithmetica, &c.*

(hhh) *Interpr. Lat.* „Nam, quod ad hoc, abſoluta neceſſitas hypotheticæ, aut ſeriei cauſarum infallibili, nihil incommodi ſuperadderet. Et verò facilè oſtendi poteſt, quantamcunque neceſſitatem, unde coactio abſit, & ubi deliberatio adſit, non omnem præmii pœnæque rationem tollere. “

(iii) Generale inſtrumentum eſt eſcæ, cùm parent, copia; cùm abnuunt, denegatio.

Quis expedivit Pſittaco ſuum χαῖρε?
Corvos quis olim concavum ſalutare;
Picaſque docuit noſtra verba conari?
Magiſter artis, ingenîque largitor,
Venter, negatas artifex ſequi voces.

Ita Balearica gens narratur non priùs cibum pueris præbuiſſe, quàm propoſitum ſcopum tetigiſſent. Et

pueris dant cruſtula blandi
Doctores, elementa velint ut diſcere primæ.

Scribit idem *Vir ill.* in *Methodo diſcendæ docendæque Juriſprud. Part. General. §. 6.*

(kkk) *Hieron. Rorarius*, Exlegatus Pontif. Clem. VII. Ejus Libros duos: *Quod animalia bruta ratione meliùs utantur homine, Gabr. Naudæus* Pariſiis A. 1642. in 8. cum ſua Præf. edidit; nuper recudi fecit *Ge. Henr. Ribovius* Helmſt. 1728.

per agrum Juliacenſem iter feciſſet, vidiſſe lupos iſthic, furca ſuſpenſos, quò greges eſſent eo tutiores. Reperiuntur in pagis homines, qui ædium portis aves prædatrices adfigunt clavis, rati, ejuſdem generis aves hoc pacto non facile acceſſuras. Non ineptè ſuſciperentur hæc omnia, ſi quidem prodeſſent.

71. Quartò igitur, cùm certum & experientia comprobatum ſit, pœnarum metum, ſpemque præmiorum, hominibus a malo abſterrendis, & ad bonum compellendis, prodeſſe; adhiberentur ea jure meritoque, etiamſi homines ex neceſſitate agerent, qualiſcumque demum iſta foret neceſſitas. Objicies, ſi bonum aut malum ſit neceſſarium, vanum eſſe illi obtinendo vel impediendo adhibere media: verùm jam ſuprà, de ſophiſmate ignavo diſſerentes, reſpondimus. Si bonum malumve abſque his mediis neceſſarium foret, utique media forent inutilia; ſed non ita ſe res habet. Hæc bona & hæc mala non, niſi opitulantibus hiſce mediis, eveniunt, &, ſi eventus hi eſſent neceſſarii, media partem efficerent cauſarum, a quibus neceſſarii efficerentur; cùm nos experientia doceat, metu aut ſpe impediri ſæpè malum, aut promoveri bonum. Itaque objectio iſta ferè nihil a ſophiſmate ignavo diſcrepat, quod adversùs eventuum futurorum certitudinem æquè ac neceſſitatem obmovetur. Unde dici poteſt, objectiones hujuſmodi ex æquo pugnare & contra neceſſitatem hypotheticam, & contra neceſſitatem abſolutam, & adversùs ambas tantundem evincere, hoc eſt, omninò nihil.

72. Magna inter *Bramhallum* Epiſcopum & *Hobbeſium* olim controverſia interceſſit, inchoata, dum Pariſiis ambo degerent, & poſt utriuſque reditum in Angliam continuata; Auctoris utriuſque ſcripta de hoc argumento omnia, Londini Anno MDCLVI. unum in volumen in quarto collecta, prodiere, Anglico idiomate, nec, quod ſciam, traducta, nec Latinorum *Hobbeſii* Operum collectioni inſerta. Lecta mihi aliàs recuperavi nuper, & notaveram jam olim, *Hobbeſium* abſolutam rerum omnium neceſſitatem planè non probaſſe, ſed ſatis oſtendiſſe duntaxat, neceſſitatem non omnes divinæ humanæve juſtitiæ regulas evertere, nec penitùs exercitium virtutis hujus ſupplantare.

73. Eſt tamen quædam juſtitiæ ſpecies, & certum quoddam præmiorum pœnarumque genus, quod non tam facile adplicari poſſe videtur iis, qui ex abſoluta neceſſitate agerent, ſi hæc daretur. Ea nempe juſtitiæ ſpecies, quæ nec emendationem delinquentis, neque exemplum, neque mali reparationem, pro ſcopo habet. Hæc juſtitia fundatur in ſola convenientia, certam aliquam ſatisfactionem in expiationem actionis pravæ exigente. Sociniani, *Hobbeſius*, aliique nonnulli, hanc juſtitiæ punitivæ ſpeciem haud admittunt, quæ propriè vindicativa eſt, quamque Deus multis in caſibus ſibi reſervavit, & quam tamen cum iis, qui alios gubernandi jus habent, ſubinde communicat, ac per ipſos exercet, dummodò ex ratione, non ex adfectu, agant. Sociniani juſtitiam iſtam fundamento

mento carere arbitrantur; verùm fundata ſemper eſt in relatione quadam convenientiæ, quæ ſatisfacit non ſolùm offenſo, ſed etiam ſapientibus, eam cernentibus; quemadmodum elegans concentus muſicus, aut egregium opus architectonicum mentibus non illiberalibus probatur. Et ubi ſapiens Legiſlator minatus eſt, &c., ut ita loquar, pœnam promiſit, ad conſtantiam ejus pertinet, actionem non relinquere prorſus impunitam, etiamſi pœna nemini ultrà corrigendo utilis foret. Sed & quamvis nihil promiſiſſet, ſatis eſt, convenientiam adeſſe, quæ ad faciendum iſtud promiſſum impellere potuerit, cùm ſapiens nihil, niſi quod conveniat, promittat. Et dici quoque poteſt, certam quandam hic compenſationem præſtari menti, quam perturbatio ordinis offenderet, niſi punitio quid ad inſtaurandum ordinem conferret (lll). Conſuli etiam poſſunt ea, quæ *Grotius* contra Socinianos de Jeſu Chriſti ſatisfactione ſcripſit, unà cum *Crellii* reſponſione (mmm).

74. Hac ratione damnatorum pœnæ perdurant, etiam dum malo avertendo non ampliùs proſunt; pariter & beatorum præmia perdurant, etiam dum ad confirmandos eos in bono nihil ampliùs conferunt. Interim tamen dici poſſunt damnati novos ſibi ſemper ob nova peccata dolores accerſere, beati verò nova ſibi ſemper gaudia ob novos in bono progreſſus procurare, cùm utrumque in *principio convenientiæ* fundatum ſit, per quam res ita conſtitutæ ſunt, ut malam actionem pœna ſponte conſequatur. Nam juxta regni utriuſque, finalium & efficientium cauſarum, parallelismum, judicare fas eſt, Deum in Univerſo ſtabiliviſſe connexionem inter pœnam vel præmium, & inter pravam vel rectam actionem; ita ut priorem ſemper trahat poſterior, ac virtus vitiumque ſuum ſibi præmium pœnamque procurent, vi ſeriei rerum naturalis, quæ ſpeciem continet harmoniæ præſtabilitæ adhuc aliam ab illa, quæ in animæ corporiſque commercio cernitur (nnn). Nam, ut verbo dicam, quidquid Deus facit, perfectè harmonicum eſt, uti ſuprà notavi. Fortaſſis igitur hæc convenientia ceſſaret illorum reſpectu, qui ex neceſſitate abſoluta, ſine vera libertate contingentiæ, agerent; & hoc caſu ſola juſtitia correctiva,

non

(lll) Doctrinam hanc nobiliſſimam *de fine pœnarum inferno*, citatis etiam verbis hiſce *Leibnitianis*, ſolidè adſtruit contra *Democritum* Cel. *Canzius*, Tr. *de Civitate Dei*, *S. IV. C. IV.* §. 805--810.

(mmm) *Hug. Grotii* Defenſio fidei Catholicæ de Satisfactione Chriſti adversùs *Fauſtum Socinum* Senenſem, Lugdun. 1617. in 8. ſæpiùs dein recuſa. *Crellii* Reſponſio ad *Grotii* Librum exſtat in Bibliotheca Fratrum Polonorum, poſt *Fauſti Socini* Scripta. Judicia Eruditorum de utroque ſcripto v. ap. Ven. *Buddeum*, Iſag. Theol. p. 1356. 1357. Natus autem eſt *Jo. Crellius* A. 1590. d. 20. Jul. Helmetzhemii in Francon. denatus A. 1633. d. 11. Jun. Racoviæ: Vitam illius, in cit. Bibliotheca repertam, ſcripſit *Joach. Paſtorius*, Med. Doct.

(nnn) V. laud. *Canzium* de puniendi genere naturali, *arbitrario* ſenſu *ſtricto*, & *arbitrario* ſenſu *ſtrictiſſimo*, differentem, §. 815.--817.

non verò juſtitia vindicativa, locum haberet. Ita ſenſit Vir celebris, *Hermannus Conringius* (ooo) in Diſſertatione, quam vulgavit de eo, quod juſtum eſt. Et reverâ rationes, quibus in ſuo de Fato libro jam uſus eſt *Pomponatius*, ut pœnarum & præmiorum utilitatem probaret, etiamſi omnia in actionibus noſtris fatali neceſſitate evenirent, emendationem duntaxat ſpectant, non ſatisfactionem, κόλασιν, ὀυ τιμωρίαν. Itaque adparatus duntaxat gratiâ beſtiæ, quorundam criminum complices, interficiuntur, uti perduellium ædes ſolo æquantur, terroris nempe incutiendi causâ. Actus igitur eſt juſtitiæ correctivæ, in quo juſtitia vindicativa locum non invenit.

75. Sed curioſæ magis, quàm neceſſariæ, quæſtioni diſcutiendæ nunc non immorabimur, cum ſatis monſtraverimus, iſtiuſmodi neceſſitatem ab actionibus voluntariis abeſſe. Utile tamen fuit oſtendere, ſolam *libertatem imperfectam*, hoc eſt, quæ non, niſi a coactione, immunis eſt, ſufficere ad fundandum hoc genus pœnarum atque præmiorum, quæ ad mali evitationem emendationemque tendunt. Unde etiam patet, aliquos homines, ingenio pollentes, quibus omnia eſſe neceſſaria perſuaſum eſt, immeritò negare, laudari quenquam aut vituperari, præmio aut pœna adfici debere. Puto, eos ingenii ſui oſtentandi ergo id tantùm jactare; ratio prætenditur, quòd, cùm omnia ſint neceſſaria, nihil remaneat in noſtra poteſtate. Sed ratio iſta lubrico planè fundamento innititur: actiones neceſſariæ adhuc in noſtra poteſtate forent, ſaltem in quantum facere eas aut omittere poſſemus, cùm ſpes vel timor laudis aut vituperii, voluptatis aut doloris, eò noſtram voluntatem impellerent: ſive impuliſſent neceſſariò, ſive impellendo ſpontaneitatem, contingentiam ac libertatem, ex æquo integras, reliquiſſent. Ita ut laudes ac vituperia, præmia pœnæque, magnam utilitatis ſuæ partem retenturæ ſemper forent, etiamſi noſtræ actiones veræ neceſſitati eſſent obnoxiæ (ppp). Nam bonas etiam malaſque

(ooo) *Herm. Conringius*, Nordenæ in Comitatu Friſiæ Orientalis A. 1606. natus, A. 1681. d. 12. Dec. denatus, Prof. Helmſt. ob varia inſignia ſcripta hiſtorica & politica celebratiſſimus. V. *Reimanni Hiſt. Litt. Vol. V. p. 246. ſqq.*

(ppp) Quarto loco addit *Theologus Catholic.* cujus verba Præfationi leguntur inſerta. *Non placet, quod §. 75. dicitur, quòd laudes ac vituperia, præmia pœnæque, magnam utilitatis ſuæ partem retenturæ ſemper forent, etiamſi noſtræ actiones veræ neceſſitati ſubjacerent.* Defendit *Interpres Latin.* Virum ill. ſequentem in modum: Quòd laudes ac vituperia, præmia pœnæque, magnam utilitatis ſuæ partem retenturæ ſemper forent, etiamſi noſtræ actiones veræ neceſſitati ſubjacerent, audiatur *Sfortia Pallavicinus* demum Cardinalis in 1. 2. diſp. 7. qu. 1. art. 3. num. 1. *Sciendum eſt*, inquit, *aliquibus viſam eſſe adeò manifeſtam libertatem, non ſolùm in genere, ſed humanam & noſtram, ut ridiculum exiſtimaverint velle illam demonſtrare, ſicut* Ariſtoteles *dixit de iis, qui conabantur demonſtrare naturam eſſe; niſi enim, inquiunt, daretur in nobis libertas, fruſtrà inter homines eſſent conſilia, preces, leges, pœnæ, præmia, &c. quæ tamen valdè prodeſſe in ordine ad movendam humanam voluntatem* pateſ

laſque qualitates naturales laudare & vituperare poſſumus, in quibus voluntas locum non habet, in adamante, in homine: & is, qui dixit, *Ca-*

patet experientia. Sed hoc argumentum, ut ſubtiliter vidit Buridana 3. *Ethic. qu.* 1. *eſt infirmum, quod probatur tum a poſteriori, tum a priori. A poſteriori quidem, quia per idem argumentum evinceretur libertas in brutis, quandoquidem bruta ipſa & verberibus coërcentur, & illicio alicujus voluptatis facilè trahuntur. Ratio autem a priori eſt, quia ex prædicto argumento excluditur tantummodò illa neceſſitas, quæ cæco modo nos traheret ad operandum, ita ut cognitio nihil influeret, & impertinenter ſe haberet ad noſtram operationem. At non excluditur illa neceſſitas, quæ proveniret nobis ex præponderantia cognitionis determinantis noſtram voluntatem ad unum, ſicut cognitio bruti determinat adpetitum bruti. Contra hunc enim dicendi modum perinde valet argumentum ſuprà poſitum, ac valeret ad probandum non eſſe neceſſarium, ſed liberum Soli, quòd mundus ab eo per certa temporis intervalla illuminetur & obſcuretur, ſic argumentari:* Si hoc efficere eſſet Soli neceſſarium, fruſtra in ordine ad hunc effectum daretur ortus & occaſus Solis in cœlo. *Quæ argumentatio nihil concluderet, nam & ipſe ortus & occaſus Solis in cœlo eſt cauſa quædam neceſſaria, habens talem neceſſarium effectum. Si quis ergò putaret, omnes voluntates neceſſariò eligere id, ad quod magis inclinantur in actu primo per motionem intellectus, ex una parte non ſolùm noſtram, ſed omnem planè libertatem deſtrueret, & ex alia parte ſatis explicaret utilitatem legum, pœnarum, præmiorum, &c. Secundum patet, nam adhuc hæc omnia prodeſſent ad hoc, ut intellectus magis moveret ad unam partem, quàm aliam. Primum quoque probatur, nam prima motio intellectûs antecedens omnem actum voluntatis non eſt libera, ſed neceſſaria, ut patet. Ea verò poſita, neceſſariò ſequeretur motio ipſius voluntatis, & ab illa neceſſariò provenirent cæteri effectus; ergò nullus reperiretur effectus, qui non oriretur neceſſariò ex ſua cauſa; neque eſſet adſignabile aliquid, quod fuiſſet ſimpliciter indifferens ad contingendum vel non contingendum.* " Hactenus *Pallavicinus*, qui poſt hæc eodem articulo contingentiam aliquam in rebus, & articulo *6.* libertatem in nobis naturaliter demonſtrari, ingenioſis more ſuo argumentis oſtendit, quorum aliqua referemus in notis.

De cætero *Leibnitius* §. 73. fatetur eſſe quandam juſtitiæ ſpeciem, & certum quoddam præmiorum pœnarumque genus, quod non tam facilè poſſe adplicari videatur iis, qui ex abſoluta neceſſitate agerent, ſi hæc daretur: eam nempe juſtitiæ ſpeciem, quæ nec emendationem relinquentis, neque exemplum, neque mali reparationem pro ſcopo habeat. *Hæc juſtitia*, inquit, *fundatur in ſola congruentia exigente certam aliquam ſatisfactionem in expiationem actionis pravæ, & hæc congruentia*, ait §. 74. *fortaſsè ceſſaret illorum reſpectu, qui ex abſoluta neceſſitate agerent ſine vera libertate contingentiæ.* Unde §. 75. profitetur, *ſe oſtendiſſe ſolam libertatem imperfectam, ſive eam, quæ non niſi a coactione immunis eſt, ſufficere ad fundandum hoc pœnarum præmiorumque genus, quod ad bonum excitat, & ad mali evitationem emendationemque tendit.*

Denique in Animadverſionibus in Librum *Guilielmi Kingii* de Origine Mali (quæ eſt adpendix ſecunda Tentaminum) §. 17. ad hanc Objectionem: „ Peccatum juxta noſtram ſententiam non ideò vituperaretur, aut puniretur, quia meretur; ſed quia vituperium & punitio conferunt ad illud impediendum, cum tamen homines ampliùs aliquid exigant, nempe ſatisfactionem pro crimine, etiamſi hæc ad emendationem exemplumque nihil omnino conferat, prorſus ſicut homines jure poſtulant, ut ſincera gratitudo a vera beneficii præteriti agnitione, non a beneficii novi percipiendi intuitu, proficiſcatur." *Reſpondet illuſtris noſter Auctor:* Hæc objectio præclaras & ſolidas cogitationes continet, ſed nos ea minimè tangit, &c. *Tandem addit*,

tonem Uticenſem virtuti convenienter egiſſe naturæ ſuæ bonitate, nec aliter agere potuiſſe, credidit ipſum magis laudaſſe (qqq).

76. Difficultates, quas hactenus removere adlaboravimus, ferè omnes Theologiæ naturali & revelatæ communes ſunt. Nunc ad ea veniendum eſt, quæ articulum aliquem revelatum ſpectant, Electionem nempe aut Reprobationem hominum, cum Gratiæ Divinæ œconomia vel negotio ratione actuum miſericordiæ, aut juſtitiæ Dei. Sed dum præcedentibus objectionibus reſpondimus, aditum ad eas, quæ reſtant, ſolvendas patefecimus. Quod animadverſionem noſtram ſuperiorem (*Diſcursûs prælimin.* §. 43.) confirmat, pugnam videlicet hic potiùs eſſe inter veras Theologiæ naturalis & falſas humanarum probabilitatum rationes, quàm inter Fidem revelatam & Rationem. Vix enim hoc in argumento ulla contra Revelationem difficultas eſt, quæ nova ſit, nec ab iis, quæ contra veritates, Ratione notas, objici queunt, oriatur.

77. Cùm igitur omnium ferè partium Theologi in hoc de Prædeſtinatione & Gratia argumento inter ſeſe diſſideant, & ſæpè ad eaſdem objectiones diverſa pro cujuſque principiis reſponſa adferant (rrr); non poſſumus non delibare hujuſmodi controverſias, inter eos celebratas. Generatim dici poteſt, alios Deum conſiderare modo magis metaphyſico, alios modo magis morali: & aliàs jam obſervatum eſt, Contraremonſtrantes priorem modum amplecti, Remonſtrantes poſteriorem (sss). Verùm,

veram proprieque dictam juſtitiam vindicativam, quæ ultra medicinam progreditur, plus aliquid ponere, nempe intelligentiam libertatemque peccantis, &c.

(qqq) Hic genitus (M. CATO, de quo in antecedd.) proavo *M. Catone*, principe illo familiæ *Porciæ*, homo virtuti ſimillimus, & per omnia ingenio diis, quàm hominibus, propior, qui nunquam rectè fecit, ut facere videretur, ſed quia aliter facere non poterat, cuique id ſolum viſum eſt rationem habere, quod haberet juſtitiam; omnibus humanis vitiis immunis, ſemper fortunam in ſua poteſtate habuit, ait *Vellejus Paterculus* Lib. II. c. XXXV. 2.

(rrr) Addit *Interpr. Lat.* quæ non tantùm in revelatione, ſed etiam in ratione fundantur, & a *Bælio* noſtro inprimis ad Rationem reprimendam adferuntur.

(sss) Princeps eorum, qui *Remonſtrantes* vocantur, eſt *Jacob. Arminius*, qui quidem ſolùm in doctrina de Prædeſtinatione a recepta Eccleſiæ Reformatæ doctrina diſceſſit, & a Socinianiſmo, in cujus ſuſpicionem Sectatores ejus deinceps venerunt, uti credere par eſt, immunis fuit. Natus eſt autem *Jac. Arminius*, Veteraquinas Batavus, A. 1560. denatus A. 1609. d. 19. Oct. uti ſuprà diximus p. 99. n. xxx. Ejus Opera Theologica conjunctim recuſa prodiere Francof. 1635. 4. quibus *Petri Bertii* de Vita & Obitu ejuſdem Oratio præmittitur. *Matthias Martinius*, in Epiſt. ad *Conr. Vorſtium* hoc elogio eum condecorat. Mihi, *ait*, Vir viſus eſt verè Dei timens, eruditiſſimus, & in controverſiis Theologicis exercitatiſſimus, & in Scripturis potens: & valdè circumſpectus & ſolers in Philoſophicis terminis ad res Theol. adcommodandis. De ejus erroribus, an, qui, quanti, & quot ſint, nondum ego cognoſcere potui. Deus novit, quid ſit rei. " V. *Præſtantium ac Eruditorum Virorum Epiſtolæ Eccleſiaſticæ & Theologicæ varii argumenti*, *Amſt.* 1660. *ed. p.* 311. Inter eos, qui ſe Remonſtrantibus oppoſuerunt, præcipuus eſt *Franciſcus Gomarus*, variis huc ſpectantibus ſcriptis inſignis, uti *de divinæ Prædeſtinationis objecto*, *Amſt.* 1650. 8. ed.

Verùm, ut ritè res inſtituatur, æqualiter tueri oportet, hinc independentiam Dei & dependentiam creaturarum, illinc juſtitiam bonitatemque divinam, quæ Deum a ſe ipſo, voluntate, intellectu, ſapientia ſua, dependere facit.

78. Sunt Auctores eruditi, beneque animati, qui, principalium utriuſque partis rationum robur repræſentaturi, ut ambabus tolerantiam mutuam perſuadeant, arbitrantur, controverſiam totam ad hoc momentum capitale reduci, videlicet, quis Dei, decreta ſua ſancientis in relatione ad homines, primarius fuerit ſcopus? utrùm unice ea tulerit ad ſtabiliendam gloriam ſuam, manifeſtando ſua adtributa, &, finis hujus adipiſcendi gratiâ, magnum illud creationis & providentiæ ſchema formando; an verò ſubſtantiarum intelligentium, quas creare ſtatuerat, motus voluntarios reſpexerit, conſiderando nimirùm id, quod diverſis ſub circumſtantiis & poſitionibus, in quibus cernerentur, electuri & ſecuturi eſſent, & decreta ſua iis adtemperando. Videntur mihi duæ illæ reſponſiones, quæ, tanquam oppoſitæ inter ſe invicem, ad ingentem hanc quæſtionem dari ſolent, facilè conciliari poſſe, & conſequenter, ſi huc omnia recidunt, partes, tolerantiæ nullius egentes, in rem ipſam conſentire. Sanè Deus, creandi Mundi decretum formans, unicè ſtatuit perfectiones ſuas modo quo poſſet efficaciſſimo, & magnitudine, ſapientia, & bonitate ſua, digniſſimo, manifeſtare & communicare. Sed ob id ipſum omnes creaturarum adhuc purè poſſibilium actiones conſiderare neceſſe habuit, ut ſchema quàm convenientiſſimum formaret. Præſtanti Architecto ſimilis eſt, qui, propoſitâ ſibi inſignis palatii conſtruendi voluptate vel gloriâ, omnia, quæ fabricam illam ingredi debent, formam & materiam, locum, ſitum, media, operas, impendia, ſecum animo reputat, antequàm de tota re captet conſilium. Sapiens namque, dum opera ſua delineat, finem a mediis ſejungere nequit, nec finem ſibi proponit ullum, niſi media ejus obtinendi præſto eſſe noverit.

79. Neſcio, an forſitan adhuc ſuperſint, qui ſibi imaginentur, ex eo, quòd Deus ſit abſolutus rerum omnium Dominus, inferri poſſe, quòd omnia, quæ extra ipſum ſunt, ipſi ſint indifferentia; quodque, nullâ aliorum habitâ ratione, ſe ſolum ipſe ſpectaverit, atque ita ſine cauſa ulla, ſine delectu, ſine ratione, quoſdam felices reddiderit, alios infelices (ttt). Verùm hoc de Deo docere eſt ſapientiam ei bonitatemque tollere. Ac ſufficit nobis obſervare, eum, dum ſe ipſe ſpectat, nec quidquam eorum, quæ ſibi debet, negligit, cenſendum etiam eſſe, creaturas ſuas curare, iiſque uti modo ad ordinem maximè adcommodato.

(ttt) Addit *Interpr. Lat.* Eamque fortaſsè ſententiam reſpexere, quos §. præcedente bifidum controverſiæ totius caput exponere voluiſſe diximus. Sed talis Doctrina vix ampliùs Sectatores habet alicujus momenti, eam de Deo docere, &c.

Quò magis enim Princeps magnus ac bonus gloriæ ſuæ rationem habet, eò magis ſubditos ſuos felices præſtare cogitabit, quantumlibet Monarcharum omnium foret abſolutiſſimus, quantumvis ejus ſubditi nata ſervituti mancipia, homines proprii (uti Juriſconſulti loquuntur) & arbitrariæ ejuſdem poteſtati penitùs ſubjecti forent. *Calvinus* ipſe, aliique nonnulli ex acerrimis abſoluti Decreti defenſoribus, plæclarè monſtrarunt, Deum habuiſſe *magnas & juſtas rationes* electionis ſuæ ac diſpenſationis gratiarum ſuarum, quanquam ſigillatim nobis haud perſpectas: & pro amore judicandum eſt, rigidiſſimos quoſque Prædeſtinatores a ratione & pietate inſtructiores eſſe, quàm ut ab hac ſententia longiùs recedant.

80. Nulla igitur de hoc argumento controverſiæ ſerra reciprocanda erit (uti ſpero) cum hominibus, a ratione non prorſus abludentibus; magnum tamen ſemper intercedet adhuc inter eos, qui Univerſaliſtæ & Particulariſtæ dicuntur, diſſidium circa ea, quæ de Gratia & Voluntate Dei docent. Interim & hic quoque eo quodammodo propendet animus, ut credam, controverſiam inter eos adeò inflammatam de divina omnes homines ſalvandi voluntate (ſi a controverſia *de Auxiliis Gratiæ* eam ſeparamus) verborum potiùs eſſe, quàm rerum. Nam ſufficit conſiderare, quòd Deus, & quivis alius ſapiens beneficus, in omne bonum, quod fieri poſſit, inclinetur, & quod hæc inclinatio porportionalis ſit præſtantiæ boni, idque (ſi objectum reſpiciatur in præciſione & per ſe) per *voluntatem antecedentem*, uti vocant, ſed quæ non ſemper pleno ſuo effectu abundat, propterea quòd ſapiens iſte multas inſuper alias inclinationes habere debet. Atque ſic ex omnium ſimul inclinationum concurſu conflatur & efficitur id, quod plenam ejus decretoriamque voluntatem adpellamus, quemadmodum ſuprà explicavimus. Itaque cum antiquis optimè dici poteſt, Deum velle omnes homines ſalvos præſtare vi voluntatis ſuæ antecedentis, non autem vi voluntatis ſuæ conſequentis, quæ nunquam effectu ſuo deſtituitur. Quodſi, qui voluntatem hanc univerſalem inficiantur, nolint inclinationem illam antecedentem vocari voluntatem, de ſolo nomine litigant.

81. At alia magis in rem quæſtio eſt circa Prædeſtinationem ad vitam æternam, & circa omnem aliam Dei deſtinationem, utrùm ſcilicet hæc deſtinatio abſoluta ſit, an reſpectiva? Eſt deſtinatio aliqua ad bonum & ad malum: & quia malum aliud eſt morale, aliud phyſicum, inter omnium partium Theologos convenit, ad malum morale deſtinationem eſſe nullam, hoc eſt, neminem ad peccandum a Deo deſtinari. Quod maximum malum phyſicum, nempe damnationem, adtinet, diſtingui poteſt inter deſtinationem & prædeſtinationem; nam prædeſtinatio videtur in ſe includere deſtinationem aliquam abſolutam & anteriorem conſideratione bonarum vel malarum actionum eorum, quod ea reſpicit. Atque ita Reprobi dici poſſunt *deſtinati* ad damnationem, quia cognoſcuntur impœnitentes. Verùm non æquè dici poſſunt *prædeſtinati* ad damnationem, non

enim datur reprobatio abſoluta, cùm ejus fundamentum ſit impœnitentia finalis prævifa.

82. Verum quidem eſt, dari quoſdam Auctores, qui contendunt, Deum, miſericordiam & juſtitiam manifeſtaturum ſecundùm rationes ſe dignas, nobis verò ignotas, adſumſiſſe electos, & repudiaſſe adeò reprobos, ante omnem conſiderationem peccati, ipſius etiam *Adami*; ipſum poſt hoc demum decretum conſultum judicaſſe permittere peccatum, ut binas illas virtutes ſuas exercere poſſet, ac proinde illis, ad ipſos ſalvandos, in Jeſu Chriſto gratias decreviſſe, his verò eas denegaſſe, ad ipſos puniendos: & hinc Auctores iſti dicuntur *Supralapſarii*, quia ſecundùm illos, decretum puniendi præcedit cognitionem exiſtentiæ futuræ peccati. Sed inter eos, qui ſe Reformatos nuncupant, opinio hodie communior, cui etiam Synodus Dordracena favet, eſt Infralapſariorum, *S. Auguſtini* (uuu) ſententiæ ſatis conſentanea, quæ vult, Deum, poſteaquàm peccatum *Adami*, generiſque humani corruptionem, permittere juſtis de cauſis, ſed nobis abſconditis, ſtatuiſſet, tum demum miſericordia ſua tactum, elegiſſe quoſdam e maſſa illa corrupta, ut gratuitò ob meritum Jeſu Chriſti ſalvarentur; juſtitiâ verò ſuâ impulſum reliquiſſe alios, ut punirentur damnatione, quam merebantur. Hinc apud Scholaſticos ii ſoli, qui ſalvantur, dicebantur *Prædeſtinati*, Reprobati verò *Præſciti*. Fatendum quidem eſt, ex Infralapſariis quoſdam, ut alios taceam, loqui quandoque de Prædeſtinatione ad damnationem exemplo *Fulgentii* (xxx) & ipſius *S. Auguſtini*; ſed id illis nihil aliud ſignificat, quàm deſtinationem, nec quidquam prodeſt rixari de vocabulis, quanquam hæc olim anſa fuerit malè mulctandi *Godeſchalci* illius, qui circa medium noni ſæculi famam habuit, quique nomen *Fulgentii* adſumſit, ut ſe indicaret Auctorem iſtum ſequi (yyy).

83. Quod

(uuu) Scribentis: *Ex Adæ origine damnata velut maſſa una meritæ damnationi tradita, fecit Deus alia in contumeliam vaſa iræ: alia in honorem vaſa miſericordiæ: illis reddens, quod debetur in pœna; iſtis, quod non debetur in gratia.*

(xxx) *Fulgentius*, Epiſcopus Ruſpenſis in Africa, A. 468. natus, diem ſuum obiit A. 533. Contra Arianos inprimis fortiter ſtetit, variis ſcriptis clarus, ut *De duplici prædeſtinatione ad gloriam & ad pœnam; De Trinitate, &c.* Contra Semi-Pelagianum *Fauſtum*, Rejienſem Epiſc. *Libr. VII. de gratia Dei & Libero Arbitrio,* qui quidem non ampliùs exſtant. Edita illius Opera ſunt Pariſiis A. 1684. quibus præmittitur Auctoris Vita, a *Ferrando*, Diacono Carthaginienſi, conſcripta.

(yyy) *Godeſchalcus*, ſ. *Gotteſchalcus*, Monachus Germanus, ſua de prædeſtinatione & abſoluto reprobationis decreto, deque gratia, &c. doctrina nimis curioſa, magnos in Eccleſia occidentali dedit ſtrepitus, donec ipſe, ſecundùm decretum in conventu Epiſcoporum, apud Cariſiacum habito, conditum, ſacerdotali dignitate ſpoliatus, ergaſtuloque incluſus eſt, & verberibus duriſſimis caſtigatus, dum Librum, quo errores ſuos complexus erat, *De Prædeſtinatione*, ipſemet flammis traderet. *Budd.* in Iſag. p. 1109. In carcere animam efflavit A. 870.

83. Quod deſtinationem electorum ad vitam æternam adtinet, Proteſtantes æquè, ac Eccleſiæ Romanæ addicti, multùm inter ſe digladiantur, num Electio ſit abſoluta, an verò fundetur in prævifione fidei vivæ, ejuſdemque finalis. Ii, qui Evangelici vocantur, hoc eſt, Confeſſionis Auguſtanæ ſequaces, poſterius adſerunt, creduntque, non recurrendum ad cauſas Electionis occultas, quando manifeſta cauſa, in Pandectis ſacris indicata, reperiri poteſt, nempe fides in Jeſum Chriſtum; videturque ipſis prævifio cauſæ etiam eſſe cauſa prævifionis effectûs. At qui Reformati nominantur, aliter ſentiunt, fatenturque, ſalutem quidem oriri a Fide in Jeſum Chriſtum, ſed obſervant, ſæpè cauſam, effectu priorem in executione, eſſe poſteriorem in intentione, uti cùm cauſa eſt medium, & effectus eſt finis. Itaque quæſtio eſt, utrùm fides hominis, an verò ſalvatio ſit anterior in intentione Dei, hoc eſt, an prius velit hominem ſalvum facere, quàm fidelem (zzz)?

84. Hinc patet, quæſtionem inter Supralapſarios & Infralapſarios ex parte, tum deinde hos inter & Evangelicos, eò redire, ut benè concipiatur ordo, qui eſt in decretis Dei. Fortaſsè diſputatio hæc tota uno ictu amputari poſſet, cunctis ritè expenſis ſtatuendo, omnia Dei decreta, de quibus agitur, eſſe ſimultanea non tempore ſolùm, de quo nemo dubitat, ſed etiam *in ſigno rationis*, vel in ordine naturæ. Et certè, Formula Concordiæ, poſt loca quædam *S. Auguſtini*, & ſalutem, & media, eò perducentia, uno eodemque decreto Electionis complexa eſt. Ut autem ſimultaneitas iſta deſtinationum, ſive decretorum, de quibus agitur, meliùs oſtendatur, recurrendum eſt ad methodum, qua plus ſimplici vice jam uſus ſum, quæ huc redit, ut Deus, antequam quidquam decerneret, inter alias rerum ſeries poſſibiles conſideraverit eam quoque, quam poſtea

(zzz) In cit. ad §. 77. Collectione Epp. *Petrus Baro* tres has *de Prædeſtinatione* ſententias in compendio exhibet p. 41. ſqq. & tertiam quidem ita effert p. 44. Deum velle omnes homines ſervari, neminemque perire, & Chriſtum pro omnibus eſſe mortuum, ideoque Deum neminem unquam odiſſe, nec odiſſe propoſuiſſe, quatenùs hominem a ſe factum, ſed tantum *quatenùs peccatorem*: immò omnibus in *Adamo* lapſis & peccatoribus Chriſtum promiſiſſe & miſiſſe, qui caput Serpentis contereret, &, quod perierat, repararet: ideoque etiam voluiſſe, ut omni creaturæ, id eſt, cuivis homini, Evangelium adnunciaretur, ut omnes & ſinguli ad agnitionem veritatis pervenire & ſervari poſſent, quam Dei voluntatem Patres *antecedentem* vocant. Itaque quòd quidam ſerventur ex Deo, meraque ejus gratiâ, id eſſe: quòd autem alii damnentur, ex eorum id malitia & pravitate exiſtere; quæ *conſequens* Dei voluntas dicitur; ſequitur etenim hominum in peccato perſeverantium impœnitentiam. Et poſt pauca: Hæ igitur ſententiæ ſic inter ſe conſentiunt & diſſentiunt, ut prima & ſecunda damnationis & ſalutis neceſſitatem includant, & hominibus imponant. Tertia non item. Sed hæc Prædeſtinationem, licet ſit ipſa apud Deum immutabilis, negat tamen immutabiles reddere hominum voluntates, neceſſitatemque illis inferre, ne Deum auctorem peccati, hominumque exitii, faciat *&c.*"

poſtea adprobavit, in cujus idea repræſentabatur, quomodò protoplaſti peccaturi eſſent, poſteritatemque ſuam depravaturi, quo pacto Jeſus Chriſtus humanum genus eſſet redempturus, quomodò pars, variis gratiæ viis adjuta, ad fidem finalem & ad ſalutem perventura, & quomodò alii, vel cum, vel ſine iiſdem aliiſve gratiæ donis, perſeveraturi in peccato & damnandi eſſent; ut Deus cenſeatur non adprobaſſe hanc ſeriem, niſi ubi totam ſigillatim expendiſſet, atque adeò nihil decretoriè ſtatuiſſe circa ſalvandos vel damnandos, niſi priùs omnibus eam ingredientibus ponderatis, & cum contentis aliarum quoque ſerierum poſſibilium comparatis. Itaque id, quod pronunciat, totam ſimul ſeriem reſpicit, cui duntaxat exiſtentiam decernit (aaaa). Ad alios vel alio modo ſalvandos, neceſſe fuiſſet, aliam omninò ſeriem generalem eligi, omnia enim in ſerie qualibet connexa ſunt. Atque in hoc rem concipiendi modo, qui ſapiente digniſſimus eſt, cujus actiones quàm fieri poteſt maximè conſentiunt, non niſi unum decretum Dei totale locum habet, nempe decretum creandi talem Mundum, quod quidem decretum totale æqualiter omnia decreta particularia complectitur, nullo inter illa ordine relicto; quamvis ex alio capite dici poſſit, quemlibet actum particularem voluntatis antecedentis, in collectione totali contentum, habere ſuum pretium atque ordinem pro menſura boni, in quod actus iſte inclinat. Sed hi actus voluntatis antecedentis decreta non adpellantur, cùm necdum ſint infallibiles (bbbb), & ſucceſſus eorum a collectione totali dependeat. Re ita ſumtâ, omnes difficultates, quæ circa hoc argumentum adferri poſſunt, ad eas recidunt, quas jam tetigimus & ſubmovimus, cùm mali originem expenderemus.

85. Reſtat una tantùm gravis momenti diſcuſſio, quæ ſuas habet difficultates particulares: ea eſt de diſpenſatione mediorum & circumſtantiarum, ad ſalutem & damnationem conferentium; quæ inter cætera materiam *de auxiliis Gratiæ* complectitur, de qua (a tempore Congregationis *de Auxiliis*, ſub *Clemente VIII.* habitæ, in qua Dominicanos inter & Jeſuitas concertatum fuit) non facilè Roma patitur vulgari libros. Apud omnes in confeſſo eſſe debet, Deum eſſe perfectè bonum ac juſtum, bonitate ipſius fieri, ut quàm poteſt minimè contribuat ad ea, quibus homines

(aaaa) In optimo, quod *Vir ill.* delineat, ſyſtemate neceſſitas quædam quaſi ferrea, a nonnullis illi imputata, omninò exulat. Deus peccatum non vult: permittit tantùm, conſequenter aliis aliter faciendi potentiam haud eripit: homines liberè, hoc eſt, cum facultate declinandi, peccant: qui damnantur, ex permiſſione divina, potuiſſent etiam non damnari. En gratiam univerſalem, non particularem.

(bbbb) *Interpr. Lat.* infallibiles, finales & deciſivi, quia ſucceſſus eorum adhuc dependet a collectione inclinationum totali, aliis collectionibus, ſive alteri cuicumque ſeriei, prævalitura. Itaque decretum non niſi de toto fertur. Re ita ſumta, *&c.*

mines reddi nocentes poſſunt, & quàm poteſt maximè ad ea, quæ ipſorum ſaluti inſerviunt (ſcilicet tantùm, quantùm ordo rerum generalis permittit) ipſius porrò juſtitiam prohibere, quo minùs inſontes damnet, & bonas actiones ſine præmio relinquat; quin etiam juſtam eum proportionem in pœnis & præmiis ſervare. Interim tamen hæc idea, quam de bonitate & juſtitia Dei habere debemus, non ſatis locum invenire videtur in actionibus ſuis, circa ſalutem & damnationem hominum nobis cognitis, & hoc eſt, quod *difficultates* circa peccatum, ejuſque remedia, parit.

86. Prima difficultas eſt, quo pacto anima, ſalvâ Dei juſtitiâ, potuerit infici peccato originali, quod eſt peccatorum actualium radix; videtur enim Deus hominem ipſi peccato ſine injuſtitia exponere non potuiſſe. Hæc difficultas tres de animæ origine opiniones peperit. Prima *de præexiſtentia animarum humanarum* in alio mundo, vel alia vita, in qua peccaverant, & ideò ad hoc humani corporis ergaſtulum fuerant damnatæ, opinio fuit Platonicorum (cccc), *Origeni* tributa, quæ etiamnum hodie ſectatores reperit. *Henricus Morus*, (dddd) Doctor Anglus, aliquid hujus dogmatis juſto volumine propugnavit. Quidam præexiſtentiæ hujus defenſores ad Metempſychoſin uſque progreſſi ſunt. Ita nuper *Helmontius* filius (eeee) ſenſit, & Auctor ingenioſus Meditationum quarundam metaphyſicarum, Anno MDCXXVIII. ſub nomine *Guilielmi Wander* editarum, eodem propendere videtur. Altera opinio *Traductionem* adſtruit, quaſi anima infantium ab anima vel animabus eorum, a quibus generantur, perinde ac corpus a corpore, *per Traducem* generaretur. *S. Auguſtinus* huc inclinabat, ut peccatum originale meliùs ſalvaret. Doctrinam hanc major etiam Confeſſionis Auguſtanæ Theologorum pars profitetur. Interim non univerſim apud eos recepta eſt, quandoquidem Academiæ Ienenſis, Helmſtadienſis, & aliæ, dudum illi adverſatæ fuerunt. Tertia, eaque receptiſſima hodie, opinio *Creationem animæ* propugnat, & a majori Scholarum Chriſtianarum parte defenditur, ſed omnium maximè

(cccc) Hinc *Plato* diſcere idem putavit ac reminiſci, idque pro criterio veritatis habuit, ſi memoria cum recente ſenſu congruat: v. ill. Viri, *Jo. Gottl. Heineccii Elem. Philoſ. Rational. P. I. c. III. §. LXV.* Hinc definit idem *Philoſophiam* per *Solutionem animæ a corpore, & converſionem quandam ad ea, quæ reverâ ſunt, & intellectu videntur.*

(dddd) *Henricus Morus*, Theologus Cantabrigienſis, de quo v. *Bælius* in *Nouvell. de la Rep. des Lettr. May* 1684. *p.* 301. *Otium Hannov. p.* 188. Opinionem hanc defendit *Lib. I. Myſter. Piet. c.* 9. Opera ejus Philoſophica A. 1679. duobus tomis in fol. Londini prodierunt.

(eeee) *Franciſc. Mercurius van Helmont, Jo. Baptiſtæ* filius, natus A. 1618. denatus Colon. ad Spream 1699. De eo *Vir illuſtris* in *Felleri Otio Hannoverano*, §.CLXXX. p. 227. Primaria, *ait*, opinio, quam ille ſuſtinuit, eſt *Metempſychoſis*; ſtatuit nimirùm, animas corporum mortuorum immediatè tranſire in corpora recèns natorum, ſicque eaſdem animas ſemper in hoc Mundi Theatro ſuam ludere perſonam."

ximè premitur difficultatibus circa peccatum originale (ffff).

87. In hanc Theologorum de Animæ humanæ origine controverſiam irrepſit diſceptatio philoſophica de *origine formarum*. *Ariſtoteles* & Schola poſt ipſum dixere *Formam* id, quod eſt principium actionis, & in eo reperitur, quod agit. Hoc principium internum eſt vel ſubſtantiale, ſeu primitivum, quod Anima vocatur, quando corpus organicum adficit; vel accidentale, quod vocari ſolet *Qualitas*. Idem Philoſophus dedit animæ nomen genericum *Entelechiæ* vel *actus*. Hæc vox *Entelechia* veriſimiliter oritur a voce Græca, quæ perfectum (gggg) ſignificat; quamobrem celebris ille *Hermolaus Barbarus*, verbum verbo reddens, Latinè vertit *Perfectihabiam*, actus enim eſt complementum potentiæ: ſed hoc ſolum ut diſceret, nihil ſanè neceſſe erat conſulere Diabolum, uti eum feciſſe narrant (hhhh). Philoſophus autem Stagirites duo actuum genera concipit, Actum permanentem & Actum ſucceſſivum. *Actus* permanens, vel durabilis, nihil aliud eſt, quàm *Forma*, vel ſubſtantialis vel accidentalis: forma ſubſtantialis (uti verbi gratiâ Anima) eſt omnino permanens, ut ego quidem arbitror, & accidentalis tantùm ad tempus permanet. Sed actus omninò fugitivus, cujus natura tranſitoria eſt, in ipſa actione conſiſtit. Oſtendit alibi (iiii), notionem Entelechiæ non penitùs contemnendam eſſe, cumque permanens ſit, non ſolum inſinuare nudam *facultatem*, activam, ſed etiam id, quod vocari poteſt *vis*, *conatus*, ex quo actio ipſa ſequi debet, ſi nihil impediat. Facultas non, niſi *adtributum*, eſt, aut ſubinde *modus*; at *vis*, quando ſubſtantiam ipſam non ingreditur,

 (hoc

(ffff) Ita *Jo. Zeiſoldus*, *Dan. Stahlius*, alii, creationem defenderunt. *Auguſtinus* in *Epiſt. XXVIII. ad Hieron.* fatetur, ſe difficultatem de propagatione peccati originalis, ſtante creatione animæ, neque orando, neque legendo, neque meditando, neque ratiocinando ſuperare potuiſſe, a Pelagianis hinc magnus Traducianorum Patronus & Traducianæ nationis Primas dictus eſt; quanquam is pro hac ſententia ſe nuſquam declaravit, cumque aliis quibuſdam Patribus τὸ ἐπέχειν eligere maluit. Videtur autem inprimis obſtare ſimplicitas animæ, quo minùs cum corpore propagetur a parentibus per generationem, placitumque originem ſuam debere Materialiſtis, animæ ſimplicitatem negantibus. V. Traducianorum ſententiam apud *Sperlingium*, Tr. *de Formatione Hominis in utero*, cap. II. p. 32. ſqq. ed. Viteb. 1641.

(gggg) ἐντελεῖν.

(hhhh) Sine fundamento Traditionem hanc eſſe judicat Litteratiſſ. *Stolle*, in *Hiſt. Litt. P. II. c. I. §. LXXXIII. not. y. Hermolaus Barbarus*, Venetus, A. 1453. uti laud. Vir ſcribit, uti Cel. *Jœcher* L. ſuprà cit. A. 1454. d. 4. Maj. natus, ex peſte Romæ mortuus, ſec. *illum*, A. 1493. ſec. *hunc*, A. 1494.

(iiii) *In principiis*, puta, *Philoſ.* conf. *Comm. Brutorum*: quam Cl. *Kortholtus* exhibet in *Coll. Epp. T. I. p. 189. ſqq.* Hic §. V. Et proinde admittendum eſt aliquid præter materiam (quam §. I. in Antitypia & Extenſione conſtituit) quòd ſit tam principium perceptionis, ſeu actionis internæ, quàm motus, ſeu actionis externæ. Et tale principium adpellamus ſubſtantiale, item vim primitivam, ἐντελέχειαν τὴν πρώτην, uno nomine animam, quod activum cum paſſivo conjunctum ſubſtantiam completam conſtituit. *&c.*

(hoc eſt, *vis*, quæ non eſt *primitiva*, ſed *derivativa*,) eſt *qualitas*, quæ eſt diſtincta, & a ſubſtantia ſeparabilis. Oſtendi etiam, quomodò concipi poſſit, Animam eſſe vim primitivam, modificatam, & variatam per vires derivativas ſive qualitates, & exercitam per actiones.

88. Jam verò Philoſophos multùm divexavit origo formarum ſubſtantialium. Nam dicere compoſitum ex Forma & Materia produci, Formam verò *comproduci*, nihil eſt dicere. Opinio communis fuit, formas ex potentia materiæ educi, quod vulgò *Eductio* vocatur: nec iſtud nos aliquid magnoperè docet, explicabatur tamen quodammodo comparatione *figurarum*, nam ſtatuæ figura non producitur, niſi demendo marmor ſuperfluum. Hæc comparatio locum habere poſſet, ſi forma ſita eſſet in nuda limitatione, quemadmodum figura. Aliqui crediderunt, formas e cœlo demitti, immò datâ operâ creari, dum corpora producuntur; *Julius Scaliger* innuit, fieri poſſe, ut formæ potiùs educerentur e potentia activa cauſæ efficientis (hoc eſt, Dei, ſi creentur, vel aliarum formarum, ſi generentur,) quàm e potentia paſſiva materiæ, & hoc erat redire ad traductionem, quando fit aliqua generatio. *Daniel Sennertus*, Medicus & Phyſicus Wittebergæ celebris, hanc ſententiam excoluit, maximè circa corpora animata, quæ per ſemina multiplicantur (kkkk). Italus quidam, in Belgio degens, *Julius Cæſar della Galla*, & Medicus quidam Groningenſis, *Joannes Freitagius*, vehementer admodum inſurrexere contra *Sennertum*; at *Joannes Sperlingius*, Profeſſor Wittebergenſis, apologiam Magiſtri ſui condidit, ac denique cum *Joanne Zeiſoldo*, Profeſſore Ienenſi, creationem animæ humanæ tuente, digladiatus eſt.

89. Verùm traductio & eductio, quando de invenienda origine animæ agitur, æquè ſunt inexplicabiles. Non eo modo ſe res habet cum formis

(kkkk) *Daniel Sennertus*, Wratislavienſis, Medicus celeberrimus, A. 1572. d. 25. Nov. natus: Primus Chemicæ artis in Medicina uſum probare & commendare auſus eſt in Academia Vitebergenſi, ubi A. 1602. Medicinæ Profeſſor factus eſt: obiit A. 1637. d. 21. Jul. Teſtantur id Viri ſcripta: *Epitome Scientiæ naturalis Viteb.* 1618. 1624. & 1633. *in* 8. *De Chemicorum conſenſu & diſſenſu cum Ariſtotelicis & Galenicis*, ibid. 1629. 4. & *Hypomnemata Phyſica*, ed. & *Francof.* 1650. *Jo. Sperlingius*, ejus Diſcipulus, Thuring. natus A. 1603. d. 12. Jul. & Viteb. in Profeſſione Phyſices mortuus A. 1658. Præceptorem contra tela adverſariorum fortiter defendit. Inprimis ei & *Sennerto* ſe oppoſuit *Jo. Freitagius*, Medicinæ in Acad. Groningenſi Profeſſor, in Libro Amſtel. 1637. in 8. prodeunte ſub Tit. *Novæ Sectæ Sennerto-Paracelſicæ, recens in Philoſophiam & Medicinam introductæ, qua antiquæ veritatis oracula, & Ariſtotelicæ ac Galenicæ doctrinæ fundamenta convellere, & ſtirpitùs eruderare moliuntur novatores, detectio & ſolida refutatio.* Hoc in Libro, *ait Buddeus Iſag. p.*267. non ſcribere, ſed furere videtur. Pòſt defendit ſe contra Prof. Ienenſem, *Jo. Zeiſoldum*, in Quæſtione de *Origine formarum ſubſtantialium*, quas non e potentia materiæ educi, nec in materiam induci, ſed cum materia traduci adſerebat. *Inſtitutiones* illius *Phyſicæ* Viteb. prodierunt 1638, 1645, 1653. *&c.* in 8. *Anthropologia Phyſica*, ib. 1647. conf. dicta ad §. 86. Conf. *Bælii* Diction. Tit. *Sennert.*

formis accidentalibus, cùm hæ non ſint aliud, quàm modificationes ſubſtantiæ, earumque origo per eductionem, hoc eſt, per variationem limitationum, explicari poſſit, prorsùs ſicut origo figurarum. Sed res longè alia eſt, quando agitur de origine ſubſtantiæ, cujus etiam ortus & interitus æquè ſunt explicatu difficiles. *Sennertus* & *Sperlingius* auſi non ſunt admittere ſubſiſtentiam & indeſtructibilitatem animarum in brutis, aliiſque formis primitivis, quanquam agnoſcerent eas eſſe indiviſibiles & immateriales. Sed ſciendum eſt, eos indeſtructibilitatem cum immortalitate confudiſſe, per quam in homine intelligimus, non ſolùm animam, ſed & perſonalitatem ſubſiſtere, hoc eſt, ubi animam humanam immortalem dicimus, ſubſiſtere judicamus id, quo fit, ut ea ſit eadem perſona, quæ ſervat qualitates ſuas morales, conſervando *Conſcientiam*, vel perceptionem reflexivam internam ejus, quod ipſa eſt; id quod eam pœnæ præmiique capacem reddit. Sed conſervatio iſta perſonalitatis in animabus belluarum locum minimè reperit: quare eas inocciduas, ſive indeſtructibiles, quam immortales, dicere malim. Interim hæc æquivocatio magnam videtur in Thomiſtarum (llll), aliorumque boni commatis Philoſophorum, doctrina inconſequentiam peperiſſe, qui omnium animarum immaterialitatem, ſive indiviſibilitatem, agnoverunt, nec tamen fateri voluerunt earum indeſtructibilitatem, magno cum præjudicio immortalitatis animæ humanæ (mmmm). *Joannes Scotus* (nnnn), (id quod aliàs *Hibernum* ſeu *Erigenam* deſignabat) Auctor tempore *Ludovici Pii*, ejuſque filiorum, clarus, pro conſervatione animarum omnium ſtabat: nec video profectò, cur minus incommodum ſit, atomos cum *Epicuro* vel *Gaſſendo* perennes ponere, quàm ſubſtantias omnes verè ſimplices & indiviſibiles, quæ ſolæ & genuinæ atomi naturæ ſunt, perpetuitate donare. Hinc meritò apud *Ovidium* generatim dixit *Pythagoras*:

Morte carent animæ.

90. Jam cùm regulas amem ſibi conſtantes, quæ exceptiones quàm licet pauciſſimas patiantur; vide, quid mihi in hac ingentis momenti quæſtione omni ſenſu quàm maximè conſentaneum rationi ſit viſum: cenſeo, animas, & generatim ſubſtantias ſimplices, nec initium, niſi per creationem, nec finem, niſi per annihilationem, habere poſſe: cumque organi-

 corum

(llll) Ill. *Leibnitius* in *Otio Hannover. Felleri* p. 228. *Thomas d'Aquin* a déja dit, que les ames des animaux ſont indiviſibles, d'où il s'enſuit, qu'elles ſont incorruptibles. Apparemment qu'il n'a pas voulu s'expliquer plus ouvertement, & s'eſt contenté d'avoir poſé le fondement.

(mmmm) Addit *Interpr. Lat.* cui probationem ſuam ſubtrahebant, ſubſtantiarum ſimplicium deſtructionem admittentes.

(nnnn) *Jo. Scotus Erigena, ob translata in linguam Latinam* Dionyſii Areopagitæ *Opera, Lib. de diviſione naturæ, de Prædeſtinatione Dei contra Gotteſchalcum*, clarus: A. 800. ab aliquo ſuorum diſcipulorum ſcalpello ictus, periit.

corum corporum animatorum formatio ſecundùm naturæ ordinem explicari non poſſe videatur, niſi *præformatio* jam tum organica ponatur, inde intuli, id, quod nos generationem vocamus animalis, nihil aliud eſſe, quàm transformationem & augmentationem: itaque, cùm id ipſum corpus jam ante conceptionem organizatum fuerit, putandum eſt, illud jam tum animatum fuiſſe, eandemque animam habuiſſe: uti *vice verſa* judico ex conſervatione animæ, poſtquàm ſemel creata eſt, animal etiam conſervari, & mortem adparentem nihil eſſe, niſi involutionem; cùm veriſimile non ſit, in ordine naturæ exiſtere animas prorſus ab omni corpore ſeparatas (oooo), aut initii naturalis expertes, naturæ viribus deſinere poſſe.

91. Poſtquàm ordinem tam concinnum, & regulas tam generales, intuitu animalium ſtabilivimus, rationi minus videtur congruum, hominem inde prorſus excludi, & omnia circa animam ſuam miraculo peragi. Et monui plus ſimplici vice, ad Dei ſapientiam pertinere, ut omnia in operibus ſuis ſint harmonica, naturaque ſit gratiæ parallela. Itaque exiſtimem, animas, quæ aliquando erunt humanæ, non minùs quàm aliarum ſpecierum animas, jam fuiſſe in ſeminibus, regrediendo per omnes majores uſque ad *Adamum*, & adeò ab initio mundi in quadam corporis organici ratione ſemper exſtitiſſe, in quo *Swammerdamius*, *R. P. Mallebranchius*, *Bælius*, *Pitcarne*, *Hartſoeckerus* (pppp), aliique viri doctiſſimi magno numero, mecum ſentire videntur. Atque hæc doctrina ſatis confirmatur obſervationibus microſcopicis *Leeuwenhoeckii* (qqqq), aliorumque ſolertium obſervatorum. Sed mihi multas ob cauſas etiam congruum eſſe videtur, ut non præexſtiterint, niſi tanquam animæ ſenſitivæ vel animales, perceptione ſenſuque præditæ (rrrr), ac ratione deſtitutæ, man-

(oooo) Addit *Interpr. Lat.* vel ex corpore in corpus devolitantes.

(pppp) *Nicol. Hartſoecker*, Goudæ natus A. *1656*. d. *26*. Mart. ſcripſit *des élémens du corps naturel*, quod Schedium legitur in *Journal des Sçavans*, it. *Hiſtoire des Ouvrages des Sçavans*, uti & ejuſdem *Principes de Phyſique*, de quibus conf. *Otium Hannov.* p. 413.

(qqqq) *Anton. van Leeuwenhoeck*, Delphis natus A. *1632*. d. 24. Oct. factus membrum Soc. Reg. Londin. A. *1679*. *Arcana* illius *Naturæ detecta*, in vernacula exarata, A. *1695*. Latinâ veſte induta prodiere T. V. in 4. De eo *Vir ill.* Leeuwenhoeckius, *celeberrimus in Batavis per Microſcopia obſervator*, *quaſdam ſuas obſervationes Anatomicas*, *nondum editas*, *ad me miſit*. Et poſt pauca: *Certum eſt ab* Hugenio, *ſummi judicii Viro*, *a* Societate Anglica, *&* *ipſo* Hookio, *in Microſcopiis æmulo*, *æſtimatas*, *& minimè pro commentitiis habitas fuiſſe* Leeuwenhoeckii *obſervationes*. In *Coll. Kortholtiana T. I. Ep. CCV. ad* Seb. Kortholt. §. III. p. *349*.

(rrrr) *Theologus Romano-Cathol.* jam ſæpè citatus, *quinto* loco ait: *Non placet quod §. 91. dicitur*, animas humanas (ſaltem ut ſenſitivas & animales, quibus poſtea ratio acceſſerit) ab initio mundi in quadam corporis organici ratione exſtitiſſe. Ad hoc Interpres Latin. *Fortunius Lycetus*, illuſtris Peripateticus, ineunte priori ſæculo tres Libros edidit, inſcriptos *de Ortu Animæ*

manſerintque eo in ſtatu, donec homo, cui quæque debebatur, generaretur, tum demum rationem acceptura; ſive modus naturalis ſuppetat elevandi animam ſenſitivam ad perfectionem animæ rationalis (quod non ita facilè agnoſco) ſive Deus per operationem quandam particularem, vel (ſi mavis) tranſcreationem huic animæ rationem largiatur. Quod eò faciliùs admitti poteſt, quò frequentiùs revelatio multas alias operationes immediatas Dei in animas noſtras docet. Hæc explicatio videtur ſolvere perplexos illos nodos, quos hoc in loco Philoſophi vel Theologi nectunt: cum difficultas originis formarum prorsùs ceſſet, & divinæ juſtitiæ longè convenientius ſit, animæ, phyſicè vel animaliter jam corruptæ per *Adami* peccatum, dare novam perfectionem, quæ in Ratione cernitur, quàm animam aliquam, rationalem per creationem vel aliter, in corpus demittere, in quo moraliter ſit corrumpenda.

92. Jam verò cùm anima ſemel fuerit ſub peccati dominatu, & in procinctu ejus actu committendi, quàm primùm homo rationis exercendæ compos fuerit; nova quæſtio exoritur, an hæc diſpoſitio hominis, nondum per baptiſmum regenerati, ſufficiat ad ejus damnationem, etiamſi ad peccatum actuale nunquam deveniat, uti contingere poteſt, & ſæpe contingit, ſive ante ætatem rationis moriatur, ſive ante uſum ejus hebeſcat. Adſerunt aliqui, *S. Gregorium Nazianzenum* id negare (*Orat. de Baptiſmo*;

Animæ humanæ, quorum ſcopus eſt, oſtendere, *quod anima humana, quantùm ad ſui partes ratione carentes, vegetalem, inquam, & ſenſitricem, prodeat omninò a patre mediante ſemine.... at quantùm ad partem rationalem, proximè a Deo creari, & infundi corpori organizato.* His enim omninò verbis in calce Libri ſui loquitur, quod opus Auctori ſuo famam apud eruditos conciliaſſe dicitur, nec unquam, quod ſciam, cenſura notatum fuit.

His adde, quod *Hyacinthus Tonti* Ordinis Eremitarum *S. Auguſtini* publicus in Academia Patavina Sacrarum Litterarum Interpres, edito Patavii nuper libello, cui titulus: *Auguſtiniana de rerum creatione ſententia*, adſerere non dubitet, &, ſi Diario Trevoltiano fides (Februarii 1716. pag. 351.) bene probet, *S. Auguſtinum* in ea fuiſſe ſententia, quam nonnulli recentiores Philoſophi adoptarunt, omnia corpora, quæ naſci videntur, evolvi duntaxat, & ab ipſo creationis momento primis ſpeciei ſuæ corporibus organicis fuiſſe incluſa. Videri poteſt libelli hujus caput 14. & poſtremum a pag. 98. cum quo conferre juverit, quæ habet eruditiſſimus Cardinalis *Noriſius* Vindiciarum Auguſtinianarum cap. 4. §. 3. in fine, editionis Patavinæ anni 1708. pag. 53. col. 2.

Binæ iſtæ *Lyceti Tontii*que poſitiones ſi jungantur in unum, prodibit inde concluſio non multùm diſcrepans ab adſerto *Leibnitiano*. *Leibnitius* enim in una eademque anima gradum ſenſitivum præexiſtentem in protoplaſtis diſtinguit realiter a ſupervenienti, dum homo generatur, gradu rationalitatis. Sic enim uno circiter, antequàm *Theodicæam* ederet, anno ad me ſcripſit. *Non ergo dicemus dato novo eſſentiali gradu novam animam dari. Hos gradus adpellare licebit facultates, aliquo modo non invicem dependentes.... putem autem gradus eſſentiales non niſi a Deo dari & tolli poſſe, quod ſecus eſt in qualitatibus derivativis.*

Conf. in tota hac materia Cel. *Wolffius Pſychol. Rational. Lat.* Sect. IV. C. II.

Baptiſmo (ssss);) ſed *S. Auguſtinus* ſententiam tenet adfirmativam, contendens, ſolum peccatum originale ſufficere ad merendas inferni flammas, quamvis ea opinio valdè dura ſit, ne quid ampliùs dicam. Quando autem hic de damnatione & inferno loquor, intelligo dolores, nec nudam felicitatis æternæ privationem, intelligo *pœnam ſensûs*, *non damni. Gregorius Ariminenſis*, Auguſtinianorum Magiſter Generalis (tttt), cum paucis aliis, contra receptam in Schola ſui temporis opinionem, *S. Auguſtinum* ſecutus eſt, & propterea *tortor infantum* adpellabatur. Scholaſtici (uuuu)., nolentes eos in flammas inferni mittere, certum ipſis limbum adſignarunt, in quo nihil patiantur, nec puniantur, niſi ſola viſionis beatificæ privatione. Revelationes *S. Brigittæ* (xxxx) (uti vocantur) Romæ in magno pretio habitæ, huic etiam dogmati velificantur. *Salmeron* (yyyy) & *Molina*, poſt *Ambroſium Catharinum* (zzzz) alioſque, concedunt ipſis beatitudinem quandam naturalem; & Cardinalis *Sfondratus*, Vir eruditione & pietate inſignis, qui idem probat, eò tandem progreſſus eſt, ut ſtatum eorum, utpote ſtatum felicis innocentiæ, ſtatui peccatoris ſalvati quodammodo præferret (aaaaa), uti adparet ex libro ejus, cui

(ssss) *Parvuli nec cœleſti gloria, nec ſuppliciis a juſto Judice adficientur, utpote qui licèt baptiſmo conſignati non fuerint, improbitate tamen carent:* Verba ſunt Greg. Naz.

(tttt) *Gregorius Ariminenſis*, celeb. Scholaſticus, mortuus Viennæ A. 1358. *Auguſtinus*, contra Pelagianos diſputans, gratiam regenerationis perperam Sacramento baptiſmi adligavit: cæterùm docens, peccatum originale pœnam non tantùm damni, ſed & ſensûs, & quidem ignis æterni, manere.

(uuuu) In ipſa gehenna ex iis quidam parvulos puniendos eſſe credebant, mitiore tamen pœnâ, quàm cæteros, per *detentionem*, non per *uſtionem.*

(xxxx) *Brigitta*, Princeps Suecica, *Ulphonis*, Nericienſis Principis, conjux, poſt cujus obitum Ciſtercienſium ordini adſcripta, *Revelationum Libros* & *Orationes divinitùs revelatas* edidit, & a *Bonifacio VIII.* in Sanctorum numerum relata eſt; mortua A. 1373.

(yyyy) *Alphonſ. Salmeron* Jeſuit. Toledan. Neapoli mortuus A. 1585. Locus exſtat *Diſp.* 48. *in Cap. V. Ep. ad Romanos.*

(zzzz) *Ambroſius Catharinus*, Sienæ natus, Neapoli mortuus anno 1552. Varia ſcripſit, uti *De conceptione B. Virginis; De providentia & præſcientia Dei; De prædeſtinatione; de conſummata gloria Chriſti & B. Virginis, &c.*

(aaaaa) Licet Deus (*ait loco ſuprà cit. ad* §. 12.) ad cœleſtem gloriam non eos (*parvulos*) admiſerit; alio tamen, multoque majori, beneficio adfeciſſe, quod illi ipſi longè cœlo prætuliſſent, & nos quoque, ſi electio daretur, multo majoris pretii, quàm cœlum, duceremus. Id verò beneficium fuit, quod fato præmaturo abreptos innocentiæ ſuæ perſonalis ſecuros reddidit, & quàm plurimis peccatis, cùm venialibus, tum mortalibus, ac præſentiſſimis, infinitiſque peccandi periculis, ſubduxit, quibus procedentibus annis certiſſimè implicandi erant, addicendique perpetuis gehennæ incendiis, juxta illud Sap. 4. *Raptus eſt, ne malitia mutaret intellectum ejus;* quod præſertim de filiis infidelium veriſſimum eſt. Hoc verò innocentiæ perſonalis donum, & immunitatis a peccato, tantum eſt, ut ipſi parvuli millies cœlo carere malint, quàm vel uno peccato involvi, nulluſque Chriſtianorum eſt, cujus non idem votum eſſe debeat. Quid ergò conqueri

cui titulus: *Nodus Prædeſtinationis ſolutus*: hoc verò aliquanto nimium eſſe videtur; verum quidem eſt, animam, uti oportet, illuſtratam, nolle peccare, quamvis peccando omnes, quæ excogitari queunt, voluptates maximas conſequi poſſet: ſed caſus optionis innocentiam inter & veram beatitudinem eſt caſus chimæricus, & præſtat obtinere beatitudinem (licèt poſt pœnitentiam) quàm ea ſemper privari.

93. Multi in Gallia Antiſtites & Theologi, qui diſceſſionem a *Molina* facere, & *S. Auguſtino* adhæreſcere amant, inclinare videntur in ſententiam magni illius Doctoris, infantes, ætate innocentiæ ante ſuſceptum baptiſmum mortuos, æterno rogo damnantis. Adparet id ex ſupra citata Epiſtola, quam ad *Innocentium XII.* Pontificem, quinque inſignes Galliæ Antiſtites adversùs hunc Cardinalis *Sfondrati* Librum poſthumum conſcripſere; in qua tamen doctrinam de infantum, ſine baptiſmate mortuorum, pœna purè privativa damnare auſi non ſunt, cùm viderint illam venerabili *Thomæ Aquinati*, aliiſque magnis Viris, probari (bbbbb). Taceo illos, qui hinc Janſeniſtæ (ccccc), illinc *S. Auguſtini* diſcipuli vocantur, nam ipſi ſe pro Patris hujus ſententia ſtare planè fortiterque profitentur. Enimverò fatendum eſt, hanc ſententiam neque in Ratione, nec in Scriptura, ſufficiens habere fundamentum, laborareque duritate, quæ non poſſit non eſſe maximæ offenſioni. *Nicolius* eam ſatis malè excuſat in ſuo *de Unitate Eccleſiæ* Libro, quem *Juriæo* oppoſuit, quanquam *Bælius* *Nicolium* tueatur cap. 178. Reſponſionis ad Quæſita Provincialis tom. III. *Nicolius* cauſatur, in Religione Chriſtiana dari adhuc alia nonnulla dogmata, quæ dura videantur. Sed præterquàm quòd inde non ſequatur, licere ſine probatione multiplicare has duritates, conſiderandum eſt, alia illa dogmata, a *Nicolio* adlegata, uti ſunt peccatum originale, & pœnarum æternitas, non, niſi externam ſpeciem duritatis atque injuſtitiæ, habere; cùm contrà damnatio infantum, ſine peccato actuali mortuorum, & ſine regeneratione, verè dura & injuſta foret, hocque reverâ eſſet innocentes damnare. Quod me adducit, ut credam, eorum, qui hoc tuentur, opinionem nunquam, ne in ipſa quidem Eccleſia Romana, penitùs prævalituram. Theologi Evangelici magna cum moderatione hac de re diſſerere ſolent, iſtaſque animas Creatoris ſui judicio clementiæque permittere. Et ſanè latent nos omnes viæ extraordinariæ, quibus Deus ad

Tom. I. A a illu-

conqueri de Deo poſſunt, aut quid ipſis mali fecit, ſi non quidem cœlo, ſed alio beneficio donavit, quod multò præſtantius cœlo eſt, quodque & ipſi, & omnes ſapientes, ſi poteſtas eligendi daretur, longè cœlo præferrent? Quodſi Deus id egit, quod & ipſi, & nemo alius non optaret, ergo nulla dolendi, nulla conquerendi, ſed magna laudandi, grateſque agendi cauſa eſt. "

(bbbbb) *Thomæ* Loca, huc pertinentia, v. gr. *de Malo Quæſt. 5. art. 2. & 3. &c.* ipſe *Sfondratus L. cit.* prolixè adlegat, p. 175 -- 178.

(ccccc) V. *Janſenii* pecul. Tr. *de ſtatu parvulorum.*

illuminandas animas uti poteſt (ddddd).

94. Dici poteſt, eos, qui ob ſolum originale peccatum, adeoque infantes ſine baptiſmate, & extra ſocietatem, mortuos, damnant, imprudentes, incidere in quendam uſum diſpoſitionis humanæ, & præſcientiæ divinæ, quem in aliis improbant: nolunt, Deum negare gratiam ſuam iis, quos prævidet reſtituros, nec præviſionem iſtam, aut diſpoſitionem, cauſam eſſe damnationis horum hominum. Interim tamen contendunt, diſpoſitionem illam, quæ peccatum originale conſtituit, & in qua Deus prævidet, infantem peccaturum, ut primum ad uſum rationis pervenerit, ſufficere ad infantem iſtum anticipatè damnandum. Qui unum tenent, & alterum rejiciunt, uniformitatem & connexionem ſuis in dogmatis non ſatis ſervare videntur.

95. Nec multo minor eſt difficultas in iis, qui, ad annos diſcretionis progreſſi, in peccata ruunt, ſecuti inclinationem naturæ corruptæ, niſi, neceſſario gratiæ auxilio fruentes, vel a præcipitio, cui imminent, retrahantur, vel ſemel lapſi ex abyſſo iterum emergant. Videtur enim durum, eos æternùm damnare, qui fecerunt, quod, ne facerent, cavere non potuerunt. Qui infantes ipſos, diſcretionis incapaces, tam facile damnant, minùs adhuc de adultis ſolliciti erunt, dicereſque, illis adſiduo obverſantium ſuppliciorum ſenſu mentem occalluiſſe. Sed alii aliter ſunt animati, & ego certè libenter iis adſentirer, qui ſufficientem gratiam concedunt omnibus hominibus, ad eos malo liberandos, dummodò in voluntate eorum adſit apta diſpoſitio ad utendum hoc auxilio, & abſit illa ad rejiciendum. Objicitur, fuiſſe & adhuc eſſe innumeros homines, in populis excultis æquè atque in barbaris, qui caruiſſe creduntur eâ Dei & Jeſu Chriſti notitiâ, quæ per vias ordinarias ſalvandis neceſſaria eſt. Verùm, ut eos obtentu nudi alicujus peccati philoſophici non excuſem, neque ſimplici privationis pœnæ immorer, quæ hìc diſcutere non vacat; eſt, cur de facto dubitemus, numquid enim nobis exploratum, annon auxilia ordinaria aut extraordinaria, nobis ignota, accipiant? Axioma illud, *quòd facienti, quod in ſe eſt, non denegatur gratia neceſſaria*, mihi æternæ veritatis eſſe videtur. (*) *Thomas Aquinas*, *Bradwardinus*, Archiepiſcopus, aliique, aliquid, quod nos lateat, hic contingere innuerunt. (Thom. *Quæſt.* 14. *de Veritate*, artic. 11. ad 1. & alibi, *Bradwardin. de Cauſa Dei*, non procul ab initio.) Et complures Theologi, magna in Eccleſia ipſa Romana auctoritate conſpicui, docuerunt, actum ſin-

cerum

(ddddd) *B. Hoffmannus* e. g. de infantibus Gentilium ait, certum quidem eſt, quòd ira Dei maneat ſuper ipſos, niſi modo quodam extraordinario per Spiritum S. regenerentur ac fide donentur, *quod fieri poſſe nemo dubitat, utrùm verò actu fiat, ſapientiæ ac miſericordiæ Dei relinquitur*, *Synopſ. Theologiæ Dogmat.* pag. 329. conf. *Dannhaueri Theol. Poſitiv. P. II. pag.* 1000. *ſqq.*

(*) Conf. Cel. Pr. *Canzii* Uſ. Ph. L. & W. P. I. p. 397. n. 461.

cerum amoris Dei ſuper omnia ſufficere ad ſalutem, quando eum gratia Jeſu Chriſti exſuſcitat. Pater *Franciſcus Xaverius* (eeeee) Japonibus reſpondit, ſi majores eorum lumine ſuo naturali benè uſi fuiſſent, Deum eis gratias, ad ſalutem neceſſarias, fuiſſe largiturum, quam reſponſionem valde probat Epiſcopus Genevenſis, *Franciſcus Saleſius* (fffff), (Lib. 4. de Amore Dei, cap. 5.)

96. Hoc ipſum excellenti Viro, *Peliſſonio*, alias ob oculos poſui, ut ei oſtenderem, Eccleſiam Romanam longiùs, quàm Proteſtantes, progreſſam, non abſolutè damnare eos, qui ſunt extra ſuam Communionem, immo ne quidem eos, qui ſunt extra Chriſtianiſmum, ſi eum ſola fide explicita metiamur: nec hoc propriè loquendo refutavit Vir præſtans in Reſponſione humaniſſima, quam in quarta Meditationum ſuarum parte edidit, cui & ſcriptum meum adjungere dignatus eſt. Conſiderandum ei tunc obtuli id, quod celebris Theologus Luſitanus, *Jacobus Payva Andradius*, qui Concilio Tridentino interfuit, de eo adversùs *Chemnitium* ſcripſit, eodem Concilio durante (ggggg). Et nunc, ut alios multos Auctores prætercam, ſatis mihi erit nominatim proferre *P. Fridericum Spee*, Jeſuitam, unum e præſtantiſſimis ſuæ Societatis, qui etiam iſtam de amoris Dei efficacia ſententiam communem excoluit, quemadmodum ex Præfatione inſignis Libri elucet, quem Germanicè ſcripſit de Virtutibus Chriſtianis. Loquitur de hac obſervatione, tanquam de pietatis arcano magni momenti, & admodum diſtinctè exponit amoris divini virtutem, expungendi peccatum etiam ſine Sacramentorum Eccleſiæ Catholicæ interventu, modò ne contemnantur, quod cum hoc amore ſtare non poſſet. Cujus rei primam notitiam hauſi a Viro quodam ſummo, & eminentiſſima in Eccleſia Romana dignitate conſpicuo. *P. Spee* (hhhhh) (ut hoc obiter addam) e nobili Weſtphalici Circuli ſtirpe oriundus erat, inque odore ſanctitatis obiit, uti teſtatur is, qui Librum illius cum Superiorum adprobatione Coloniæ evulgavit.

97. Excellentis hujus Viri memoria eruditis etiam & ſapientibus in pretio eſſe debet ob conſcriptum Librum, cui titulum dedit: *Cautio criminalis circa proceſſus contra Sagas*, qui fuit magnoperè celebratus, inque varias linguas translatus. A magno Electore Moguntino, *Joanne Philip-*

(eeeee) *Franciſc. Xaverius*, S. J. a *Paulo III.* in Indiam Orientalem miſſus, ut Gentes converteret, mortuus A. 1552. d. 2. Dec. Quatuor illius libros Epiſtolarum *Horatius Turſellinus* Latinitati donavit, hiſtoriamque ſimul vitæ dedit.

(fffff) *Franciſc. Saleſius*, natus A. 1567. d. 11. Aug. mortuus Lugduni A. 1622. inter Sanctos relatus ab *Alexandro* VII. A. 1665. d. 19. April. In Theologia Myſtica quantoperè ſe exercuerit, teſtantur *Libri duodecim de Amore Dei* ab ill. Viro cit. Gallicè & Latinè editi.

(ggggg) *Voyez* Lettres de Mrs. *Leibniz* & *Peliſſon* de la Tolerance de Religion.

(hhhhh) *Frid. Spee*, S. J. Cæſarisverdæ natus A. 1591. obiit A. 1635.

po Schœnbornio, Eminentiſſimi Electoris hodierni, qui digniſſimi hujus anteceſſoris veſtigiis glorioſè inſiſtit, Patruo, didici, hunc Patrem, cum in Franconia eſſet, quando in Magiæ diabolicæ reos habitos igne ſæviebatur, & complures ad rogum comitatus fuiſſet, quos ex confeſſionibus & perquiſitionibus, a ſe factis, inſontes omnes agnoſcebat, adeo commotum fuiſſe, ut periculo, quod veritas patefacta tum temporis pariebat, nihil territus, opus hoc conſcribere ſtatuerit, (tacito tamen nomine) quod ingens fructus excepit, quodque in hoc argumento illum ipſum Electorem, tunc adhuc inter Canonicos agentem, poſt Epiſcopum Herbipolenſem, ac denique etiam Archiepiſcopum Moguntinum, ab errore populari ad mitiorem verioremque ſententiam traduxit, cùm is, ſimul atque regimen auſpicatus eſt, exuſtiones iſtas compeſcuiſſet, in quo ſequaces habuit Duces Brunſvicenſes, ac denique potentiſſimam aliorum Germaniæ Principum Statuumque partem.

98. Hæc digreſſio mihi opportuna viſa eſt, quòd Auctor iſte dignus eſt, qui magis cognoſcatur. Redeo ad propoſitum, & addo, etiamſi concedatur, hodie Jeſu Chriſti ſecundum carnem notitiam neceſſariam eſſe ad ſalutem, uti revera tutiùs docetur, ſtatui tamen poſſe, Deum eam omnibus eſſe largiturum, qui, quod humanitùs in ſe eſt, faciunt, ſi vel ad id effectui dandum miraculo opus eſſet. Et verò ſcire non poſſumus, quid rerum in mortis articulo geratur in animabus: & ſi plures Theologi eruditi & graves, infantes in baptiſmo ſpeciem fidei quandam accipere (iiiii), ſtatuunt, quamvis poſtea non meminerint, cùm de illa interrogantur; cur ſimile, immò expreſſius quiddam, in morientibus, quos poſt mortem interrogare nequimus, fieri poſſe negabimus? ut proinde infinitæ Deo viæ pateant, quibus juſtitiæ ſuæ ſimul ac bonitati conſulere poſſit: & omne, quod objici poteſt, cernitur ſolùm in eo, quod nos ignoremus, quam ipſe viam ineat, quod nihil minus eſt, quàm objectio, quæ punctum ferat.

99. Veniamus ad eos, quibus non facultas reſipiſcendi, ſed bona voluntas deeſt; hi procul dubio excuſationem nullam merentur; ſed ſemper remanet magna difficultas a parte Dei, a quo dependebat, illis ipſam hanc bonam voluntatem largiri. Dominus is voluntatum eſt, corda Regum,

(iiiii) *Dannhauerus* L. cit. p. 998. *Quæris de modo ac medio ſalutis in hujuſmodi infante?* Id quantùm ex parte Dei, Sapientiæ divinæ committimus; *de baptiſmo flaminis ſuccurrente* benè ſperamus, quo etiam *Joannes Baptiſta*, quamvis in eminentiori gradu, in utero adflatus, vide *D. Gerhardum* (*Lib. 2. Confeſſ. Cathol. Part. 2. p. 897.*) Ex parte infantis medium eſt *Fides propria*, quam per regreſſum demonſtrativum ab effectu ad cauſam aliquot argumentis diligentiſſimè collegit (*Faſc. 2. Diſp. 9.*) Doctor noſter *Dn. Feurb.* Si ſine fide impoſſibile eſt placere Deo ac ſalvari, Infantes autem hujuſmodi ſalvantur, fidem in eorum cordibus accenſam neceſſariò oportuit. "

gum, aliorumque hominum, in manu ejus ſunt. Nec dubitat Scriptura Sacra dicere, indurare eum quandoque impios, ut puniendo eos potentiam ſuam demonſtret. Hæc quidem induratio non ita intelligenda eſt, quaſi Deus illis extraordinariè imprimeret quandam antigratiæ ſpeciem, hoc eſt, repugnantiam aliquam ad bonum, vel inclinationem ad malum, uti gratia, quam largitur, eſt inclinatio ad bonum: ſed res ita intelligi debet, quòd Deus, conſideratâ rerum ſerie, a ſe ſtabilitâ, ob rationes ſublimiores commodum judicaverit permittere, ut *Pharao*, exempli gratiâ, in *circumſtantiis* verſaretur, quæ improbitatem ejus augerent, ſed ita, ut Sapientia divina ex hoc malo elicere bonum vellet.

100. Itaque totum ſæpè redit ad *circumſtantias*, quæ partem faciunt concatenationis rerum. Infinita ſunt exempla minutarum circumſtantiarum, quæ ſive ad convertendum, ſive ad pervertendum, ſerviunt. Nihil notius, quàm illud *Tolle*, *Lege*, quod *S. Auguſtinus* e vicina domo inclamari audiit, cùm de eligenda inter Chriſtianos, Sectis diviſos, parte deliberaret, ac ſibi diceret,

Quod vitæ ſectabor iter?

qua voce adlapſa adductus, Scripturæ Sacræ Codicem, quem coram habebat, ad ſortem aperuit, in eoque legit, quæ primum ſub oculos cecidere; hæc autem verba fuerunt, quibus tandem deſerere Manichæiſmum compulſus fuit. *Nicolaus Steno* (kkkkk), Danus, Vir minimè malus, Epiſcopus titularis Titianopolitanus, & Vicarius, quem vocant, Apoſtolicus Hannoveræ, locorumque confinium, quo tempore Dux (lllll), eadem Sacra exoſculatus, rerum illic potiebatur, nobis ſimile quid ſibi contigiſſe referebat. Inſignis erat Anatomicus, inque Naturæ cognitione valdè verſatus, ſed ab ea diſquiſitione deſtitit infeliciter, & e magno Phyſico factus eſt Theologus mediocris. Sermonem de Naturæ miraculis vix ampliùs ferebat, nec, credo, citra expreſſum Pontificis mandatum, *in virtute ſanctæ obedientiæ*, extorſiſſes ab eo obſervationes, quas *Thevènotus* (mmmmm) ab eo flagitabat. Narrabat ergo nobis, ad eligendam Eccleſiæ Romanæ partem magno ſibi incitamento fuiſſe vocem matronæ cujuſdam, Florentiæ ſibi e feneſtra inclamantis: ne perge,

 quâ

(kkkkk) *Nicolaus Steno*, cel. Medicus & Theologus Sæc. XVII. in Jutia natus, & a *Chriſtiano* V. Dan. Rege Prof. Anat. & Phyſ. Experim. Hafn. factus. In itinere Italico A. 1675. ſacra Romana amplexus, miſſis ſtudiis anatomicis, totum ſe Theologiæ dedit. A Papa *Innocentio* XI. ad vulgandas Anatomic. inventiones compulſus eſt. Obiit Severini A. 1686. d. 10. Nov. annos natus unum & ſexaginta. V. *Otium Hannov. p. 97.*

(lllll) *Joannes Fridericus.*

(mmmmm) *Melchiſed. Thevenot*, Gallus, Vir in Linguis Orientalibus peritiſſimus, Bibliothecarius Regius, qui obiit A. 1692. Ejus mentio injecta eſt, dum de cel. *Swammerdamio* verba fecimus.

quâ tendis, Domine, alteri viæ inſiſte. Perculit me (ita nobis inquiebat) vox iſta, quia tunc Religioni meditandæ intentus eram. Sciebat Matrona quæri a *Stenone* hominem in ea domo, quam ipſa habitabat, cumque aberrare via cerneret, eum amici ſui conclave edocere volebat.

101. P. *Joannes Davidius* (nnnnn), Jeſuita, Librum edidit, cui Titulus, *Veridicus Chriſtianus*, habendum inſtar *Bibliomantiæ* cujuſdam, in qua ſententiæ fortuitò ſumuntur, exemplo Auguſtiniani illius, *Tolle, Lege*, eſtque devotionis ludus quidam. Sed caſus, in quos inviti aut inſcii incidimus, ad ſalutem nobis adſerendam, vel eripiendam, nimium quantum conferunt. Fingamus duos pueros gemellos Polonos, alterum a Tartaris captum, Turcis venundatum, ad apoſtaſiam perductum, in impietatem immerſum, in deſperatione morientem; alterum verò caſu aliquo ſervatum, cuidam deinceps probo viro in diſciplinam datum, & ſolidioribus Religionis veritatibus imbutum, virtutibus excultum, quas ea nobis commendat, mortem Chriſtiano omni ex parte dignam oppetentem: miſeranda cenſebimus fata prioris, quem exigua forſan circumſtantia beari ſorte fraterna prohibuit, & mirabimur, tantillo caſu de æternitate decidi.

102. Dicet forſan aliquis, Deum per ſcientiam mediam prævidiſſe, priorem æquè improbum futurum fuiſſe, & damnandum, ſi in Polonia permanſiſſet. Et ſanè tale quiddam fortaſſe non raro locum habet. Sed quis dicere audeat, generalem hic regulam condi poſſe, nec quenquam ex iis, qui inter Ethnicos damnati ſunt, ſalvandum fuiſſe, ſi inter Chriſtianos vixiſſet? Annon apertè id repugnaret Domino, dicenti, Tyrum & Sidonem meliùs, quàm Capernaum, prædicationibus ſuis uſuras fuiſſe, ſi contigiſſet ipſis eſſe tam felicibus, ut eas audiviſſent?

103. Sed, quamvis generalis iſte uſus ſcientiæ mediæ contra veriſimilitudines omnes hic concederetur, ſemper tamen ſupponitur, Deum conſiderare, quid homo in his & iſtis circumſtantiis eſſet facturus: ſemperque verum manet, Deum potuiſſe collocare hominem in aliis magis ſalutaribus, & auxilia interna, vel externa, largiri, quæ (ooooo) quantamcunque animæ cujuſcunque malitiam vincere poſſent. Dices mihi, Deum ad id non teneri: verùm hoc non ſufficit, addere oportet: majoribus rationibus prohiberi, quo minùs omnem bonitatem ſuam omnibus exhibeat. Itaque electionem hîc intervenire oportet, ſed ejus rationem in bona malaque hominum indole abſolutè quærendam eſſe non reor: nam ſi cum nonnullis ponatur, Deum, electâ ſerie, quæ plurimum boni producat, ſed

(nnnnn) *Jo. David*, Cortracenſis, deceſſit A. 1613. d. 9. Aug. annos natus ſexaginta ſeptem. Varia ſcripſit, uti *Veridicum Chriſtianum; Paradiſum Sponſi & Sponſæ; Oeconomum Chriſtianum cum Spongia vitiorum; Viridarium rituum & ceremoniarum Eccleſiæ, &c.*

(ooooo) Addit *Int. Lat.* malignos utrumque circumſtantiarum influxus, vel *&c.*

ſed quæ ſimul peccatum & damnationem involvat, ſapientiæ ſuæ impulſu eos ſemper prætuliſſe, quorum melior indoles gratiæ munere dignior cenſebatur; jam gratia Dei non ſatis fore gratuita videbitur, futurumque erit, ut homo per quoddam meriti innati genus ſeſe diſcernat ipſe, quod a *S. Pauli* principiis, immo & a Rationis ſupremæ placitis alienum eſt.

104. Verum quidem eſt, dari rationes aliquas electionis divinæ, & has conſideratio objecti, hoc eſt, hominis indoles, ingredi debet; ſed non videtur hæc electio adſtringi poſſe regulæ, quam homo capiat, quæque humanæ ſuperbiæ blandiri queat. Quidam Theologi celebres exiſtimant, Deum plus gratiarum, vel ratione magis favente, offerre iis, quos minus reſtituros prævidet, alios verò ſuæ pertinaciæ permittere: eſt, cur credamus, rem ita ſe perſæpè habere, eaque ſe expediendi ratio inter cæteras, in quibus homo ipſe ſe indolis innatæ favore ab aliis diſcernere ſtatuitur, maximè a Pelagianiſmo recedit. Sed nec hoc tamen ipſum pro generali regula ſtatuere auſim. Et ne gloriandi argumentum habeamus, electionis divinæ cauſas eſſe nobis ignotas oportet: & certè nimis variæ illæ ſunt, quàm ut ſub noſtram notitiam cadant, fierique poteſt, ut Deus aliquando in pertinaciſſima reſiſtentia ſuperanda gratiæ ſuæ potentiam oſtendat, ne quis habeat deſperandi cauſam, uti nemo blandiendi ſibi habere debet. Atque videtur mens hæc *S. Pauli* fuiſſe, dum ſe in exemplum proponit: Ideò, ait, Deus mihi miſericordiam largitus eſt, ut ingens ſuæ patientiæ exemplum exhiberet.

105. Fortaſsè reverâ omnes homines ſunt ex ſeſe æqualiter pravi, ac proinde ad diſtinguendum ſeipſos impotentes, utcumque indoles eorum, bonæque aut malæ qualitates, in calculum referantur; ſed etſi eſſent pravi æqualiter, non tamen ſunt ſimiliter: eſt enim nativa quædam & individualis differentia inter animas, uti harmonia præſtabilita oſtendit. Diverſi plus minusve in diverſa bona malave, aut eorum contraria, feruntur, & totum ſecundùm naturales eorum diſpoſitiones accidit: verùm cùm Univerſi ſyſtema generale, quod Deus ob rationes ſuperiores elegit, efficiat, ut homines in diverſas circumſtantias incidant, illi, qui indoli ſuæ favorabiliores nanciſcuntur, faciliùs mala vitabunt, virtutemque ac felicitatem acquirent, ſed ſemper ope impreſſionum gratiæ internæ, a Deo junctæ. Fit interdum etiam in curſu vitæ humanæ, ut indoles aliqua præſtantior ſorte ſequiori utatur ob culturæ vel occaſionum defectum. Itaque dici poteſt, eligi homines, & in rerum ſerie collocari, non tam pro excellentia ſua, quàm ſecundùm convenientiam, quam habent cum Dei conſilio; prorſus quemadmodum fieri poteſt, ut lapis minoris pretii in ædificio vel compage adhibeatur, quia certum quoddam vacuum replere reperitur.

106. Verùm enim verò omnia hæc tentamenta rationum, ubi ſe penitùs addicere certis quibuſdam hypotheſibus neceſſe non eſt, id uſus præſtant, ut planum fiat, ſexcentos providentiæ Dei defendendæ modos ſuppetere;

petere ;

petere; &, quemadmodum hactenùs monſtravimus, atque in progreſſu ampliùs oſtendemus, omnia incommoda, quæ videmus, omnes difficultates, quæ moveri queunt, non obſtare, quo minùs cum ratione & omni jure credamus, etſi aliunde demonſtratum non haberemus, nihil eſſe ſublimius Dei ſapientia, nihil juſtius judiciis, nihil purius ſanctitate, nihil denique immenſius bonitate.

TENTA-

TENTAMINUM THEODICÆÆ, DE BONITATE DEI, LIBERTATE HOMINIS, ET ORIGINE MALI,

PARS SECUNDA.

ARGUMENTUM.

§. 107. A*Ccingit ſe illuſtris Auctor ad expendenda* Bælii *axiomata, quæ conciliari cum fide non poſſe falsò autumat. Jam in priori Diſcurſu demonſtratum eſt, Deum quidem ad malum morale concurrere moraliter, nec tamen ejus auctorem eſſe;* §. 108. *Concurrere ſcil. moraliter, malum juſtè permittendo, & ſapienter ad bonum dirigendo. Hæc ulteriùs oſtenduntur, ut pateat, dogmata etiam noſtra rationum vallo munita eſſe, nec ſibi a validiſſimis tormentis metuere.* §. 109. *Ad Iam. propoſitionem* Bælii *Theologicam, qua dicit*, ens æternum & neceſſarium, &c. ab omni æternitate gloriam beatitudinemque poſſidere, quæ nec creſcere, nec minui poſſit, *reſpondetur oſtendendo, gloriæ notionem eſſe duplicem, alteram ad Deum ſolum, alteram ad notitiam alienam referri.* §. 110. *Ad IIam. qua* Bælius *dicit*, determinaſſe ſe illud libere ad creaturarum productionem, & inter entia poſſibilia infinita elegiſſe ea, quibus exiſtentiam largiri placuit, *reſp. monſtrando, phraſin*, hoc mihi placet, *tantundem eſſe, ac illam*, hoc bonum cenſeo: *Deo autem ſola vera bona placere poſſe, &, quod ipſi magis placeat, eſſe optimum.* §. 111. *Ad IIIam, quæ* creationem hominis, Deique primum mandatum, ex revelatione *profert, reſp. concedendo, ſi modò liberum arbitrium ſenſu ſuprà explicato ſumatur.* §. 112. *Ad IVam, quæ* originem lapſus *repræſentat, reſp. actio-*

actionem vetitam per ſe ipſam malos hos effectus invexiſſe, vi conſequentiæ naturalis, & falſum eſſe, quòd originaria corruptio animæ primi hominis per mandatum & operationem divinam invecta fuerit. Citatur hic Fluddii, *Angli*, *ſententia*, *arboris prohibitæ fructum venenum fuiſſe, putantis.* §. 113. *Ad Vam*, *qua dicitur*, placuiſſe ipſi homines quoſdam, etſi pauciſſimos, a damnatione liberare, & auxiliis munire, quibus Paradiſi beatitudinem obtinere poſſunt, *reſp. adnotando, Veteres numerum damnatorum non tantum æſtimaſſe, quantus vulgo putatur*, *&* *hæc* Bælii *verba concepta eſſe ſecundùm principia gratiæ ſufficientis, omnibus conceſſæ, & ſufficientis iis, quibus non deeſt bona voluntas.* §. 114. *Ad VIam*, *qua adſeritur*, nihil fieri ſine Dei permiſſione, poſſeque ipſum, quantum & quoties bonum videbitur, quidquid ei non placet, impedire, adeoque & peccatum, quo maximè offenditur, &c. *reſp. diſtinguendo inter voluntatem antecedentem & conſequentem, vi cujus etiam peccata non potuit repudiare, niſi in quantum tulit regula optimi; porrò Deum maximè* offendi *peccato*, *id* deteſtari, *eſſe formulas loquendi humanas, cùm Deus propriè offendi, lædi, turbari nequeat.* §. 115. *Ad VIIam*, *qua dicitur*, offerre Deum hominibus gratias, quas ſcit ab iis repudiandas, & hac recuſatione magis reos & damnabiles reddendos, *reſp. iterùm diſtinguendo inter voluntatem antecedentem, abſtractam & particularem, & inter conſequentem.* §. 116. *Succedunt Propoſitiones Philoſophicæ* novendecim. *Ia. dicit*, Deum ſola bonitate ſua ad creandum hunc mundum impulſum fuiſſe, nec laudis, beatitudinis, gloriæ conſervandæ augendæque, rationem habuiſſe: *adnotat Vir ill. bonitati jungendam ſapientiam & potentiam.* §. 117. *IIa*, bonitatem Dei eſſe infinitam, infinitatiſque characterem omnibus aliis ipſius perfectionibus convenire, amori virtutis, odio vitii, &c. *reſp. hoc axioma maximè omnium probari, indeque colligi, Deum facere ſemper optimum quod fieri poteſt: obſervandum verò, amorem virtutis, odium vitii, in exercitio, non abſolutè, intelligi debere, & ſolum amoris optimi exercitium eſſe infinitum.* §. 118. *IIIa*, omnes perfectionum divinarum characteres, in opere ſuo emicantes, ad creaturarum intelligentium felicicitatem deſtinatos eſſe, *reſp. nulla ratione probari poſſe, hunc unicum Dei ſcopum fuiſſe, cùm nulla ſubſtantia apud eum abſolutè, aut contemtibilis, aut pretioſa ſit: ſapere hoc axioma reliquias antiqui, quòd omnia unicè hominis causâ ſint condita.* §. 119. *IVa*, beneficia, cum creaturis, felicitatis capacibus, communicata, non tendere, niſi ad eorum bonum: *reſp. negando, ea ad earum felicitatem unicè tendere, habere Deum plures in conſiliis ſuis ſcopos, unum eſſe creaturarum omnium felicitatem, hinc quarundam ex his creaturarum infelicitatem accidere poſſe* concomitanter, *tanquam ſequelam majorum aliorum bonorum, & diſtinguendum ita inter voluntatem antecedentem, primitivam, voluntatem mediam, & finalem. Citat hic Vir ill.* Aloyſii Novarini *Librum* de occultis Dei beneficiis, *& alium confici poſſe judicat* de occultis Dei pœnis.

nis. §. 120. *Va.* ens maleficum cumulare hoſtes ſuos beneficiis, in eorum perniciem vergentibus; Deum igitur, hominibus liberum arbitrium præbentem, adjungere etiam debuiſſe artem ſemper eo rectè utendi: *reſp. Deum, ſi nihil aliud, quàm creaturas rationales ſpectaſſet, impediturum fuiſſe, ne unquam ſe perderent; ſed ipſum ſpectaſſe totum Univerſum: dici tamen poſſe, Deum dediſſe illis talem artem, artem ſcil. eſſe lumen naturale rationis*, §. 121. *VIa*, æquè certam homini vitam eripiendi rationem eſſe, ſi ei laqueum ſericum offeras, quo liberè ad ſuſpendium uſurum certiſſimè noſti, atque, ſi eum per ſicarii manus confodias, &c. *reſp. ſapientiam Deo repræſentare, quodnam e poſſibilibus optimum ſit exercitium ſuæ bonitatis, quo facto, malum, ſic admiſſum, inevitabilem eſſe optimi adpendicem.* §. 122. *VIIa*, verè beneficum dare promtè, nec differre, donec ii, quos amat, longas tolerarint ærumnas, &c. *reſp. eſſe hoc ludere cum Deo perpetuis anthropomorphiſmis; poſſe Deum efficere bonum, quod optaremus, immò velle etiam, ſi hoc bonum per ſe ſpectetur, ſed, poſtpoſitis aliis bonis majoribus oppoſitis, efficere id non debere; mala denique ipſa electis, magiſtro ſuo conformandis, & felicitati eorum augendæ, prodeſſe.* §. 123. *VIIIa*, gloriam, quam ex aliorum infelicitate eliceret, non, niſi falſam gloriam, eſſe poſſe: *reſp. cùm Deus aliquam gloriam elicit e malo, dum majori illud bono inſervire curavit, ipſum id elicere debuiſſe, nec hinc falſam gloriam captare.* §. 124. *IXa*, Dominum iſtiuſmodi, cùm poſſit, efficere, ut virtus ſine ulla vitii mixtura ſemper colatur: *reſp. Deum id efficere poſſe, & facile quidem, ſi res mutuò copulatæ a ſe invicem divellantur; ſed, cùm Deus vitium permiſerit, ordinem Univerſi omnium optimum poſtulaſſe; judicandum igitur, illi aliter agere non licuiſſe, quia impoſſibile erat, meliùs agere, quod ipſum fundat neceſſitatem hypotheticam, libertati minimè adverſantem; cùm ſapientiæ Dei non tantùm mundo rationalium creaturarum, ſed etiam mundo corporum, mundo ſubſtantiarum, perceptionis capacium, rationis incapacium, opus ſit, cùm denique inter omnia id eligendum fuerit, quod optimum, vitium autem hac rima irrepſerit, vitium excludendo, ipſum nec perfectè bonum, nec perfectè ſapientem fuiſſe.* §. 125. *Xa*, ſummum odium vitii eluceſcere tantùm in eo, qui vitium ante ſuum ortum elidat: *reſp. iterùm purum putum eſſe anthropomorphiſmum; ſtatum, in quo, quantùm fieri poteſt, bonum, intenditur, & malum ipſum majori bono deſervit, comparari non poſſe cum Principis ſtatu, cujus res acciſæ, vel qui ipſe oppreſſioni favet, ut eam deinde puniat.* §. 126. *XIa*, iſtum ipſa culpæ caſtigatione magis magiſque ad malum inclinari ſuos nolle: *reſp. frequentiorem punitionis ſcopum quidem eſſe emendationem, ſed non unicum, nec ſemper a Deo propoſitum; peccatum originis non eſſe nudam primi peccati pœnam, ſed inſuper naturalem ejus adpendicem.* §. 127. *XIIa*, malum, quod impediri poteſt, permittere eſſe parùm curare, utrùm committatur, nec ne? aut etiam optare, ut committatur:

 reſp.

reſp. minimè gentium, quod exemplis quibuſdam explanatur. §. 128. *XIIIam, quæ* ex reſponſione intelligitur, *ita explodit Vir ill. ut dicat, falſum eſſe, quòd Deus mala non curet, quòd ea optet, ſuſcitet, quòd in iis ſedandis gloriam captet.* §. 129. *XIVa*, mali alicujus permiſſionem tum demum excuſari poſſe, cùm ſine majoris mali introductione impediri nequeat: *reſp. verum eſſe hoc axioma, ſed contra Dei gubernationem adduci non poſſe.* §. 130. *XVa*, e rationibus mixturæ boni ac mali, quæ in limitata benefactorum virtute fundantur, nullam in Deum quadrare: *reſp. cùm in opere Dei perfectiſſimo malum phyſicum & morale reperiatur, judicandum, majus adhuc malum abſque hoc permiſſu nullatenus vitari potuiſſe.* §. 131. *XVIa*, eventûs alicujus perinde cauſam eſſe, qui moralibus, quàm qui phyſicis, illum viis procuret, &c. *reſp. malum cauſis moralibus, non ſemper phyſicis, imputari; in Deo magnum defectum fore, non eligere optimum, & deſtruere divinitatem.* §. 132. *XVIIa*, idem eſſe, cauſam quis neceſſariam adhibeat, an liberam, ſi momenta deligat, in quibus libera ipſa determinata cognoſcatur, &c. *reſp.* liberum & indifferens *pro eodem ſumi non debere, nec* liberum *opponi* determinato. §. 133. *XVIIIa*, ſi populus totus perduellionis reus, non ſatis clementiæ eſſe, centies milleſimæ parti ignoſcere, reliquos omnes necare: *reſp. ſumi hic pro certo, centies millies plures damnandos, quàm ſalvandos, & infantes, ſine baptiſmo mortuos, e numero damnatorum eſſe, quod falſum; proficiſci hanc objectionem ab eo, qui amplitudinem Civitatis divinæ non ſatis expendat.* §. 134. *XIXa*, medicos pharmaca, ab ægroto rejicienda, electuros, cùm alia ſuppetant cum voluptate ſumenda, videri ægroti mortem in votis habere: *reſp. objectum Dei habere quid infiniti; curam ejus rerum univerſitatem complecti, & nihili inſtar eſſe, quod de ipſo cognoſcimus; fruſtum divinæ gubernationis nobis duntaxat eſſe propoſitum, non ſatis magnum, ut inde totius pulchritudinem atque ordinem perſpiciamus.* §. 135. *Expenſis ita* Bælii *axiomatibus* novendecim, *alia quædam loca, ſparſim in ejus operibus exſtantia, ſub examen vocantur: in iis modò* Dei bonitatem *vellicat, ejuſque* potentiam *extollit, modò* bonitatem *cum ipſius* magnitudinis *diſpendio tuetur.* §. 136. *Reſuſcitat ita* Bælius *argumenta* Manetis, *vel* Pauli, *hæreticorum, qui* Zoroaſtris *errorem de duobus intelligentibus omnium rerum principiis recoxerunt, errorem apud plurimas gentes, Indos, Slavos, Americanos etiam, Græcos, Romanos, tritiſſimum.* §. 137. *Quis* Zoroaſter, *& quid docuerit, oſtenditur ex* Plutarcho, Trogo, Plinio, Platone, Suida, Laërtio, Hydeo. §. 138. *Conjectura ill. Viri, de* Oromaſde *&* Arimanio, *quorum alter fuit Princeps Aſiæ ſuperioris, alter e Celto-Scythis aliquis, ex Occidente boreali profectus.* §. 139. *Probatur, vetuſtum aliquem Germanorum Deum, vel Heroa, vocatum fuiſſe* Hermannum, Arimanium *vel* Irminum, *ex* Tacito. §. 140. *Origo vocis* Hermanni, Germani. §. 141. *Conjectura deſumta a celebri ſtatua* Irmen-ſul. §. 142. *Potuit etiam hic* Hermannus

eſſe

eſſe Græcorum Hermes, *Ægyptiis* Theut, *unde* Theutus, Thuiſco, *apud* Tacitum, Teutſche, *&c.* §. 143. *Conjicit Vir ill. Principes quoſdam Occidentales, aut Celtas, Græciam, Ægyptum, & non parvam Aſiæ partem, olim ſubjugaſſe, eorumque cultum his in regionibus ad poſteros fuiſſe propagatum. Citatur* Callimachus, *Abbas* de la Charmoye. §. 144. *Redit ill. Auctor ab hoc diverticulo ad* Zoroaſtrem, *citat ejuſdem erroris fautores*, Cerdonem & Marcionem, Bæliumque, *qui iſtorum hominum, malè ratiocinantium, & ſententiæ ſuæ vim atque commoda ignorantium, defectus reſarcire voluiſſe videtur.* §. 145. *Facit id* Bælius *prolixè in Diction. Art.* Manichæi, *ubi inter alia* videndum eſſe *ait*, an per unici principii hypotheſin explicari commodè naturæ phænomena poſſint; *hoc, ingerit ill. Vir, a ſe abundè præſtitum eſſe.* §. 146. *Et in dijudicandis Dei operibus imitandam ſapientiam* Socratis, *de* Heracliti *operibus dicentis*, quæ intellexi, mihi præclara videntur, nec minùs præclara auguror reliqua, quæ non intellexi. §. 147. *Sinere Deum quandoque hominem in exiguo ſuo diſtrictu liberè agere, ut ſpartam, quam nactus ſit, exornet, eſſe hominem veluti Deaſtrum quendam, in proprio ſuo mundo ſeu microcoſmo: Deum verò omnes defectus microcoſmorum arte mirabili convertere in majus majoris ſui mundi ornamentum, ita ut deformitates adparentes microcoſmorum, in macrocoſmo collectæ, fiant venuſtates, nec quidquam habeant, quod principii univerſalis infinitè perfecti unitati adverſetur.* §. 148. *Pergente* Bælio, hominem eſſe pravum & infelicem, ubique eſſe carceres & noſocomia, *reſp. multo plus boni eſſe in vita hominum, quàm mali, uti multo plures ſint domus, quàm ergaſtula, &c.* §. 149. *Objiciente eodem*, ſi pravi & infelices ſoli exiſterent, ad duorum principiorum hypotheſin recurrendum minimè fore, *reſp. exſtare duo profectò Principia, ſed utrumque in Deo*, Intellectum, *mali principium ſuppeditantem*, Voluntatem, *ad ſolum bonum tendentem, addatur tertium*, Potentiam, *agentem, prout Intellectus oſtendat, & Voluntas jubeat.* §. 150. *Adfertur ſententia* Campanellæ *de tribus primordialitatibus.* §. 151. *Pergente* Bælio: Quid? an unicum hoc ens ſanctum, bonum, potens, non cumulabit opus ſuum bonis? &c. *reſp. Prudentium idem dubium obmoviſſe, & jam illud ſolutum eſſe; ſcil. Deum, immutabilibus ſapientiæ rationibus permotum, eum, qualis in ideis fuit, ad exiſtentiam tranſire decreviſſe.* §. 152. Bælius *contra* Zoroaſtrem *inducit* Meliſſum, unici principii propugnatorem, hujuſque hypotheſin cum experientia & rationibus a poſteriori congruere negat: *Reſp. Vir ill. non admodum ſcitè explicari phænomenon aliquod, ubi ei principium expreſſum adſignatur, ſcil. malo principium maleficum, frigori principium frigidum, &c.* §. 153. *Ejuſdem eſſe furfuris explicationem cauſæ mali per principium ſingulare maleficum; malum eo non magis indigere, quàm frigus & tenebras; non autem dari primum frigidum, nec principium tenebrarum.* §. 154. *Obmovente* Bælio, liberum arbitrium a duobus principiis oriri debere, ut ad bonum & malum

convertere ſe queat, *reſp. debere potiùs à principio neutro oriri*; *liberum verò arbitrium ſi in malum impingat, id fieri per accidens, quia malum illud ſub bono veluti larvatum deliteſcat.* §. 155. *Pergente* Bælio, Deum debuiſſe hominem etiam creare ſine inclinatione ad malum, immò hoc ipſum impedire, nec ei ad peccandum relinquere ullam potentiam, *reſp. iſta dictu quidem facilia eſſe, non item factu poſſibilia, ſi principia ordinis adtendantur.* §. 156. *Urgente* Bælio, Orthodoxos videri duo prima principia admittere, ubi diabolum peccati auctorem faciunt, *reſp. diabolum quidem eſſe peccati auctorem, ſed ejus originem longiùs adcerſendam, fontem ejus eſſe in ipſa originali imperfectione creaturarum*: Bekkeri *& Auctoris Evangelii æterni errores ſubinde refelluntur.* §. 157. *Differitur de loco Apocalypſeos, prælium cum dracone memorantis.* §. 158. *Impugnante* Bælio mali moralis permiſſionem, *& poſtulante, ut concedatur ſibi*, Deum illud velle, quo etiam *Calvinum* in partes ſuas rapit, *reſp. illud nunquam eſſe directæ alicujus voluntatis objectum, velle Deum id permittere, quia alias optimi regulam violaret.* §. 159. *Proſequente* Bælio, Deum voluiſſe, ut Protoplaſti peccarent, cùm omnes combinationes, in quibus peccaturi non erant, rejecerit, *reſp. non potuiſſe non eam eligere combinationem, quæ omnium optima, citra defectum proprium.* §. 160. *Oſtendit ill. Vir conſenſum* Jaquelotii *cum ſuis cogitatis.* §. 161. *Reſp. ad* comparationem *a* Bælio *inſtitutam* inter Deum & principis bonitatem, qui tabellariis ad certum iter conficiendum determinatam pecuniam præbet, addita conditione præmii intuitu eorum, quibus argentum illud ſuffecerit, & pœnæ, quibus non ſuffecerit. §. 162. *Adducitur* comparatio Carteſii, *a* Monarcha *deſumta, qui probè conſcius, duos equites ad occurſum mutuum certo duello congreſſuros, eoſdem tamen ſibi occurrere facit.* §. 163. *Judicium* Bælii *de hac comparatione.* §. 164. *Judicium* Leibnitii *de eadem.* §. 165. *Ait nim.* Leibnitius, *comparationem poſſe aptari, ſi rationem aliquam comminiſcamur, quæ principem cogat efficere, vel permittere, ut duo hi inimici ſibi mutuò occurrant.* §. 166. *Comparationes quaſdam odioſas exhibet, eaſque locum tantùm habere dicit adversùs eos, qui juſtitiam apud Deum arbitrarium quid eſſe contendunt, vel poteſtatem ei deſpoticam tribuunt, qua inſontes adeò damnare poſſit, vel denique, qui bonum non eſſe rationem ejus moventem exiſtimant.* §. 167. *Mentio injicitur Satyræ contra Gomariſtas*: Fur prædeſtinatus, *quæ refutata eſt a* Georgio Kendall *ſub tit.* Fur pro tribunali. §. 168. *Remotis ita objectionibus, quæ a* rationibus moralibus *deſumebantur, pergit ill. Auctor ad removendas eas, quæ a* rationibus metaphyſicis *petuntur*: *ſpectant autem hæ naturam* poſſibilis *&* neceſſarii. §. 169. Epicurus, *citante* Bælio, *ut neceſſitatem abſolutam effugeret, adſeruit, quod futura contingentia determinatam habere veritatem nequeant, refutatus prolixè a* Chryſippo. *Judicium* Bælii *de hac diſputatione, qui tamen idem certum cum neceſſario confundit, dum electione optimi res neceſſarias fieri contendit.* §. 170. *Continuat*

tinuat Bælius *eundem diſcurſum, cumque* Chryſippo *contendit* Diodorum *ex* Ciceronis *Libro de Fato*; *citantur quoque eam in rem* Plutarchi *&* Arriani *teſtimonia.* §. 171. Petrus Abælardus *ad* Diodori *ſententiam propiùs acceſſit, dicens, Deum nihil poſſe facere, niſi quod facit: judicium* Leibnitii *de ejus ſententia.* §. 172. Wiclefi *ſententia a Concilio Conſtantienſi damnata: eadem* Hobbeſii, *ſtatuentis, quidquid non evenit, eſſe impoſſibile.* §. 173. Spinoſæ, *qui omnia neceſſitate naturæ divinæ, citra ullam Dei electionem, exiſtere docuit. Eum ipſe refutat* Bælius, *& quidem egregiè.* §. 174. *In ſqq. verò malè idem confundit id, quod eſt impoſſibile, quia contradictionem involvit, cum eo, quod fieri non poteſt, quia electioni divinæ non congruebat.* §. 175. *Quidam, neceſſitatem iſtam vitantes, naturam divinam quadam indifferentia æquilibrii ſuſpenſam reddere voluerunt.* §. 176. *Qui Deum arbitrario decreto bonum malumque ſtabiliviſſe credunt, in miram hanc ſententiam incidunt, eique boni titulum auferunt. Citatur ob hanc rationem* Sam. Rhetorfortis. §. 177. *Tria hinc dogmata,* 1. *quòd natura juſtitiæ ſit arbitraria,* 2. *quòd non certum, eam a Deo obſervatum iri,* 3. *quòd juſtitia, nobis nota, non ſit ea, quam Deus obſervat, & fiduciam in Deum, & ejus amorem, evertunt, in quo noſtra felicitas poſita.* §. 178. *Nonnulli Theologi, de jure Dei in creaturas ſcribentes, jus illimitatum, arbitrariamque & deſpoticam poteſtatem, ei concedere viſi ſunt, ut* Twiſſus, Rhetorfortis. Calvinus *hoc in capite Orthodoxus, v.* Amyraldum. §. 179. *Quando* Paulus *prædeſtinationem per jus abſolutum Dei, & incomprehenſibilitatem viarum ejus, explicat, ſubintelligendum, ſi eas comprehenderemus, juſtitiæ conformes eas nos deprehenſuros, cùm Deus aliter uti ſua poteſtate nequeat.* §. 180. Bælius *ipſe opinionem eorum optimè impugnat, qui bonitatem juſtitiamque ab optione arbitraria Dei unicè pendere contendunt.* §. 181. *Dicere autem, quòd Deus, ſtatuens creare hominem, qualis nunc eſt, non potuerit non ab illo exigere pietatem, ſobrietatem, &c. ad vitandas confuſiones operi ſuo evertendo idoneas, eſt re ipſa in communem relabi ſententiam.* §. 182. *Citantur Auctores, qui moralitatem objectivam vel adfirmarunt, vel negarunt,* Calvinus, Turrettinus, Mareſius, Strimeſius, Thomas Aquinas, Grotius, Puſendorfius, Ariſtoteles, Cicero, Plato. §. 183. Bælius *ipſe alicubi tuetur illam moralitatem.* §. 184. *Omnem realitatem in aliqua re exiſtente fundari debere docet; intellectum divinum veritatum æternarum realitatem facere. Laudatur in hanc rem* Jac. Thomaſius, Ariſtoteles. §. 185. *Idem tamen* Bælius *alio loco valde ambigua loquitur, putatque, Deum juſſu ſuo efficere potuiſſe, ut duo contradictoria ſimul juncta irent.* §. 186. *De* Carteſio, *cur Deum cauſam veritatum liberam ſtatuerit?* §. 187. *In opinione tam paradoxa* Bælius *emolumentum aliquod adversùs Stratonicos falsò ſibi fingit.* §. 188. *Et putans, cauſam non intelligentem nihil artificioſi producere poſſe, repudiat præformationem, animantium organa naturaliter producentem, ac Syſtema harmoniæ præſtabilitæ.* §. 189. *Metuit nimirum, ne, ſi*

veri-

veritates, a Dei voluntate independentes, admittantur, Stratonici *perfectam veritatum æternarum regularitatem in ſuum commodum contra nos vertant, colligantque, mundum, ſola cæca neceſſitate obſtetricante, æquè regularem exiſtere potuiſſe: ſed oſtendit Vir ill. ſine cauſa id ipſum metuere; ſi namque non exiſteret intellectus divinus, in quo realizantur illæ, minimè ſubſiſterent. §. 190. Objiciente ſibi porrò* Bælio, ita Deum fato cuidam ſubjiciendum fore; *§. 191. Reſp. fatum illud eſſe ipſum Dei naturam, proprium ejus intellectum, qui ipſius ſapientiæ bonitatique regulas ſuppeditat. §. 192. Mirante* Bælio, quòd divinus intellectus in infinitis ſuis ideis perfectam earum conformitatem cum objectis ſemper, & primo ſtatim intuitu, deprehendat, *reſp. non indigere ipſum tempore, ut nexum rerum videat. §. 193. Hactenùs oſtenſum eſt,* Dei voluntatem a ſapientiæ legibus independentem non eſſe: *nunc videamus, quomodò Auctores nonnulli ſtatuere queant, regulas haſce Deum dimidiatim duntaxat obſervare, &* melius facere potuiſſe, *ad exemplum effati notiſſimi Caſtellæ Regis,* Alphonſi. *§. 194. Nonnulli ſcil. Philoſophi & Theologi ponunt Dei bonitati perfectionique limites. §. 195. Solvitur objectio, qua dicitur, impoſſibile eſſe produci optimum, quia non datur creatura perfectiſſima. §. 196. Continuatur ſolutio. Non agitur hic de creatura quapiam una, ſed de Univerſo: ſtante adverſarii ſententia, Deus Univerſum nullum condidiſſet, cùm abſque ratione agere non queat. §. 197.* Diroyſii *objectio, qua ex eo, quòd mundi hujus negotia non tam bellè procedunt, quàm quidem homines ſapientes & probi optarent, atque ipſi facere tenerentur, ſi penes ipſos ſtaret, concluditur, Deum mundum non curare. §. 198.* Diroyſius *in ſolutione objectionis exiſtimat, eam nimium probare, quòd, ſi Deus non facere poſſit, niſi quod optimum & perfectiſſimum, omnia entia ab æterno & eſſentialiter bona futura ſint, ſicut Deus, adeoque Deus ipſe ſint. §. 199.* Bælius Diroyſii *reſponſionem rectè miſeram vocat. Si Dualiſtæ poſtularent, ut Deus optimum faceret, nihil, quod nimium, poſtularent: falluntur potiùs, dum optimum in toto a malo in partibus immune eſſe contendunt, atque ita, quod Deus fecit, optimum eſſe negant. §. 200.* Diroyſius *non conſiderat ordinem nexumque rerum, dum inſtat, Deum, ſi ſemper optimum producit, alios eſſe Deos producturum. §. 201. Deus tenetur morali neceſſitate producere optimum, nequaquam metaphyſica: ſi non ita res ſe haberet, conſcientia proprii defectûs, ſive imperfectionis, inevitabilem ei dolorem adferret. §. 202. Si* Diroyſius *ait, nihil poſſe mutari, niſi tranſeundo a ſtatu minùs bono ad meliorem, vel a meliori ad minùs bonum, falſum adſumitur; non enim videtur, cur res aliqua ſpeciem boni malive mutare non valeat, ſine mutatione gradûs. §. 203. Objectio* Bælii, *qua contendit, legem optimi veram Deo metaphyſicam neceſſitatem imponere, mera illuſio eſt, e ſolo terminorum abuſu profecta.* Arnaldus Mallebranchium, *adſinia docentem, immeritò reprehendit. §. 204. Is, qui vult rem aliquam, vult etiam quodammodo omnia, illi rei neceſſariò adnexa, adeoque*

que Deus leges generales velle non poteſt, quin etiam velit omnes particulares effectus, inde neceſſariò pullulaturos: veruntamen effectus illi particulares propter ſe, ſuique gratia, non intenduntur, quod ipſum ſignificatur, ubi dicitur, eos voluntate particulari & directa non intendi. Deus, extrorſum acturus, modum agendi elegit, ente ſummè perfecto dignum, h. e. infinitè ſimplicem & uniformem, & nihilominùs infinitè fœcundum. §. 205. *His fundamentis* Bælius *inſignes animadverſiones ſuperſtruit circa injuſtitiam eorum, qui de improborum proſperitate conqueruntur.* §. 206. *Dolendum duntaxat, ipſum tam citò rectam deſerere viam. Voluntates particulares, i. e. particulares primitivas, quas* Mallebranchius *ſtatuit, Deum nunquam habere, exiſtimat ill. Auctor.* §. 207. *Neque miracula in hoc habere quidquam, quo a cæteris eventibus diſtinguantur, cùm rationes ordinis, naturali ſuperioris, ad miracula perpetranda Deum permoveant. De* Mallebranchii *ſententia, &* Carteſii *Syſtemate cauſarum.* §. 208. *Exiſtimandum hinc, inter regulas generales non abſolutè neceſſarias, a Deo eligi illas, quæ magis naturales ſunt, quo ſpectat ill. Auctoris Syſtema harmoniæ præſtabilitæ. Viæ Dei ſimpliciſſimæ ſunt, ſed nihilominùs fœcundiſſimæ.* §. 209. *Redit Vir ill. ad legem optimi, perfectionemque complecti docet non bonum ſolùm morale & phyſicum, ſed & bonum metaphyſicum, quod cauſa, cur dandus aliquando locus ſit malo phyſico & morali. Ab hoc Syſtemate non multum alieni fuiſſe videntur Stoici, quod probatur teſtimonio* Gellii, *a* Bælio *citato & adprobato.* §. 210. *Qui verò iterùm mutat ſententiam, & alio loco ſcribit, nihil eſſe Deo facilius, quàm opus ſimplex, fœcundum, regulare, & ſimul creaturis omnibus commodum, deſignare & exequi, quod ex* Arnaldi *libris didicerit.* §. 211. *Reprehendit hæc dicta* Bælii *ill. Auctor, cenſetque, Deum ſequi poſſe ideam ſimplicem, fœcundam, regularem, ſed eam, quæ optima maximeque regularis, non eſſe ſimul & ſemper creaturis omnibus commodiſſimam. Colligit id a poſteriore;* §. 212. *Oſtendit id ipſum a priore in exemplo.* Sturmius *in Libro,* Euclides Catholicus, *transfert ad ſimilia, quod de æqualibus ab* Euclide *fuerat enunciatum; verùm a* quantitate *conſequentia non ſemper bene procedit ad* qualitatem, *nec ea, quæ ab æqualibus ducitur, ad ſimilia.* §. 213. *Diſcrimen hoc inter quantitatem & qualitatem etiam in re præſenti eluceſcit. Pars viæ breviſſimæ inter duo extrema eſt etiam via breviſſima inter extrema hujus ipſius partis: ſed pars totius optimi non neceſſariò eſt optimum, quod ex hac parte effici poterat.* §. 214. *Exemplum ex Geometria, quam* Jungius *Empiricam nuncupabat.* §. 215. *Reſpondet ill. Vir ad inſtantias* Bælii, *hocque objiciente,* Principem verè magnanimum opus incolis commodum magnifico prælaturum in condenda urbe, *ait, contingere aliquando poſſe, ut palatii ſtructura elegans quorundam e famulitio commodis jure meritoque præferatur.* §. 216. *Pergente* Bælio, Legislatores noſtros nunquam leges, ſingulis privatis commodas, excogitare poſſe, ob circumſcriptam ingenii ſui perſpicaciam, hoc verò

in ens infinitum cadere non poſſe, *reſp. cùm Deus optimum poſſibilium eligat, nullam ei perfectionum ſuarum limitationem objici poſſe.* §. 217. *Citante* Bælio *locum ex* M. Antonino, *reſp. Imperatoris hujus & Stoicorum errorem primarium in eo ſitum fuiſſe, quòd Univerſi bono delectari Deum debere putabant, quia eum, tanquam mundi animam, concipiebant; juxta nos verò, Deum eſſe intelligentiam ſupramundanam, agere, ut benè faciat, non ut ſibi benè ſit.* §. 218. *Ad præcipuam* Bælii, Arnaldo *duce*, *factam objectionem*: Aut Deus eſt neceſſitati obnoxius, & neceſſariò agit, ſi optimum creare teneatur, aut ſaltem impotens, aptiorem ad peccata, aliaque mala, excludenda viam non inveniens, *reſp. hoc objicientem eo ipſo negare, hoc Univerſum eſſe optimum, & Deum in optimum ferri debere, ſed huic argumento plurimis in locis ſatisfactum eſſe.* §. 220. *Inter homines quoque, reſp. ad* §. 219. Vir ill. *non tantùm eſſe mali moralis, quantùm paſſim dicitur; ſolos homines malignæ indolis, aut ærumnis effectos miſanthropos, pravitatem ubique invenire, & optimas quaſque actiones ſiniſtris interpretationibus depravare, quod* Carteſius *in* Hobbeſii *Libro de Cive recte reprehendit.* §. 221. *Quodſi etiam concederetur, in humano genere plus eſſe vitii, quàm virtutis, inde tamen non ſecuturum, plus in Univerſo vitii miſeriæque eſſe, quàm virtutis ac felicitatis.* §. 222. *Expenſa diſtinctione inter voluntates antecedentes, & conſequentem, intelligi, Deum amare ſummè virtutem, & odiſſe ſummè vitium, & nihilominùs vitium quoddam permitti debere.* §. 223. Arnaldo & Bælio *ingerentibus*, Syſtema inter omnia optimum Dei potentiam circumſcribere; §. 224. *Reſp. omnes iſtas machinas expoſitione jam data diſflari;* §. 225. *Poſſibilium infinitudinem, quantacumque ſit, ſapientiæ Dei, poſſibilia omnia cognoſcentis, infinitudine majorem non eſſe; ſapientiam omnia poſſibilia, priùs ſeparatim conſiderata, in totidem univerſalia Syſtemata diſtribuere, ex quibus iterùm inter ſe comparatis, ſingulis cum ſingulis, reſultare electionem optimi, quod reapſe ideam ſiſtat Univerſi actualis.* §. 226. *Hæc adtentè conſiderantem nacturum ideam magnitudinis perfectionum divinarum longè aliam ab illa, quam habeant ii, qui Deum quaſi fortuitò & ſine ratione agentem concipiant.* §. 227. *Pergente* Bælio, Deum ergò non eſſe liberum; §. 228. *Reſp. bonitatem ſapientiæ junctam, Deum ad creandum movere, ſed non neceſſitare; ſi hoc* fatum *adpellas, vocem iſtam te ſano uſurpaturum ſenſu, qui libertati non repugnat.* §. 229. *Objiciente* Bælio, Deo vitium admittente, cùm qualecumque aliud bonum æquè ſuis finibus conveniſſet, vitium fuiſſe medium, quod unum adhibere Creator potuerit, ergò ex mera neceſſitate adhibitum fuiſſe; §. 230. *Reſp. decretum creandi liberum eſſe, ipſius electione non effici impoſſibile, quod non eſt optimum; in Deo igitur eſſe libertatem a coactione & neceſſitate metaphyſica immunem; quod ad media, vitium non eſſe objectum decreti divini, tanquam medium, ſed tanquam conditionem ſine qua non, multò minùs medium unicum.* §. 231. *Proſequente* Bælio, fatum & neceſſi-

neceſſitatem fuiſſe *Adamum* peccare, ſi namque non peccaſſet, unicum, a Deo neceſſariò ſibi informatum, Syſtema ipſum diſturbaturum fuiſſe; *Reſp. Deum* Adamum, *quem, liberè peccantem, in ideis poſſibilium videbat, talem, qualem videbat, ad exiſtentiam admittere decreviſſe, quòd decretum neceſſarium non efficiat id, quod in ſe ipſo contingens erat.* §. 232. *Poſt laudatum* Scoti *de indifferentiæ libertate locum*, §. 233. *Pergente* Bælio, ſi Deus ad mundum condendum determinatus eſt vi ſuæ gloriæ, quam neceſſariò amat, lapſum hominis, tanquam ad eam procurandam medium, prorſus neceſſariò eveniſſe, *reſp. amorem quidem ſui Deo eſſe eſſentialem, amorem verò gloriæ ſuæ non item; amorem ſui ipſius eum minimè neceſſitaſſe ad actiones externas, quæ liberæ fuerunt.* §. 234. *Inſtante* Bælio, ſi Deus modo invincibili impulſus fuit ad hanc viam adhibendam, hanc ipſum neceſſariò adhibuiſſe, *reſp. impulſum quidem certò fuiſſe, ſed quod certum, non ſemper eſſe neceſſarium, vel abſolutè invincibile; Deum, metaphyſicè loquendo, eligere potuiſſe, quod non fuit optimum, ſed, moraliter loquendo, id non potuiſſe, quod comparatione Geometrica explicatur.* §. 235. *Ubi de rei poſſibilitate ſermo, non agi de cauſis efficientibus vel impedientibus, cùm alias inutilis redderetur, diſtinctio inter poſſibile & actuale.* §. 236. *Urgente* Bælio, Deum ſalutem omnium hominum velle non poſſe, quia ea adverſatur amori neceſſario, quo in ſuam ſapientiam fertur, *reſp. licèt Deus ſapientiam ſuam amet neceſſariò, non tamen actiones, ad quas ſapientia permovet, ideò liberas non eſſe, nec objecta, ad quæ ea non permovet, ideò poſſibilia eſſe deſinere; ſapientiam Deum permoviſſe, ut vellet omnium ſalutem, ſed non voluntate conſequente ſeu decretoria.* §. 237. *Porrò*, Deum neceſſariò velle opus, peccatum omnium, & æternam plerorumque hominum, includens, quia vult neceſſariò opus omnium digniſſimum ſuâ ſapientiâ, *reſp. a ſapientia neceſſitari moraliter, obligari boni conſideratione, ſignificare liberum eſſe.* §. 238. & 239. *Examinat Vir ill. Syſtema* Bezæ, *qui in permittenda miſeria ad Dei miſericordiam, in culpa ad illius juſtitiam reſpicit, quod verò minimè ſatisfacit.* §. 240. *Differit ill. Vir de Celebris Angli, qui de Origine mali ſcripſit, ſententia, hic aliquando videtur ſtatuere, Dei voluntatem ſapientiæ leges circa bonum malumque non ſequi, aliquando verò agnoſcere, quòd bonitas ſit objectum & ratio divinæ electionis, in quo quidem ipſi cum ill. Viro egregiè convenit.*

107. HActenùs in eo fuimus occupati, ut totius hujus argumenti amplam & diſtinctam exhiberemus expoſitionem: & quamvis de *Bælii* objectionibus nihildum dixerimus ſpeciatim, eas tamen prævenire, & viam reſpondendi aperire laboravimus. Sed cùm omnium ſigillatim diſſolvendarum provinciam ſuſceperimus, non ſolùm, quia quædam adhuc loca fortaſsè reſtant, quæ illuſtrationem merebuntur, ſed etiam, quia Viri inſtantiæ plerumque ingenii atque eruditionis plenæ ſunt, controver-

ſiæque non vulgare lumen adfundere queunt; juvabit præcipuas, per ipſius Opera diſperſas, colligere, iiſque adnectere ſolutiones noſtras. Notavimus ab initio, *Deum ad malum morale, & ad malum phyſicum, concurrere, & quidem ad utrumque & moraliter & phyſicè; atque hominem etiam ad eadem concurrere moraliter & phyſicè, ratione libera & activa, quæ ipſum vituperio pœnaque dignum efficiat.* Oſtendimus inſuper, quodlibet horum capitum ſuam habere difficultatem: ſed potiſſima in eo eſt, ut tueamur, Deum ad malum morale, hoc eſt, ad peccatum, moraliter concurrere, nec tamen eſſe auctorem, immò ne complicem quidem peccati.

108. Concurrit autem Deus moraliter, malum juſtè *permittendo*, & ſapienter ad bonum *dirigendo*, quemadmodum ratione ſatis evidente oſtendimus. Sed quoniam in hoc potiſſimum argumento *Bælius* exultat, ſeque eos profligaturum confidit, qui nihil eſſe in Fide contendunt, quod cum Ratione conciliari nequeat; hoc loco præcipuè monſtrandum eſt, dogmata noſtra rationum etiam eſſe munita vallo, quod validiſſimorum ejus tormentorum quaſſationibus reſiſtere poſſit, ut ipſius allegoria utamur. Iſta verò tormenta vibravit contra nos cap. CXLIV. Reſponſionis ſuæ ad Quæſita Provincialis (Tom. 3. pag. 812.) ubi doctrinam Theologicam ſeptem Propoſitionibus complectitur, quibus Axiomata Philoſophica novendecim, veluti totidem machinas murales grandiores, vallum noſtrum labefactaturas, opponit. Initium a Propoſitionibus Theologicis faciamus.

109. I. *Deus*, inquit, *Ens illud æternum & neceſſarium, infinitè bonum, ſanctum, ſapiens ac potens, ab omni æternitate gloriam beatitudinemque poſſidet, quæ nec creſcere, nec minui poteſt.* Hæc *Bælii* propoſitio non minùs philoſophica, quàm theologica eſt. Dicenduſne ſit Deus poſſidere *gloriam*, cùm ſolus exiſtit, a vocis acceptione pendet. Dicere cum quibuſdam poſſumus, gloriam eſſe gaudium, ex perfectionum propriarum cognitione natum; & hoc ſenſu Deus gloriam ſemper poſſidet: ſed ſi gloria ad notitiam alienam refertur, Deo non obtinget gloria, niſi dum ſe creaturis intelligentibus cognoſcendum præbet; quanquam verum ſit, Deum nullum inde novum bonum obtinere, & creaturas potiùs intelligentes inde bonum capere, quando, uti par eſt, Dei gloriam ſpectant.

110. II. *Determinavit ſe liberè ad creaturarum productionem, & inter entia poſſibilia infinita elegit ea, quibus exiſtentiam impertiri placuit, ut ex ipſis Univerſum componeret, aliis omnibus in ſuo nihilo relictis.* Hæc quoque propoſitio admodum conſentanea eſt ei Philoſophiæ parti, quæ Theologia naturalis adpellatur, prorsùs uti præcedens. Inſiſtendum aliquantulum erit huic phraſi, qua dicitur elegiſſe entia poſſibilia, *prout placuit.* Namque conſiderandum eſt, ſi dixero, *hoc mihi placet*, tantundem eſſe, ac ſi dicerem, hoc bonum cenſeo. Igitur bonitas idealis objecti eſt, quæ placet, quæque movet ad electionem ſui inter alia multa, quæ non placent, vel quæ minùs placent, hoc eſt, quæ minùs bonitatis, me adficientis,

cientis,

cientis, continent. Jam autem ſola vera bona placere Deo poſſunt, ac proinde, quod Deo magis placet, & quod ad ſui electionem eum movet, eſt optimum.

111. III. *Cùm natura humana e numero entium fuiſſet, quæ producere voluit, marem unum, unamque feminam, creavit, eiſque inter cæteras dotes liberum conceſſit arbitrium, ut facultatem habuerint obediendi Deo; ſed mortem ſimul comminatus eſt eis, ſi datum ſibi a fructu quodam abſtinendi mandatum transgrederentur.* Hæc propoſitio ex parte revelata eſt, & ſine difficultate admittenda, dummodò *liberum arbitrium* intelligatur, ut oportet, juxta explicationem, a nobis jam datam.

112. IV. *Comederunt nihilominus de eo fructu, ſtatimque ipſi, eorumque poſteri omnes, ad hujus vitæ miſerias, ad mortem temporalem, & ad pœnam æternam, condemnati ſunt, tantæque ad peccandum inclinationi ſubjecti, ut ferè ſine fine, & ſine mora, peccatis ſe permittant.* Eſt, quòd judicemus, actionem vetitam per ſe ipſam malos hos effectus invexiſſe, vi conſequentiæ naturalis, & idcirco ex hac potiùs ratione, non verò per decretum merè arbitrarium, a Deo vetitam fuiſſe, eo ferè modo, quo pueri cultros tractare prohibentur. Celebris ille Anglus, *Fluddus*, ſive *de Fluctibus* (a) conſcripſit olim Librum *de Vita*, *Morte*, & *Reſurrectione*, ſub nomine *R. Oreb*, in quo ſuſtinet, arboris prohibitæ fructum venenum fuiſſe: nos verò aliquid hujuſmodi ſigillatim adfirmare non poſſumus; ſufficit, quòd Deus rem noxiam prohibuerit, nec putandum, Deum egiſſe duntaxat perſonam Legislatoris, qui legem ferat purè poſitivam, aut Judicis, qui pœnam imponat infligatque ex ſuæ voluntatis decreto, abſque

 conne-

(a) *Robertus Fluddus*, Anglus, circa A. 1584. natus, celebr. Frater roſeæ crucis. Multa, eaque omnia, Latinè ſcripſit, quæ ejus ſcripta raritate nunc & caritate diſtinguuntur. Inter ea eſt Tr. Theol. Philoſ. *de vita, morte & reſurrectione.* Imaginem ejus inter recentiores ſiſtit Cel. Erfordienſium Medicus, *Georg. Volcm. Hartmannus* in *Introd. ad Hiſtoriam Leibnitio-Wolfianam*, Sect. II. cap. III. §. 6. ubi inprimis de illius *Philoſophia Moſaica* diſſerit. Eandem ferè ſententiam tuitus haud ita pridem eſt *Decanus Hibernicus, Delauny*, in *Revelation Examined With Candour*, Lond. 1732. ed. ubi ipſi dictum Moſaicum: *Moriendo morieris*, idem eſt, ac *Contrahes tibi infirmitatem mortalem.* Addit deinceps, dari apud Indos liquorem, qui momento homines extra ſe rapiat, reddatque omnium rerum ignaros. Rectè verò adnotat *eruditus Scriptor Bibliothecæ Britannicæ*, T. II. Part. I. Art. VIII. ubi Librum recenſet, p. 177. *Mais dans ce ſyſtême, il ſemble, que la corruption originelle ne regarde que le corps; car on ne conçoit pas comment la foibleſſe de l'ame d'un père peut ſe communiquer à l'ame de ſon fils, à moins qu'on ne veuille dire, que la perfection de l'ame dépend de l'état du cerveau.* Liber etiam in Linguam Teutonicam verſus eſt ab *Henr. Chriſtiano Lemkero*, Lüneb. 1738. ubi leguntur iſta cogitata P. 1. §. 2. §. 8. *Hutmannus*, Rector Scholæ Ilfeldenſis, referente *Leibnitio* in *Otio Hannov.* p. 410. idem ſenſit, peccatum originis eſſe tantùm in corpore, non verò in anima, refutatus a *Jo. Oleario*, Theolog. Prof. in pecul. Diſſ. *de peccato originis.*

connexione ulla inter malum culpæ & malum pœnæ. Neque porrò neceſſarium eſt, fingere, Deum, juſtè irritatum, de induſtria hominis animæ & corpori corruptelam immiſiſſe per actionem quandam extraordinariam, ut puniretur; ad eum ferè modum, quo Athenienſes reis ſuis cicutam propinabant. *Bælius* rem ita accipit, & loquitur, quaſi originaria corruptio animæ primi hominis per mandatum & operationem divinam invecta fuiſſet. Hinc (Reſp. ad Provinc. cap. 178. p. 1218. tom.3.) objicit, *Rationem non patrocinaturam Monarchæ, qui, ut rebellem mulctaret, & ipſum, & ejus poſteros, ad rebellandi proclivitatem condemnaret.* At pœna hæc naturaliter obtingit improbis, abſque ullo mandato Legislatoris, peccatumque ipſis eſt ad palatum. Si ex naturæ corporeæ legibus ebrioſi prolem, ad idem vitium pronam, gignerent, pœna quidem gignentium foret, non verò pœna a lege profecta (b). Nam divinæ ſapientiæ contemplatio nobis perſuadet, regnum Naturæ ſervire regno Gratiæ, Deumque, tanquam Architectum, omnia feciſſe, prout Deum, tanquam Monarcham, decebat. Nos neque fructus prohibiti, & actionis naturam, nec ejus effectus, tam exactè cognoſcimus, ut de hoc negotio per partes judicare valeamus: hoc tamen Dei juſtitiæ debemus, ut ampliùs aliquid, quàm quod penicillo ſuo nobis pictores repræſentant, inibi ſublatuiſſe credamus.

113. V. *Placuit ipſi per infinitam ſuam miſericordiam, homines quoſdam, etſi pauciſſimos, ab hac damnatione liberare, &, quamvis eos, in hac vita peccati corruptioni & miſeriæ expoſitos, relinqueret, auxiliis tamen ipſos munire voluit, quibus perpetuam Paradiſi beatitudinem obtinere poſſent.* Ex veteribus complures dubitarunt, an damnatorum numerus tantus ſit, quantus vulgò putatur, uti jam ſuprà adnotavi; videnturque medium quoddam inter damnationem æternam, & perfectam beatitudinem, ſtatuiſſe. Verùm opinionibus iſtis opus nobis non eſt, ſufficitque ſententiis Eccleſiæ receptis inhærere: ubi juvat notare, hanc *Bælii* enunciationem eſſe conceptam ſecundùm principia gratiæ ſufficientis, omnibus hominibus conceſſæ, quæ ſufficiat ſcilicet iis, quibus non deeſt bona voluntas. Et quamvis *Bælius* ipſe hypotheſi oppoſitæ faveat, voluit tamen, (uti ad marginem loquitur) vitare terminos, qui decretorum, eventibus contingentibus prævifis poſteriorum, ſyſtemati non congruerent.

114. VI. *Quidquid futurum erat, ab æterno prævidit, res omnes ordinavit, & quamlibet earum in loco ſuo ſtatuit, eaſque continuò dirigit atque gubernat juxta beneplacitum ſuum: ita ut nihil fiat ſine permiſſione aut contra voluntatem ejus, poſſitque ipſe, quantùm & quoties bonum videbitur, quidquid ei non placet, impedire, adeoque peccatum etiam, quo maximè offenditur, quodque omnium maximè deteſtatur; & producere in qualibet anima huma-*

(b) Adfine quidpiam eſt in effectibus peccati primi hominis, addit *Interpr. Lat.*

humana cogitationes, *quas adprobat*. Hæc theſis eſt iterum purè philoſophica, hoc eſt, Rationis naturalis lumine nota: &, quemadmodum ſuprà ad Theſin 2. inſiſtebamus τῷ *quod placet*, juvat hic etiam inſiſtere τῷ *quod bonum videtur*, hoc eſt, quod Deus factu bonum eſſe cenſet. Poteſt is vitare aut ſubmovere, *prout ipſi bonum videtur*, omne, *quod ſibi non placet*: conſiderandum tamen eſt, quædam averſationis ſuæ objecta, qualia ſunt certa quædam mala, & maximè peccatum, quæ voluntas antecedens propulſabat, per voluntatem conſequentem, ſive decretoriam, non potuiſſe eum repudiare, niſi in quantum ferebat regula optimi, quod ſapientiſſimus eligere debebat, omnibus penſatis. Dum dicitur, *Deum maximè offendi peccato*, *idque maximè deteſtari*, formulæ ſunt loquendi humanæ. Nam Deus, propriè loquendo, *offendi*, hoc eſt, lædi, incommodo adfici, turbari, aut ad iram concitari, nequit, nec quidquam eorum, quæ exiſtunt, *deteſtatur*, poſito quòd deteſtari ſit idem atque cum abominatione illud adſpicere, & modo, qui nobis ingens faſtidium, moleſtiam, cordoliumque parat: Deus enim nec angorem, nec dolorem, nec incommodum, pati poteſt; perfectè ſemper contentus & beatè agens. Interim hujuſmodi locutiones ſano ſenſu penitùs admitti poſſunt, & probè fundatæ ſunt. Suprema Dei bonitas efficit, ut voluntas ejus antecedens malum omne repellat, ſed malum inprimis morale, quod non admittet, niſi ob rationes ſuperiores vinci neſcias, & cum magnis temperamentis, quæ malos effectus cum lucro compenſant. Verum quidem etiam eſt, Deum poſſe producere in qualibet anima humana quaſvis cogitationes, quas probat, ſed hoc foret agere per miracula, plus quàm divini operis idea, poſſibilium omnium optima, ferat.

115. VII. *Offert hominibus quibuſdam gratias*, *quas ſcit ab eis eſſe repudiandas*, *quamvis ea recuſatione intelligat magis reos damnabileſque reddendos*, *quàm fuiſſent*, *ſi eas ipſis non obtuliſſet*: *declarat iis ardenter a ſe quæri*, *ut eas acceptent*, *nec tamen eis gratias impertitur*, *quas novit acceptandas*. Verum eſt, homines iſtos magis nocentes evadere ſua recuſatione, quàm ſi oblatæ non fuiſſent, neque id a Deo ignorari: ſed præſtat permittere eorum crimen (c), quàm agere ratione, Deo ipſi ignominioſa, quæque hominibus de ſe querendi cauſam aliquam præberet, dicentibus, ſe meliùs agere non potuiſſe, quamvis voluiſſent (d). Deus vult, ut agnoſcant

(c) Immo ea agere, quibus homines ad majus crimen abuti poſſint, *addit Interpr. Lat.*

(d) *Interpr. Lat.* Itaque non potuit non offerre Deus gratias hominibus ſuffecturas, ſi vellent, etſi ipſi non velint. At, inquies, bonitati divinæ conveniebat tales offerre gratias, quales homo voliturus, acceptaturuſque eſſet. Et fateor ad hoc voluntate antecedente ferri Deum, eamque effectricem fuiſſe futuram, ſi Deus unum hoc haberet, quod ageret, aut niſi aliud exigerent rationes totius Univerſi, ſed hæ efficiunt, ut multi pravæ voluntati ſuæ ſint relinquendi, nec ſemper circumſtantiis emendaturis objici poſſint. Hæc quoque theſis, *&c.*

cant ſuas gratias, prout aptæ ſunt, utque eas acceptent, & vult ſpeciatim eas illis largiri, quas prævidet ab ipſis acceptandas; ſed ſemper per voluntatem antecedentem, abſtractam, aut particularem, cujus executio in idea rerum generali locum non ſemper adinvenit. Hæc quoque theſis earum e numero eſt, quas Philoſophia non minùs, quàm Revelatio, ſtabilit, uti & tres aliæ e ſeptem, hic poſitis; nam ſola tertia, quarta, ac quinta Revelatione indigebant.

116. Succedunt nunc Axiomata novendecim Philoſophica, quæ *Bælius* ſeptem illis Propoſitionibus Theologicis opponit.

I. *Cum Ens infinitè perfectum in ſe ipſo gloriam beatitudinemque reperiat, quæ nec minui unquam poteſt, neque creſcere, ſola bonitate ſua ad creandum hoc Univerſum impulſum eſt, nec laudis, aut conſervandæ augendæque beatitudinis & gloriæ ſtudium ullam hìc partem habere.*

Axioma hoc optimè ſe habet: nihil ſuæ Deo laudes proſunt, at proſunt hominibus, Deum laudantibus, & Deus illorum bonum voluit. Interim tamen, dum dicitur *ſola bonitas* Deum ad creandum hoc Univerſum impuliſſe, expedit addere, BONITATEM eum ſuam *antecedenter* ad omne bonum poſſibile creandum producendumque moviſſe, ſed SAPIENTIAM ſuam inter bona ſelectum inſtituiſſe, & in cauſa fuiſſe, ut *conſequenter* optimum eligeret, ac denique POTENTIAM ſuam medium adtuliſſe *actualiter* formatum hoc ingens conſilium exequendi.

117. II. *Bonitas Entis infinitè perfecti eſt infinita; non foret autem infinita, ſi major illa bonitas alia concipi poſſet. Hic infinitatis character omnibus aliis ipſius perfectionibus convenit, amori virtutis, odio vitii, &c. quæ omni captu noſtro ſuperiores eſſe debent.* (*Videatur* Juriæus *in tribus prioribus ſectionibus* Judicii de Methodis (e), *ubi perpetim ſecundùm hoc principium, tanquam ſecundùm notionem primam, ratiocinatur. Vide etiam in* Wittichio de Providentia Dei *n.* 12. *hæc* S. Auguſtini *verba Lib.* 1. de doctrina Chriſtiana, *cap.* 7. Cùm cogitatur Deus, ita cogitatur, ut aliquid, quo nihil melius ſit atque ſublimius. *Et paullo poſt*: Nec quiſquam inveniri poteſt, qui hoc Deum credat eſſe, quo melius aliquid eſt.)

Hoc Axioma planè eſt ad palatum meum, indeque colligo, Deum facere ſemper optimum, quod fieri poſſit; alioquin hoc bonitatis ejus exercitium limitaretur, quod eſſet limitare *bonitatem* ipſam, ſi ea ad optimum eligendum non moveret, ſi bona voluntate careret; aut certè ejus *ſapientia*

(e) *Petrus Jurieu*, celebris reformatæ Eccleſiæ Theologus, primùm Profeſſor Sedanenſis, pòſt Eccleſiæ Gallicanæ, quæ Roterodami eſt, Paſtor, atque Gymnaſii ibid. Profeſſor, ubi etiam diem ſuum clauſit A. 1713. annos natus ſeptuaginta tres. Liber hic cit. tendit ad concordiam inter Reformatos & noſtrates ſanciendam: *Jugement ſur les méthodes rigides & relâchées; Judicium de Methodis rigidis & laxioribus explicandi providentiam & gratiam, ad inveniendum medium reconciliationis inter Proteſtantes, Roterod.* 1686. *in* 12.

tia & *potentia* circumſcriberetur limitibus, ſi vel ei neceſſaria deeſſet notitia ad diſcernendum optimum, & ad media, ei obtinendo idonea, reperienda, vel vires ad hæc media uſurpanda neceſſarias non haberet. Ambiguitas tamen aliqua latet in eo, quod dicitur, amorem virtutis, & odium vitii, eſſe in Deo infinitum: id namque ſi abſolutè, & ſine reſtrictione, in ipſo eorum exercitio locum haberet, nullum eſſet in mundo vitium. At quamvis quælibet Dei perfectio in ſe ipſa infinita ſit, non tamen exercetur, niſi proportione objecti, & uti fert natura rerum: itaque amor optimi, in toto obtinendi, cæteras omnes inclinationes particulares vel odia vincit: hujus ſolius amoris exercitium eſt abſolutè infinitum, cùm nihil Deum prohibere poſſit, quo minùs pro optimo pronunciet: &, ſi vitium aliquod cum optima idea poſſibili connexum inveniatur, Deus illud permittit.

118. III. *Cùm bonitas quædam infinita Creatorem in mundi productione direxerit, omnes ſcientiæ, dexteritatis, potentiæ, magnitudiniſque, characteres, qui in ejus Opere emicant, ad creaturarum intelligentium felicitatem deſtinati ſunt. Nec perfectiones ſuas patefacere ipſe voluit, niſi ut hoc creaturarum genus in cognitione, admiratione, & amore Entis ſupremi, ſuam felicitatem reperiret.*

Hoc axioma mihi non ſatis exactum videtur. Concedo, Creaturarum intelligentium felicitatem eſſe præcipuam divinorum conſiliorum partem; hæ quippe Deo adſimilantur maximè: at non video, qua ratione probari poſſit, hanc unicum ejus ſcopum fuiſſe. Verùm quidem eſt, quòd regnum Naturæ ſervire debeat regno Gratiæ: ſed, cum omnia in magno Dei conſilio colligata ſint, credendum eſt, regnum Gratiæ viciſſim quodammodo Naturæ regno adcommodatum fuiſſe, ita ut hoc quidem ordinem decoremque maximum ſervet, quo compoſitum ex utroque perfectiſſimum evadat. Nec locus eſt judicandi, Deum mali cujuſpiam moralis vitandi gratiâ totum naturæ ordinem everſurum fuiſſe. Quælibet perfectio aut imperfectio in creatura ſuum pretium habet, ſed nulla eſt, quæ habeat pretium infinitum. Igitur bonum malumque, ſive morale, ſive phyſicum, creaturarum intelligentium non ſtatim ſuperat infinitè illud bonum malumque, quod duntaxat eſt metaphyſicum, hoc eſt, quod in aliarum creaturarum perfectione, aut imperfectione, conſiſtit: quod tamen dicendum foret, ſi præſens axioma in rigore verum eſſet. Certè cùm Deus *Jonæ* Prophetæ rationem conceſſæ Ninivitis veniæ redderet, ipſorum etiam brutorum, magnæ illius urbis everſioni involvendorum, commoda commemoravit. Nulla ſubſtantia apud Deum abſolutè aut contemptibilis aut pretioſa eſt. Et præſentis axiomatis abuſus, ſive extenſio immodica, ex parte videtur eſſe fons difficultatum, a *Bælio* propoſitarum. Certum quidem eſt, Deo pluris eſſe hominem, quàm leonem; neſcio tamen, an adſeri poſſet, toti leonum ſpeciei hominem unicum a Deo anteponi: ſed, quamvis ita foret, minimè tamen ſequeretur inde, certi

hominum numeri commodum diffuſæ per infinitum creaturarum numerum confuſionis generalis conſiderationi prævalere. Hæc opinio ſapit reliquias antiqui Axiomatis, ſatis improbati, quòd omnia unicè hominis gratiâ ſint condita.

119. IV. *Beneficia, quæ cum Creaturis, felicitatis capacibus, communicat, non tendunt, niſi ad earum bonum. Non ergò ſinit ea ad ipſarum infelicitatem deſervire, &, ſi malus illorum uſus perdere eas poſſet, daret media certa ſemper iis rectè utendi, alioquin enim vera beneficia non eſſent, & bonitas Dei minor eſſet eâ, quam in alio benefactore concipere poſſumus. (Putem cauſam, quæ ſuis muneribus certam benè utendi rationem ſuperadderet.)*

Ecce tibi jam abuſum, ſive malum effectum, axiomatis præcedentis. In rigore verum non eſt, (etſi plauſibile videatur) ea, quæ Deus cum Creaturis, felicitatis capacibus, communicat beneficia, ad earum felicitatem unicè tendere. Omnia in natura concatenata ſunt: quodſi peritus Artifex, Machinator, Architectus, Politicus ſapiens, eandem ſæpè rem pluribus finibus adcommodat; ſi, cum id fieri commodè poteſt, duos eodem lapide jactus facit: Deus, cujus ſapientia potentiaque perfectæ ſunt, id ſemper facere cenſendus eſt. Hoc nimirùm eſt prudenter & cum parſimonia uti ſolo, tempore, loco, materiâ, in quibus, ut ita dicam, impenſa Dei cernitur. Habet itaque Deus plures in conſiliis ſuis ſcopos. Horum unus eſt creaturarum omnium felicitas, ſed non ſcopum illa totum, immò ne quidem ultimum, conſtituit. Hinc aliquarum ex his creaturarum infelicitas accidere poteſt *concomitanter*, & tanquam majorum aliorum ſequela bonorum, quod jam ſupra a me explicatum eſt, ipſeque *Bælius* quodammodo agnovit. Bona, quatenùs bona, in ſe ipſis conſiderata, ſunt antecedentis Dei voluntatis objectum. Deus in Univerſo tantum producet rationis & cognitionis, quantum operis ſui admittere idea poteſt. Inter voluntatem purè antecedentem ac primitivam, & inter voluntatem conſequentem ac finalem, quoddam concipi medium poteſt. *Voluntas antecedens primitiva* quodlibet bonum & quodlibet malum in ſe, ab omni combinatione præciſum, pro objecto habet, & tendit ad promovendum id bonum, & prohibendum id malum: *Voluntas media* fertur in combinationes, cùm ſcilicet alicui malo bonum aliquod adfigitur, & tum voluntas aliquatenùs in combinationem iſtam tendet, cùm bonum malo potius eſt: at *Voluntas finalis* & decretoria ex omnium bonorum, omniumque malorum, quæ noſtram deliberationem ingrediuntur, conſideratione, ipſâque totali combinatione, reſultat. Ex his liquet, voluntatem mediam, etſi reſpectu voluntatis puræ ac primitivæ conſequens quodammodo dici poſſit, reſpectu tamen voluntatis finalis ac decretoriæ tanquam antecedentem conſiderari poſſe. Deus humano generi rationem largitur, inde per concomitantiam mala quædam eveniunt. Voluntas ejus antecedens pura tendit ad dandam rationem, tanquam ingens bonum, & impedienda illa, quæ dixi, mala; at, cùm de malis, munus hoc divinum rationis

rationis concomitantibus, agitur, compoſitum, ex rationis & horum malorum combinatione conſurgens, erit objectum voluntatis mediæ Dei, quæ tendet vel ad producendum, vel ad impediendum illud compoſitum, prout ſive bonum, ſive malum, in eo prævaluerit. Sed dato, non conceſſo, rationem mali plus, quàm boni, adferre hominibus, quo in caſu voluntas Dei media cum his circumſtantiis eam repudiaret, fieri tamen poſſet, ut univerſali rerum perfectioni magis expediret, hominibus rationem impertiri, non obſtantibus omnibus iſtis malis ſequelis, quas ea in humanum genus inducere poſſet, ac proinde voluntas finalis, vel decretum Dei, ex his omnibus, quas ſibi proponere Deus poteſt, conſiderationibus reſultans, rationem largiri ſtatueret. Tantumque abeſt, ut propterea vituperandus ſit, ut potiùs, id ſi non faceret, vituperio dignus eſſet. Itaque malum, vel bonorum malorumque mixtura, in qua malum prævaleat, nunquam evenit, niſi per concomitantiam, quia nimirum cum majoribus bonis, extra hanc mixturam poſitis, connexum eſt. Igitur hæc mixtura, vel hoc compoſitum, conſideranda quidem non eſt tanquam gratia, ſeu tanquam donum, nobis a Deo præſtitum, ſed bonum, ei malo admixtum, Dei munus eſſe non deſinet. Hujuſmodi eſt donum rationis, quod Deus malè utentibus impertitur; hæc in ſe ſemper aliquod bonum eſt, ſed hujus boni combinatio cum malis, ex ejus abuſu provenientibus, reſpectu eorum, qui inde infelices evadunt, bonum non eſt; evenit tamen per concomitantiam, quia facit ad majus bonum intuitu Univerſi. Et hoc ſine dubio eſt, quod Deum permovit ad dandam rationem illis, qui eam in ſuam perniciem converterunt, vel, ut exactiùs loquamur, juxta Syſtema noſtrum, cùm Deus inter entia poſſibilia quaſdam creaturas rationales, ratione ſua abuſuras, inveniſſet, illis, quæ in optima Univerſi idea poſſibili comprehenſæ ſunt, largitus eſt exiſtentiam. Unde nihil nos vetat, admittere, Deum facere bona, quæ culpâ hominum in mala convertantur, quod ipſis per juſtam abusûs gratiarum acceptarum punitionem ſæpè contingit. *Aloyſius Novarinus* (f) *de occultis Dei beneficiis* Librum conſcripſit: poſſet etiam alius confici Liber *de occultis Dei pœnis*, in quo locum, quod ad nonnullos, haberet tritum illud *Claudiani* dictum:

Tolluntur in altum
Ut lapſu graviore ruant.

At dicere, quòd Deus bonum, quo voluntatem pravam ſciebat abuſuram, concedere non debuerit, cùm tamen generalis idea rerum id concedi poſtulet; aut dicere, quòd certa ad hoc impediendum media dare

 debue-

(f) *Aloyſius Novarinus*, Veronenſ. circa annum 1640. floruit: ejus opera, tredecim voluminibus comprehenſa, exſtant.

debuerit, eidem ordini generali contraria, quid aliud eſt (uti aliàs notavi) quàm velle, ut Deus, quo hominem a culpa liberet, ipſe vituperationem mereatur? Objicere autem, quemadmodum hic objicitur, quòd Dei bonitas minor futura ſit, quàm alterius benefactoris, qui donum utilius largiretur, eſt non conſiderare, quòd benefactoris alicujus bonitas uno ſolo beneficio non menſuretur. Facilè contingit, privati cujuſpiam donum majus eſſe dono Principis alicujus, ſed univerſa privati iſtius dona ſimul ſumpta longè ſunt inferiora donis Principis in unum collecta. Ita non ſatis æſtimari Dei dona queunt, niſi dum univerſitas eorum conſideratur, omniaque ad Mundum integrum referuntur. Cæterùm dici poteſt, dona, quæ nocitura præcipiuntur, hoſtium eſſe, ἐχθρῶν δῶρα ἄδωρα·

Hoſtibus eveniant talia dona meis (g).

Sed hoc intellige, quando malitia ſive culpa in dante obſervatur, uti erat in *Eutrapelo* illo, cujus meminit *Horatius* (h), qui hominibus benefaciebat, ut haberent, unde ſibi perniciem adcerſerent: conſilium ejus pravum erat: at Dei conſilium melius, quàm ſit, eſſe non poteſt. Quid enim? an Syſtema ſuum depravare, an minus in Univerſo pulchritudinis, perfectionis, & rationis, eſſe oportebit propterea, quòd ſunt, qui abutantur ratione? Locum hic habent vulgaria dicta: *Abuſus non tollit uſum*; datur ſcandalum datum *& ſcandalum acceptum*.

120. V. *Ens maleficum vel maximè poteſt magnificis muneribus hoſtes ſuos cumulare, cùm novit, eos ſibi perniciem illorum uſu adlaturos: Non igitur Enti infinitè bono convenit liberum Creaturis dare arbitrium, quo eos ad infelicitatem ſuam uſuros certiſſimè novit. Ergò, ſi liberum ipſis præbet arbitrium, ſemper eo rectè utendi artem adjungit, nec eas ullo in caſu artis hujus exercitium negligere ſinit: quodſi certa hujus arbitrii liberi uſum in bono figendi ratio nulla præſto foret, hanc facultatem adimeret potiùs, quàm eis eſſe pernicioſam pateretur. Hoc eo manifeſtius eſt, quod ultro & propria electione ſua eis impertitus eſt non petentibus, ita ut oriturum inde infortunium ei magis imputari debeat, quàm ſi earum importunitati & precibus duntaxat indulſiſſet.*

Quod ſub finem animadverſionis in præcedens axioma dictum fuit, hic repetendum eſt, & ad ſatisfaciendum axiomati præſenti ſufficit. Præterea ſemper

(g) Erat hæc figura Græcis & Latinis Scriptoribus quàm uſitatiſſima, uti *Ovidio*, *Virgilio*, *Propertio*, *Horatio*, *Terentio*, quorum loca vide in *Adagiis Eraſmi*, Centur. II. Chil. III. n. 1. Græci, malum deprecantes, dixerunt, εἴ τι κακὸν, εἰς πύῤῥαν, *ſi quid mali, in Pyrrham*, ſc. *recidat*; Pyrrhæi namque finitimis populis erant infeſtiſſimi.

(h) Lib. I. Epiſt. XVIII. 31.

-- *Eutrapelus cuicumque nocere volebat,*
Veſtimenta dabat pretioſa. Beatus enim jam
Cum pulchris tunicis ſumet nova conſilia & ſpes,
Dormiet in lucem, &c.

ſemper pro certo adſumitur axioma falſum, numero tertio prolatum, nempe quòd creaturarum rationalium felicitas unicus ſit Dei ſcopus. Quodſi ita foret, neque peccatum fortè, neque ærumna, ne concomitanter quidem, contingerent. Deus ſeriem poſſibilium elegiſſet, cuncta iſta mala excludentem. At ſic Deus illi deeſſet, quod Univerſo debetur, hoc eſt, illi, quod ſibimet ipſe debet. Si ſoli Spiritus eſſent, neceſſario nexu, atque ordine temporum locorumque, carerent. Ordo præſens materiam, motum, motuſque leges poſtulat; hæc cum ſpiritibus, quàm fieri poteſt optimè, combinata, tandem in Mundum noſtrum recident. Cùm res non, niſi ſummatim & craſſiore Minerva, conſiderantur, ſexcenta fieri poſſe concipiuntur, quæ locum, ut oportet, habere non poſſunt. Velle, ut Deus creaturis rationalibus liberum arbitrium deneget, eſt velle, ut hujuſmodi creaturæ non exſtent; & velle, ut ſemper caveat, ne arbitrio illo abutantur, eſt velle, ut exſtent illæ creaturæ ſolæ, vel ſaltem cum eo ſolo, quod non, niſi propter illas, factum eſt. Si Deus aliud nihil, quàm creaturas illas rationales ſpectaſſet, impediret utique, ne unquam ſe perderent. Dici tamen aliquo ſenſu poteſt, Deum his creaturis artem libero arbitrio benè ſemper utendi dediſſe; ars enim illa eſt lumen naturale rationis: ſolummodò bene agendi voluntatem ſemper habere oportet; ſed creaturis ſæpè modus deeſt dandi ſibi voluntatem, quam oportet habere: immò ſæpè voluntas deeſt utendi mediis, quæ indirectè bonam voluntatem præſtant, de quo jam plus ſimplici vice locutus ſum. Fatendus hic defectus eſt, agnoſcendumque inſuper, potuiſſe Deum fortaſſis ab eo creaturas immunes præſtare, cùm nihil impedire videatur, quo minùs aliquæ dentur, quarum natura ſit, bonam ſemper habere voluntatem. Verùm reſpondeo, nec eſſe neceſſarium, neque fieri decuiſſe, ut creaturæ rationales omnes tantam haberent perfectionem, qua divinitati tantoperè adpropinquent. Immò nec hoc fortaſsè decus, niſi per ſpecialem Dei gratiam, obtineri poſſet: quo poſito, nec expediret, Deum id omnibus concedere, hoc eſt, reſpectu omnium creaturarum miraculoſè ſemper agere. Nihil rationi diſſonum magis eſſet, quàm miracula hæc perpetua. Sunt quidam in creaturis gradus, id ordo generalis poſtulat. Et divinæ gubernationi convenientiſſimum videtur, ut magnum illud firmitatis in bono privilegium faciliùs detur iis, qui, dum in ſtatu imperfectiore, in ſtatu certaminis & peregrinationis, *in Eccleſia militante*, *in ſtatu viatorum*, egere, bonam habuerunt voluntatem. Ipſi Angeli boni in impeccabilitate creati non fuerunt. Interim tamen adſeverare non auſim, creaturas dari nullas, quæ felices naſcantur, vel quæ ex natura ſua impeccabiles & ſanctæ ſint. Sunt fortaſsè, qui hanc Sanctæ Virgini prærogativam tribuant, cum Eccleſia Romana illam hodie ſuper Angelos collocet. Sed ſufficit nobis, valdè vaſtum, valdeque varium, eſſe Univerſum: velle ei ponere limites, eſt amplitudinem ejus parum noviſſe. At (pergit *Bælius*) Deus creaturis, peccati capacibus, liberum dediſſe ar-

bitrium, quamvis id munus non petiiſſent, eique, qui munus non petentibus largiatur, magis imputari malum inde oriturum, quam ſi precantium importunitati ceſſiſſet. Verùm ſciendum eſt, precum importunitatem nihil facere apud Deum, qui, quid expediat, melius nobis novit, nec, niſi id, quod in univerſum magis prodeſt, indulget. Videtur hic *Bælius* liberum arbitrium in peccandi facultate ponere; alibi tamen agnoſcit, Deum & Sanctos abſque hujus facultatis poſſeſſione liberos eſſe. Quidquid ſit, ſatis ſupra oſtendi, Deo, dum id, quod junctim ſapientia & bonitas ſua jubent, perficit, malum, quod permittit, imputari non debere. Ipſis adeò hominibus, ubi officio ſuo perfunguntur, nequaquam imputantur eventus, ſive iſti ab ipſis prævideantur, ſive non prævideantur.

121. VI. *Æquè certa homini cuipiam vitam eripiendi ratio eſt, ſi laqueum ei ſericum offeras, quo liberè ad ſuſpendium uſurum certiſſimè noſti, atque ſi eum per ſicarii manus confodias. Non minùs mortem ejus expetis, ſi priori modo, quàm ſi alterutro poſteriori utaris: immò maligniori eam conſilio expetere videris, cùm eo ſpectes, ut tota pœna, culpaque tota, ſuæ perditionis penes ipſum ſiet.*

Qui de *Officiis* tractant, uti *Cicero* (i), *S. Ambroſius* (k), *Grotius* (l), *Opalenius* (m), *Sharrokius* (n), *Rachelius* (o), *Puſendorfius*, perinde atque Caſuiſtæ, docent, eſſe caſus, quibus depoſitum reddere non teneamur ei, ad quem pertinet; ita non eſt reddendus pugio, quando conſtat, eum, qui depoſuit, aliquem velle confodere. Fingamus, in meis eſſe manibus fatalem titionem, quo ad *Meleagrum* filium tollendum ſua mater utetur, aut telum incantatum, quo *Cephalus* imprudens *Procrin* ſuam interficiet, aut denique *Theſei* equos, qui *Hyppolitum*, ejus filium, dilacerabunt. Ita, ſi quis a me repetat, jure negabo, uſus futuri conſcius: at quid ſi judex legitimus reſtituere jubeat, cùm funeſtos, quos ſecuturos novi, eventus probare non poſſim, quia *Apollo* mihi forſan, uti *Caſſandræ*, vaticinandi donum dedit, ea nempe lege, ut nemo mihi fidem habeat? Obligarer igitur reſtituere, cùm id ſine mea ipſius pernicie recuſare nequeam; atque ita non poſſum non aliquid ad malum conferre. Aliam

(i) *Offic. Lib. I. c.* 10.

(k) *Offic. L. III. c.* 12. non ſemper promiſſa omnia ſolvenda eſſe docet exemplo *Herodis & Jephthæ.*

(l) *De Jure Belli & Pacis*, L. II. c. 11. ubi agit de Promiſſis, it. *ejuſd. Lib. c.* 16. §. 26. ad quem adnotatur etiam locus ſimilis ex *Puſendorfio* in ed. *Jo. Chriſtoph. Becmanni*, n. 2. p. 778.

(m) *Lucas Opalenius* ſcripſit *de Officiis*, ed. Amſt. 1668. in 12.

(n) *Robertus Sharrok*, Buckinghamenſ. Juris D. mortuus A. 1684. Scripſit inter alia Hypotheſin de Officio ſecundùm jus naturæ, unde caſus conſcientiæ dijudicari poſſunt, contra *Hobbeſium.*

(o) *Samuel Rachelius*, Juris Nat. Profeſſ. Helmſtad. A. 1691. mortuus, egregium in *Ciceronis* Officia Commentarium elaboravit Philoſ. Juridicum, ed. Francoſ. 1668. in 8. & Amſtel. 1686. 8. apud *Henr. Wetſtenium.*

Aliam comparationem accipe : Promittunt *Jupiter Semelæ*, *Sol Phaëthonti*, *Cupido Pſychæ*, ſe, quidquid poſtulatum fuerit, conceſſuros: jurant per Styga :

Di cujus jurare timent & fallere Numen.

Vellent, ſed nimis ſerò, petitionem ſemi-intellectam ſiſtere,

Voluit Deus ora loquentis
Opprimere, exierat jam vox properata ſub auras.

Velles poſt factam petitionem tergiverſari, ab incepto precantem dehortando nequicquam; ſed urgeris, audiſque illud (p).

Ideone juras, fallere ut poſſis fidem?

Lex Stygis ſanctiſſima eſt, nec datur ſubterfugio locus: ſi jurando deliquiſti, magis delinques non præſtando jurata: promiſſo ſtandum eſt ſcilicet, utcumque ſit exigenti perniciosum, cùm tibi perniciosum futurum ſit non ſtetiſſe. Videtur id, quod in fabulis morale eſt, innuere, ſupremam quandam neceſſitatem ad malum permittendum obligare poſſe. Deus quidem judicem, a quo compelli queat ad ſubminiſtrandum id, quod malo eſſe poſſit, agnoſcit nullum, *Jovi* nequaquam ſimilis eſt, qui Stygem timet: at ſua ipſius ſapientia judex eſt, quo majorem reperire non poteſt; ab hoc tribunali nulla datur provocatio; hæc fatorum decreta ſunt. Veritates æternæ, ipſius ſapientiæ objectum, omni ſunt Styge ſanctiores. Hæ leges, hic judex, non cogunt: ſed, quod fortius eſt, perſuadent. Sufficit ſapientiam Deo repræſentare, quodnam e poſſibilibus optimum ſit exercitium ſuæ bonitatis: quo facto, malum, quod ſic admittitur, inevitabilis eſt optimi adpendix. Majus aliquid addam: Permittere malum, uti Deus facit, maxima bonitas eſt.

Si mala ſuſtulerat, non erat ille bonus.

Siniſtro ſanè ingenio præditum eſſe eum oportet, qui poſt hæc dicat, malignius eſſe, totam pœnam, culpamque totam, perditionis ſuæ relinquere perituro. Cui Deus eam relinquit, ad hujus ſortem ea pertinuit, antequàm naſceretur, aderat iſta ab æterno in ipſius idea adhucdum merè poſſibili, ante decretum Dei, quod eum ad exiſtentiam perduxit; poteratne hæc culpa, vel hæc pœna, alteri relinqui vel dari? Non eſt, cur amplius verbum addamus.

122. VII. *Qui verè beneficus eſt, dat promtè, nec dare differt, donec ii, quos amat, longas tolerarint ærumnas, eo privati beneficio, quod ſine mora facillimè & abſque omni ſua moleſtia, largiri potuiſſet. Si virium ſuarum cir-* *cum-*

(p) Ex Gallica *Pſyches* Comœdia, *addit Interpr. Lat.*

cumſcriptione prohibetur benefacere, ſine admiſſo doloris, aut alius cujuſdam incommodi, ſenſu, eo deſcendit; (Vide Dictionar. Hiſtor. Critic. pag. 2261. editionis ſecundæ) *ſed invitus, nec unquam hanc ſe utilem præſtandi rationem uſurpat, quando id fieri poteſt nullum favoribus ſuis malum immiſcendo. Si commodum, quod ex malis, a ſe infligendis, percipi poteſt, e puro bono æquè facilè enaſci poſſet, atque ex malis hiſce, rectam utique viam boni puri, non obliquam, a malo ad bonum ducentem, capeſſeret; Divitiis & honoribus neminem cumulat ideo, ut deinde eorum jactura vehementiùs adfligatur, quo magis voluptati jam adſuevit, ſicque miſerior fiat iis, qui commodis iſtis ſemper caruere. Ens aliquod malignum hac lege benefaceret iis, quos peſſimè odiſſet.* (*Huc refer* Ariſtotelis *locum Rhetor. l. 2. c. 23. p. m.* 446. οἷον εἰ δοίη ἄν τίς τινι, ἵνα ἀφελόμενος λυπήσῃ· ὅθεν καὶ τοῦτ' εἴρηται·

> Πολλοῖς ὁ δαίμων οὐ κατ' εὔνοιαν φέρων
> Μεγάλα δίδωσιν εὐτυχήματ', ἀλλ' ἵνα
> Τὰς συμφορὰς λάβωσιν ἐπιφανεστέρας.

id eſt: *Veluti ſi quis alicui aliquid det, ut* (*poſtea*) *hoc* (*ipſi*) *erepto* (*ipſum*) *adficiat dolore: Unde etiam illud eſt dictum:*

> „ Bona magna multis non amicus dat Deus „
> „ Inſigniore ut rurſus his privet malo.)

Omnes hæ objectiones eodem ferè Sophiſmate laborant; mutant & mutilant ipſam facti ſpeciem, remque non, niſi dimidiatam, efferunt. Deus curat homines, amat humanum genus, ei benè cupit, nihil verius. Interim tamen ſinit labi homines, ſinit eos ſæpè perire, largitur iiſdem bona, in perniciem ceſſura: &, quem felicem efficit, huic prius cumulus ærumnarum tolerandus. Ubi ergò amor, ubi bonitas, immò ubi potentia ejus? Sed futilia ſunt argumenta, quæ rei totius caput reticent, quæ diſſimulant, de Deo ſermonem eſſe. Diceres, matrem, tutorem, aut moderatorem, induci, quorum cura ferè unica adoleſcentis cujuſdam educationem, conſervationem, felicitatemque, ſpectet, & qui officii ſui partes negligant. Deus Univerſum curat, nihil negligit, prorsùs optimum eligit. Si quis nihilominùs improbus eſt, aut infelix, talem utique eſſe ipſi proprium erat. Deus, (inquis) poterat omnibus dare felicitatem, poterat promptè, facilè, nulloque cum incommodo, dare, nam omnia poteſt. Sed num dare debuit? Id cùm non faciat, argumentum eſt, aliter omninò facere debuiſſe. Inde inferre, vel quod tædio quodam, viriumve defectu, homines beare, ac ſtatim, & ſine ulla mali mixtura, bonum dare omiſerit, vel quod bonæ voluntatis carentia purum & abſolutum bonum impertiri negaverit; hoc profectò eſt verum Deum noſtrum contendere

tendere cum invido *Herodoti* Deo (q), vel cum Dæmone Poëtæ, cujus Iambos, a nobis paullo ante Latinè exhibitos, *Ariſtoteles* refert, dante ſcilicet bona, ut, ea tollendo, magis adfligat. Hoc nempe eſt Anthropomorphiſmis perpetuis cum Deo ludere; eſt repræſentare eum, ut hominem, qui ſe totum præſenti negotio debeat, quem ſolis iis, quæ a nobis cognoſcuntur, objectis præcipuum ſuæ bonitatis exercitium tribuere oporteat, & cui potentia vel benevolentia deſit. Enimverò neutra certè Deo deeſt, poſſet ille efficere bonum, quod optaremus, immò vult etiam, ſi hoc bonum per ſe ſpectetur, ſed, poſtpoſitis aliis bonis majoribus oppoſitis, efficere id non debet. Cæterum non eſt, quod queratur aliquis, vix, niſi poſt multas perpeſſiones, & crucis Chriſti bajulationem, ad ſalutem plerumque perveniri; hæc ipſa mala electis, Magiſtro ſuo conformandis, & felicitati eorum augendæ, proſunt.

123. VIII. *Ejus, qui aliorum eſt Dominus, ea demùm maxima ſolidiſſimaque gloria eſt, quam obtinet, inter illos virtutem, ordinem, pacem, animique gaudium, tueri ac fovere. Gloria, quam ex eorum infelicitate eliceret, non, niſi falſa gloria, eſſe poteſt.*

Si Civitas Dei, qualis eſt, nobis nota foret, videremus, regnum eſſe omnium, quæ excogitari poſſunt, perfectiſſimum; virtutem felicitatemque, quantùm fieri poteſt, juxta optimi leges, inibi regnare; peccatum verò & miſeriam (quod utrumque a rerum natura penitùs excludi rationes ordinis ſupremi non permittebant) ſi cum bono comparentur, eſſe pro nihilo ferè computanda, immò ad majora bona prodeſſe. Jam cùm mala iſta exiſtere debuerint, aliquos iiſdem obnoxios eſſe oportebat, & hi aliqui nos ſumus. Si alii forent, nonne eadem ſemper mali ſpecies foret? vel potiùs, nonne alii iſti forent id, quod nunc Nos dicimur? Cùm Deus aliquam gloriam elicit ex malo, dum majori bono illud inſervire curavit, elicere debebat. Non itaque falſam captat gloriam, ut Princeps faceret, qui regnum ipſe ſuum ſubverteret, ut ex inſtauratione laudem conſequeretur.

124. IX. *Domini iſtius erga virtutem amor, quam poteſt maximus, tunc demum eluceſcit, ſi, cùm poteſt, efficit, ut virtus ſine ulla vitii mixtura ſemper colatur. Quodſi hoc ſubditis bonum procurare poteſt, & tamen vitium ſinit inſurgere; quamvis diù toleratum denique puniat, maximo in virtutem adfectu non fertur, multoque minùs infinito.*

Nondum novendecim Axiomatum dimidium abſolvimus, & jam tædet penè eadem refutare, idemque ſemper ingerere. *Bælius* quæ vocat Axiomata, dogmatis noſtris contraria, ſine neceſſitate multiplicat. Ubi res mu-

(q) Variis *Herodotus* locis de Deorum invidia loquitur. Ad *Polycratem* ſcribit *Amaſis*, Lib. III. 40. ἐμοὶ αἱ σαὶ μεγάλαι εὐτυχίαι οὐκ ἀρέσκουσι, τὸ θεῖον ἐπισταμένῳ ὡς ἐστὶ φθονερόν. *Artabanus* ad *Xerxem*, Lib. VII. 10. 5. φιλέει γὰρ ὁ θεὸς τὰ ὑπερέχοντα πάντα κολούειν. conf. infra §. 136.

tuo ſibi nexu copulatæ, partes a ſuo toto, genus humanum a rerum univerſitate, adtributa divina alia ab aliis, potentiam a ſapientia, divelluntur; facile dictu eſt, Deum *efficere poſſe*, & *facile* quidem, ut virtus in mundo ſine ulla vitii mixtura regnet. Sed cùm Deus vitium permiſit, ordo Univerſi, quavis alia rerum collectione potior, id poſtulavit. Itaque judicandum eſt, non licuiſſe illi aliter agere, quia impoſſibile erat, meliùs agere. Hæc verò neceſſitas eſt hypothetica, & moralis, quæ tantum abeſt, ut libertati adverſetur, ut ſit electionis ipſius (*liberæ optimus*) effectus. *Quæ rationi contraria ſunt, ea nec fieri a ſapiente poſſe credendum eſt.* Objicis igitur adfectum, quo Deus in virtutem fertur, omnium qui concipi poteſt, maximum non fore, adeoque nec infinitum. Huic objectioni reſponſum jam fuit ad ſecundum Axioma, ubi diximus, Dei adfectum in rem quamcumque creatam ejuſdem rei pretio proportionatum eſſe: virtus eſt nobiliſſima quidem, ſed non ſola bona qualitas creaturarum. Dantur infinitæ aliæ, quæ Dei inclinationem ad ſe adliciunt: ex omnibus hiſce inclinationibus reſultat quantum plurimum poteſt boni, &, ſi ſola virtus adeſſet, ſi ſolæ rationales creaturæ exſtarent, minùs boni adfore deprehenderetur. *Midas*, ubi nihil, niſi aurum, habuit, minus ſe locupletem agnovit. Adde quod ſapientia variare debeat: rem eandem, quantumlibet nobilem, multiplicare unicè ſuperfluum foret, & inopiam ſaperet: ſexcentos in Bibliotheca ſua *Virgilios*, eleganter compactos, habere, Dramaticos non, niſi *Cadmi* & *Hermiones*, modulos adſiduè cantare, Porcellana vaſa omnia confringere, ut aurea ſola poſſideas, ſolas habere adamantas, ſolis veſci perdicibus, ſolum Hungaricum aut Shiraticum potare vinum, hoccine tu Rationem vocabis? Natura animantibus, plantis, corporibus inanimatis, indigebat; in his creaturis ratione carentibus non pauca miracula, rationi acuendæ exercendæque idonea, reperiuntur. Quid, quæſo, creatura rationalis ageret, ſi nullæ res non intelligentes exſtarent? quid cogitaret, ſi neque motus, neque materia, neque ſenſus ullus, foret? Si ſolas haberet cogitationes diſtinctas, Deus quidam eſſet, ſapientia illimitata frueretur; hoc e meditationibus meis conſectarium quoddam eſt. Simul atque cogitationum confuſarum mixtura datur, ſenſus habes, materiam habes. Nam hæ confuſæ cogitationes e mutua omnium inter ſe rerum, quoad durationem extenſionemque, relatione oriuntur. Hinc fit, ut, juxta Philoſophiam meam, nulla detur creatura rationalis ſine quopiam corpore organico, nec ullus ſpiritus creatus a materia penitùs avulſus (r). Verùm hæc corpora organica non minùs

(r) Sexto loco Theologus Romano-Catholicus ita inſit. Non placet, quod §. 124. dicitur, quòd *nulla detur creatura rationalis ſine quopiam organico corpore, nec ullus ſpiritus creatus a materia penitùs avulſus.*

Interpres Lat. ita defendit ill. *Leibnitium.* Duo (ait) hic adſerit *Leibnitius*: prius, quod nulla detur creatura rationalis ſine corpore

nùs a ſe invicem perfectione differunt, quàm ſpiritus ipſi, ad quos ea pertinent. Cùm igitur ſapientiæ divinæ non tantùm mundo rationalium

corpore quopiam organico. Alterum, quòd nec detur ullus ſpiritus creatus, a materia penitùs avulſus. Incipiamus a poſteriore, cujus ſenſum ut penitùs eruamus, aliquot e litteris *Leibnitii* fragmenta, huc facientia, candidè producemus. Quæſiveram ab ill. Viro, quo pacto cenſeret ab Angelis moveri corpora, cùm, ipſius ſententià, corpus vel materia moveri non poſſit, niſi ab Entelechia, ſive forma propria ejuſdem corporis, ſive materiæ. Reſpondit (anno 1706.) *Angeli non ſunt Entelechiæ corporum, ſed ipſi & Entelechias, nempe mentes, & corpora etiam, meo judicio, habent. Quæ etiam antiquorum Eccleſiæ Doctorum non paucorum ſententia fuit, a qua præter neceſſitatem receſſum eſt, & quaſi non ſatis eſſet verarum perplexitatum, accerſitæ ſunt fictitiæ. Angeli ergò corpora movent, prorsùs ut nos facimus. Illud verum eſt, ſolum Deum novas vires novaſque directiones materiæ poſſe dare, ſeu motus, qui ex ejus priſtinis Entelechiis non conſequantur, idque ad miracula pertinere. Noſſe velim, an apud vos contraria mea opinio de Angelis definita habeatur. Meritò rejecti ſunt, qui Angelos, & omnem creaturam, corpoream eſſe ſtatuerunt; ſed hoc ad eos non pertinet, qui omnes mentes, immò Entelechias omnes, incorporeas eſſe agnoſcunt.* Repoſui: Huic ejus opinioni repugnare Concilium Lateranenſe, & quamvis *Bartholomæus Caranza, Sixtus Senenſis, Melchior Canus, Gregorius de Valentia*, aliique nonnulli, cenſeant Concilium illud nihil de Angelorum pura ſpiritualitate definire, aut tanquam dogma Fidei proponere voluiſſe, immò *S. Thomas*, qui Concilio Lateranenſi pluribus annis poſterior fuit, qu. 16. de malo, art. 1. ex *S. Auguſtino*, Lib. 21. de Civitate Dei, cap. 10. dicat, non multum referre ad Fidei Chriſtianæ doctrinam, ſive dæmones habeant corpora, ſibi naturaliter unita, ſive non habeant, atque ibidem in reſponſione ad 1. addat, fore, ut dæmones adhuc poſſent dici abſolutè ſpiritus, tametſi haberent corpora, ſibi unita; nihilominus tamen ob judicium ferè unanime Theologorum Catholicorum, rem hodie cenſeri plenam temeritatis, ne quid dicatur ſeverius, negare puram ſpiritualitatem Angelorum, conſentientibus jam in eam Doctoribus Catholicis univerſis poſt Magiſtrum diſt. 8. & *S. Th.* qu. 50. art. 1. cum magno fundamento in doctrina revelata. Ita ferè ad verbum *Martinus Eſparſa* qu. 1. de Angelis, art. 10. & ſeqq. Videatur etiam *Dionyſius Petavius* Theologicorum Dogmatum Tomo 3. Lib. 1. de Angelis totis capitibus 2. 3. & 4. maximè cap. 3. n. 10.

Reſpondit *Leibnitius* his verbis: *Sententia de omnimoda ſejunctione Angelorum a corporibus, non rationem, non ſcripturam, ſed ſolam opinionem communem Scholarum pro fundamento habet. Concilium Lateranenſe loqui non definitivè, ſed diſcurſivè, ex recepto tunc ſenſu, verba ſatis oſtendunt. Ut aliqui Angeli, quos cum* Thoma Aquinate *Aſſiſtentes vocas, a corporibus ſejuncti ſint prorſus, meæ, ni fallor, demonſtrationes non admittunt, & facilè id paterer de omnibus, quod de aliquibus ferri poſſet. Eum tamen corporis uſum Angelis tribui poſſe arbitror, ut non ineptè dicantur* Formæ aſſiſtentes, potiùs quam inhærentes, (*ſive informantes*) *non quod Entelechiarum officium non faciant, ſed quod corpori non ſint adfixa. Arbitror enim (cùm naturaliter poſſibile ſit, & ad perfectionem Univerſi faciat) eſſe Entelechias, quæ facillimè mutant corpus, ſeu de corpore in corpus tranſeant, non momento quidem (nihil enim ſic fit naturaliter) ſed brevi tamen tempore, licet per gradus, ubi pars, quam retinent, ſervit mutandæ parti, quam deponunt, etſi etiam ipſa deinde pro re nata mutetur, uti nos manûs ope poſſumus pedem mutare, & ligneum carneo ſubſtituere, immò ope unius manûs poſſemus mutare alteram manum, & ope novæ manûs rursùs priorem, ſi novam ſatis unire liceret. Ita ſemper aget Angelus*

creaturarum, ſed etiam mundo corporum, mundo ſubſtantiarum, perceptionis capacium, rationis incapacium, opus ſit; denique cùm inter omnia id

per corpora, ſemperque locum habebit Harmonia præſtabilita, ſic ut, quæ vult Angelus, fiant ex ipſa corporum lege, ferè ut Suarezium *dicere memini, ex quorundam ſententia res ita præordinatas eſſe, ut voluntatibus precibuſque Beatorum ſponte ſatisfaciant. Aſſiſtentes igitur formas voco, quæ pro arbitrio corpus ſumunt atque deponunt, &, quod habent, transformant; inhærentes atque animantes, quæ tale arbitrium non habent, etſi hoc arbitrium ſuis limitibus coerceatur, ut cuncta naturali ordine procedant: ſolius enim Dei eſt, quodvis facere e quovis. Et priores putem a corpore ſecretas dici poſſe, poſteriores corpori adfixas. Fatendum tamen eſſe, ambas corpori unitas eſſe, ut rationem habeant Entelechiæ. Et hoc videtur eſſe ad mentem* Auguſtini *Lib.* 21. *de Civitate Dei, cap.* 10. *a* Thoma *citati, qu.* 16. *de Malo, art.* 1. *poſſe ſcilicet Dæmones* (vel Angelos) *dici ſpiritus, quod corpora ſibi magis ſubdita habeant. Itaque nec intelligentiis iſtis animarum, nec Angelis ipſis, animalium adpellationem tribuemus. Cæterum corporis mutatio nihil habet, quod non receptis conſentiat, nam & nos corpus mutamus, ut fortaſsè ſenes nihil materiæ infantilis retineamus; tantùm hoc intereſt, quòd neque ſubito, neque pro arbitrio corpus exuimus.*

Ad ipſa reſponſum fuit: Ad perfectionem harmoniamque Univerſi ſatis fore, ſi mentes Angelicæ corporibus accidentaliter ſolùm conjungerentur; inter corpora ipſa harmoniam eſſe, nec tamen ideò inter illa ſubſtantialem intercedere unionem, hac enim fieret, ut omnia corpora unum forent ſuppoſitum, quare nec neceſſe eſſe, ut ex mente Angelica & corpore una conſtituatur perſona; conſtitueretur autem, ſi Angelus ex corpore & mente velut Entelechia, ſive forma, conſtaret. Tum ut *Leibnitius* ad ſententiam, a Scholaſticis receptam, adduceretur, indicatus ei fuit locus *Eſparſæ*, docentis, Angelos omnes ex natura ſua referri (*accidentaliter*) vel immediatè, vel ſaltem mediatè, ad aliquod determinatum corpus, quod ad determinatam corporum collectionem, atque cum illo, aut illis, peculiariter connecti in ratione motoris & directoris (videatur *Eſparſa* de Angelis qu. 5. art. 6.) Neque hæc ſententia ab *Ariſtotele* aliena eſt, qui teſte *S. Thoma* 1. p. qu. 50. art. 3. in corp. *Poſuit, quod illæ naturæ perfectiores* (Angelicæ) *habent ordinem ad ſenſibilia ſecundùm rationem moventis.* Immò *S. Thomas* ipſe 1. p. q. 61. art. 4. ad 1. ad argumentum hoc: *Angeli ſunt ſubſtantiæ incorporeæ, ſed ſubſtantia incorporea non dependet a corpore ſecundùm ſuum eſſe: & per conſequens neque ſecundùm ſuum fieri. Ergò Angeli non ſunt creati in loco corporeo.* Reſpondet: *Angelos factos eſſe in loco corporeo ad oſtendendum ordinem ad naturam corpoream, & quòd ſua virtute corporea contingunt.*

Quæſitum tandem, cenſeretne *Leibnitius*, animas, humano corpore exutas, adhuc unionem cum aliquo corpore retinere: &c.

Reſpondet ſequentia: *Valdè placet* Eſparſæ *locus, neque ego illud Peripateticorum dogma ſperno, qui relationem ad determinatam materiam, etſi pro tempore aliam atque aliam, ad numericam ſubſtantiarum diſtinctionem requirunt; de Deo res ſecùs habet, qui ſufficiens ſibi, cauſa eſt materiæ & aliorum omnium: itaque non eſt anima Mundi, ſed Auctor. Naturale verò eſt creaturis materiam habere, neque aliter poſſibiles ſunt, niſi Deus per miraculum ſuppleat materiæ munus, at quæ non, niſi per miraculum, præſtari poſſunt, non ſunt regulariter neceſſaria ad perfectionem Univerſi. Spiritus infinitus in corpora agit creando & conſervando, quod quædam creandi continuatio eſt. Hoc ſpiritui finito communicari non poteſt. Cùm de adſiſtentibus Formis locutus ſum, non ad* Thomæ *diſtinctionem, quam memoras, reſpexi inter Angelos Deo adſiſtentes & miniſtrantes* (*quanquam Scriptura omnes adpellet miniſtratores ſpiritus*) *ſed ad Peripateticas phraſes, Deo adſiſtentes intelli-*

id eligendum fuerit, quod effectum optimum ſimul & in ſumma præſtabat, vitium autem hac rima irrepſerit, utique, vitium excludendo, Deus nec perfectè bonus, nec perfectè ſapiens, fuiſſet.

intelligentias, quæ nihil aliud agant, neque Deo ſint adminiſtræ, convenire rerum ordini non puto. Has enim removere a corporibus & loco, eſt removere ab univerſali connexione & ordine mundi, quem faciunt relationes ad tempus & locum. An verò neceſſe ſit, Angelum eſſe formam informantem, ſeu animam corporis organici, quæ ei perſonaliter uniatur, alia quæſtio eſt, & certo ſenſu, in præcedente epiſtola expoſito, negari poteſt. De ſtatu animæ humanæ ſeparatæ nihil certi definire poſſum, cùm præter regnum naturæ hic influat regnum gratiæ. Cur autem certa materia ſecunda ipſi adfigatur uſque ad reſurrectionem, cauſam nullam video.

Ex his excerptis videre eſt. Primò, quòd *Leibnitius* exiſtimet, ſententiam de pura Angelorum ſpiritualitate non eſſe definitam in Concilio Lateranenſi. Secundò, quòd probet opinionem *Eſparſæ*, qui connexionem mentis Angelicæ cum corporibus ſtatuit in mera quadam ejus relatione ad corpus, vel corpora, in ratione motoris vel directoris. Tertiò, quòd dicat, certo ſenſu, in præcedente Epiſtola expoſito, negari poſſe, Angelum eſſe formam informantem corpus organicum, quod habet, dicique poſſe, quòd ſit forma tantum adſiſtens, eo ferè modo, uti quidem arbitror, quo animam humano corpori velut naturam navi adſiſtere *Plato* fertur docuiſſe; qui profectò modus non ſufficit, ut ex Angelica mente & corpore fiat una ſubſtantia. Quartò denique, quòd dicat, poſſe dici, quòd mens Angelica non uniatur corpori perſonaliter. Certè facultas illa, quam Auctor Angelicæ menti tribuit, exuendi pro libitu corporis, non videtur cadere in formam incompletam, & propriè informantem, cùm ſuppoſitum Angelicum, ſive perſona Angeli, ſaltem regulariter loquendo, natura prius conſtituta eſſe debeat, quam ejuſdem voluntas actum ſuum eliciat.

Ut ut eſt, ſi inter Angelicas mentes & corpora ſubſtantialem nexum ſtatuat Auctor, (uti quædam ejus locutiones, ſuprà adductæ, indicare videntur) oppoſita ſententia, quæ Angelos neque corpore, neque materia, conſtare docet, omninò tenenda eſt, quam *ſententiam* (teſte *Petavio* ſuprà cap. 3. num. 10.) *non ſolùm Theologi ſequuntur omnes, ſed contrariam etiam, ut non prorſus hæreticam, ſic hæreſi proximam, eſſe judicant. Nam quo minùs hæretica planè cenſeatur, id unum facit, quòd nondum ea res liquido ab Eccleſia diſceptata ſit. Quippe Lateranenſe Decretum illud non ex inſtituto partem eam definire voluit; ſed in hoc unum intenta fuit Synodus, ut utriuſque conditorem naturæ Deum eſſe contra Manichæos ſtatueret, cætera verò ex recepta per id tempus opinione breviter intexuit.* Ita quidem cenſet *Petavius*: alii tamen cum *Eſparſa* (qu. 1. de Angelis, art. 12.) cenſent Lateranenſis Concilii *Propoſitionem*, de qua controvertitur, *ſuperadditam ac intentam fuiſſe ratione ſui, ad exponendam & determinandam diſtinctionem & naturam rerum ipſarum creatarum.*

Mitigari fortaſsè poſſet Auctoris ſententia, & ita explicari, ut tantùm voluerit inter ſpiritum Angeli & corpus aliquod neceſſariò debere ſemper intercedere peculiarem aliquam relationem, ſive unionem, accidentalem, quæ fundet reſpectum ſpiritûs ad tempus & locum, & vi cujus mens Angelica poſſit agere naturaliter in illud corpus, adeoque ſit velut analogica forma corporis illius, ita tamen, ut ex corpore & mente illa non fiat una ſubſtantia. Id enim ſolùm probant, ſi quid probant, argumenta *Leibnitii*, ab Univerſi perfectione, ordinem connexionemque partium requirente, deſumta, quæ ſicut & cæteras ejus rationes expendemus in notis. An verò vel ſic mitigata ſuſtineri poſſit, aliorum eſto judicium.

Secunda Pars, *quòd nulla detur creatura rationalis*

125. X. *Summum odium vitii non eluceſcit in eo, qui id valdè diù regnare ſinit, & deinde caſtigat, ſed potiùs in eo, qui ante ortum elidit, hoc eſt, qui impedit, ne uſpiam ſeſe exerat. Rex, verbi gratiâ, qui ærario ſuo tam providè conſuleret, ut omnis in adminiſtrando mala fraus perpetuò exularet, magis alienum a publicanorum injuſtitia animum proderet, quàm ſi eos, populi ſanguine ſaginatos, cruci daret.*

Semper eadem cantilena, purus putus anthropomorphiſmus. Regi certè nihil cordi magis eſſe debet, quàm ſubditos ſuos ab oppreſſione vindicare. Ejus longè plurimùm intereſt, ærarium ſuum rectè conſtituere. Interim tamen ſubinde vitium & corruptelas tolerare cogitur. Puta, bellum ingens imminet, nec nervus rerum gerendarum, nec ducum ſupremorum delectus, præſto eſt: itaque ſolerter & leniter tractandi ii, qui ſuppetunt, magnaque apud milites auctoritate valent, *Braccius*, *Sfortia*, *Wallenſteinius* aliquis. In neceſſitatibus urgentibus deeſt pecunia, confugiendum ad viros benè nummatos, qui fide inter trapezitas polleant, ſimulque fraudibus eorum connivendum eſt. Verum quidem eſt, miſeram hanc neceſſitatem e præcedentibus delictis plerumque oriri. Non ita in Deo ſe res habet, nemine indiget, nihil peccat, optimum ſemper tenet. Melior rerum curſus ne optari quidem poteſt, ſi ritè intelligatur: & vitium foret in Auctore rerum, ſi occurrens in optima ſerie vitium arcere vellet. An hic perfectæ gubernationis ſtatus, in quo quantùm fieri poteſt,

rationalis ſine corpore organico, num interpretationem aliquam tolerabilem patiatur, pronunciare non auſim; nam licèt, ut ſuprà vidimus, definire non audeat, animam humanam ſeparatam ante reſurrectionem *certum* corpus ſibi adfixum habere; pro conſtanti tamen principio paſſim alibi ponit, Monadas, uti vocat, ſive ſubſtantias ſimplices, naturaliter nunquam interire; unde ſequitur, neque Entelechias, ex quibus, & materia prima, monades conſurgunt, a materia prima ſibi propria naturaliter eſſe ſeparabiles. Illud verum eſt, aliud eſſe *Leibnitio* corpus organicum, aliud materiam illam primigeniam: hanc enim ab Entelechia inſeparabilem ſtatuit; illud verò fluxum & temporis decurſu mutabile. Ego nec iſtam Entelechiarum a materia inſeparabilitatem, ad animas etiam humanas extenſam, probare poſſum, tum quia hactenus in Scholis Chriſtianis inauditam, ne quid gravius dicam, tum etiam, quia cùm animæ humanæ ſecundùm gradum rationalitatis in tempore creentur a Deo; uti orthodoxè Auctor docet, ſi anima humana & materia iſta a ſe invicem inſeparabiles eſſent, dicendum eſſet, materiam illam primigeniam cum anima creari uno tempore, (quod neſcio, an ullus unquam dixerit) alioqui materia illa ſine anima ante creationem animæ exſtitiſſet. Nec dicet Auctor, hanc materiam quidem ſine ſua anima naturaliter exiſtere poſſe & exſtitiſſe, non verò reciprocè animam ſine ſua materia. Hoc enim, præterquàm quòd gratis dicatur, probaret, monadas generari, adeoque & corrumpi poſſe, quod principiis Auctoris adverſatur. Sed hæc omnia fuſiùs explicabuntur, & diſcutientur in notis. De Angelis nihil eſt, quod addam ad ea, quæ ad prius membrum monui, niſi quod facile fuerit Auctori noſtro corpus organicum cuilibet ubique Angelicæ menti coaptare, cùm organiſmum in natura ubique inveniri, & omnes corporeos motus non, niſi per organa mechanica, peragi ſtatuat.

teſt, intenditur in bonum, in quo malum ipſum majori bono deſervit, cum Principis alicujus ſtatu comparari poteſt, cujus res acciſæ ſunt, quique ſibi qua poteſt conſulit; aut cum ſtatu Principis, qui ipſe oppreſſioni favet, ut eam deinde puniat, quique tenuiores ad manticam redactos, primores in ferali pegmate plectendos, videre geſtit?

126. XI. *Dominus aliquis, commodis virtutis, & ſubditorum proſperitati, ſtudens, omnem eo curam intendit, ut ne unquam legibus illi ſuis obſequium detrectent, & ſi ob contumaciam mulctandi ſunt, ita rem inſtituit, ut eorundem propenſioni ad malum pœna medeatur, inque eorum mentibus firmam conſtantemque ad bonum diſpoſitionem reſtituat; tantum abeſt, ut ipſa culpæ caſtigatione magis magiſque ad malum eos inclinari velit.*

Ut homines fiant meliores, Deus, quidquid oportet, immò quidquid ex ſua parte poteſt, facit, ſalvo eo, quod ſibi debet. Frequentior punitionis ſcopus eſt emendatio, ſed nec unicus, neque ſemper, Deo propoſitus, uti jam ſuprà dictum eſt. Peccatum originis, quod homines in malum pronos efficit, non eſt nuda primi peccati pœna, ſed inſuper naturalis ejus adpendix. De eo paucis etiam egimus in animadverſione ad quartam propoſitionem theologicam. Nempe, uti ebrietas intemperantis potationis & pœna eſt, & ſimul adpendix naturalis, ad nova peccata facilè pertrahens.

127. XII. *Malum, quod impediri poteſt, permittere, eſt parum curare, utrum committatur, nec ne, aut etiam optare, ut committatur.*

Minimè gentium. Quàm ſæpè mala permittunt homines, quæ ſi omnem eo conatum verterent, utique poſſent impedire? Sed aliis curis gravioribus prohibentur. Rarò rei monetariæ corruptela, flagrante bello arduo, corrigenda ſuſcipitur. Et quod eo in genere ſupremus Senatus Anglicanus paullo ante Riſvicenſem pacem præſtitit, laudatores potiùs, quàm imitatores, inveniet. Num inde licet arguere, quod Res publica confuſionem illam inſuper habeat, immò optet? Atqui Deus longè graviorem, ſeque digniorem, mala tolerandi cauſam habet. Non ſolùm majora inde bona elicit, ſed etiam ea ipſa mala cum bonis, omnium poſſibilium maximis, connexa reperit, ita ut vitium potiùs foret, ea non permittere.

128. XIII. *Magnum in regnantibus vitium eſt, parum curare, utrùm in ſuis ditionibus ſit corruptela, nec ne; majus adhuc vitium, ſi corruptelam velint optentque. Quodſi iidem viis occultis ac indirectis, ſed falli neſciis, ſeditiones excitent, eo conſilio, ut, poſtquam res exitio quàm proximè admoverint, palam omnibus faciant, nec animos, nec prudentiam, ad ampliſſimum regnum ab imminente interitu vindicandum neceſſarios, ſibi deeſſe, ob peſſimam inanis gloriæ captationem, vituperio ſanè maximè digni forent. Quòd ſi verò ſeditionem iſtam excitarent, quia præter hanc alia ſubditorum exitium præveniendi, & populorum felicitatem novis ad plura ſæcula fundamentis firmandi, via nulla ſuppeteret, lugenda foret hæc miſera neceſſitas, ad quam*

adacti

adacti fuiſſent; ipſi verò laudandi, quòd ea benè uſi fuiſſent.

Hoc Axioma, cum aliis pluribus, quæ hoc loco producuntur, ad divinam gubernationem adplicari nequeunt. Nam præterquam quòd minima Regni ejus pars ſit ea, cujus corruptelæ nobis objiciuntur, falſum eſt, quòd mala non curet, quòd illa optet, quòd denique ſuſcitet, ut in iis ſedandis gloriam captet. Deus ordinem & bonum vult, ſed quandoque fit, ut id, quod in parte ſit confuſio, in toto ordo evadat. Jam ſupra illud Juris axioma laudavimus: *Incivile eſt, niſi tota lege inſpecta, judicare.* Permiſſio malorum ex morali neceſſitate quadam exoritur: ad hanc Deus compellitur ſapientia & bonitate ſua; hæc *neceſſitas eſt felix*, cum contrà neceſſitas Principis, de quo axioma loquitur, infelix ſit. Status regni ſui eſt corruptiſſimus, at Dei regnum ſemper florentiſſimum eſſe neceſſe eſt.

129. XIV. *Mali alicujus permiſſio tum demùm excuſari poteſt, cum ſine majoris mali introductione impediri nequit, ſed ceſſat excuſatio in iis, quando præſentiſſimum remedium præſto eſt, & huic malo, & aliis omnibus, ex illius ſuppreſſione orituris.*

Hoc Axioma verum eſt, ſed contra Dei gubernationem adduci nequit. Suprema Ratio malum ei permittere ſuadet. Si Deus abſolutè & per omnia optimum non eligeret, malum admitteret omnibus, quæ via hac vitaret, majus. Electio iſta prava ejus aut ſapientiam, aut bonitatem, everteret.

130. XV. *Ens infinitè potens, & materiæ ſpirituumque conditor, ex hac materia, hiſque ſpiritibus, quidquid lubet, efficit. Nullus ſitus eſt, figura nulla, quam cum ſpiritibus communicare nequeat. Si itaque malum aliquod, ſive phyſicum, ſive morale, permitteret, non ideo permitteret, quia abſque hac permiſſione majus adhuc aliud malum quodpiam, ſive phyſicum, ſive morale, vitari neutiquam poſſet. E rationibus mixturæ boni ac mali, quæ in limitata benefactorum virtute fundantur, nulla in Deum aptari poteſt.*

Verum eſt, Deum e materia & ſpiritibus efficere, quidquid ei libet, ſed egregii ſculptoris inſtar habet, qui e rudi ſuo marmore nihil effingere ſtatuit, niſi quod judicat optimum, beneque judicat: Deus e materia omnium poſſibilium elegantiſſimam conſtruit; e ſpiritibus imperium omnium, quæ cogitari poſſunt, præſtantiſſimum format; inſuperque ad utriuſque unionem, juxta propoſitum a me Syſtema, harmoniam omnium perfectiſſimam ſtabilit. Cùm igitur hoc in opere perfectiſſimo malum phyſicum & morale reperiatur, inde judicandum eſt (contra quam *Bælius* hìc contendit) *majus adhuc malum abſque hoc permiſſu nullatenùs vitari potuiſſe.* Malum certè maximum eſſet, Deum malè eligere, ſi aliter, atque elegit, elegiſſet. Verum quidem eſt, Deum eſſe infinitè potentem, ſed potentia ejus indeterminata eſt, bonitas ac ſapientia, junctim ſpectatæ, ad producendum optimum eam determinant. *Bælius* alibi objectionem ſibi propriam profert, deſumtam e Carteſianorum recentiorum opinionibus,

bus, adſerentium, potuiſſe Deum animabus, quas voluiſſet, cogitationes indere, eaſque ab omni ad corpora reſpectu abſolvere: hac certè via animæ ab ingenti malorum, e ſola corporum intemperie provenientium, iliade redderentur immunes. Sed de hoc ſermo recurret inferiùs, nobis hic ſufficit conſiderare, non poſſe Deum Syſtema malè compactum, & diſſonantiis plenum, conſtituere. Animarum natura ex parte eſt, corpora repræſentare (s).

131. XVI. *Eventus alicujus perinde cauſa eſt, qui moralibus, quam qui phyſicis illum viis procurat. Status publici Adminiſter, qui domi manens, & factionis alicujus capitum adfectibus in rem ſuam duntaxat utens, omnia illorum conſilia diſturbaret, non minùs huic ipſi factioni ruinam intuliſſet, quàm ſi eam manu armiſque deſtruxiſſet.*

Adversùs hoc Axioma nihil habeo dicere. Malum ſemper cauſis moralibus, non ſemper cauſis phyſicis imputatur. Adverto ſolùm, ſi peccatum alienum niſi peccato meo impedire nequeam, me ejus permittendi rationem habere, nec illius me complicem, aut cauſam moralem, fore. In Deo defectus omnis locum peccati haberet, immò plus, quàm peccatum, eſſet, quia deſtrueret divinitatem. Magnus autem in eo defectus eſſet, non eligere optimum, uti jam ſæpiùs dixi; impediret ergò peccatum per aliquid omni peccato pejus.

132. XVII. *Idem prorſus eſt, cauſam quis neceſſariam adhibeat, an liberam, ſi momenta deligat, in quibus libera ipſa eſſe determinata cognoſcitur. Fingamus, pulverem tormentarium poteſtatem habere ſe accendendi, vel non accendendi, cùm igni admovetur, ſed certò ſciri, eum ita eſſe comparatum, ut horâ octavâ matutinâ accendi velit, ego non minùs effectuum ejus ero cauſa, ſi ignem illi eâ horâ adplicem, quàm forem in vera ſuppoſitione, quòd ſit cauſa neceſſaria. Nam reſpectu mei non ampliùs eſſet cauſa libera, ſi ſcilicet pulverem eo momento adriperem, quo propria electione libertatem exuiſſe ſcirem. Impoſſibile eſt, aliquid eſſe liberum, ſive indifferens ad id, ad quod jam eſt determinatum, & quo tempore eſt determinatum.* (Τὸ ἐιναῖ τὸ ὂν, ὅταν ᾖ, καὶ τὸ μὴ ὂν, μὴ ἐιναῖ, ὅταν μὴ ᾖ, ἀνάγκη. Neceſſe eſt, id, quod eſt, quando eſt, eſſe; & id, quod non eſt, quando non eſt, non eſſe. *Ariſtot.* de interpret. Cap. 9. *Nominales hoc* Ariſtotelis *axioma adoptarunt.* Scotus, *aliique Scholaſtici non pauci, videntur illud repudiare; ſed reverâ eorum diſtinctiones in idem recidunt. Vide Conimbricenſes Jeſuitas in hunc* Ariſtotelis *locum p.* 380. *& ſeqq.*)

Hoc quoque Axioma tranſmitti poteſt: ſolùm in phraſibus nonnihil immutare vellem. Non ſumerem *liberum* & *indifferens* pro eodem, nec *liberum* opponerem *determinato*. Nunquam perfectè indifferentes ſumus in-

(s) Addit *Interpr. Lat.* „Itaque non æquè ſpiritibus congruentem, judicare poquemvis ſitum, aut quamvis figuram, teſt.“

differentiâ æquilibrii; ſemper magis inclinamur, & conſequenter determinamur ad unam partem magis, quàm ad alteram: non ideo tamen ad id, quod eligimus, neceſſitamur. Intelligo hîc neceſſitatem *abſolutam* & *metaphyſicam*; nam Deum, & ſapientem, in optimum neceſſitate ferri *morali*, fatendum eſt. Fatendum etiam eſt, agens liberum neceſſitate hypothetica adſtringi, dum electio actu fit: immò, antequam fiat, cùm electio futura ſit, ipſa futuritionis veritate neceſſitatur. Hæ neceſſitates hypotheticæ nihil libertati officiunt, deque iis ſuprà abundè locuti ſumus.

133. XVIII. *Quando populus ingens totus perduellionis reus, non ſatis clementiæ eſt, centies milleſimæ parti ignoſcere, reliquos omnes, ne pueris quidem lactentibus exceptis, neci tradere.*

Videtur hic pro certo ſumi, centies millies plures damnandos eſſe, quàm ſalvandos, & infantes, ſine baptiſmo mortuos, e numero damnatorum eſſe. Utrique poſitioni contradicitur, & maximè damnationi infantum, de qua ſuprà locuti ſumus. *Bælius* eandem objectionem alibi urget. (Reſponſ. ad Provincialem, cap. 178. p. 1223. tom. 3.) *Manifeſtè videmus*, inquit, *ſupremum Dominum, qui, dum civitas aliqua rebellavit, clementiam pariter atque juſtitiam exercere ſtatuit, contentum eſſe debere animadverſione in exiguum numerum rebellium, & veniam dare reliquis omnibus. Nam ſi pœnas dantium numerus, comparatus iis, quibus venia datur, ſit ut mille ad unum, clemens profectò dici nequit, & crudelis audit. Quòd ſi ſupplicia diuturna eligeret, & ſanguini tantùm ideò parceret, quia mortem vitæ miſeræ præoptandam eſſe probè noviſſet, ſi denique in his ſuppliciis magis vindictæ cupiditatem, quàm bono publico inſerviendi ſtudium, ſpectaſſet, procul dubio Tyrannus execrabilis reputaretur. Facinoroſi, qui ſupplicio adficiuntur, vitæ ſuæ jacturâ expiare ſua crimina tam cumulatè cenſentur, ut populus nihil ultrà exigat, immò etiam indignetur, ſi quando carnifices imperitè ſuo munere defunguntur. Lapidarentur, ſi conſtaret, eos datâ operâ ſecuris ictus ingeminare: nec judices, qui ſupplicio adſiſtunt, a periculo tuti forent, ſi diro hoc carnificum ludo delectari, & eos ad id occultè hortati fuiſſe crederentur.* (*Nota, hoc nimis univerſim & rigidè intelligendum non eſſe; dantur enim caſus, quibus populus quoſdam nocentes lento igne confici non improbat, uti dum* Franciſcus I. *nonnullos, hæreſeos adcuſatos, poſt famoſa anni* 1534. *edicta, concremari juſſit. Nemo* Ravalliaci, *multis horrificiſque modis excarnificati, vicem doluit. Vide Mercurium Gallicum, Tom. I. fol. mihi* 455. *& ſeq. Vide etiam* Petrum Matthæum (t) *in Hiſtoria obitus* Henrici IV. *nec*

(t) *Petrus Matthæus*, Hiſtoricus Regis Gall. A. 1621. mortuus, annos natus quinquaginta quinque. Fata hujus Regis eleganter etiam deſcripta par Meſſire *Hardouin de Pereſixe*, Amſt. 1664. 12. ubi ad A. 1610. p. 496. de ſupplicio *Franciſci Ravalliaci*: Il fut pris ſur le champ, interrogé à diverſes fois par des Commiſſaires du

nec obliviſcere, quod pag. mihi 99. refert de iis, quæ de Parricidæ hujus ſupplicio judices diſcuſſere.) *Denique nihil ferè tam evidens eſt, quàm Principes ſupremos, qui* Sancti Pauli *exemplo omnes, quotquot ille æternâ morte damnavit, extremo ſupplicio condemnarent, pro hoſtibus humani generis, & ſocietatum deſtructoribus, habitum iri. Extra controverſiam omnem eſt, eorum leges juxta Legiſlatorum ſcopum adeò non inſervire ſocietati conſervandæ, ut potiùs in ejus ruinam penitùs vergerent. (Adplica huc verba* Plinii junioris, Epiſt. 22. Lib. 8. *Mandemus memoriæ, quod vir mitiſſimus, & ob hoc quoque maximus, Thraſea crebrò dicere ſolebat, qui vitia odit, homines odit.)* Addit, de *Draconis*, Athenienſium Legislatoris, legibus dictum fuiſſe, eas non atramento, ſed ſanguine conſcriptas, quia peccata quælibet extremo plectebat ſupplicio; addit inſuper, damnationem infinitè majus eſſe morte ſupplicium. Sed conſiderandum eſt, damnationem eſſe peccati ſequelam, & alias amico, objicienti inæqualitatem, quæ inter pœnam æternam & crimen finitum intercedit, reſpondi, nullam hìc eſſe injuſtitiam, ubi continuatio pœnæ tantùm ſequitur delicti continuationem, de quo ſermo redibit inferiùs. Quod damnatorum numerum adtinet, etiamſi is inter homines ſine comparatione major eſſet numero ſalvandorum, nihil tamen vetaret, in univerſo creaturas felices longiſſimè numero ſuperare infortunatas. Principis, ſola rebellionis capita plectentis, aut Ducis, legionem decimantis, exemplis nihil hic evincitur. Utilitas propria Principem Ducemque cogunt veniam dare nocentibus, etiamſi in ſcelere perſeverarent. Deus non, niſi reſipiſcentibus, veniam concedit, poteſtque eos diſcernere, & hæc ſeveritas perfectæ juſtitiæ magis congruit. At, ſi quis quærat, cur Deus omnibus converſionis gratiam non largiatur, in aliam quæſtionem dilabitur, quæ ad præſens axioma nihil facit. Reſpondimus jam tum aliquatenùs, non ſanè ut Dei rationes ſcrutaremur, ſed ut rationes ei deeſſe non poſſe, nec ullas contra militare validas, palam faceremus. Cæterùm ſcimus, ſæpè civitates integras exſcindi, & incolas omnes ad internecionem deleri, ut aliis terror incutiatur. Id uſui eſſe poteſt ad bellum ingens rebellionemve celeriter finiendam, ſicque parcitur ſanguini, dum effunditur, nullaque ibi decimatio eſt. Non equidem adſeverare poſſumus, improbos globi noſtri tam ſeverè puniri ad terrendos corrigendoſque aliorum globorum cives; ſed aliæ ſatis multæ rationes, ex univerſali harmonia petitæ, nobis incognitæ, qui nec civi-

 tatis

du Parlement, jugé, les Chambres aſſemblées, & par Arrêt tiré à quatre chevaux dans la Grève, après avoir été tenaillé aux mammelles, aux bras & aux cuiſſes, ſans qu'il témoignât la moindre émotion de crainte ni de douleur dans de ſi étranges tourmens. Ce qui confirmoit bien le ſoupçon qu'on avoit, que certains Emiſſaires ſous le maſque de pieté, l'avoient inſtruit & l'avoient enchanté par de fauſſes aſſurances qu'il mourroit martyr, s'il tuoit celui qu'ils lui faiſoient croire être l'ennemi juré de l'Egliſe. "

tatis Dei amplitudinem, nec generalis ſpirituum Rei publicæ formam exactius, quàm corporum architecturam omnem, perſpectas habemus, eundem præſtare effectum queunt.

134. XIX. *Medici, qui multis e remediis, ſanando ægroto aptis, quorum plura ab ægroto cum voluptate ſumenda certiſſimè noſſent, illud unum ſeligerent, quod ab illo reſpuendum ſcirent, incaſſum hortarentur rogarentque ægrotum, ut ne remedium illud recuſaret, juſtaque adeſſet cauſa credendi, nullam eos ſanandi ægroti voluntatem habuiſſe. Nam ſi ſanare volebant, e præſentibus illis remediis aliquod elegiſſent, quod ab illo non ægrè deglutiendum noverant. Quodſi aliunde illis exploratum eſſet, ipſam remedii oblati recuſationem ita morbi vires aucturam eſſe, ut letum adferat, quis non dicat, medicos illos, non obſtantibus cunctis illorum hortationibus, ægroti mortem in votis habuiſſe.*

Deus vult omnes homines ſalvos reddere, hoc eſt, ſalvaret eos, ſi homines ipſi obicem non ponerent, nec recipere ejus gratias repudiarent; at neque tenetur, aut a Ratione compellitur, malam eorum voluntatem ſemper edomare. Edomat tamen quandoque, ubi rationes ſuperiores id permittunt, & ubi eum ſua voluntas conſequens ac decretoria, ex omnibus rationibus enaſcens, ad certum hominum numerum eligendum determinat. Omnibus auxilia largitur ad converſionem, & ad perſeverantiam, hæcque auxilia in iis ſufficiunt, qui bona voluntate non deſtituuntur, ſed non ſemper ſufficiunt ad dandam bonam voluntatem. Hanc obtinent homines, ſive per auxilia peculiaria, ſive per circumſtantias, quibus auxilia generalia redduntur efficacia. Nec poteſt non offerre Deus etiam remedia, quæ eos repudiaturos novit cum culpæ incremento: ſed numquid Deum, ut homo minùs nocens ſit, injuſtum eſſe voles? Adde quòd gratiæ, quæ uni non proſint, alteri prodeſſe poſſint, immò ſemper proſint ad divini operis omnium, quæ concipi queant, optimi integritatem. Quid? an pluviam negabit Deus, quia dantur loca aliqua humiliora, quibus ſit noxia? aut noleſne ſplendere ſolem, quantùm univerſitas exigit, quia inde futurum eſt, ut quædam loca nimium exareſcant? Quid multa? omnes in his Bælianis axiomatibus adductæ de Medico, de Benefactore, de Statûs Miniſtro, de Principe, comparationes valdè claudicant, quia nota ſunt hujuſmodi hominum officia, & quid ipſi curare poſſint atque debeant: unicum illis ferè negotium incumbit, in quo negligentia vel malitia ſæpè delinquunt. Objectum Dei habet aliquid infiniti, curæ ejus rerum Univerſitatem complectuntur; nihili inſtar eſt, quod de ipſo cognoſcimus, & tamen ejus ſapientiam bonitatemque cognitionis noſtræ modulo metiri vellemus. Quæ temeritas, vel potiùs, quæ abſurditas! Objectiones falſum principium ſupponunt: ridiculum eſt, ignorato facto, de jure judicare. Dicere cum *S. Paulo*: *O Altitudo divitiarum & ſapientiæ!* non eſt Rationi nuntium mittere, ſed potiùs rationibus, quas novimus, rectè uti, hæ namque illam Dei immenſitatem, de qua loqui-

tur.

tur Apoſtolus, nos docent: hoc potiùs eſt ignorantiam noſtram fateri in factis, & tamen agnoſcere, priuſquàm videamus, Deum omnia, quàm fieri optimè poſſunt, facere, juxta ſapientiam infinitam, actionum ſuarum ducem. Verum quidem eſt, nos ejus jam indicia quædam & ſpecimina præ oculis habere, cùm totum aliquod integrum, per ſe completum, &, ut ita dicam, inſulatum inter opera Dei intuemur. Tale totum, ipſa Dei, ut ſic loquar, manu efformatum, eſt planta, animal, homo: quorum ſtructuræ pulchritudinem artificiumque ſatis mirari non poſſumus. Verùm ubi os aliquod fractum, fruſtum aliquod carnis ex animali, tenuem aliquem plantæ cauliculum, conſpicimus, nihil niſi confuſio adparet, niſi fortè eximii cujuſdam Anatomici ſubjiciatur oculis, qui tamen ipſe vix quidquam in his agnoſceret, niſi priùs ſimilia fruſta vidiſſet, ſuo toti connexa. Idem eſt de divina gubernatione: quidquid ad illam ſpectans hactenùs nobis videre licuit, fruſtum ejus eſt, non ſatis magnum, ut inde totius pulchritudinem atque ordinem perſpiciamus. Atque ita natura rerum ipſa poſtulat, ut hunc divinæ civitatis ordinem, quem hic in terris necdum videmus, noſtræ fidei, ſpei atque in Deum fiduciæ, objectum habeamus. Qui verò aliter de his judicant, tantò pejore ſunt loco (u), in Monarchæ omnium maximi optimique regno malè contenti dici poſſunt (x), qui ſapientiæ & bonitatis infinitæ ſpecimina, iis data, ut ſe non admirabilem modò, ſed etiam ſuper omnia amabilem, eſſe agnoſcant, in ſuos vertere uſus tardant (y).

135. Et nunc nihil illis novendecim *Bælii* Axiomatibus, a nobis expenſis, ineſſe credo, quod ſine neceſſaria reſponſione ſit tranſmiſſum. Veriſimile eſt, ipſum, in hoc argumento penſitando diu multumque verſatum, congeſſiſſe huc, quidquid circa moralem mali moralis cauſam difficillimum eſſe judicavit. Exſtant tamen ſparſim in ejus Operibus loci complures, quos ſilentio minimè præterire juverit. Perſæpè difficultatem exaggerat, quam in propulſanda a Deo peccati imputatione poſitam eſſe arbitratur. Quam in rem notat (Reſp. ad Provinc. cap. 161. pag. 1024.) *Molinam*, ſi liberum arbitrium cum præſcientia conciliavit, bonitatem tamen ſanctitatemque Dei cum peccato non perinde conciliaſſe. Laudat eorum ſinceritatem, qui rotundè fatentur, (uti *Piſcatorem* (z) feciſſe vult) omnia denique in Dei voluntatem recidere, ac Deum non ideò injuſtum

 fore

(u) Addit *Interpr. Lat.* „ & hinc ſibi malum accerſunt, quod culpant: nempe *in* &c.

(x) Addit *iterum*: „ & rebellibus viſini, ſuaque culpa cæci. “

(y) *Rurſus*: „ maluntque animum malorum ſpecie & intuitu paſci.

(z) *Jo. Piſcator*, Theologus Herbornenſis, ob novam Scripturæ S. verſionem Germanicam, commentarioſque in V. & N. T. Libros, & alia ingenii ſui monumenta plurima, notiſſimus, Argentorati natus A. 1547. denatus Herbornæ A. 1626. d. 26. Jul. ſcripta ejus recenſet *Reverendiſſ. Cancell. Pfaffius* in *Introd. in Hiſtor. Theol. Litter.* L. III. not. (*uu*) p. 211, 212.

fore contendunt, etiamſi Auctor peccati foret, etiamſi inſontes condemnaret. Ex altera verò parte, vel aliis in locis, videtur magis adplaudere ſententiæ eorum, qui Dei bonitatem cum ipſius magnitudinis diſpendio ſalvant, uti *Plutarchus* facit Libro ſuo contra Stoicos. *Æquius erat* (inquit) *dicere*, (cum Epicureis) *quòd partes innumeræ* (vel Atomi per infinitum ſpatium caſu volitantes) *vi ſua contra* Jovis *infirmitatem prævaleſcentes*, *eo invito*, *& reluctante ejuſdem natura ac voluntate*, *multa mala & abſurda invexerint*, *quàm fateri*, *nullam confuſionem vel nequitiam eſſe*, *cujus ipſe Auctor non ſit.* Quod in utramque partem Stoicorum vel Epicureorum dici poteſt, *Bælium* adduxiſſe videtur ad Pyrrhoniorum ἐπέχειν, ad ſuſpenſionem judicii intuitu Rationis, quamdiu Fides ſeponitur, cui mentem ſincerè ſubmittere ſe profitetur.

136. Interim tamen, dum ratiociniis ſuis inſiſtit, eo progreſſus eſt, ut *Manetis*, Hæretici Perſæ, tertio Chriſtianæ æræ ſæculo viventis, Sectatorum, vel *Pauli* cujuſdam, Manichæorum in Armenia ſæculo ſeptimo Coryphæi (aa), a quo *Pauliciani* nomen indepti ſunt, argumenta ab inferis quaſi revocare, & roborare voluerit. Omnes iſti Hæretici recoxerunt id, quod vetuſtus quidam ſuperioris Aſiæ Philoſophus, *Zoroaſtris* (bb) nomine clarus, de binis intelligentibus omnium rerum principiis, altero bono, malo altero, docuiſſe narratur, quod dogma ab Indis fortaſſe profectum eſſe potuit, apud quos complures etiamnum huic adhæreſcunt errori, ad decipiendam hominum ignorantiam ſuperſtitionemque ſanè perquàm adcommodato: quandoquidem multæ gentes barbaræ, in ipſa adeò America, citra ullius Philoſophiæ tractationem, eo ſponte prolapſæ ſunt. Slavis (apud *Helmoldum* (cc)) ſuus erat *Zernebog*, hoc eſt, Deus ater. Græcis Romaniſque, quantumvis ſapientes videantur, ſuus *Væjovis* vel *Anti-Jupiter*, aliter dictus *Pluto*, aliaque malefica numina quàm plurima non deerant. *Nemeſis* Dea deprimendis nimium fortunatis delectabatur, & *Herodotus* quibuſdam in locis innuit, arbitrari ſe, omne Numen

(aa) *Manichæi* ob ſupplicia & pœnas, ipſorum impietati tum temporis ab Imperatoribus decretas, mutato nomine, *Paulicianos* ſe nuncuparunt, ab Arabe quodam, *Paulo*, iiſdem tenebris irretito, ſicque aliquamdiu latuerunt. V. laud. Theol. *Weiſſmanni Memorab. Eccl. T. I. p.* 578. *ſq.*

(bb) *Zoroaſter*, Perſicæ amplitudinis initiis non erat vetuſtior, Perſomedus, *Darii Hyſtaſpis* temporibus clarus, ſed a Græcis, qui artem magicam a Perſis ſerò acceperunt, in immenſam antiquitatem rejectus; *eam*, uti ait Ill. *Marshamus* in Canon. Chron. *a nugivendulis hariolis acceperant*, *cujus commenti vanitatem ipſa ſententiarum diſcrepantia arguit.* Eandem fovet ſententiam *B. Fabricius*, in Bibl. Græc. L. I. c. XXXVI. §. IV.

(cc) *Helmoldi* Chronicon Slavorum ab ipſo *Viro ill.* luci publicæ redditum in Scriptoribus Brunſvicenſ. Dederunt ad id ſuas obſervationes *Reineccius* & *Bangertus*; *Jo. Mollerus* A. 1702. Diatriben de *Helmoldo* ejuſque Commentatorib. edidit. Floruit in Sæc. XII. & primus fuit Lubecenſium Epiſcopus.

Numen eſſe invidum, quod tamen cum doctrina de duobus Principiis non cohæret (dd).

137. *Plutarchus* Libro *de Iſide & Oſiride*, neminem, qui duo illa principia docuerit, *Zoroaſtre*, ut vocat, Mago antiquiorem novit. *Trogus* vel *Juſtinus* (ee), eum Bactrianorum Regem facit, a *Nino*, vel *Semiramide*, debellatum, eique Aſtronomiæ notitiam, & Magiæ inventionem, tribuit: ſed veriſimile eſt, Magiam illam nihil aliud fuiſſe, quàm ignis adoratorum religionem, videturque *Zoroaſter* lumen aut calorem, tanquam bonum principium, conſideraſſe, cui verò malum addebat, hoc eſt, opacitatem, tenebras, frigus. *Plinius* (ff) refert teſtimonium cujuſdam *Hermippi*, *Zoroaſtris* librorum interpretis, qui eum *Azonacis* cujuſdam in arte Magica diſcipulum faciebat, ſi tamen nomen illud corruptum non eſt ex *Oromaſe*, de quo mox loquemur, quemque *Plato* in *Alcibiade* (gg) *Zoroaſtris* patrem facit. Hujus ætatis Orientales *Zerduſtum* (hh) adpellant, quem Græci adpellabant *Zoroaſtrem*, & reſpondere *Mercurio* putatur, quia dies Mercurii apud quoſdam populos inde nomen accipit. Ejus hiſtoriam ætatemque extricare difficile eſt. *Suidas* (ii) quingentis annis excidio Trojæ antiquiorem ſtatuit: Veteres quidam apud *Plinium* (kk) & *Plutarchum* antiquitatem in decuplum augent. Sed *Xanthus* Lydius, (in Præfatione *Diogenis Laërtii*) eum ſexcentis duntaxat annis expeditione *Xerxis* anteriorem facit. *Plato* ibidem declarat, uti notat *Bælius*, Magiam *Zoroaſtris* nihil aliud fuiſſe, quàm ſtudium Religionis. Cl. *Hydeus*

(dd) Lib. I. c. II. 9. cui conſentit *Ammian. Marcell.* L. 23.

(ee) BONI DEI nomina ſive ſymbola apud Perſas *Orimazes*, apud Ægyptios *Oſiris*, apud Græcos & Romanos *Jupiter*, *Dijovis*; apud Philoſophos *Deus*, *lux*, *ignis*, *vita*; apud Manichæos alioſque Hæreticos Duitas, *Pater Jeſu Chriſti*, *Deus N. Teſtam.*; apud Cabbaliſtas divinæ *Sephiroth*, apud Formoſanos *Tamagiſanha*, &c. MALI PRINCIPII nomina apud Perſas *Arimanius*, apud Ægyptios *Typhon*, apud Græcos & Romanos, *Pluto*, *Cacodæmon*, *Vajovis*, *Dis*, ἀποτρόπαιος ᾄδης, *Deus averruncus*; apud Philoſophos *materia*, *tenebræ*, *nox*, *mors*, *nihil*; apud Hæreticos *Creator*, *Demiurgus*, *Deus Vet. Teſt.* ἄρχων τῦ κόσμυ τύτυ; apud Cabbaliſtas *Keliſoth*, *Sammaël*; apud Formoſanos *Sariaſing*, apud Chinenſes *Jooſié*, Slavorum *niger Deus*, *Scerneboch*, &c. juxta *B. Fabricii* Collect. in *Bibliogr. Antiq. Cap. VIII. p.* 238, 239.

(ff) *Hiſt. Nat. L. XXX. c. I.* Etiam præceptorem, a quo inſtitutum diceret, tradidit *Agonacem*.

(gg) Ed. Francof. Græco-Lat. f. 441. Regiorum Pædagogorum primus μαγείαν τε διδάσκει τὴν Ζωροάςρυ τῦ Ὡρομάζυ, ἐςὶ δὲ τῦτο θέων θεραπεῖα.

(hh) *Olug Beigh* in Aſtrologia Perſica inedita apud *Thomam Hyde* p. 312. agens de indicatoribus Horoſcopi, ſive ſigni adſcendentis, in nativitatibus, *Ptolemæo* præfert *Hermetem*, *Hermeti Zoroaſtrem. Opinione autem Judiciariorum vero propior eſt indicator* Zerduſti *Philoſophi.* v. *Fabric. Bibl. Græc.* L. cit. §. V. p. 246.

(ii) in Ζωροάςρ.

(kk) *Plinius loco cit.* addit: *ipſum verò quinque millibus annorum ante Trojanum bellum fuiſſe*; paullo antè de *Eudoxo* & *Ariſtotele* memorat, quod *Zoroaſtrem* ſex millibus annorum ante *Platonis* mortem fuiſſe prodiderint.

deus (11), Libro de Perſarum veterum Religione, conatur eam excul-pare, & non ſolùm impietatis, ſed etiam idololatriæ, crimen diluere. Cultus ignis apud Perſas Chaldæoſque receptus erat, cenſentque nonnulli, *Abrahamum*, ex Ur Chaldæorum egreſſum, ab illo cultu defeciſſe. *Mithra* erat Sol, eratque Perſarum etiam Deus, &, uti refert *Ovidius*, ei ſacrificabantur equi:

Placat equo Perſis radiis Hyperiona cinctum,
Ne detur celeri victima tarda Deo.

Sed *Hydeus* exiſtimat, eos Sole & igne uſos non fuiſſe, niſi tanquam ſymbolis divinitatis. Verùm hic fortaſſe, ut alibi, diſtinguendum erit inter ſapientes & vulgus. In admirandis ruderibus Perſepoleos, ſive *Tſchelminaaris* (quæ vox quadraginta columnas indigitat) quædam eorum ceremoniæ cælatæ ſuperſunt. Legatus quidam Batavus hæc marmora a pictore, temporis non exigui impendio, delineanda magnis ſumtibus curaverat, & neſcio quo caſu iſtæ icones in *Chardini*, ſuis itineribus noti, manus devenerunt. Rudera illa ſunt ex antiquiſſimis & pulcherrimis orbis monumentis, & miror in ea re ſæculi noſtri, alias curioſiſſimi, incuriam (mm).

138. Antiqui Græci, & hodierni Orientales, unanimi conſenſu adſerunt, Deum bonum a *Zoroaſtre* vocatum *Oromazem*, vel potius *Oromaſdem*,

(11) *Thomas Hyde*; celeberr. Philologus, & Bibliothecarius Bodleianus, mortuus A. 1707. inter alia ſcripſit Hiſtoriam Religionis veterum Perſarum & Parthorum, & Medorum, eorumque Magorum, ad cujus calcem liber *Sadder*, *Zoroaſtris* præcepta continens, Latinè eſt ſubjunctus, Oxon. 1700. 4. Cel. *Fabricius in Bibliographia Antiquaria*, cap. II. §. II. poſt recenſionem hujus Libri, *Vereor tamen*, ait, *ne Æthiopem lavet eruditiſſimus* Hydeus, *quando Perſas ab idololatria abſolvere, & a ſincero unius Dei cultu commendare inſtituit.* conf. eundem ſimilia docentem cap. VIII. §. VII. p. 239.

(mm) Noſtris temporibus deſiderio Illuſtr. Viri ſatisfactum eſt, in lucem prodeuntibus *Jo. Chardini* & *Cornelii Bruni* delineationibus. Ultimus inprimis Auctor, cujus Iter per Moſcoviam in Perſiam & ad Indos Orientales, *Voyages par la Moſcovie, en Perſe, & aux Indes Orientales*, *Amſtelod. apud Wetſtenios* 1718. *fol. cum figuris æneis ampliùs* 320. *Alph.* 5. *plag.* 5. prodiit, utpote artis pictoriæ peritiſſimus, ſua ipſius manu omnia adcuratiſſime depinxit, ut de picturarum fide certi eſſe queamus. Cap. 52. ruinas regiæ Perſepolitanæ adcuratè deſcribit, notando ſimul ceterorum ſcriptorum tum negligentiam, tum vanitatem: inter eos etiam eſt *Jo. Chardinus*, cujus etiam ſententia refellitur, qua hic ſtatuit, iſta non eſſe rudera regiæ Perſepolitanæ, ab *Alexandro M.* everſæ, ſed templi cujuſdam veteris Perſici. V. *Acta Eruditor.* A. 1719. *Menſ. Jun. p.* 233. *ſqq.* it. Jo. Theoph. Wormii, *Dœbelenſ. Oſt-Indian. und Perſianiſche Reiſen*, ed. *a M.* Criſpino Weiſen, *Dreſd.* 1737. *pag.* 264. Chardini *Voyages en Perſe, & autres lieux de l'Orient, enrichis d'un grand nombre de figures en taille-douce*, 12. *Paris* 1733. 10. *Vol.* Edidit etiam laud. *Brunus Voyages au Levant* cum æneis ampliùs 200. figuris, *fol. Pariſ.* 1714. Iidem Libri cum innumeris figuris *V. voluminib.* iterùm prodiere *Pariſ.* 4. 1725.

dem, malum verò Deum *Arimanium*. Cùm reputaſſem, magnos quosdam ſuperioris Aſiæ Principes *Hormiſdæ* nomine fuiſſe inſignitos, *Irminum* verò, vel *Herminum*, nomen fuiſſe Dei alicujus, vel antiqui Herois Celtoſcytharum, hoc eſt, Germanorum; in mentem venit, hunc *Arimanium*, ſive *Irminum*, eſſe potuiſſe magnum aliquem populorum domitorem antiquiſſimum, ex Occidente profectum, quales poſtmodum fuere *Chingiskan* & *Tamerlanes*, ex Oriente exorti. *Arimanius* itaque ex Occidente Boreali, hoc eſt, ex Germania Sarmatiaque, per Alanos & Maſſagetas, in *Hormiſdæ* alicujus, magni ſuperioris Aſiæ regis, ditiones irruptionem fecerit, uti alii poſtea Scythæ *Cyaxaris*, Medorum Regis, tempore, *Herodoto* teſte (nn), fecerunt. Monarcham illum, qui populis cultis imperitabat, eoſque adversùs barbarorum vim propugnabat, apud eoſdem populos pro Deo bono habuerit poſteritas, ſed populatorum iſtorum Dux mali principii ſymbolum evaſerit (oo). Nihil eſt naturæ rei magis conſentaneum. Ex hac ipſa Mythologia adparet, hos duos Principes diu bellaſſe, neutrumque viciſſe. Itaque ambo perſtiterunt, quemadmodum juxta hypotheſin, *Zoroaſtri* tributam, imperium mundi duo illa principia inter ſe diviſerunt.

139. Supereſt, ut probemus, vetuſtum aliquem Germanorum Deum, vel Heroa, vocatum fuiſſe *Hermannum*, *Arimanium*, vel *Irminum*. Refert *Tacitus*, tres populos, Germaniam componentes, Ingevones, Iſtevones, & Herminones ſive Hermiones, ea nomina a tribus *Manni* filiis accepiſſe. Id ſive verum ſit, ſive ſecùs, ſaltem indicare voluit, vixiſſe aliquando Heroa quendam nomine *Herminum*, a quo *Herminones* ſumſiſſe nomen intellexerat. *Herminones*, *Hermiones*, *Hermanni*, *Hermunduri*, unum idemque ſunt, & milites ſignificant. In inferiori adhuc Hiſtoria *Arimanni* erant *viri militares*, & in jure Longobardico exſtat *feudum Arimandiæ* (pp).

140. Alibi oſtendi, nomen partis Germaniæ veriſimiliter toti fuiſſe tributum, & ab *Herminonibus* iſtis, ſeu *Hermunduris*, omnes populos Teutonicos *Hermannos*, ſive *Germanos*, fuiſſe nuncupatos; horum namque duorum vocabulorum diſcrimen in ſola vi adſpirationis verſatur, quemadmodum differt initium vocis Latinæ *Germani*, & Hiſpanicæ *Hermanos*, vel uti conſentiunt Latinum *Gammarus* & *Hummes* (hoc eſt, cancer marinus) vox inferioribus Germanis uſitata (qq). Et admodum frequens eſt, partem Nationis alicujus dare nomen toti, uti Germani omnes a Gallis vocati fuere *Allemanni*, cùm tamen hoc nomen antiquo uſu ſolis Suevis Helvetiiſque conveniat. Et quamvis *Tacito* Germanorum nominis origo

(nn) *Lib. I.* 104.

(oo) Addit *Interpr. Lat.* „uti Diabolus apud Weſtphalos *Druſus* audit.“

(pp) Addit *Interpr. Lat.* (eſt enim *Man* vir, *Hari* (hodie *h.hr*) exercitus.)]

(qq) Addit *Interpr. Lat.* & quemadmodum *Ludovicus*, *Hludovicus* (in Diplomatibus) *Clodovæus* idem eſt.

non ſatis nota fuerit, aliquid tamen dixit, quod opinioni meæ faveat, adnotans, hoc fuiſſe nomen terrificum, acceptum, vel datum, *ob metum*, quia nimirum ſignificat bellatorem. *Heer*, *Hari*, eſt exercitus, unde oritur *Hariban*, vel *clamor de Haro*, hoc eſt, generale mandatum confluendi ad exercitum, quod in *Arriereban* corruptum eſt. Itaque *Harimanius*, ſive *Arimanus*, *Germanus*, *Guerremanus*, eſt miles. Nam ſicut *Hari*, *Heer*, eſt exercitus, ita *Wehr* ſignificat arma, *Wehren* ſonat pugnare, bellum gerere, & Gallica vox *Guerre*, *Guerra*, ſine dubio ab eodem fonte promanat. Jam ſupra dixi de *feudo Arimandiæ*, nec Herminones duntaxat, vel Germani, aliud quidquam indicabant, ſed etiam vetus ille *Hermannus*, creditus *Manni* filius, veriſimiliter hoc nomen adeptus eſt, quod bellator in ſenſu eminenti nuncupatus fuiſſet (rr).

141. Neque verò ſolus *Taciti* locus hunc Deum, vel Heroa, nobis ſiſtit; dubitari enim nequit, aliquem hujus nominis cultum fuiſſe apud iſtos populos, cùm *Carolus Magnus* inventam non procul a Viſurgi columnam, *Irmin-Sul* (ss) vocitatam, & huic Deo erectam, evertit. Quod, cum *Taciti* loco conjunctum, indicio eſt, non *Ariminium* illum celebrem, Romanorum hoſtem, ſed majorem aliquem vetuſtioremque Heroa, cultu illo ſpectatum fuiſſe. *Arminius* idem nomen gerebat, uti hodieque illi, qui *Hermanni* nominantur. *Arminius* non ſatis magnus, nec ſatis felix, nec ſatis tota Germania clarus fuit, ut publici cultûs honorem, etiam a populis longè diſſitis, obtineret, puta a Saxonibus, qui longo poſt tempore Cheruſcorum regionem occuparunt. Et *Arminius* ille noſter, ab Aſiaticis pro Deo malo habitus, novam opinioni noſtræ confirmationem ſuppeditat. Nam in hujuſmodi rebus conjecturæ diverſæ ſe mutuò firmant, idque ſine circulo Logico, quando earum fundamenta ad eundem ſcopum collimant.

142. Nec incredibile eſt, *Hermetem* (hoc eſt, *Mercurium*) Græcorum eundem *Herminum*, ſive *Arimanium* fuiſſe. Potuit inter ſuos, inque ſuo regno, artium, vitæque paullò cultioris, intentor aut promotor fuiſſe, dum apud hoſtes vaſtitatis auctor audiebat. Ecquis novit, annon in Ægyptum uſque penetrarit, ubi Scythæ, qui, *Seſoſtrin* inſecuti, in vicina loca devenerunt? *Theutus*, *Menes*, & *Hermes*, Ægypto noti & culti fuere. Hi poterant eſſe *Thuiſco*, *Mannus*, ejus filius, & *Hermannus*, filius *Manni*, ſecundum genealogiam *Taciti*. *Menes* Ægypti Regum antiquiſſimus habetur. *Theutus* apud Ægyptios nomen erat *Mercurii* (tt).

Saltem

(rr) Ad totum hoc argumentum conf. *ill. Viri* Epiſt. Gall. ad *Nicaſium*, d. 28. Maj. 1697. exaratam.

(ss) Fuit truncus eximiæ magnitudinis in honorem Dei, vel Herois alicujus, erectus, cui impoſitum caput erat, tantæ verò venerationis apud gentes iſtas, ut, ſtante hac ſtatua, ſtare res ſuas, cadente ea, cadere omnem ipſarum fortunam, arbitrarentur; hinc, deſtructâ eâ, a *Carolo M.* ſtatim pacem petere inſtituerunt.

(tt) In Dynaſtia dicitur Αθώθης υἱὸς Μήνεως,

Saltem *Theutus* vel *Thuiſco*, a quo *Tacitus* Germanos derivat, quorum nomen *Teutones*, *Teutſche* (hoc eſt, Germani) hodie gerunt, idem eſt cum *Teutate* illo (uu), quem *Lucanus* a veteribus Gallis olim cultum fuiſſe perhibet, quemque *Julius Cæſar* (xx) pro *Dite Patre*, ſive *Plutone*, accepit, propter ſimilitudinem Latini nominis cum voce *Theut* vel *Thiet*, *Titan*, *Theodon*, quæ antiquitus homines, populum, deinde virum præſtantem, (uti eſt vox *Baro*) denique Principem, ſignificabat. Omnes hæ ſignificationes auctoritatibus fulciuntur, ſed iis immorandum hoc loco non eſt. *Otto Sperlingius* (yy), multis eruditis ſcriptis notus, & alia complura, aliquando proditura, premens, Diſſertationem integram de *Teutate*, Celtarum Deo, inſtituit, & nonnullæ ea de re animadverſiones, quas cum eo communicaveram, Novis Litterariis maris Baltici inſertæ ſunt unà cum ejus reſponſo. Accipit paullò aliter, atque ego, hos *Lucani* verſus:

Teutates, pollenſque feris altaribus Heſus,
Et Taramis Scythicæ non mitior ara Dianæ.

Heſus veriſimiliter erat Deus Belli, vocatus a Græcis Ἄρης, & a veteribus Germanis *Erich*, a quo ſupereſt adhuc *Erichtag*, Dies Martis. Litteræ R & S, utpote quæ ad idem pertinent organum, facile permutantur, exempli gratia, *Moor* & *Moos*, *Geren* & *Geſcht*, *Er war*, & *Er was*: *Fer*, *Hierro*, *Eiron*, *Eiſen*. Item *Papiſius*, *Valeſius*, *Fuſius*, & *Papirius*, *Valerius*, *Furius*, apud veteres Romanos æquipollebant. Quod *Taramis*, vel fortaſſe *Taranis*, vocabulum ſpectat, notum eſt *Taran* eſſe tonitru, vel Deum *Tonitrui* apud veteres Celtas, vocatum *Tor* a Germanis Borealibus, a quo Angli retinuerunt *Thursday*, *Diem Jovis*. Significat autem *Lucani* verſus, *Taranis*, Dei Celtarum, aram non mitiorem ara

 Dianæ

Μήνεως, ὁ ἑρμηνεύεται Ἑρμογένης, Athothes *filius* Menis, *quod exponitur* Mercurio-*genitus*. Athothes *is eſt, quem Ægyptii vocant* Θωὺθ, *Alexandrini* Θωθ, *Græci* Ἑρμῆν, Mercurium, ait ill. *Marshamus* in *Can. Chron.* p. 35. ed. Lipſ. ex *Euſebii Pr. Evangel. L. I.*

(uu) *Jo. Daviſius* ad *Julii Cæſaris de Bello Gall. Lib. VI. c. XVII. n. 4. ed. Cantabrig.* 1706. p. 200. Diverſis, *ait*, planè nominibus Galli ſuos inſignierunt Deos; nam quem *Mercurium* cenſuerunt Romani, iis dictus eſt *Teutates*, quem *Martem*, *Heſus*, Galli *Belenum* & *Taranin* nominarunt eos, quos Romani cum *Apolline* ſuo & *Jove* confœderunt. V. *El. Schedium* de Diis Germ. Syngr. 1. cap. 5. ſqq.

(xx) *De Bello Gallico Lib. VI. c. XVIII.*

(yy) *Otto Sperlingius*, Chriſtianiæ in Norwegia natus anno 1634. filius *Ottonis Sperlingii*, Hamburgenſis, multa ſcripſit, quorum plurima adhuc inedita exſtant. Ejus *Commentationem de veſtitu veterum Danorum & aliorum populorum ſeptentrionalium* inſertam *Novis Litterariis maris Baltici & Septentrionis A.* 1698. *pag.* 205. *ſq.* docet *Fabricius* ὁ μακαρίτης in *Bibliogr. Antiq. Cap. XVIII. §. III.* Eam fortè innuit ill. *Leibnitius*. Obiit hic *Sperlingius* Hafniæ 1715. d. 18. Mart. *Leibnitius* variis in litteris ejus honorificam mentionem facit.

Dianæ Tauricæ; *Taranis aram non mitiorem ara* Dianæ *Scythicæ fuiſſe* (zz).

143. Neque etiam abſurdum eſt, fuiſſe aliquando tempus, quo Principes quidam Occidentales, aut Celtæ, Græciam, Ægyptum, & non parvam Aſiæ partem, ſubjugarint, quorum cultus his in regionibus ad poſteros fuerit propagatus. Nam ſi reputemus, quanta cum celeritate Hunni, Saraceni, Tartarique, magnam continentis terræ noſtræ partem occuparint, minùs id mirum videbitur, & ingens ille vocum Germanicarum Græcarumque, tam bellè inter ſe conſpirantium, numerus id confirmat. *Callimachus*, Hymno in honorem *Apollinis*, videtur innuere, Celtas, qui ſub *Brenno*, ſive Duce ſuo, templum Delphicum invaſerunt, fuiſſe ex poſteris veterum Titanum ac Gigantum, qui cum *Jove*, cæteriſque Diis, hoc eſt, Aſiæ Græciæque Principibus, bella geſſerunt. Fieri potuit, ut *Jupiter* ipſe e Titanum vel Theodonum genere ortus ſit, hoc eſt, e Principibus Celto-Scythis anterioribus, & conſonant ea, quæ nuper defunctus Abbas *de la Charmoye* (aaa) in Originibus ſuis Celticis collegit; quanquam in Auctoris hujus pereruditi Opere quædam opiniones mihi veriſimiles non eſſe videntur, præſertim ubi Veterum, alia perhibentium, teſtimonia non ſatis adtendens, nec ſatis notam habens antiquæ linguæ Gallicæ cum Germanica adfinitatem, Germanos e Celtarum numero expungit. Jam verò Gigantes crediti, qui cœli invadere muros voluerunt, erant novi Celtæ, majorum ſuorum veſtigiis inſiſtentes; & *Jupiter*, quamvis conſanguineus, ut ita dicam, irruptioni tamen eorum reſiſtere coactus fuit; quemadmodum Viſigothi, qui in Galliis ſedem fixerant, Romanis juncti, aliis Germaniæ Scythiæque populis, Duce *Attila*, Scythicarum, Sarmaticarum & Germanicarum Nationum, a Perſiæ finibus ad Rhenum uſque, tunc Domino, ingruentibus occurrerunt.

(zz) Cum utrobique homines immolarentur, *addit Interpr. Lat.*

(aaa) *Paul. Pezron*, in Britannia minore natus A. 1639. factus Abbas de la Charmoye A. 1697. mortuus A. 1706. d. 10. Oct. Libri, quem *ill. Vir* innuit, titulus eſt: *Antiquité de la nation & de la langue des Celtes*, *&c.* De eo, uti & de tota hac materia, exſtat *Epiſtola ejus ad Amicum*, 1699. d. 6. *April.* Hic poſt memoratum Abbatis inſtitutum, ait, Ego laudandum ſtudium cenſeo ex Mythologiis eruendi veritatem hiſtoricam, quanquam ob licentiam, quam ſibi ſumſere poëtæ, id mihi videatur ſæpè perdifficile. Semper tamen credidi, *bello Titanum*, *aut* etiam *Gigantum* cum Diis indicari vel Scytharum, vel Celtarum, irruptiones in Aſiam & Græciam, iis ſubjectam regibus, qui inter Deos ſunt relati. *Promethea*, qui inter Titanes habetur, Scytham fuiſſe, indicat adligatio ad Caucaſum juſſu *Jovis*, quo nil aliud deſignari putem, quam excluſionem Scythicorum populorum excubiis ad Caſpias portas collocatis; ſed neſcio, an talia ideò ſtatim ad Celtas pertineant, qui tunc fortaſsè in Scythia ampliùs non erant. *Callimachi* locus, *Gallos propaginem Titanum* vocantis, poëtico luſui propior videtur, quàm hiſtoricæ auctoritati: nempe Galli, templum Delphicum oppugnantes, Titanum audaciam in Deos renovare videbantur. "

runt. Verùm voluptas percipi ſolita, dum in Deorum Mythologiis antiquæ fabuloſorum temporum Hiſtoriæ veſtigium aliquod deprehendiſſe nos putamus, me fortaſsè longiùs, quàm par erat, abduxit, nec ſcio, num in conjectando felicior fuerim *Goropio Becano*, *Schrieckio*, *Rudbeckio* (bbb), ac denique Abbati *de la Charmoye*.

144. Nunc *Zoroaſtrem*, qui nos ad *Oromaſdem* & *Arimanium*, boni malique Auctores, abduxit, reviſamus, & ponamus, eum agnoviſſe in illis duo Principia æterna, ſibi contraria, quanquam ſit, quod de ipſo dubitemus. *Marcion* (ccc), *Cerdonis* Diſcipulus, ante *Manetem* hac in ſententia fuiſſe creditur. Fatetur *Bælius*, miſerè fuiſſe ratiocinatos iſtos homines, ſed exiſtimat, ſententiæ ſuæ vim & commoda ignoraſſe, parumque peritos tractandi præcipui ſui teli fuiſſe, quod in difficultate de origine mali cernitur. Itaque eruditum aliquem ex eorum claſſe multum negotii faceſſiturum putat Orthodoxis, videturque ipſe, defectu alterius, ſpartam illam, multorum judicio minimè neceſſariam, in ſe ſuſcipere voluiſſe. *Hypotheſes omnes* (inquit Dictionarii Artic. *Marcion.* pag. 2039.) *a Chriſtianis ſtabilitæ, ictus, ſibi intentatos, malè eludunt; triumphant namque, ubi adverſarios invadunt, ſed omne robur amittunt, cùm oppugnantium impetum ſuſtinere viciſſim debent.* Non diffitetur, *Dualiſtas* (ddd) (uti eos *Hydeo* duce adpellat) hoc eſt, duorum principiorum defenſores, in fugam protinùs verti per rationes *a priori*, e natura Dei depromtas, ſed eoſdem viciſſim triumphaturos ſibi perſuadet, ubi ad rationes *a poſteriori*, ab exiſtentia mali ductas, devenitur.

145. Prolixè has perſequitur Dictionarii ſui Articulo *Manichæi* (pag. 2025.) quæ hic aliquantum ponderandæ ſunt, ut argumentum hoc totum in clariori luce collocetur. *Certiſſimæ clariſſimæque Ordinis ideæ nos edocent* (inquit), *Ens, a ſe exiſtens, neceſſarium, æternum, eſſe debere unicum, infinitum, omnipotens, & omnigenâ perfectione præditum.* Hoc ratio-

 cinium

(bbb) *Jo. Goropius*, Hilvarenbeckio-Brabantinus, unde *Becanus* dictus, natus 1519. Trajecti ad Moſam denatus 1572. d. 27. Jun. *Lini*, *Orphei* & *Thamyræ*, Philoſophiam a *Japheto* derivavit.

Adrian. Schrieckius, Brugenſ. Philolog. & JCtus, natus 1559. denatus 1621. Iperæ; Libris 23. comprehendit Origines Celticas ac Belgicas.

Olaus Rudbeckius, Med. Prof. Upſal. in ſuis *Atlanticis* omnium populorum Europæorum cel. originem a Sueonibus repetiit; quam feliciter, innuit ill. *Leibnitius* Epiſtola ſupra cit. Nolim, *ait*, honorem nationum quæri figmentis, qualia *Rudbeckius* pro Suedis ſuis ingenioſè quidem & doctè, ſed tamen ſæpiùs vanè, concinnat... Ego quidem non dubito, ſi Turcis & Tartaris eruditio daretur, exorituros ex ipſis, qui Hyperboreos ad majores ſuos non minore, quàm *Rudbeckius*, jure referant. «

(ccc) *Cerdo* A. 136. *Marcion* A. 140. v. *Ittig.* Diſſ. de Hæreſ.

(ddd) *Prudentius* in *Hamartigenia* v. 37. hæreticos, qui duos contrarios Deos inducebant, vocat *Duitas*, quos recentiores quidam minùs commodè *Dualiſtas*, adnotante *Fabricio* in *Bibl. Antiq.* p. 238. n. **

cinium paullo meliùs evolvi merebatur. *Nunc videndum eſt*, (pergit) *an per unici principii hypotheſin explicari commodè naturæ phænomena poſſint.* Hoc nos quidem abundè præſtitimus, ubi eventus eſſe oſtendimus, in quibus inordinatio partis ad maximum ordinem, in ipſo toto producendum, neceſſaria eſt. Sed *Bælius* paullo nimium poſcere videtur; vellet, credo, ſigillatim oſtendi ſibi, quo pacto cum optima Univerſi idea poſſibili malum ſit connexum, qua ratione perfecta phænomeni explicatio haberetur: nos autem talem dare non adgredimur, nec verò tenemur; nemo enim tenetur ad id, quod pro præſenti, in quo verſamur, ſtatu impoſſibile eſt: nobis ſufficit ob oculos ponere, quàm nihil impediat malum quoddam particulare cum eo, quod in toto genere optimum eſt, cohærere. Explicatio iſta imperfecta, quæque aliquid in altera vita detegendum relinquit, ſolvendis objectionibus, non verò comprehendendæ rei, ſufficit.

146. Cùm *Cœli & Univerſi corpora integra* (addente *Bælio*) *enarrent gloriam, potentiam, unitatem Dei*, inde colligendum ipſi erat, hoc ideò fieri, (uti jam ſuprà notavi) quia in objectis iſtis aliquid integrum, &, ut ſic loquar, per modum inſulæ, per ſe abſolutum cernitur, & quotieſcumque opus Dei tale conſpicimus, id tam perfectum reperimus, ut ipſius artificium pulchritudinemque admirari cogamur: at quandò opus aliquod integrum non videmus, quando res particulatim & per fragmenta ſpectamus, quid mirum, ſi bonus ordo non adpareat? Hujuſmodi opus inſulatum perfectumque exhibet planetarum noſtrorum ſyſtema ſeorſim conſideratum; quin etiam quælibet planta, quodlibet animal, quilibet homo, tale opus abſolutum ſuppeditat, ad certum uſque gradum perfectionis productum, in quo ſtupendum Auctoris artificium agnoſcere licet: enim verò genus humanum univerſum, quatenus nobis notum eſt, nihil eſt, niſi fragmentum, & exigua portio Civitatis Dei, vel Reipublicæ Spirituum. Hæc amplior eſt, minuſque nobis nota, quàm ut mirabilem ejus ordinem obſervare valeamus. *Homo vel ſolus* (ait Bælius) *opus illud Creatoris inter omnia viſibilia abſolutiſſimum, homo, inquam, vel ſolus graviſſimas adversùs Dei unitatem objectiones ſuggerit.* Idem notaverat *Claudianus*, dum animi ſenſa in verſus hoſce notiſſimos effunderet:

Sæpè mihi dubiam traxit ſententia mentem, &c.

Verùm reperta cæteris in rebus Harmonia, ingens ſuppeditat præjudicium, eandem etiam in hominum, & univerſim in ſpirituum gubernatione repertum iri, ſi ea nobis perſpecta foret univerſa. In dijudicandis Dei operibus imitanda foret ſapientia *Socratis*, in ferenda de *Heracliti* operibus ſententia, dicentis: quæ intellexi, mihi præclara videntur, nec minus præclara reliqua auguror, quæ non intellexi (eee). 147.

(eee) Φάσι δ' Εὐριπίδην αὐτῷ δόντα τοῦ Ἡρακλείτου σύγγραμμα, ἐρέσθαι, Τί δόκει; τὸν δὲ φάναι, Ἃ μὲν σύνηκα, γένναια· οἶμαι δὲ, καὶ ἃ μὴ σύνηκα· πλὴν Δηλίου

147. Eſt alia præterea perturbationis adparentis ratio ſpecialis in iis, quæ hominem ſpectant. Scilicet quòd Deus eum imagine Divinitatis inſigniverit, dum donavit intelligentiam. Sinit eum quandoque in exiguo ſuo diſtrictu liberè agere, *ut Spartam, quam nactus eſt, ornet*. Ipſe non, niſi latenter, hic influit, nam eſſentiam, virtutem, vitam, rationem, minimè licèt adſpectabilis largitur. Hic *liberum arbitrium* ludum ſuum ludit: Deus autem cum minoribus hiſce Diis, a ſe productis, ludit ipſe, ut ſic loquar, quemadmodum nos cum pueris ludimus, qui negotia ſibi faceſſunt, quibus pro lubitu occultè favemus vel obſtamus. Eſt ergo homo veluti Deaſter quidam in proprio ſuo Mundo, ſive Microcoſmo, quem ſuis legibus moderatur; in eo mira quandoque efficit, arte ſua naturam imitante.

Jupiter *in parvo cùm cerneret æthera vitro,*
Riſit, & ad Superos talia dicta dedit:
Huccine mortalis progreſſa potentia, Divi?
Jam meus in fragili luditur orbe labor.
Jura poli, rerumque fidem, legeſque Deorum,
Cuncta Syracuſius tranſtulit arte Senex.
Quid falsò inſontem tonitru Salmonea *miror?*
Æmula Naturæ eſt parva reperta manus.

Sed magnos quoque defectus patitur, quia & ipſe adfectibus indulget, & Deus eum ſuo ſenſui permittit; nec tamen impunem abire ſinit, caſtigat enim, nunc ut Pater aut Præceptor, pueros exercens mulctansve, nunc ut juſtus Judex, ab iis, qui a ſe deficiunt, pœnas exigens: & evenit plerumque malum, quando hæ intelligentiæ, earumve microcoſmi, inter ſe mutuò colliduntur. Inde malè habet homo pro culpæ ſuæ menſura; at Deus omnes iſtos microcoſmorum defectus in majus majoris ſui mundi ornamentum arte mirabili convertit, non aliter ac opticis iſtis inventis fieri conſuevit, in quibus artefacta quædam egregia nihil niſi confuſum chaos eſſe videntur: donec ad genuinum viſus punctum, ex quo ſpectari debeant, referantur, aut medio certo quodam vitro vel ſpeculo reſpiciantur: tumque demum in conclavis alicujus ornamentum cedere incipiunt, cum ritè collocata ſpectataque fuerint. Ita adparentes Microcoſmorum noſtrorum deformitates, in Macrocoſmo collectæ, fiunt venuſtates, nec quidquam habent, quod principii univerſalis infinitè perfecti unitati repugnet, immò potiùs ejuſdem ſapientiæ, malum bono omnium maximo deſervire cogentis, admirationem augent.

148. Pergit *Bælius*: *Hominem eſſe pravum & infelicem*; *ubique eſſe carceres & noſocomia*; *hiſtoriam nihil eſſe, niſi criminum & infortuniorum generis:*

Δηλίου γέ τινος δεῖται κολυμβητοῦ. *Diog. Laert.* in *Vita Socrat. pag.* 102. *ed. Steph.*

neris humani epitomen. Arbitror hæc exaggeratè dici: multo plus boni eſt in vita hominum, quàm mali, uti multo plures ſunt domus, quàm ergaſtula. Quod virtutem vitiumque adtinet, quædam inibi mediocritas regnat. Notavit olim *Machiavellus*, paucos exſtare homines inſigniter improbos, paucos eximiè probos, & hac de cauſa multa ingentia cœpta eventu fruſtrari. Hiſtoricorum vitium hoc eſſe cenſeo, quòd malo potiùs, quàm bono immorantur. Hiſtoriæ, uti & Poëſeos, ſcopus præcipuus eſſe debet, exemplis prudentiam virtutemque docere, tum vitium iis depingere coloribus, qui homines ad ejuſdem horrorem fugamque permoveant.

149. Fatetur *Bælius*, *bonum morale bonumque phyſicum aliquod, virtutis etiam ac felicitatis quædam exempla, ubique reperiri, ſed in hoc ipſo verſari difficultatem. Nam ſi pravi & infelices ſoli exiſterent* (inquit) *ad duorum principiorum hypotheſin recurrendum minimè foret.* Demiror, hunc virum excellentem tantùm ad hanc de duobus principiis opinionem oſtendere propenſionem potuiſſe, minimeque conſideraſſe, quòd hæc humanæ vitæ fabula, quæ univerſalem humani generis hiſtoriam conſtituit, tota priùs in Intellectu divino concepta fuerit cum infinitis aliis, & Dei voluntas ejuſdem exiſtentiam ideò ſolùm decreverit, quia hæc eventuum ſeries cum reliquo rerum ordine omnium maximè congruebat, ut optimum inde conſurgeret. Et hi adparentes integri mundi defectus, hæ maculæ Solis, cujus noſter non, niſi radius, eſt, adeò ejus pulchritudinem non minuunt, ut potiùs augeant, &, majus bonum procurando, ad illam conferant. Exſtant ſanè duo principia, ſed utrumque in Deo, nimirum *Intellectus* & *Voluntas.* Intellectus quidem mali principium ſuppeditat, nec inde vitiatur, aut ipſe malus fit; repræſentat naturas, uti ſunt in veritatibus æternis; continet in ſe rationem permittendi mali: at voluntas ad ſolum bonum tendit. Addamus & tertium principium, ſcilicet potentiam, quæ intellectum voluntatemque præcedit. Sed hæc agit, prout intellectus oſtendit, & voluntas jubet.

150. Nonnulli (ut *Campanella* (fff)) tres haſce Dei perfectiones, tres *primor-*

(fff) In *Atheiſmo ſuo triumphato. Tob. Wagnerus*, Cancell. Tubing. in Examine Elenctico Atheiſmi Speculativi, Tub. ed. A. 1677. cap. IX. ait: *Campanella in Atheiſmo ſuo triumphato*, Libro, quem Atheis oppoſuit, exiſtentiam Dei ex tribus primalitatibus, ſeu præeminentiis, quas vocat, per quas Ens primum eſſentietur, exſculpere fuit conatus: quas primalitates tam nos rejicimus, quàm Athei procul dubio exſibilant: ut mirum non ſit, eſſe viros doctos, qui tantùm non ὑπουλόν τι atheiſticum his primalitatibus ſubeſſe ſuſpicantur. Quid enim ex hoc invento aliud ſequitur, quàm Deus ex his primalitatibus eſſentiatus? Quod abſit, ut de exiſtentia Dei infinita adſeramus, quæ non, ſicut exiſtentia in creatis, ultimus actus eſt materiæ & formæ, quo non ſimpliciter, ſed ſaltem extra cauſas in loco & tempore res eſſe intelliguntur: ſed exiſtentem, quæ cum eſſentia divina ſimpliciſſimè eſt unum quid,

primordialitates vocavere, immò credidere complures, arcanum ad ſacroſanctam Trinitatem reſpectum hic latere; ac Potentiam quidem ad Patrem, hoc eſt, fontem Divinitatis, referri; Sapientiam ad Verbum æternum, quod ab Evangeliſtarum Aquila λόγος adpellatur: Voluntatem denique, ſive Amorem, ad Spiritum Sanctum. Et certè omnes ferè expreſſiones vel comparationes, e Subſtantiæ intelligentis natura deſumtæ, eò tendunt.

151. Hæc ipſa de principiis rerum a nobis dicta ſi *Bælius* expendiſſet, quæſtionibus ipſe ſuis, credo, reſpondiſſet, aut certè reſponſionem non ampliùs petiiſſet, quod ſequenti facit interrogatione. *Si unici principii ſummè boni, ſummè ſancti, ſummeque potentis, opus eſt homo, quî fieri poſſit, ut morbis, frigori, calori, fami, ſiti, dolori, triſtitiæ, ſit obnoxius? quî fieri poſſit, ut tot malis inclinationibus laboret, tot crimina committat? Quid? an ſuprema Sanctitas creaturam infelicem producere poteſt? an ſumma Potentia, Bonitati infinitæ conjuncta, non cumulabit opus ſuum bonis, &, quidquid lædere aut contriſtare poteſt, non amovebit?* Eandem difficultatem in Hamartigenia ſua repræſentavit *Prudentius* (ggg):

Si non vult Deus eſſe malum, cur non vetat, inquis.
Non refert Auctor fuerit factorve malorum.
Anne opera in vitium ſceleris pulcherrima verti,
Cùm poſſit prohibere, ſinat; quòd ſi velit omnes
Innocuos agere Omnipotens, nec ſancta voluntas
Degeneret, facto nec ſe manus inquinet ullo?
Condidit ergo malum Dominus, quod ſpectat ab alto,
Et patitur, fierique probat, tanquam ipſe crearit.
Ipſe creavit enim, quod ſi diſcludere poſſit,
Non abolet, longoque ſinit graſſarier uſu.

Verùm huic interrogationi jam abundè reſpondimus. Homo ipſe malorum ſuorum origo eſt, qualis nunc eſt, talis erat in ideis. Deus, immutabilibus ſapientiæ rationibus permotus, eum, qualis ibi eſt, ad exiſtentiam tranſire decrevit. Atque hanc, quam ſuſtineo, mali originem forſitan advertiſſet *Bælius*, ſi potentiæ, bonitati, ſanctitatique, ſapientiam

quid, Deus ἀνυπεξούσιος, ἀνυπάγαθος, &, ut *Scaliger Exerc.* 395. *n.* 2. ſignificantiſſimè eum adpellat, ἀναίτιος, exiſtens ab æterno, ſuaſque primalitates habens ex ſe ipſo, non ex alio. " Sunt iſtiuſmodi repræſentationes *comparationes* tantùm, uti *Vir ill.* ſcribit, non *demonſtrationes*, pro quibus ne ipſi quidem eas venditant, quæque hinc illis oneri eſſe non debent, ſunt *ſimilia*, quibus aliquo modo delineare & illuſtrare, inſtituto non admodum contemnendo, myſterium SS. Trinitatis ſuſceperunt, in quo antiquos Patres, inprimis *Auguſtinum*, anteceſſores habuerunt.

(ggg) *Contra Marcionitas*, v. 642. ſqq.

Dei conjunxiſſet. Obiter hîc addo, *ſanctitatem ipſius* nihil aliud eſſe, quàm ſupremum bonitatis gradum, uti crimen, quod ei opponitur, eſt id, quod in malo ipſo peſſimum eſt.

152. *Bælius Meliſſum*, Philoſophum Græcum, unici principii, & fortaſſis etiam unicæ ſubſtantiæ, propugnatorem (hhh), cum *Zoroaſtre*, veluti primo dualitatis auctore, confligentem inducit. *Zoroaſter* fatetur, *Meliſſi* hypotheſin ordini rerum, & rationibus *a priori* magis eſſe conformem, ſed eam cum experientia, & rationibus *a poſteriori*, congruere negat. *In Phænomenorum explicatione* (inquit) *quæ præcipua eſt boni ſyſtematis nota, te ſupero.* Verùm, me judice, non admodum ſcitè explicatur Phænomenon aliquod, quando ei *principium expreſſum* (iii) adſignatur, puta, malo *principium maleficum*, frigori *principium frigidum*; nihil hoc philoſophandi genere facilius, nihil vulgarius. Idem ferè eſt, ac ſi quis diceret, Mathematicos hodiernos in explicandis Aſtrorum Phænomenis palmam cedere Peripateticis, quòd hi aſtris proprias Intelligentias dirigentes tribuant; cùm, hoc poſito, facilè concipiatur, cur planetæ tanta cum exactitudine curſum ſuum peragant; cùm contra multa Geometria & meditatione opus ſit, ut intelligatur, quo pacto e planetarum gravitate, quaversùs ſolem feruntur, turbini cuipiam, quo rapiuntur, vel certè impetui proprio addita, prodire poſſit Ellipticus *Kepleri* motus, qui phænomenis tam bellè reſpondet. Hic nonnemo, ad ſpeculationes ſublimes adſurgere impotens, Peripateticis ſtatim adplaudet, & Mathematicos noſtros delirare cenſebit. Vetus aliquis Galeniſta idem de Scholæ Facultatibus judicium feret, aliam ſcilicet chylificam facultatem admittet, aliam chymificam, aliam ſanguificam, & ſic deinceps alias aliis operationibus proprias adſignabit facultates, & res ſtupendas geſſiſſe cenſebit, ridebitque recentiorum, quæ vocabit, deliria, qui ea, quæ in animalis corpore peraguntur, explicari mechanicè poſſe contendunt.

153. Ejuſdem furfuris eſt cauſæ mali per principium ſingulare, *per principium maleficum*, explicatio. Eo non magis indiget malum, quàm frigus & tenebræ: non datur *primum frigidum*, neque principium tenebrarum. Malum ipſum non, niſi a privatione, oritur; id, quod poſitivum eſt, concomitanter duntaxat malum ingreditur, uti activum concomitanter ingreditur frigus. Videmus, ab aqua congelaſcente ferream majoris ſclopi fiſtulam diſrumpi poſſe, ſi in ea includitur; & tamen frigus eſt quædam privatio virtutis, a ſola motus, fluidorum particulas a ſe invicem removentis, diminutione proveniens. Quando motus hic removens in-

(hhh) *Meliſſus*, Samius, *Ithagenis* filius, *Parmenidis* diſcipulus, quem etiam ſecutus, principium rerum unum eſſe, & immobile ſtatuit, ſec. *Ariſtot. Phyſ. L.* 1. 2. 3. Univerſum infinitum eſſe, & immutabile, atque immobile, & unum, ſibi ipſi ſimile ac plenum, ſec. *Laërt. IX.* 24.

(iii) *Interpr. Lat.* „principium proprium & veluti ex machina accerſitum.“

in aqua per frigus elangueſcit, aëris compreſſi particulæ latentes in aqua colliguntur, dumque majores fiunt, majorem etiam ope elateris ſui facultatem foris agendi conſequuntur. Namque reſiſtentia, quam partium aëris ſuperficies in aqua reperiunt, quæque harum partium, ſeſe dilatare conantium, niſui obſiſtit, multo minor eſt, conſequenter effectus aëris major in magnis aëris bullis, quàm in parvis, etiamſi hæ parvæ ſimul junctæ tantam, quantam magnæ, maſſam conficerent; quia reſiſtentiæ, hoc eſt, ſuperficies, creſcunt ut quadrata; conatus verò, hoc eſt, contenta, ſive ſoliditates, ſphærularum aëris compreſſi creſcunt ut cubi diametrorum. Itaque *ex accidente* eſt, quod privatio actionem & vim aliquam involvat. Jam ſuprà oſtendi, quo pacto privatio ad inducendum èrrorem malitiamque ſufficiat, & quo modo Deus ad utrumque tolerandum adducatur, nec tamen ideò ulla Deo malignitas adhæreſcat. Malum a privatione oritur; id verò, quod poſitivum eſt, ipſaque actio, naſcuntur inde per accidens, uti vis naſcitur ex frigore (kkk).

154. Id, quod Paulicianos loquentes facit *Bælius* (p. 2323.) non ſtringit, videlicet liberum arbitrium a duobus principiis oriri debere, ut ad bonum & ad malum convertere ſeſe poſſit: cùm enim in ſe ipſo ſimplex ſit, potiùs a principio neutro oriri deberet, ſi hæc ratio locum haberet. At liberum arbitrium in bonum tendit, &, ſi in malum impingat, id fit per accidens, quia nempe malum illud ſub bono veluti larvatum deliteſcit. Hæc *Medeæ* apud *Ovidium* verba,

Video meliora proboque,
Deteriora ſequor,

indicant, bonum honeſtum ſuperari a bono delectabili, quod majorem in animos, adfectibus agitatos, impreſſionem facit.

155. Cæterùm *Bælius* ipſe reſponſum *Meliſſo* non malum ſuggerit, ſed paullo poſt impugnat. En ejus verba (p. 2025.) „ Si *Meliſſus* ordinis „ notiones conſulat, reſpondebit, hominem, cùm a Deo conderetur, „ minimè pravum fuiſſe; dicet, hominem a Deo felicitate donatum, „ ſed, cùm conſcientiæ ſuæ dictaminibus morem non geſſiſſet, a qua ſecundùm Auctoris ſui intentionem per virtutis ſemitam ducendus erat, „ improbum evaſiſſe, ac meritum fuiſſe, ut Dei ſummè boni vindicem „ experiretur iram. Nequaquam igitur Deus eſt, cauſa mali moralis, „ ſed eſt ſolùm cauſa mali phyſici, hoc eſt, punitionis mali moralis, „ quæ punitio tantùm abeſt, ut principio ſummè bono repugnet, ut potiùs ab uno ejuſdem adtributo neceſſario dimanet, a juſtitia ſcilicet, „ quæ ei non minùs eſt eſſentialis, quàm bonitas. Hoc reſponſum, omnium, quæ a *Meliſſo* dari queunt, aptiſſimum, reapſe pulchrum eſt & „ ſolidum, ſed tamen per aliquid ſpecioſius ac plauſibilius oppugnari

 „ poteſt.

(kkk) *Suprà* §. 30. 31. 32. *Theod.*

„ poteſt. Inſtabit *Zoroaſter*, *principium infinitè bonum debuiſſe creare homi-
„ nem non ſolùm ſine malo actuali*, *ſed etiam ſine inclinatione ad malum*;
„ *Deum*, *peccati omniumque ejus effectuum præſcium*, *debuiſſe illud impedi-
„ re*, *& hominem adſtringere ad bonum morale*, *nec ullam ei ad peccandum
„ relinquere potentiam.*" Hucuſque *Bælius*. Iſta quidem dictu ſunt facilia, non item factu poſſibilia, ſi principia ordinis adtendantur: ſine perpetuis miraculis executioni dari hæc non potuiſſent. Ignorantia, error, & malitia, in animalibus, noſtri ſimilibus, naturali ſe ſerie ſubſequuntur: num igitur hanc Univerſo ſpeciem deeſſe oportebat? Equidem nullus dubito, quidquid ejus infirmitates ſecùs ſuaſerint, eandem ibi momentoſiorem fuiſſe, quàm ut Deus ad ipſam removendam adduci potuerit.

156. Articulo *Pauliciani*, quem Dictionario ſuo inſeruit, perſequitur *Bælius* ea, quæ Articulo de *Manichæis* protulerat. Secundùm ejus ſententiam (pag. 2330. Litt. H.) Orthodoxi videntur duo prima admittere principia, quando Diabolum peccati auctorem faciunt. *Bekkerus* (lll), Miniſter quondam Amſtelædamenſis, Auctor Libri, cui Titulus *Mundus incantatus*, cogitatum hoc ornare adgreſſus eſt, ut oſtenderet, non tribuendam eſſe Diabolo poteſtatem auctoritatemve, quæ illum Deo æquiparet. Rectè iſtud quidem, ſed conſequentias ipſe ſuas longiùs, quàm par eſt, provehit. Auctor verò Libri inſcripti: Ἀποκατάστασις πάντων, arbitratur, ſi Diabolus vincendus aut ſpoliandus nunquam foret, ſi prædam ſibi ſuam ſervaturus ſemper eſſet, ſi invicti titulus ad eum pertineret, hoc enimverò gloriæ divinæ obeſſe (mmm). Sed miſera profectò prærogativa eſt, ſervare, quos ſeduxeris, ut ſempiternam cum eis pœnam luas. Quod autem peccati cauſam adtinet, verum quidem eſt, Diabolum eſſe peccati auctorem, ſed ejus origo longiùs eſt accerſenda, fons ejus eſt in ipſa originali imperfectione creaturarum: hinc peccati capaces ſunt; tum occurrentes in rerum ſerie circumſtantiæ obſtetricantur, ut hæc potentia in actum deducatur.

157. Dia-

(lll) *Bathaſar Bekker*, A. 1634. natus, & A. 1698. d. 11. Jun. denatus, *Mundo ſuo faſcinato* multos civit motus. Editum primò ſcriptum eſt lingua Bat. *Leowardiæ* 1690. 8. & *Amſt.* 1691. 4. *duos* tantum libros complexum, quibus *tertius* & *quartus* acceſſit *Amſt.* 1693. 4. Germanicè prodiit 1693. 4. Gallicè *Amſt.* 1694. 12. A plurimis eſt refutatum, inter quos *B. Chriſtiani Hochſtetteri Diſp.* nomen ſibi vindicat: *Claſſicum Paulinum*, *ad pugnam ſpiritualem adversùs rectores tenebrarum hujus ſæculi*, *quo ex Eph. VI.* 10-13. *novæ præcipuè* Balth. Bekkeri *de actionibus & viribus dæmonum hypotheſes examinantur.* Solidè etiam illius dubia removit *Cel. Canzius*, *de Civit. Dei*, *S. II. c. III.*

(mmm) *V. ſupra Theod.* §. 17. *not.* (n) *Chriſtian. Theoph. Kochius* A. 1699. Kiliæ exire juſſit Ἀποκαταστάσεως *Act.* III. 21. *ſolidam & orthodoxam Expoſitionem*, *inprimis* Petro Poireto, *& Evangelii æterni Auctori M. D. Ph. G. oppoſitam*, in qua *ſect. IV. artic. I. p.* 219. objectionem hanc, ab æterni Evangelii Auctore p. 61. prolatam, *ſi pauci ſalvantur*, *Diabolus erit potentior Deo*, removere multis verbis adlaborat.

157. Diaboli, antequàm laberentur, Angeli erant, uti cæteri, crediturque eorum coryphæus e præcipuis fuiſſe: ſed Scriptura ſacra non ſatis hoc explicatè tradit. Locus Apocalypſeos de prælio cum Dracone, tanquam de viſione, loquens, dubia benè multa relinquit, nec rem, cujus alii Auctores ſacri vix meminere, ſatis expedit. Non eſt hic de iſtis diſquirendi locus, & fatendum ſaltem, communem ſententiam omnium optimè ſacro textui convenire. *Bælius* quædam *S. Baſilii*, *Lactantii*, aliorumque, de mali origine reſponſa expendit, ſed quia de malo phyſico agunt, de iis tantiſper loqui ſuperſedeo, & exſtantes in pluribus eruditi noſtri Auctoris Operum locis difficultates circa moralem mali moralis cauſam enucleare nunc pergo.

158. Impugnat ergò *Bælius* mali hujus permiſſionem, poſtulatque concedi ſibi, Deum illud velle. Quam in rem citat *Calvini* verba (in Geneſeos cap. 3.). *Quorundam offenduntur aures, cùm Deus illud voluiſſe dicitur. Sed permiſſio illius, qui prohibere poteſt, aut potiùs, in cujus manu res eſt, quid aliud, obſecro, eſt, quàm voluntas?* Explicat hæc *Calvini* verba *Bælius* unà cum præcedentibus, quaſi is fateretur, Deum *Adami* lapſum voluiſſe, non tamen quatenùs crimen erat, ſed ſub alia notione nobis ignota. Adducit Caſuiſtas paullo laxiores, dicentes, filium optare poſſe parentis ſui mortem, non quidem ut malum patris, ſed ut bonum ſibi, cui pinguis hereditas obventura eſt. (Reſp. ad Quæſita, cap. 147. p. 850.) Comperio, *Calvinum* dicere ſolùm, quòd Deus ob cauſam quandam nobis ignotam voluerit hominem labi. Reverâ, ubi de voluntate decretoria Dei, hoc eſt, de decreto aliquo, agitur, diſtinctiones iſtæ ſupervacuæ ſunt; actionem, ſi feriò velimus, cum omnibus ſuis qualitatibus volumus. Sed quando actio iſta crimen eſt, Deus illam non poteſt, niſi vellè permittere; crimen nec eſt finis, nec medium boni, ſed tantùm conditio *ſine qua non*, adeoque non eſt directæ alicujus voluntatis objectum, uti jam ſuprà oſtendi. Deus illud impedire nequit, quin agat contra id, quod ſibi debet, quin faciat aliquid ipſo hominis peccato pejus, quin regulam optimi violet, quod eſſet divinitatem deſtruere, uti anteà notavi. Itaque Deus neceſſitate morali, in ſe ipſo repertâ, malum morale creaturarum permittere tenetur. Atque hic præcisè caſus, quo ſapientis voluntas non, niſi permiſſiva, eſt. Jam dixi, teneri illum alterius crimen permittere, quando illud impedire non poteſt, quin ipſe in id, quod ſibi debet, peccet.

159. At inter omnes combinationes infinitas (inquit *Bælius* p. 853.) *placuit Deo eam eligere, qua* Adamus *erat peccaturus, hancque præ omnibus aliis decreto ſuo futuram reddidit.* Præclarè, hoc dictis meis conſentaneum; modò de combinationibus, totum Univerſum componentibus, intelligatur. *Nunquam ergò*, (ſubdit) *efficies, ut capiam, Deum noluiſſe, ut* Adamus *&* Eva *peccarent, cùm omnes combinationes, in quibus pecca-*

turi non erant, rejecerit. Atqui hoc generatim ex omnibus iis, quæ diximus, perquàm facilè percipitur. Hæc, quæ totum Univerſum efficit, combinatio omnium optima eſt; non poterat ergò Deus ipſam non eligere citra defectum proprium, quem ne admittat, (quod ab ipſo prorſus alienum eſt) defectum ſive peccatum hominis, in hac combinatione incluſum, permittit.

160. *Jaquelotius* unà cum aliis eruditis viris a mea ſententia hîc non recedit, uti dum dicit, Tractatûs ſui de Conformitate Fidei cum ratione p. 186. *Qui his in difficultatibus hærent, oculos mentis nimis anguſtos habere, & ad proprium commodum omnia Dei conſilia referre velle videntur. Cùm Deus Univerſum conderet, aliud nihil, niſi ſe ipſum, ſuamque gloriam, ſpectavit, adeò ut, ſi omnes creaturæ, & variæ illarum combinationes, diverſique reſpectus nobis perſpecti forent, Univerſum infinitæ Omnipotentis Conditoris ſapientiæ ad amuſſim quadrare nullo negotio comprehenderemus.* Alibi dicit (p. 232.) *Poſito per impoſſibile, abuſum liberi arbitrii impediri a Deo non potuiſſe, quin ipſum annihilaret, nemo ibit inficias, quandoquidem a ſapientia gloriaque ſua ad creaturas liberas efformandas determinatus fuerit, validam hanc rationem incommodis, ex ea libertate ſecuturis, præponderare debuiſſe.* Hanc ego ſententiam magis evolvere conatus ſum adhibita *ratione optimi*, nec non *neceſſitate morali*, quam Deus habet, optimum eligendi, non obſtante creaturarum quarundam peccato, illi adnexo. Difficultatem totam arbitror radicitùs excidiſſe; ut tamen res iſta penitiùs elucidetur, placet illud ſolutionum principium ſpecialibus *Bælii* difficultatibus adplicare.

161. Harum unam hiſce proponit verbis (cap. 148. p. 856.) *Deceretne cujuſpiam Principis bonitatem, 1. tantum pecuniæ tabellariis centum præbere, quantum ad ducentarum leucarum iter ſatis eſt? 2. iis omnibus, qui, nulla præterea mutuo accepta pecunia, iter confecturi ſunt, polliceri præmium, illis verò, quibus argentum illud non ſuffecerit, intentare carcerem? 3. homines ſeligere centum, e quibus duos duntaxat brabeum adepturos certò noverit, dum reliqui nonaginta octo in itinere domum, amicam, fidicinem, aliudve quidpiam, offendent, apud quos ſumtus facturi ſunt, quoſque Princeps ipſe data opera per viarum intervalla diſpoſuit? 4. hos nonaginta octo tabellarios, ubi redierint, carceri mancipare? Nonne luce clarius eſt, eum nullâ erga ipſos benignitate commendabilem fore, immò potiùs hoc pacto non mercedem propoſitam, ſed carcerem iis deſtinaſſe? At merebantur: ſit ita; at ille, qui carcerem illos mereri voluerat, quique in infallibilem ejus merendi viam illos conjecerat, an dignus eſſet, qui bonus æſtimaretur, eo quòd duobus reliquis mercedem rependerit?* Non hanc ſanè ob cauſam boni nomine dignus haberetur, ſed tamen aliæ circumſtantiæ concurrere poſſunt, ob quas laudem mereretur, quòd hac arte uſus eſſet, ut homines illos pernoſceret, eorumque delectum haberet, uti *Gedeon* inſolita quadam ratione

tione in ſeligendis e militum ſuorum numero fortiſſimis minimeque mollibus uſus fuit. Et quamvis Principi nota jam eſſet omnium iſtorum virorum indoles, nonne poſſet eorum facere periculum, ut aliis etiam innoteſcerent? Quæ rationes licet ad Deum adplicari minimè queant, oſtendunt tamen, actionem aliquam, qualis eſt hujus Principis, ſi a circumſtantiis, ad rationem ejus judicandam idoneis, avellatur, poſſe abſurdam videri. Potiori certò jure judicandum eſt, benè feciſſe Deum, noſque id intellecturos, ſi quæ fecit, omnia cognoſceremus.

162. *Carteſius* in quadam ad Sereniſſimam Principem *Eliſabetham* epiſtola (Vol. I. Epiſt. 10.) aliam comparationem adhibuit ad conciliandam cum divina omnipotentia libertatem humanam. *Inducit in medium Monarcham aliquem, qui duella vetuit, quique probè conſcius, duos equeſtris ordinis viros, ſi mutuò ſibi occurrant, certo duello congreſſuros, media certiſſima eligit ad eorum occurſum promovendum. Illi facto ipſo ſibi mutuò fiunt obviam, inter ſe ferro contendunt, violatio legis naſcitur ex libero eorum arbitrio, pœnâ digni ſunt. Quod autem,* (addit) *Regi de quibuſdam ſubditorum ſuorum liberis actionibus facere licet, id Deus, qui præſcientiâ & potentiâ infinitâ pollet, de omnibus hominum actionibus ſine formidine oppoſiti facit. Et antequàm nos in hunc orbem mitteret, exactè noverat, quales eſſent futuræ voluntatis noſtræ propenſiones omnes; illas enim ipſe nobis indidit, cætera etiam extra nos ita diſpoſuit, ut hæc & illa objecta ſe ſenſibus noſtris hoc & illo tempore objicerent, quorum occaſione ſcivit, fore, ut liberum noſtrum arbitrium nos ad hoc vel illud determinaret: id ergo ſic voluit, ſed noluit tamen nos ad hoc cogere. Et quemadmodum in iſto Rege diſtingui poſſunt duo diverſi voluntatis gradus, unus, quo voluit, ut duo hi nobiles decertarent, cùm fecerit, ut in ſe mutuò inciderent; alius verò, quo id noluit, cùm duella edicto prohibuerit; ſic Theologi diſtinguunt in Deo voluntatem unam abſolutam & independentem, qua vult, ut omnia fiant, prout fiunt; aliam verò relativam, quæ ad hominum meritum aut delictum refertur, per quam vult ut legibus ſuis obtemperetur.* (Hæc *Carteſius* Epiſt. 10. Vol. I. pag. 51, 52. quibus confer, quæ *Arnaldus* Tom. 2. p. 288. & ſeqq. Animadverſionum in Syſtema *Malebranchii* refert ex *Thoma Aquinate* de voluntate Dei antecedente & conſequente).

163. His reſpondet *Bælius* (Reſp. ad Provinc. cap. 154. p. 943.) *Magnus ille Philoſophus, ut mihi quidem videtur, valdè allucinatur. Nullus hoc in Monarcha voluntatis gradus, neque parvus, neque magnus, foret, ut hi duo nobiles legi morem gererent, neve inter ſe decertarent. Plenè uniceque vellet, ut inter ſe contenderent. Neque ideò, fateor, a culpa abeſſent ipſi, qui adfectibus ſolùm ſuis obſequerentur, ignari, ſe Principis ſui votis velificari; ſed tamen Princeps verè cauſa moralis eorum duelli foret, nec id optaret pleniùs, etiamſi eos ad pugnam accenderet, aut pugnare juberet. Finge tibi duos Principes, quorum uterque optat, ut filius ſuus natu maximus veneno ſe perimat. Alter vi cogit; alter ſatis habet occultè mœrorem excitare, filium*

filium ad cicutam adigere aptum. An poſterioris voluntatem minùs completam fuiſſe dubitabis? Adſumit ergò factum falſum Carteſius, *nec difficultatem ſolvit.*

164. Fatendum, *Carteſium* de voluntate Dei circa malum crudiuſculè loqui, dum non ſolùm dicit, ſciviſſe Deum, quo liberum noſtrum arbitrium ſe inflexurum foret, ſed etiam *ita voluiſſe*, quamvis non ideò cogere illud voluerit. Nec minùs durè loquitur ejuſdem voluminis Epiſtola octava, dum ait, ne minimam quidem cogitationem in mentem humanam venire, quam Deus in ea non *velit*, aut non voluerit ab æterno eſſe. Nihil unquam *Calvinus* ipſe durius dixit, nec iſtâ, niſi ſubintellectâ voluntate permiſſivâ, excuſari queunt. *Carteſii* ſolutio recidit in diſtinctionem *inter voluntatem ſigni & beneplaciti*, quam Recentiores voce quidem tenus a Scholaſticis mutuati ſunt, ſed cui ſenſum, apud Veteres parùm receptum, tribuerunt (nnn). Verum quidem eſt, Deum imperare quidpiam poſſe, quamvis illud fieri nolit, uti cùm *Abrahamo* præcepit immolare filium. Obedientiam volebat, actionem ipſam non volebat. At quando Deus actum virtutis imperat, peccatumque prohibet, vult verè, quod imperat, ſed ſæpè voluntate ſolùm antecedente, uti plus ſimplici vice docui.

165. Itaque *Carteſii* comparatio non uſquequaque ſatisfacit, poteſt tamen ita aptari, ut, mutato aliquantulum caſu, ſatisfaciat, ſi nimirùm rationem aliquam comminiſcamur, quæ Principem cogat efficere vel permittere, ut hi duo inimici ſibi mutuò occurrant. Puta, oportere utrumque ſimul exercitui intereſſe, vel aliud quodpiam munus obire, quod diſpenſationem nullam admittat, quod Princeps ipſe, ſine præſenti Regni ſui diſcrimine, nequeat impedire, veluti ſi ob alterutrius abſentiam multi ab exercitu ſeſe ſubducturi, aut milites murmuraturi præviderentur, aut aliud hujuſmodi incommodum ingens immineret. Hoc igitur caſu dici poteſt, Principem illum non velle duellum, quod norit futurum, ſed permittere tamen, quia malit permittere peccatum alienum, quàm admittere ſuum. Atque hæc comparatio, ita correcta, adplicari poteſt, modò diſcrimen, quod inter Deum atque Principem intercedit, obſervetur. Princeps ad hanc permiſſionem impotentiâ ſuâ adigitur: Rex aliquis potentior cunctis iſtis reſpectibus minimè indigeret; Deus verò, qui omnia poſſibilia poteſt, non, niſi quia meliùs a quocumque fieri prorsùs impoſſibile eſt, permittit peccatum. Principis actio mœrore & ægritudine fortaſsè non caret. Oritur autem ægritudo iſta ex ipſius imperfectione, cujus conſcius eſt, in qua conſiſtit diſplicentia. Deus verò diſplicentiæ nec capax eſt, nec cauſam reperit ullam, utpote infinita ratione perfectionis propriæ

(nnn) Conf. Cel. *Jo. Petr. Reuſchii Syſtema Metaph.* qui §. 968. varias hujus diſtinctionis ſignificationes exhibet & dijudicat.

propriæ conſcius; immo fas eſt dicere, imperfectionem, in creaturis ſeorſim conſideratis repertam, apud Deum cedere in perfectionem totius, & gloriæ auctarium eſſe Creatori. Quid optari poſſit ampliùs, ubi ſapientia præſtò eſt immenſa, ubi par ſapientiæ potentia reſpondet, ubi denique omnia quis poteſt, & ex omnibus optimum habet?

166. Hæc qui ritè perceperit, adversùs robuſtiſſimas animoſiſſimaſque objectiones ſatis inſtructus eſſe mihi videtur. Has equidem minimè diſſimulavimus: aliquas tamen, quia nimis odioſæ ſunt, obiter tantùm delibabimus. Remonſtrantes ac *Bælius* (Reſp. ad Provinc. cap. 152. in fin. pag. 919. Tom. 3.) citant *S. Auguſtinum*, qui ait, *crudelem eſſe miſericordiam, velle aliquem miſerum eſſe, ut ejus miſercaris*: adlegatur eundem in ſenſum *Seneca* de Benef. L. 6. c. 36, 37. (ooo). Fateor id non ſine ratione aliqua objici iis, qui Deum aliam permittendi peccati cauſam non reperiſſe arbitrarentur, quàm ut haberet, unde juſtitiam vindicativam contra maximam vim hominum, miſericordiam verò ſuam erga puſillum electorum gregem, exerceret. Verùm Deo permiſſionis hujus rationes ſe digniores, & intuitu noſtri ſublimiores, adfuiſſe judicandum eſt. Auſi ſunt etiam nonnulli modum agendi divinum comparare cum *Caligulæ* inſtituto (ppp), edicta ſua tam minutis ſcribi characteribus, & loco tam alto adfigi, jubentis, ut legi minimè poſſent; cum Matris conſilio, quæ, ut ad optata commoda perveniat, filiæ honorem negligit; cum agendi ratione Reginæ *Catharinæ Mediceæ*, quæ, ut Magnatum arcana eliceret, puellarum ſuarum amoribus faviſſe perhibetur; immò cum *Tiberii* ſuſcepto (qqq), qui inſolente carnificis miniſterio perfecit, ut lex, quæ virginem ſolito adfici ſupplicio vetabat, in impubere *Sejani* filia locum non haberet. Hæc poſtrema comparatio a *Petro Bertio*, tunc Arminiano, pòſt ad Romana ſacra tranſgreſſo (rrr), propoſita fuit. Inſtitutus

(ooo) „Quis pium dicet *Æneam*, ſi patriam capi voluerit, ut captivitate patrem eripiat? Quis Siculos juvenes, ut bona liberis exempla monſtrarent, ſi optaverunt, ut Ætna, immenſa ignium vi ſupra ſolitum ardens, daret ipſis occaſionem exhibendæ pietatis, ex medio parentibus incendio raptis? *&c.* "

(ppp) *Sueton. in ejus Vita*, 41.

(qqq) *Suet. in ejus Vit. 61.*

(rrr) *Petrus Bertius*, ſcribit ab ill. Auctore laudatus *Andr. Carolus* ad A. 1621. p. 534. antehac Profeſſor Lugd. Bat. & Regens in Collegio Statuum Hollandiæ Weſtfriſiæque, Calvinianus, dein Arminianus, Pariſiis Communioni Romanenſium acceſſit, a *Ludovici XIII.* Regius ibi Profeſſor Geographiæ factus; quem ea de cauſa Miniſtri Eccleſiæ Leidenſis, cui priùs adhæſerat, in feſto Paſchatos Banno innexuere. Obiit A. 1629. ut idem adnotat p. 725. De Paralleliſmo iſto tradit idem ad A. 1614. ſequentia: P. Bertius, *Arminianus, a. 1614. in Controverſia de divina Prædeſtinatione, inter ipſum & Jo.* Piſcatorem, *rigidiſſimum Calviniſtam, agitata, Piſcatorianam blaſphemiam ſequenti Analogiſmo in apricum protulit.* Ponit deinde verba *Suetonii*: ſchema autem ipſum ad A. 1615. pag. 385. adfert: *Suetonius* nempe in *Tib.* „Immaturæ puellæ, quia more patrio nefas eſſet virgines ſtrangulari, vitiatæ priùs a car-

etiam eſt Deum inter & *Tiberium* parallelismus offenſione plenus, qui ab *Andrea Caroli* integer refertur in ſuis *Memorabilibus Eccleſiaſticis* ſæculi præcedentis, uti notat *Bælius*. *Bertius* illo adversùs Gomariſtas uſus eſt: arbitror, hujuſmodi argumenta locum duntaxat habere adversùs eos, qui juſtitiam apud Deum arbitrarium quid eſſe contendunt, vel poteſtatem ei deſpoticam tribuunt, qua inſontes adeò damnare poſſit, vel denique, qui bonum non eſſe rationem ejus moventem exiſtimant.

167. Sub idem tempus prodiit ingenioſa ſatyra contra Gomariſtas, inſcripta: *Fur Prædeſtinatus*, *de gepredeſtineerde dief*, qua fur inducitur ad furcam damnatus, qui, quidquid perpetravit mali, totum Deo adſcribit, qui, nihil obſtantibus facinoribus ſuis, ad ſalutem ſe prædeſtinatum eſſe credit, hancque ſibi fidem ſufficere perſuaſum habet, ac Miniſtrum Contraremonſtrantem, præparando ad mortem malefico adcitum, argumentis *ad hominem* profligat: ſed hunc furem denique convertit vetus quidam Paſtor, Arminianiſmi cauſa exauctoratus, quem carceris cuſtos, furis vicem, & imbecillitatem Miniſtri, miſeratus, clam adduxerat. Refutatus fuit iſte libellus, ſed ſatyrarum refutationes nunquam æquè delectant, atque ſatyræ ipſæ. *Bælius* (Reſp. ad Provinc. cap. 154. Tom. 3. pag. 938.) hunc Librum in Anglia *Cromwelli* tempore emiſſum fuiſſe ait, nec ſciviſſe videtur non fuiſſe, niſi Belgici Autographi longè antiquioris verſionem. Addit, refutationem illius a Doctore *Georgio Kendalio* Oxoniæ editam fuiſſe Anno MDCLVII. ſub indice: *Fur pro Tribunali* (sss), ipſumque dialogum contrarium ei eſſe inſertum. Dialogus iſte falſo ſupponit, Contraremonſtrantes Deum facere Auctorem mali, & Prædeſtinationis Mahumetanæ genus quoddam adſerere, in qua perinde ſit, maléne an benè opereris, ſufficiatque ad prædeſtinationem imaginari tibi, quòd prædeſtinatus ſis. Non ſanè eouſque procedunt Gomariſtæ; interim tamen verum eſt, dari inter eos Supralapſarios, alioſque, quibus difficile ſit, ſuam de Dei juſtitia, deque pietatis & ethices humanæ principiis, ſententiam ritè explicare, cum deſpotiſmum in Deo concipiant, & homini de abſoluta electionis ſuæ certitudine abſque ratione perſuaſum eſſe

a carnifice; dein ſtrangulatæ ſunt. « *Piſcator adverſus Schafman.* » Deus homines hoc conſilio condidit, ut re ipſa laberentur: quippe cum non niſi hac ratione pervenire potuerit ad fines illos ſuos principales &c. « Sect. 27. pag. 26. Comparatur poſt utriuſque ſententiæ *Decretum prius*, *Cauſa*, *Obſtaculum*, *Remotio Obſtaculi*, *Decretum poſterius*, *Eventus poſterioris decreti*, *Eventus prioris decreti*. *Piſcator* ad hanc inſtantiam reſpondere non potuit, niſi ita, ut diceret, *duos, cùm faciant idem, non eſſe idem*, & manere, *juſtum aliquid in Deo eſſe, quod in nobis eſſet injuſtitia*: cujus adſerti falſitatem *ill. Vir* multis in locis luculenter oſtendit: v. infrà §. 176.

(sss) Fur pro Tribunali, *ſeu examen dialogiſmi, qui inſcribitur* Fur prædeſtinatus, *cum Or. de doctrina Neopelagiana, &c.* Mortuus *Georg. Kendall*, Devonienſis, inſignis Arminianorum & Socinianorum adverſarius, A. 1663. d. 19. Aug.

eſſe poſtulent, quod ſanè periculoſis obnoxium eſt conſectariis. At verò omnes, qui agnoſcunt, Deum omnium optimam ſeriem, inter omnes poſſibiles Univerſi ideas ſelectam, produxiſſe; ipſum in ea reperiſſe hominem originali creaturarum imperfectione ad liberi ſui arbitrii abuſum miſeriamque vergentem; Deum peccatum atque miſeriam impedire, quantum patitur Univerſi perfectio, quæ divinæ perfectionis radius quidam eſt; hi, inquam, diſtinctiùs oſtendunt, intentionem Dei omnium, quæ cogitari poſſint, rectiſſimam eſſe ac ſanctiſſimam, creaturam ſolam in culpa verſari, ejus limitationem, ſive originalem imperfectionem, eſſe fontem peccati, malam ejus voluntatem unicam miſeriæ cauſam, neminem ad ſalutem deſtinari, quin ad ſanctitatem quoque filiorum Dei deſtinatus ſit, denique electionis ſpem omnem non niſi in bona, cujus per Dei gratiam ſibi quis conſcius eſt, voluntate fundari poſſe.

168. Opponuntur præterea *cauſæ morali mali moralis*, a nobis explicatæ, *conſiderationes metaphyſicæ*; verùm poſtquam *objectiones*, a rationibus *moralibus* petitas, quæ animos magis adficiebant, removimus, iſtæ minùs negotii nobis faceſſent. Hæ conſiderationes metaphyſicæ ſpectant naturam *poſſibilis* & *neceſſarii*: premunt fundamentum a nobis poſitum, videlicet quòd Deus mundorum omnium poſſibilium optimum elegerit. Fuere Philoſophi (ttt), qui nihil, niſi quod re ipsâ ſit, poſſibile eſſe pugnarunt, iidem illi nempe, qui omnia eſſe abſolutè neceſſaria crediderunt, aut credere potuerunt. Huic ſententiæ adſurrexerunt quidam, quia in cauſa exiſtentiæ rerum brutam cæcamque neceſſitatem admittebant, & hi potiſſimùm nobis impugnandi veniunt. Sunt verò & alii, qui non allucinantur, niſi quòd abutuntur terminis. Confundunt nimirum neceſſitatem moralem cum neceſſitate metaphyſica; exiſtimant, ſi Deus non poſſet non facere optimum, hoc ei tollere libertatem, eamque rebus neceſſitatem inferre, quam Philoſophi perinde atque Theologi remis veliſque fugiunt. Cum his Auctoribus ſola nobis logomachia intercedit, modò verè concedant, Deum eligere & facere optimum. Sed alii, longiùs progreſſi, cenſent, Deum meliùs agere potuiſſe, & hæc ſententia repudianda eſt; quamvis enim Deo bonitatem ſapientiamque non penitùs adimat, limites tamen eis figit, quod eſt ſummam ejus perfectionem lædere.

169. Quæſtio de poſſibilitate rerum nunquam futurarum jam ab Antiquis examini ſubjecta eſt. Videtur *Epicurus*, ut libertatem ſartam tectamque ſervaret, ac neceſſitatem abſolutam effugeret, *Ariſtotele* duce, adſeruiſſe, quòd futura contingentia determinatam nequeant habere veritatem. Nam ſi heri verum erat, me hodie ſcripturum, fieri non poterat, quin ſcriberem, idque adeò neceſſarium erat, & quidem, eandem ob rationem, ab omni æternitate. Igitur quidquid contingit, neceſſarium eſt, & impoſſibile aliter fieri. Sed, cùm id verum non ſit, inde ex ſententia *Epi-*

(ttt) *V. Theod. §. 67.*

curi conficitur, futura contingentia non habere determinatam veritatem. Hanc ſententiam ut tueretur *Epicurus*, primarium & graviſſimum veritatum rationis principium negare non eſt veritus: negabat enim enunciationem omnem vel veram eſſe vel falſam. Ad has autem anguſtias ſic adigebatur: Negas heri verum fuiſſe, me hodie ſcripturum, igitur falſum erat. Bonus vir cum hanc ſequelam admittere non poſſet, coactus fuit dicere, nec verum fuiſſe, nec falſum (uuu). Qui huc devenit, nulla refutatione indiget, nec erat, cur *Chryſippus* in magno iſto contradictoriarum principio confirmando laboraret, uti laboraſſe refert *Cicero* Libro de Fato: *Contendit omnes nervos* Chryſippus, *ut perſuadeat, omne* Ἀξίωμα *aut verum eſſe, aut falſum. Ut enim* Epicurus *veretur, ne, ſi hoc conceſſerit, concedendum ſit, fato fieri, quæcumque fiant; ſi enim alterutrum ex æternitate verum ſit, eſſe id etiam certum; ſi certum, etiam neceſſarium; ita & neceſſitatem & fatum confirmari putat; ſic* Chryſippus *metuit, ne non, ſi non obtinuerit, omne, quod enuncietur, aut verum eſſe, aut falſum, omnia fato fieri poſſint ex cauſis æternis rerum futurarum.* Adnotat *Bælius* (Diction. Art. *Epicurus*, Litt. T. p. 1141.) » horum inſignium Philoſophorum (*Epicurum* & *Chryſippum*) percepiſſe, quòd veritas hujus axiomatis, *Omnis enunciatio eſt vel vera vel falſa*, nullatenus dependeat ab eo, quod adpellatur *Fatum*: non igitur ad probandam *fati* exiſtentiam prodeſſe poterat, uti contendebat *Chryſippus*, & verebatur *Epicurus*. *Chryſippus* ſine cauſæ ſuæ detrimento non poterat concedere, dari propoſitiones, quæ nec veræ ſint, nec falſæ; ſed contrarium evincendo nihil proficiebat; nam ſive cauſæ liberæ exiſtant, ſive non, perinde verum eſt, hanc propoſitionem, *Magnus Mogol cras ibit venatum*, aut veram eſſe, aut falſam. Ridiculus meritò viſus eſt *Tireſiæ* ſermo (apud *Horatium*:)

Quidquid dicam, aut erit, aut non,
Divinare etenim magnus mihi donat Apollo.

» Si per impoſſibile nullus exſtaret Deus, certum tamen foret, quidquid hominum ſtultiſſimus prædiceret, vel fore, vel non fore. Quod nec *Chryſippus*, nec *Epicurus*, obſervarunt. « *Cicero Lib. I. de Natura Deorum* optimè de Epicureorum effugiis judicavit (uti circa ejuſdem paginæ calcem advertit *Bælius*) minùs ignominioſum fore, ſi dicatur, adverſario.

(uuu) Circa id, quod contingens futurum vocant, veræ ſunt quidem, quæ dicuntur ex contrariis, disjunctiones, ſeu complexiones mavis, quæ fiunt per disjunctivas particulas, veluti ſi dicatur, aut vivet cras *Hermachus*, aut non vivet, at, quæ in his enunciantur, (ſeu oppoſitorum membrorum) neutrum verum eſt, neque enim ulla eſt in natura neceſſitas, ut *Hermachus* cras vivat, neque iterum, ut non vivat. " Ex *Sexto Empirico Gaſſend.* ad *Laërt.* L. X. p. 121. *citante* Stanlejo, *in* Epicuri *Vita*, *p.* 953. *ed. Lipſ.*

ſario reſponderi non poſſe, quàm ad hujuſmodi reſponſiones perfugere. Interim tamen ipſum videbimus *Bælium* confudiſſe certum cum neceſſario, quando electione optimi res effici neceſſarias pugnavit (xxx).

170. Veniamus nunc ad rerum nunquam futurarum poſſibilitatem, ipſaque *Bælii* verba, utut prolixa, proferamus. Scilicet in ſuo Dictionario (Artic. *Chryſippus*, Litt. S. p. 929.) ita loquitur. *Celeberrima de poſſibilibus & impoſſibilibus controverſia Stoicorum doctrinæ de Fato ſuam debebat originem. Quærebatur, an inter ea, quæ nec fuerunt, nec erunt unquam, ſint quædam poſſibilia, an verò, quidquid nec eſt, nec fuit, nec erit unquam impoſſibile ſit. Famigeratus quidam e Megarica Secta Dialecticus, nomine* Diodorus *prius, harum duarum quæſtionum negavit, alterum adfirmavit; ſed a* Chryſippo *vehementer impugnata fuit hæc doctrina. En duo* Ciceronis *loca*, (Epiſt. 4. Lib. 9. ad Familiares): „Περὶ δυνατῶν me ſcito κατὰ Διόδωρον κρίνειν. Quapropter ſi venturus es, ſcito, neceſſe eſſe, te venire. Nunc vide, utra te κρίσις magis delectet, χρυσιππεῖαne an hæc, quam noſter *Diodorus* (Stoicus quidam, diu apud *Ciceronem* hoſpitatus) non concoquebat. *Excerptum hoc eſt e quadam* Ciceronis *epiſtola ad* Varronem. *Totum quæſtionis ſtatum exponit idem prolixiùs in Libello de* Fato, *ex quo excerpta aliqua proferam.* „Vigila, *Chryſippe*, ne tuam cauſam, in qua tibi cum *Diodoro*, „valente Dialectico, magna luctatio eſt, deſeras... Omne, quod falſum dicitur in futuro, id fieri non poteſt. At hoc, *Chryſippe*, minimè vis, maximeque tibi de hoc ipſo cum *Diodoro* certamen eſt. Ille enim id ſolum fieri poſſe dicit, quod aut ſit verum, aut futurum ſit verum: &, quidquid futurum ſit, id dicit fieri neceſſe eſſe: &, quidquid non ſit futurum, id negat fieri poſſe. Tu etiam, quæ non ſunt futura, poſſe fieri dicis, ut frangi hanc gemmam, etiamſi id nunquam futurum ſit: neque neceſſe fuiſſe, *Cypſelum* regnare Corynthi, quanquam id milleſimo antè anno *Apollinis* oraculo editum eſſet... Placet *Diodoro*, id ſolum fieri poſſe, quod aut verum ſit, aut verum futurum ſit: qui locus adtingit hanc quæſtionem, nihil fieri, quod non neceſſe fuerit: &, quidquid fieri poſſit, id aut eſſe jam, aut futurum eſſe: nec magis commutari ex veris in falſa ea poſſe, quæ futura ſunt, quam ea, quæ facta ſunt: ſed in factis immutabilitatem adparere; in futuris quibuſdam, quia non adparent, ne ineſſe quidem videri: ut in eo, qui mortifero morbo urgeatur, verum ſit, hic morietur hoc morbo: at hoc idem ſi verè dicatur in eo, in quo tanta vis morbi non adpareat, nihilominùs futurum ſit. Ita fit, ut commutatio ex vero in falſum, ne in futuro quidem, ulla fieri poſſit. *Cicero ſatis innuit*, Chryſippum *ſæpè in diſputatione hac hæſiſſe implicitum, nec mirum: ſententia enim*,

(xxx) *Interpr. Lat. addit*: (*Tireſias* ſic capiendus eſt, ne *Homerus* ineptire putetur: quidquid dicam, aut erit, aut non; ſcilicet ut dicam.")

enim, quam propugnandam ſuſceperat, cum ſuo de fato dogmate connexum non erat, & , ſi conſequenter ratiocinari vel ſciviſſet, vel auſus fuiſſet, lubens totam Diodori *hypotheſin adoptaſſet. Vidimus ſuperiùs, libertatem, quam animæ tribuebat, & comparationem cylindri, qua ùtebatur, non prohibere, quo minùs omnes humanæ voluntatis actus reverâ forent inevitabiles fati effectus, ex quo fit, quidquid non evenit, evenire non poſſe, & nihil evenire poſſe, niſi quod reapſe evenit.* Plutarchus (de Stoicor. repugn. pag. 1053. 1054.) Chryſippum *penitùs profligat, tam in iſto argumento, quàm in controverſia cum* Diodoro, *contenditque, ipſius de poſſibilitate opinionem doctrinæ de* fato *penitùs repugnare. Obſerva, Stoicorum illuſtriſſimos quoſque, qui eandem quæſtionem ſcriptis ſuis tractarunt, aliam omninò viam tenuiſſe.* Arrianus (in Epict. Lib. 2. c. 29. p. m. 166.) *quatuor ex illis recenſuit, videlicet* Chryſippum, Cleanthem, Archidemum & Antipatrum. *Ipſe controverſiam hanc totam magno cum contemtu tractat, nec erat, quod* Menagius *eum veluti ſcriptorem, de* Chryſippi *opere* Περὶ δυνατῶν *honorificè locutum, laudaret* (citatur honorificè apud *Arrianum Menag.* in *Laërt.* Lib. 7. p. 341.) *nam certè hæc verba,* γέγραφε δὲ ϰαὶ Χρύσιππος θαυμαστῶς, &c. de his rebus mira ſcripſit *Chryſippus*, &c. *eo in loco non ſunt elogium. Adparet hoc ex antecedentibus & conſequentibus.* Dionyſius Halicarnaſſæus (de collocat. verbor. c. 17. p. m. 11.) *duorum* Chryſippi *tractatuum meminit, in quibus ſub titulo, alia pollicente, multam in logicorum ditiones excurſionem faciebat. Operis inſcriptio erat* περὶ τῆς συντάξεως τῶν τοῦ λόγου μέρων, de partium orationis collocatione: *nec aliud quidquam, niſi enunciationes veras & falſas, poſſibiles & impoſſibiles, contingentes, ambiguas, &c. conſiderabat, quod argumentum Scholaſtici noſtri tam ſæpè inculcarunt, tamque ſubtiliter excuſſerunt. Nota,* Chryſippum *agnoviſſe, præterita eſſe neceſſariò vera, quod* Cleanthes *concedere noluerat.* (Arrian. ubi ſupra p. m. 165.) οὐ πᾶν δὲ παρεληλυθὸς ἀληθὲς ἀναγκαῖον ἐστι, καθάπερ οἱ περὶ Κλεάνθην φέρεσθαι δοκοῦσι. Non omne præteritum ex neceſſitate verum eſt, ut illi, qui *Cleanthem* ſequuntur, ſentiunt. *Vidimus* (pag. 562. col. 2.) *ſupra* Abælardum *ſimilia* Diodoro *docuiſſe putatum. Credo, Stoicos latiùs extendiſſe poſſibilia, quàm futura, ut odioſas horribileſque conſequentias, e ſuo de fato dogmate pullulantes, mitigarent.*

Satis adparet, *Ciceronem*, dum ad *Varronem* modò relata ſcriberet, (Lib. 6. Epiſt. 4. ad Famil.) non ſatis intellexiſſe momentum doctrinæ *Diodori*, cùm eam præferendam duxerit. Auctorum opiniones in Libro *de Fato* ſatis ſcitè repræſentat ille quidem, ſed dolendum, eum rationes, quibus illi nitebantur, non ſemper addidiſſe. *Plutarchus* Libro de Stoicorum repugnantiis, nec non *Bælius*, mirantur, *Chryſippum* non conſenſiſſe *Diodoro*, cùm hic fato faveat. Verùm *Chryſippus*, & Magiſter ejus *Cleanthes*, ea in re rectiùs, quàm creditur, ſapiebant, ut infrà videbimus. Quæſtio eſt, num præteritum magis ſit neceſſarium, quàm futurum. *Cleanthes* in hac erat ſententia. Objicitur, *ex hypotheſi* neceſſe eſſe, ut futurum eveniat,

eveniat, quemadmodum neceſſe eſt *ex hypotheſi*, ut præteritum evenerit. Sed hoc diſcrimen intereſt, quòd poſſibile non ſit, agere in præteritum, hoc namque contradicit; poſſibile verò ſit, aliquid efficere circa futurum: interim eadem eſt hypothetica utriuſque neceſſitas; illud mutari non poteſt, hoc non mutabitur; quo poſito, nec ipſum mutari poterit.

171. Celebris ille *Petrus Abælardus* ad *Diodori* ſententiam propiùs acceſſit, quando dixit, Deum nihil poſſe facere, niſi quod facit (yyy). Hæc tertia fuit inter propoſitiones quatuordecim, ex ipſius operibus excerptas, & cenſurâ Concilii Senonenſis improbatas. Deſumta fuerat hæc propoſitio e Libro ejus tertio Introductionis ad Theologiam, ubi ſpeciatim agit de potentia Dei. Adſerti hujus rationem dabat, quòd Deus nihil facere poſſit, niſi quod vult, nequit autem aliud velle facere, quàm quod facit, quia neceſſe eſt, eum velle, quidquid decet; unde ſequitur, quidquid non facit, non decere, nec quidquam eorum poſſe velle facere, adeoque facere non poſſe. *Abælardus* ipſe fatetur, hanc opinionem eſſe ſibi peculiarem, ferè neminem ita ſentire, eam doctrinæ Sanctorum, & Rationi, contrariam videri, ac magnitudini Dei derogare. Videtur hic Auctor aliquanto nimium fuiſſe proclivis ad novitatem loquendi & cogitandi. Nam reverâ pura puta logomachia erat, & terminorum duntaxat uſurpationem innovabat. Potentia & voluntas facultates ſunt diverſæ, quarum etiam objecta differunt; confundit eas, qui dicit, Deum non poſſe facere, niſi quod vult. Immò potiùs inter poſſibilia plurima non vult, niſi quod optimùm comperit. Omnia namque poſſibilia tanquam divinæ potentiæ objecta conſiderantur, actualia verò & exiſtentia tanquam objecta voluntatis decretoriæ, quod *Abælardus* ipſe agnovit. Objicit namque ſibi hoc argumentum: Reprobus poteſt ſalvari, atqui ſalvari nequit, niſi Deus eum ſalvet. Ergò Deus ipſum poteſt ſalvare, adeoque facere aliquid, quod non facit. Reſpondet, dici poſſe, quod hic homo ſalvari poſſit, ſi ſpectetur poſſibilitas naturæ humanæ, quæ ſalutis eſt capax; at non poſſe dici, quod Deus eum ſalvare poſſit; ſi ſpectetur ipſe Deus, quia impoſſibile eſt, Deum aliquid facere, quod facere non debeat. Verùm cùm, abſolutè loquendo, & abſtrahendo animum a ſuppoſitione reprobationis, fateatur, optimè dici poſſe aliquo ſenſu, eum, qui ſit reprobus, poſſe ſalvari, atque ita id, quod Deus non facit, fieri ſæpè poſſe; præſtabat profectò loqui cum cæteris, qui rem hanc non aliter accipiunt, dum dicunt, Deum poſſe ſalvare hunc hominem, & facere, quod non facit.

172. Eodem e fonte promanaſſe videtur adſerta a *Wiclefo*, & a Concilio Conſtantienſi damnata, neceſſitas. Cenſeo, Viros doctos veritati, ſibique

(yyy) Conf. ad hæc, & ea, quæ ſequuntur de *Wiclefo*, de *Hobbeſio*, §. 172. de *Spinoza*, §. 173. ill. *Bilfingerus* in *Dilucidd.* Sect. I. P. I. §. XL.

ſibique ipſis, vim adferre, cùm ſine cauſa locutiones novas & malè ſonantes adfectant. Ætate noſtrâ Vir celebris, *Hobbeſius*, eandem hanc opinionem propugnavit, eſſe videlicet impoſſibile, quidquid non evenit. Probat autem eam exinde, quia nunquam fit, ut *omnia rei* non futuræ *requiſita* ſimul exiſtant, atqui ſine illis exiſtere res non poteſt. Enimverò quis non videt, id impoſſibilitatem duntaxat hypotheticam probare? Verum quidem eſt, rem aliquam, ſi conditio, ad ejus exiſtentiam requiſita, deſit, exiſtere non poſſe. Verùm uti rem aliquam, etſi non exiſtat, exiſtere poſſe contendimus, ita pariter contendimus, exiſtere poſſe requiſitas ad illam conditiones, etſi non exiſtant. Itaque argumentum *Hobbeſii* rem in integro relinquit. Non parvam *Thomæ Hobbeſii* nomini maculam adſperſit hæc opinio, qua abſolutam omnium rerum neceſſitatem docuiſſe exiſtimabatur. Sufficiebat is error ad alienandos animos, etſi nullum is alium foviſſet (zzz).

173. *Spinoſa*, longiùs provectus, cæcam neceſſitatem diſertè docuiſſe videtur, cùm Auctori rerum intellectum & voluntatem negaverit, ac bonum perfectionemque ad nos duntaxat, non ad illum, referri putaverit. Verum eſt, *Spinoſæ* hac de re ſententiam non carere obſcuritate. Nam cogitationem Deo tribuit, intellectu ademto, *cogitationem*, *non intellectum*, *concedit Deo*. Sunt etiam loca, ubi de neceſſitate mitiùs loquitur. Interim tamen, quantum poteſt intelligi ejus ſententia, bonitatem propriè dictam in Deo non agnoſcit, docetque, omnia neceſſitate naturæ divinæ, citra ullam Dei electionem, exiſtere (aaaa). Nos ſententiæ tam pravæ, tamque inexplicabili, refutandæ nunc non immorabimur. Noſtra in poſſibilium, hoc eſt, rerum contradictionem non implicantium, natura fundatur. Nullus, credo, Spinoſiſta dicere audebit, omnes, quæ fingi poſſunt, fabulas Romanenſes uſpiam exiſtere reverâ, vel exſtitiſſe, vel exſtituras eſſe; interim fabulas, cujuſmodi ſunt, quas illuſtris *Scuderia* (bbbb) vulgavit, vel quales ſunt *Aramena* & *Octavia*, poſſibiles eſſe negari

(zzz) Qualis & ille: *Ante imperia juſtum & injuſtum non exſtitiſſe*: V. Adami Rechenbergii Lib. Hevrema Th. Hobbeſii *compendiarium in Religione Chriſtiana novum*, *&c.*

(aaaa) V. gr. *in Eth. P. I. Prop.* 33. „Subſtantiæ, *ait*, quia a divina manant eſſentia neceſſariò, res nullo alio modo, nec alio ordine a Deo produci potuerunt, quàm quo productæ ſunt.“ V. laud. *Comment. de Deo, Mundo & Homine atque Fato*, ubi *Sect. III. §. XXXII.* eruditiſſimus Auctor *Spinoſam* comparat cum ill. *Wolfio*, vel potius, *uti ſcribit*, ab eo ſeparat.

(bbbb) *Magdalena de Scudery*, quacum ill. *Leibnitius* permutavit litteras. Fertur fabulas Romanenſes ampliùs 80. excogitaſſe & ſcripſiſſe, omnes eo ab aliis commate diſtinctas, ut in iis vanitates, ludique venerei, fruſtra quærantur. Obiit A. 1701. d. 2. Jun. V. de ea prolixiùs differentem Cel. *Ludovici* Hiſt. Ph. Leibn. T. II. §. 301. not. 133. Litteratiſſ. Virum, *Theoph. Stolle*, Hiſt. Litt. P. I. C. V. §. LXVII. not. *z. La Clélie* A. 1661. 10. Vol. in 8. Pariſ. prodire illa juſſit. Eodem loco differit etiam Cel. *Stolle* de *Aramena* & *Octavia*, *not. a* & *b*. Auctor eſt Dux Guelph. *Anton. Ulric.*

negari nequit. Opponamus itaque adverſario hæc *Bælii* verba, quæ mihi ſatis probantur (p. 390.) *Illud hodie* (inquit) *Spinoſiſtas magnoperè torquet, quòd videant, in hypotheſi ſua fuiſſe ab æterno æquè impoſſibile, ut* Spinoſa *mortem Hagæ Comitum non oppeteret, quàm impoſſibile eſt, bis duo eſſe ſex. Hanc conſequentiam e doctrina ſua neceſſariò deduci probè intelligunt, eaque ob abſurditatem, ſenſui communi e diametro adverſam, animos ab alienari & exacerbari. Itaque non libenter fatentur, univerſale illud evidentiſſimumque axioma a ſe everti, quod docet: Quidquid implicat contradictionem, impoſſibile, quidquid non implicat, poſſibile eſſe.*

174. Dici de *Bælio* poteſt: *Ubi benè, nemo meliùs*, quanquam non item de illo dici poſſit, quod de *Origene* dicebatur, *ubi malè, nemo pejùs.* Solùm addo, axioma illud contradictionis continere ipſam *poſſibilis* & *impoſſibilis* definitionem. Quod interim dicto loco ſubnectit *Bælius*, id hactenùs egregiè dicta nonnihil corrumpit. Pergit namque, *At quæ, obſecro, contradictio erit, ſi* Spinoſa *Lugduni Batavorum diem ſuum obiiſſet? an propterea naturam minùs perfectam, minùſque potentem, fuiſſe dicent?* Hoc loco id, quod eſt impoſſibile, quia contradictionem implicat, confundit cum eo, quod fieri non poteſt, quia electioni divinæ non congruebat. Verum quidem eſt, nullam in eo futuram fuiſſe contradictionem, ſi *Spinoſa* Lugduni, non Hagæ, diſceſſiſſet, nihil enim magis poſſibile eſt: res igitur erat indifferens intuitu divinæ potentiæ. Sed non eſt exiſtimandum, ullum effectum, quantumvis parvum, poſſe concipi velut indifferentem intuitu divinæ ſapientiæ & bonitatis. Divinè pronunciavit Chriſtus, omnia, ipſoſque adeò capitis noſtri capillos eſſe numeratos. Itaque Dei ſapientia hunc eventum, de quo *Bælius* loquitur, aliter, atque accidit, accidere non ſinebat, non quòd propter ſe eligi mereretur, ſed propter ejus nexum cum integra Univerſi ſerie, quæ præferri merebatur. Dicere, id, quod factum eſt, ſapientiæ divinæ non intereſſe, indeque colligere, hoc igitur minimè eſſe neceſſarium, eſt falſum adſumere, veramque inde concluſionem malè deducere. Eſt id confundere, quod neceſſarium eſt neceſſitate morali; puta ex principio ſapientiæ & bonitatis, cum eo, quod neceſſarium eſt metaphyſica brutaque neceſſitate, quæ locum habet, quando oppoſitum implicat contradictionem. Et verò *Spinoſa* in eventis metaphyſicam quærebat neceſſitatem, neque Deum a bonitate aut perfectione ſua, (quam reſpectu Univerſi chimæricam Auctor iſte reputabat) ſed a naturæ ſuæ neceſſitate determinari arbitrabatur: uti ſemicirculum, citra notitiam voluntatemque, non niſi rectos angulos capere neceſſe eſt. Demonſtravit enim *Euclides*, omnes angulos, duabus rectis, ab extremis diametri punctis versùs quodcumque circuli punctum ductis, comprehenſos eſſe neceſſariò rectos, & oppoſitum implicare contradictionem.

175. Nonnulli in alterum extremum deflexere, & ſub obtentu naturæ

divinæ, a jugo neceſſitatis eximendæ, eam quadam indifferentia æquilibrii penitùs ſuſpenſam reddere voluerunt: non perpendentes, quàm neceſſitas metaphyſica intuitu actionum Dei *ad extra* abſurda eſt, tam Deo dignam eſſe neceſſitatem earum moralem. Felix illa eſt neceſſitas, quæ ſapientem ad benè agendum compellit, cùm contra indifferentia illa circa bonum malumque, indicium eſſet defectûs bonitatis aut ſapientiæ. Præterquàm quòd indifferentia in ſe ipſa ſpectata, quæ voluntatem in æquilibrio perfecto ſuſtineret, chimærica foret, uti ſuprà monſtratum eſt: repugnaret ea magno principio rationis determinantis.

176. Qui exiſtimant, Deum arbitrario decreto bonum malumque ſtabiliiſſe, in miram illam de pura indifferentia ſententiam, aliaque inſuper naſcentia inde abſurda majora, incidunt, & Deo boni titulum auferunt. Quam enim cauſam ejus ob facta laudandi habebimus, ſi alia omnia faciendo æquè benè feciſſet? Ac ſæpè miratus ſum, Theologos complures ſupralapſarios, veluti *Samuelem Rhetorfortium*, Theologiæ in Scotia Profeſſorem, qui eo tempore ſcripſit, quo controverſiæ cum Remonſtrantibus maximè fervebant, cogitationi tam monſtroſæ potuiſſe adſentiri. *Rhetorfortius* (in Exercitatione ſua Apologetica pro Gratia (cccc)) planè adſerit, apud Deum nihil eſſe injuſtum, ſive moraliter malum, antequàm ab eo prohibeatur: atque ita, ſepoſita hac prohibitione, perinde erit, utrùm jugules, an ſerves hominem, utrùm amore, an odio proſequaris Deum, utrùm laudes, an proſcindas blaſphemiis.

Nihil profectò hoc enunciato abſurdius: & ſive Deum lege poſitiva bonum malumque conſtituiſſe doceas, ſive tuearis, ante ejus decretum aliquid eſſe bonum juſtumque, ſed ipſum non determinari ad ei ſe conformandum, nec quidquam obſtare, quo minùs agat injuſtè, damnetque forſitan inſontes, idem ferè dicis, & utrobique idem ferè Deo dedecus adfers. Nam, ſi juſtitia arbitrarie temereque conſtituta eſt, ſi Deus in illam caſu quopiam incidit, veluti cùm ſortes jaciuntur; bonitas ejus ac ſapientia non adparent, nec eſt, cur illis adhæreat. Quodſi decreto purè arbitrario, nulla ratione fulto, conſtituit aut perfecit ea, quæ nos juſtitiam

(cccc) Exercitationes ejus Apologeticæ pro divina gratia contra *Arminium*, prodiere Amſt. 1636. 8. *B. Andr. Carolus* in *Memorab. Eccleſ.* T. I. ad A. 1649. vocat eum *acuti virum ingenii*, ſed *rigidum Calviniſtam*, citatque Scholaſticam illius Diſputationem *de Divina Providentia*, iiſdem ſcatentem expreſſionibus: v. gr. dum cap. 28. „ Deum, *ait*, non implicari ſocietate ſcelerum, etiamſi in bonas & malas actiones indifferenter ac principaliter influat: quia reſpectu Dei nullum detur peccatum, quicquid agat. " Mutuatus eſt hunc ſuæ doctrinæ typum, uti *idem* monet, a *Thoma Bradwardino*, de quo locuti ſumus ad §. 67. not. (ggg). Hic namque *in Cauſa Dei contra Pelagium* ſcribit: Deum omnes omninò actiones tam propriè, immò immediatiùs, in homine producere, quàm homo ipſe; denominationem autem boni vel mali, præmii vel pœnæ, hærere in ſubjecto actionis proximo: quomodò propter Diaboli peccatum ſerpens eſt maledictus, etſi paſſivum fuerit inſtrumentum, &c.

ſtitiam bonitatemque adpellamus, poteſt utique ea deſtruere, eorumve naturam immutare, ut nihil ſit, cur ſperetur ea ſemper obſervaturus; uti quidem obſervaturus dici poteſt, cum rationibus niti ſtatuuntur. Idem ferè contingeret, ſi juſtitia ejus diſcreparet a noſtra, hoc eſt, ſi in Dei, verbi gratiâ, Codice ſcriptum eſſet, juſtum eſſe, ut innocentes reddat æternùm infelices. Hiſce principiis ſemel poſitis, nihil quoque Deum ad promiſſa ſervanda movebit, aut nos de eloquii divini veracitate reddet ſecuros. Cur enim lex juſtitiæ, quæ promiſſa æqua ſervanda eſſe ſanxit, apud ipſum cæteris cunctis inviolabilior foret?

177. Hæc tria dogmata, tametſi aliquantulùm inter ſe diverſa, nempe 1. quòd natura juſtitiæ ſit arbitraria, 2. quòd ſtabilis quidem & fixa, ſed tamen certum non ſit, eam a Deo obſervatum iri; & denique 3. quòd illa juſtitia, quæ nobis nota, non ſit ea, quam Deus obſervat; hæc, inquam, & fiduciam in Deum evertunt, in qua adquieſcimus, & amorem Dei deſtruunt, in quo felicitas noſtra cernitur. Nihil vetat, quo minùs hujuſmodi Deus inſtar Tyranni, & jurati proborum hoſtis, agat, eoque delectetur, quod nos malum vocamus. Cur ergò talis Deus minùs haberetur malum Manichæorum, quàm bonum Orthodoxorum & unicum principium? Neuter ſaltem foret, & quaſi inter utrumque ſuſpenſus, vel potiùs modò malum, modò bonum principium; quod tantundem eſſet, ac ſi quis diceret, *Oromaſdem* & *Arimanium* regnare per vices, prout alteruter fortior eſſet aut dexterior. Ad eum ferè modum, quo mulier quædam *Mugalla*, quæ veriſimiliter auditione acceperat, olim ſub *Chingis-Chano*, ejuſque ſucceſſoribus, gentem ſuam maximæ parti Septentrionis & Orientis imperaſſe, nuper, cum *Isbrandus* per Tartariam ad Sinas Magni Czarii nomine profectus eſſet, Moſcovitis dixerat, Mugallorum Deum nunc quidem Cœlo pulſum exulare, ſed venturum tempus, quo priſtinam in ſedem reſtituendus eſſet. Verus Deus ſemper idem eſt; Religio ipſa naturalis vult eum eſſentialiter eſſe bonum, & ſapientem æquè ac potentem: nec rationi pietatique magis adverſatur dicere, quòd Deus agat ſine cognitione, quàm velle, ut habeat cognitionem, quæ in objectis ſuis æternas bonitatis juſtitiæque regulas non inveniat: vel denique voluntatem ipſi tribuere, quæ has regulas flocci pendat.

178. Quidam Theologi, qui de jure Dei in creaturas ſcripſere, jus illimitatum, arbitrariamque & deſpoticam poteſtatem, ei concedere viſi ſunt. Arbitrabantur, hoc pacto Divinitatem in ſummo, quod mente cogitari poſſit, magnitudinis & elevationis faſtigio ſe collocaſſe, & creaturam coram Creatore hac ratione ita in nihilum redigi, ut Creator nullis erga creaturam legibus teneatur. *Twiſſi* (dddd) *Rhetorfortii*, & nonnullorum

(dddd) *Guil. Twiſſus*, Theologus Anglus, ſcripſit inter alia Vindicias Gratiæ, Poteſtatis & Providentiæ divinæ, contra *Arminium*, Amſt. 1648. 4. Cel. *Canzius* in *Civit.*

rum aliorum Supralapſariorum, loca quædam innuunt, Deum, quidquid faciat, peccare non poſſe, quia legi nulli obnoxius eſt. *Bælius* ipſe hanc doctrinam monſtroſam, & Dei ſanctitati contrariam, eſſe judicat (Diction. v. *Pauliciani* pag. 2332. *initio*:) ſed arbitror, quorundam ex his Auctoribus mentem minùs malam fuiſſe, quàm prima fronte præ ſe ferat. Videntur illi juris nomine intellexiſſe ἀνυπευθυνίαν, ſive ſtatum, in quo quis facti ſui rationem reddere nemini tenetur. Sed non negaverint, Deum ipſum ſibi debere, quidquid bonitas juſtitiaque ab ipſo exigunt. Qua de re conſuli poteſt Apologia *Calvini*, ab *Amyraldo* (eeee) ſcripta: *Calvinus* quidem hoc in capite orthodoxus eſſe, nec ad Supralapſariorum rigidorum claſſem ullo pacto pertinere videtur.

179. Itaque, cùm *Bælius* prædeſtinationem a *S. Paulo* non, niſi per jus abſo-

Civit. Dei, ubi agit de dominio Dei in creaturas, eadem cum ill. Viro moderatione utitur. Ait §. 163. Cùm Deus a nulla re extra ſemet ipſum in agendo pendeat, nulla ipſum agendi regula, i. e. lex extrinſecùs prohibet, quo minùs felicitate privet ſpiritum finitum, niſi ſua ipſius ſapientia & benignitas, quarum hæc ut quidvis boni, illa pro ratione dignitatis in objecto, ſeu pro circumſtantiarum natura, in bonum civem conferat. *Et in adjecta nota* *: Decidi hinc, *pergit*, poſſe videntur, quæ a *Twiſſo* fuere diſputata, *poſſe ſc. Deum creaturam innocentem æternis adficere cruciatibus*, refragante reliqua doctorum turbâ: verè enim id judicatur, ſi de quadam lege extra Deum, jure aut neceſſitate Deo extrinſecùs incumbente, ſermo eſt; quis impediet vi aut lege Deum, quo minùs id faciat? At ſi ſapientiam Dei & benignitatem intuearis, tantum id abeſt, ut fieri poſſit, quantum abeſt, ut ſe ipſum Deus abneget, 2. *Tim.* 2. v. 12. *Pergit* §. 163. *a.* Fortè hæc ipſa mens *Twiſſi* fuit, ut ſaltem a Deo legem, ſeu potentiam, quæ ei extrinſecùs imperaret, voluerit removere: quod ſi ita eſt, nihil incommodi habet ejus ſententia. Malumus virorum doctiſſimorum ſententiis tribuere tolerabilem explicationem, quo uſque id fieri poteſt, quàm in imputanda erroris culpa eſſe paullò promtiores, quàm par eſt. " Præclarè etiam, principiiſque *Leibnitianis* convenienter, diſſerit de hac materia eruditiſſimus *Cumberland*, in Libr. de Legibus Naturæ, cap. VII. ed. Lubec. p. 346. Ait: Lex nulla eſt prior Lege naturali, ſeu dictamine ſapientiæ divinæ de fine optimo, ac mediis ad illum conducentibus, quod Legi Naturæ perfectè conſonum eſt, quòd analogicè Lex dicatur divinarum actionum; ideoque in hanc tandem conceſſi ſententiam, dominium Dei eſſe jus vel poteſtatem ei a ſua ſapientia, & bonitate, velut a lege, datum ad regimen eorum omnium, quæ ab ipſo unquam creata fuerint, aut creabuntur. Scilicet in ſapientia divina neceſſariò continetur dictamen de proſequendo optimo fine & de mediis neceſſariis, & in bonitate, ſeu in perfectione voluntatis divinæ, pari neceſſitate includitur conſenſus libentiſſimus de illius proſecutione: atque hæc non incommoda analogia reſpondent ratificationi legis hujuſce æternæ, e qua dominii divini origo petatur. " *&c.* Obiit *Twiſſus* A. 1645. d. 24. Jul. annos natus unum ſupra ſeptuaginta.

(eeee) *Moſes Amyraldus*, *Cameronis* diſcipulus, de quo vid. *Bælius* in Diction. ſub ejus nomine. Edidit inter alia *defenſionem doctrinæ* Jo. Calvini *de abſoluto reprobationis decreto*, A. 1641. Latinè, A. 1644. Gallicè prodeuntem. Oppugnatus a *Riveto* & *Frid. Spanhemio*, ſententiam ſuam urſit, edendo *Defenſionem doctrinæ de gratia univerſali, ut ab Orthodoxis explicatur*, it. *doctrinam de gratia particulari, ut a* Calvino *explicatur*.

abſolutum Dei, & incomprehenſibilitatem viarum ejus, explicari poſſe alicubi pronuntiat, ſubintelligendum eſt, ſi eas comprehenderemus, juſtitiæ conformes eas nos deprehenſuros, cùm Deus aliter uti ſuâ poteſtate nequeat. *S. Paulus* ipſe dicit, *altitudinem* eſſe, ſed *ſapientiæ*, jam verò *juſtitia* in *ſapientis bonitate* (ffff) conſiſtit. Video *Bælium* alio loco de notionum noſtrarum circa bonitatem ad Dei actiones adplicatione egregiè differentem (Reſp. ad Provinc. cap. 81. pag. 139.) *Minimè* (inquit) *exiſtimandum eſt, Entis infiniti bonitatem haud iiſdem ſubeſſe legibus, quibus ſubeſt creaturæ bonitas. Nam ſi in Deo adtributum eſt, quod bonitas vocari poſſit, debent illi characteres bonitatis in genere convenire. Atqui, cùm bonitatem in generaliſſima præciſione concipimus, in ea voluntatem benefaciendi invenimus. Divide, ſubdivide generalem hanc bonitatem in ſpecies quotlibet, in bonitatem infinitam, in bonitatem finitam, in bonitatem regiam, paternam, maritalem & herilem; in qualibet harum benefaciendi voluntatem, tanquàm adtributum inſeparabile, deprehendes.*

180. Video etiam, optimè impugnare *Bælium* opinionem eorum, qui bonitatem juſtitiamque ab optione arbitraria Dei unicè pendere contendunt, putantque, ſi Deus a rerum ipſarum bonitate determinatus ad agendum fuiſſet, eo ipſo fore agens in actionibus ſuis omnimoda neceſſitate ligatum, quòd cum libertate ſtare non poſſit. Sed hoc eſt neceſſitatem metaphyſicam cum neceſſitate morali confundere. Audiamus, quid huic errori opponat *Bælius*: (Reſp. ad Provinc. cap. 89. pag. 203.) *Ex hac doctrina* (inquit) *ſequetur, Deum, antequàm ad condendum mundum ſe adcinxiſſet, nihil in virtute melius, quàm in vitio, vidiſſe, nec ideas ei ſuas oſtendiſſe, quòd virtus eſſet amore dignior, quàm vitium. Hoc verò inter jus naturale ac poſitivum diſcrimen omne tollit; nihil jam in diſciplina morali immutabile, vel indiſpenſabile, ſupererit; æquè poſſibile fuerit Deo vitium imperare, atque virtutem; nec ſecuri eſſe poterimus, leges morales non aliquando abrogandas, uti ceremoniales Judæorum leges abrogatæ ſunt. Uno verbo, hæc nos rectâ ducit ad credendum, quòd Deus fuerit auctor liberrimus non boni-*

 tatis

(ffff) Conf. quæ *ill. Vir* diſputat in Diſſ. ſua *de Actorum publicorum uſu, atque principiis juris naturæ & gentium.* Ait §. XI. Vir bonus *eſt, qui amat omnes, quantùm ratio permittit.* Juſtitiam *igitur, quæ virtus eſt hujus adfectûs rectrix, quem* φιλανθρωπίαν *Græci vocant, commodiſſimè* charitatem ſapientis, *ni fallor, definiemus, hoc eſt, ſequentem ſapientiæ dictata*... Charitas *eſt benevolentia univerſalis, &* benevolentia *amandi ſive diligendi habitus.* Amare *autem ſive diligere eſt felicitate alterius delectari, vel quod eodem redit, felicitatem alienam adſciſcere in ſuam*... *Superat autem* divinus amor *alios amores, quòd Deus cum maximo ſucceſſu amari poteſt, quando Deo ſimul & felicius nihil eſt, & nihil pulchrius felicitateque dignius, intelligi poteſt. Et quum idem ſit potentiæ ſapientiæque ſummæ, felicitas ejus non tantùm ingreditur noſtram, (ſi ſapimus, i. e. ipſum amamus) ſed & facit. Quia autem ſapientia charitatem dirigere debet, hujus quoque definitione opus erit. Arbitror autem notioni hominum optimè ſatisfieri, ſi* ſapientiam *nihil aliud eſſe dicamus, quàm ipſam ſcientiam felicitatis*...

tatis ſolùm & virtutis, ſed etiam veritatis eſſentiæque rerum. Ecce ſententiam a quibuſdam Carteſianis jactatam, quam quidem (Vide Continuationem Cogitationum de Cometis pag. 554.) *certis quibuſdam occaſionibus uſui alicui eſſe crediderim; verùm ea ipſa tot aliunde rationibus oppugnatur, & conſectariis premitur tam moleſtis*, (Vide cap. 152. ejuſdem Continuationis) *ut aliud ferè quodvis extremum ſubire ſatius ſit, quàm eo ſe conjicere. Pyrrhoniſmo rigidiſſimo januam aperit; anſam namque dat adſerendi, quòd hæc propoſitio*, bis tria ſunt ſex, *vera non ſit, niſi ubi, & quamdiu, Deo placuerit: quòd in quibuſdam univerſi partibus poſſit eſſe falſa, & fortean inter homines falſa futura ſit anno venturo; cùm quidquid a libero Dei arbitrio dependet, ad certa loca & tempora queat eſſe reſtrictum, uti ceremoniæ Judaicæ. Hæc conſequentia ad omnes Decalogi leges extendetur, ſi actiones, quas illæ præcipiunt, ex natura ſua æquè careant omni bonitate, atque actiones, quas eædem prohibent.*

181. Dicere verò, quòd Deus, poſtquàm hominem creare ſtatuerit, qualis nunc eſt, non potuerit non ab illo exigere pietatem, ſobrietatem, juſtitiam atque caſtitatem, quia fieri non poterat, ut confuſiones, operi ſuo evertendo diſturbandoque idoneæ, Deo non diſplicerent, eſt reipſa in communem recidere ſententiam. *Virtutes* non alia de cauſa ſunt virtutes, niſi quia ad eorum, qui virtute præditi ſunt, aut certè eorum, qui cum ipſis agunt, perfectionem tendunt, aut imperfectionem impediunt. Idque tum ex ſua, tum etiam ex creaturarum rationalium natura habent, antequàm Deus eas condere decernat: aliter judicare idem eſſet, ac ſi quis diceret, proportionum & harmoniæ regulas arbitrarias eſſe Muſicis, quia locum non habent in Muſica, niſi cùm canere, vel inſtrumentum aliquod muſicum pulſare, libuit. Sed hoc ipſum eſt, quod bonæ Muſicæ eſſentiale dicitur; namque leges illæ jam ei in ſtatu ideali conveniunt, etiam dum nemo de cantu cogitat, ſiquidem nemo eſt neſcius, ſtatim ac quis cantaverit, eas ipſi neceſſariò convenire debere. Eâdem ratione virtutes ideali ſtatui creaturæ rationalis conveniunt, antequàm Deus eam creare decernat, & ob hoc ipſum virtutes eſſe ex natura ſua bonas adſerimus.

182. *Bælius* Continuationi variarum Cogitationum caput integrum (caput ſcilicet 152.) inſeruit, ubi palam facit, *præcipere Chriſtianos Doctores, quædam eſſe, quæ juſta ſint, antecedenter ad decreta Dei.* Quidam Confeſſionis Auguſtanæ Theologi nonnullos Reformatos, aliter ſentire viſos, incuſarunt, & hic error exiſtimatus eſt eſſe conſectarium quoddam decreti abſoluti, cujus doctrina videtur voluntatem Dei ab omni ratione abſolvere, *ubi ſtat pro ratione voluntas.* Verùm, uti plus ſimplici vice ſuprà notavi, *Calvinus* ipſe divina decreta juſtitiæ ac ſapientiæ conformia eſſe agnovit, quamvis rationes, quæ conformitatem illam oſtendere ſpeciatim queant, nobis ignotæ ſint. Itaque, ſecundùm ejus ſententiam, bonitatis juſtitiæque leges decretis Dei ſunt anteriores. *Bælius* ibidem adlegat locum quendam celebris *Turrettini*, Leges divinas naturales a Legibus divinis

vinis poſitivis diſtinguentis. Ad claſſem priorem pertinent morales, ad poſteriorem ceremoniales. *Samuel Mareſius* (gggg), celebris olim Groningæ Theologus, nec non *Strimeſius* (hhhh), qui etiamnum Francofurti ad Oderam nomen idem obtinet, idem docuere: & credo ego, ſententiam hanc apud ipſos etiam Reformatos magis eſſe hodie receptam. Eidem ſe dederunt ſententiæ *Thomas Aquinas*, omneſque Thomiſtæ cum vulgo Scholaſticorum & Theologorum Eccleſiæ Romanæ. Accedunt iis præterea Caſuiſtæ, quorum præſtantiſſimos inter *Grotium* numero, quem & ſui Commentatores in eo ſequuntur. *Pufendorfius* (iiii) aliam fovere ſententiam viſus eſt, quam etiam contra Theologorum quorundam cenſuras tutandam ſuſcepit, ſed ſub cenſum hic venire non debet, nec enim ſatis profundè hujuſmodi argumenta ſcrutatus fuerat. In *Feciali* ſuo *divino* in decretum abſolutum acerrimè invehitur, & tamen id, quod in decreti hujus patronorum ſententia deterrimum eſt, & ſine quo decretum illud (uti ab aliis Reformatis explicatur) tolerabilius evadit, adprobare non dubitat (kkkk). *Ariſtoteles* (llll) in hoc juſtitiæ articulo ὀρθοδοξότατος fuit, habuitque Scholam ſequacem, quæ perinde, atque *Cicero* & Juriſconſulti, diſcrimen ſtatuit inter jus perpetuum, quod omnes, & ubique, obligat, ac jus poſitivum, quod certis tantum temporibus, certisque populis, adſtrictum eſt. Legi aliàs cum voluptate Dialogum *Platonis*, qui *Euthyphron* vocatur, ubi in hoc ipſo argumento *Socratem* inducit patrocinantem veritati, qui locus a *Bælio* quoque notatus fuit.

183. Sed & ipſe *Bælius* eandem veritatem alicubi validè tuetur; juvabit totum ejus locum, quantumvis prolixum, hìc referre. (Tom. 2. Continuationis Cogitationum diverſarum, cap. 152. p. 771. ſqq.) *Juxta innumerorum, eorundemque gravium, Auctorum doctrinam*, (inquit) *eſt in quarundam rerum natura eſſentiaque bonum malumve morale quoddam, Dei decreto*

(gggg) *Samuel Mareſius*, Gallus, natus A. 1599. mortuus A. 1675. d. 18. Maj. tanq. Profeſſ. Theologiæ & Hiſtoriæ Eccleſ. Groninganus, *Franciſci Gomari* A. 1641. defuncti, ſucceſſor. Inter celeberrimos, qui *Calvinum* ſequuntur, Theologos numeratur.

(hhhh) *Samuel Strimeſius*, Theologus Francofurtanus ad Viadrum, Regiom. natus A. 1648. d. 2. Febr. denatus A. 1730. d. 28. Jan. Scripta ejus recenſet Reverendiſſ. Canc. *Pfaffius* in *Introd. in Hiſt. Litt. Theol. Lib. III. p. 186. not. y.*

(iiii) De *Pufendorfio*, moralitatem objectivam negante, legenda *ill. Viri* epiſtola ad *Gerh. Wolth. Molanum* exarata, in qua Pufendorfiani Libri de Officio hominis & civis nævos exponit. *Weberum*, *Pufendorfio* in ed. hujus Libelli ſuppetias ferentem, ſolidè refellit Cel. *Canzius* in *Ph. L. & W. U. T. I. Cap. XI.* quod agit *de Lege Divina*, p. 435. ſqq.

(kkkk) Nempe juſtitiam ab arbitrio eſſe, *addit Interpr. Lat.*

(llll) Præclarè Ariſtotelica Philoſophia ad juſtitiam univerſalem omnes refert virtutes, debemuſque non nobis tantùm, ſed & ſocietati, eique maximè, quàm cum Deo naturali lege cordibus inſcripta colimus, ut animum habeamus veris imbutum ſententiis, voluntatemque ad recta conſtanter tendentem. Longè altiùs (itaque) *Ariſtoteles* ſurrexit, eumque Scholæ rectè hic ſunt ſecutæ. *In Ep. cit. ad Molanum.*

creto prius. Hanc doctrinam præcipuè confirmant ex horribilibus dogmatis contrarii conſectariis; nam ex eo, quòd nemini facere injuriam actio bona foret, non in ſe ipſa, ſed per arbitrariam divinæ voluntatis diſpoſitionem, ſequeretur, Deum homini legem, præceptis Decalogi directè per omnia ſua momenta repugnantem, imponere potuiſſe, quod horret animus vel cogitare. Sed hem tibi probationem aliam magis directam & e metaphyſicæ fontibus hauſtam. Exploratum eſt, exiſtentiam Dei non eſſe ipſius voluntatis effectum. Non ideò Deus exiſtit, quia vult exiſtere, ſed neceſſitate naturæ ſuæ infinitæ. Eadem neceſſitate exiſtunt ejus potentia & ſcientia. Nec poteſt, nec ſcit omnia, quia poſſe & ſcire vult, ſed quia hæc ſunt adtributa neceſſariò cum ipſo identificata. Voluntatis ejus imperium non, niſi potentiæ exercitium, reſpicit; extra ſe nihil actu producit, niſi quod vult, cæteris omnibus pura in poſſibilitate relictis. Inde fit, ut hoc imperium non, niſi ad creaturarum exiſtentiam, ſeſe extendat, non verò etiam ad earundem eſſentias. Potuit Deus materiam, hominem, circulum, vel creare, vel in nihilo relinquere, ſed hæc omnia producere non potuit, quin eſſentiales eiſdem proprietates ſuas impertiret. Non potuit non hominem facere animal rationale, & circulo dare figuram rotundam, quandoquidem, ſecundùm ideas ſuas æternas, & a liberæ ſuæ voluntatis decretis independentes, eſſentia hominis conſiſtebat in adtributis animalis & rationis, & eſſentia circuli in circumferentia a centro æquidiſtante quoad omnes ſuas partes. Hoc eſt, quod Philoſophos Chriſtianos fateri compulit, eſſentias rerum eſſe æternas, & dari propoſitiones æternæ veritatis, adeoque rerum eſſentias, primorumque principiorum veritatem, eſſe prorsùs immutabiles. Quod de principiis primis non theoreticis modò, ſed etiam practicis, deque propoſitionibus omnibus, veram creaturarum definitionem continentibus, intelligendum eſt. Hæ eſſentiæ, hæ veritates ex eadem emanant naturæ neceſſitate, ex qua ſcientia Dei: quemadmodum ergò eſt ex rerum natura, ut Deus exiſtat, ut ſit omnipotens, ut omnia perfectiſſimè cognoſcat, ita pariter ex rerum eſt natura, ut materia, triangulum, homo, certæque actiones hominis, &c. ſua certa adtributa habeant eſſentialiter. Deus ab omni æternitate & planè neceſſariò vidit rationes eſſentiales numerorum, & identitatem adtributi ſubjectique propoſitionum, rei cujuslibet eſſentiam continentium. Pari ratione vidit, juſti notionem his terminis incluſam: æſtimare id, quod æſtimabile eſt, gratum animum præſtare beneficii in ſe collati auctori: implere pacta contractûs, & ſic de quampluribus aliis propoſitionibus moralibus. Jure ergò dicimus, Legis naturalis præcepta rei, quæ præcipitur, honeſtatem juſtitiamque præſtruere, hominemque teneri ea adimplere, quæ continent, etſi Deus pro arbitrio nihil de iis ſtatuiſſet. Adverte, quæſo, dum per abſtractiones animi ad inſtans illud ideale adſcendimus, in quo Deus necdum quidquam decrevit, reperire nos in divinis ideis principia moralia ſub terminis obligationem ſecum ferentibus: & hoc ipſo ſequentia axiomata tanquam certa, & ab ordine æterno immutabilique derivata, concipimus: dignum eſt creatura rationali, quæ ſe conformet rationi; creatura rationalis, ſeſe ad Rationem conformans, laudabilis eſt, reprehendi

prehendi autem meretur, ſi ſecùs faciat. Neque dicere audebis, veritates hujuſmodi homini non imponere officium agendi conformiter rectæ rationi, quales actus ſunt: Oportet æſtimare, quidquid eſt æſtimabile, bonum bono rependere, nemini facere injuriam, honorare patrem, cuique reddere quod ſuum eſt &c. Cum ergò ex ipſa rerum natura, & antecedenter ad Leges divinas, veritates morales officia quædam imponant homini, manifeſtum eſt, Thomam Aquinatem, *&* Grotium, *dicere potuiſſe, quòd quamvis Deus non eſſet, tamen ad jus naturale nos componere teneremur. Alii dixerunt, quamvis omnes Intelligentiæ perirent, propoſitiones veras manſuras eſſe veras.* Cajetanus *adſeruit, ſi ſolus ipſe ſuperſtes eſſet in Mundo, cæteris omnibus rebus nulla excepta in nihilum redactis, adhuc ſcientiam, quam de natura roſæ habebat, ſubſtituram.*

184. *B. Jacobus Thomaſius* (mmmm), celebris Lipſiæ Profeſſor, in ſuis philoſophicarum *Danielis Stahlii*, Jenenſis Profeſſoris, regularum elucidationibus, non malè obſervavit, conſultum non eſſe penitùs ultra Deum progredi: nec cum Scotiſtis quibuſdam dicendum eſſe, quòd æternæ veritates ſubſtituræ forent, etiamſi nullus intellectus, ne divinus quidem, exſtaret. Nam, uti mea fert ſententia, Intellectus divinus eſt, qui veritatum æternarum realitatem facit: quamvis ejus voluntas nullam hic partem ſibi vindicet. Omnis realitas in aliqua re exiſtente fundari debet. Verum quidem eſt, Atheum eſſe poſſe Geometram. Sed, ſi Deus nullus foret, nullum eſſet objectum Geometriæ, & ſine Deo nihil non modò exiſtens, ſed ne poſſibile quidem foret. Id tamen non obſtat, quo minùs ii, qui rerum inter ſe, & cum Deo, nexum non vident, certas quaſdam ſcientias intelligere poſſint, quamvis primam earum originem, quæ in Deo eſt, haud percipiant. *Ariſtoteles*, etſi nec ipſe ſatis eam cognoverit, aliquid tamen adfine optimumque dixit, cum principia ſcientiarum particularium agnovit a ſuperiori aliqua pendere ſcientia, quæ iis rationem det; hæcque ſcientia ſuperior habere debet ens pro materia, in qua verſatur, adeoque Deum, totius eſſentiæ fontem. *Drejerus* (nnnn), Regiomontanus, ſcitè obſervavit, genuinam Metaphyſicen, ab *Ariſtotele* perveſtigatam, quam adpellare ſolebat τὴν ζητουμένην, *deſideratum ſuum*, fuiſſe Theologiam (oooo).

185. Interim tamen idem *Bælius*, qui tam præclara eloquitur, ut bonitatis juſtitiæque regulas, ac generatim veritates æternas, naturâ ſuâ, non arbitrariâ Dei electione, ſubſiſtere oſtendat, eadem de re alibi valdè am-

(mmmm) V. *Hiſt. Vitæ Leib.* §. V.

(nnnn) *Chriſtianus Drejerus*, obiit ut Profeſſor Theologiæ Primarius Regiom. A. 1688. d. 3. Aug. annos natus 78. Ejus *Sapientia*, ſeu *Philoſophia prima*, ex *Ariſtotele*, ejuſque optimis Commentatoribus, conſcripta, prodiit Regiom. 1644. in 4.

(oooo) Addit *Interpr. Lat.* (Interim fatendum eſt, jus naturæ, quo tenerentur homines, remoto Deo, imperfectius fore.)

ambigua profert (Continuat. Cogitation. variar. T. 2. cap. 114. circa finem.) Poſtquàm *Carteſii*, & quorundam ejus Sectatorum, ſententiam retulerat, qui Deum eſſe liberam veritatum eſſentiarumque cauſam ſtatuunt, ſubdit (p. 554.) *Equidem in rectè percipiendo illo dogmate, & reperiendâ difficultatum, quibus premitur, ſolutione omnes intendi nervos, ſed, ut ingenuè tibi fatear, necdum id penitùs adſecutus ſum: non tamen animum ideò deſpondeo, &, aliorum Philoſophorum aliis in argumentis exemplo ductus, exiſtimo, futurum aliquando, ut tempus nobis inſigne hoc evolvat paradoxum. Vellem* Mallebranchio *probari potuiſſet, ſed aliam ille viam ingreſſus eſt.* Tantumne dubitandi voluptas in eruditum virum poteſt, ut faciat eum optare ac ſperare, fore, ut aliquando in animum inducat ſuum, duo contradictoria ideò non ſimul procedere, quia Deus vetuit, ac potuiſſe eum efficere juſſu ſuo, ut ſimul juncta irent. Præclarum verò paradoxum! Sapienter omninò fecit R. P. *Mallebranchius*, aliam ineundo viam.

186. Ego ne hoc quidem mihi perſuadere poſſum, *Carteſium* ita ſeriò ſenſiſſe, quamvis Sectatores credulos habuerit, qui Magiſtrum bonâ fide ſecuti ſunt, quo ipſe duntaxat ire ſimulabat; Crediderim, hic aſtum aut ſtratagema philoſophicum *Carteſii* ſubeſſe, captantis aliqua effugium, uti, dum viam reperit negandi terræ motum, cùm tamen eſſet *Copernico* devotiſſimus. Suſpicor, virum ad inſolitum alium loquendi modum, a ſe invectum, reſpexiſſe, quo dicebat, adfirmationes & negationes, & univerſim interna judicia, operationes eſſe voluntatis. Atque hoc artificio veritates æternæ, quæ ad Auctoris hujus tempora fuerant intellectus divini objectum, extemplo voluntati ejus objici cœperunt. Atqui actus voluntatis ſunt liberi. Ergò Deus eſt cauſa libera veritatum. En tibi noditotius ſolutionem. *Spectatum admiſſi.* Exigua ſignificationis vocum innovatio omnes has turbas peperit. Verùm ſi veritatum neceſſariarum adfirmationes forent actiones voluntatis perfectiſſimi Spiritûs, actiones hæ nihil minus forent, quàm liberæ: nihil enim hìc eſt, quod eligatur. Videtur *Carteſius* ſuam de libertatis natura mentem non ſatis explicuiſſe, ejusque notionem foviſſe ſatis inuſitatam, cùm eam tam latè extenderit, ut ipſas etiam neceſſariarum veritatum adfirmationes in Deo liberas eſſe contenderet. Hoc erat ſolum eis libertatis nomen vindicare, rem ipſam tollere.

187. *Bælius*, qui cum aliis loquitur de libertate indifferentiæ, qua Deus (exempli gratiâ) veritates numerorum ſtatuerit, ac præceperit, ut ter tria facerent novem, cùm præcipere potuiſſet, ut facerent decem; in hac opinione tam paradoxa, ſi defendi ulla ratione poſſet, neſcio quod adversùs Stratonicos emolumentum ſibi fingit. *Strato* ex Ariſtotelicæ Scholæ Coryphæis fuit, & *Theophraſti* ſucceſſor, qui (ut refert *Cicero* (pppp)) hunc mundum, qualis eſt, a natura, vel cauſa aliqua neceſſaria, omni ſenſu

(pppp) *Lib. I. de Nat. Deorum.*

ſenſu deſtituta, formatum fuiſſe contendit. Fateor, hoc fieri poſſe, ſi Deus materiam, uti ad talem effectum, per ſolas motûs leges producendum, opus eſt, præformaſſet (qqqq). Verùm ſine Deo ne quidem ulla foret ratio exiſtentiæ, multoque minùs talis vel talis exiſtentiæ rerum: itaque nihil eſt, quòd *Stratonis* ſyſtema metuamus.

188. Interim tamen *Bælius* ad hunc ſcopulum hæret: naturas plaſticas, cognitionis expertes, a *Cudwortho*, aliiſque, invectas, repudiat, ne id Stratonicis recentibus, hoc eſt, Spinoſiſtis in emolumentum cedat. Hinc illius cum *Joanne Clerico* contentiones. Atque hoc errore præoccupatus, quòd cauſa non intelligens nihil, quod artificioſum videatur, producere poſſit, noluit mihi concedere *præformationem*, animantium organa naturaliter producentem, ac *Syſtema harmoniæ*, *quam Deus* in corporibus *præſtabiliverit*, ut ſecundùm proprias leges animarum cogitationibus & volitionibus reſpondeant. Sed conſiderandum erat, hanc cauſam non intelligentem, quæ in plantarum animaliumque granis ſeminibuſque res tam præclaras procreat, & corporum actiones, prout a voluntate imperantur, producit, eſſe Dei manibus efformatum, qui infinitè peritior eſt horologiorum artifice, quem tamen machinas & automata fabricare videmus, apta producere effectus minimè contemnendos, non aliter, ac ſi intelligentiâ prædita forent.

189. Sed, ut ad illud, quod *Bælius* a Stratonicis metuit, accedamus, ſi veritates a Dei voluntate independentes admittantur, videtur vereri, ne Stratonici perfectam veritatum æternarum regularitatem in ſuum commodum contra nos convertant: hæc namque regularitas, cùm non, niſi ex natura & neceſſitate rerum, citra cognitionis ullius directionem, oriatur, timet *Bælius*, ne inde colligi cum *Stratone* poſſit, ſolâ cæcâ neceſſitate obſtetricante, mundum æquè regularem exiſtere potuiſſe. Verùm facilè reſpondetur, in regione veritatum æternarum reperiri omnia poſſibilia, & conſequenter tam id, quod regulare, quàm id, quod irregulare eſt: aliqua igitur eſſe ratio debet, ob quam ordo, & quod regulare eſt, præ oppoſito exſtiterit, & hæc ratio non, niſi in intellectu, inveniri poteſt. Præterea, hæ ipſæ veritates abſque intellectu, eas cognoſcente, nullæ exiſtunt, nam, niſi divinus foret intellectus, in quo realizantur, ut ita loquar, minimè ſubſiſterent. Quare *Strato* ſcopum ſuum nequaquam adſequitur, qui erat, cognitionem a rerum principiis excludere.

190. Difficultas, quam a *Stratone* ſibi fingit *Bælius*, nimiùm ſubtilis, nimiſque longè quæſita videtur. Hoc ſcilicet eſt *timere, ubi non eſt timor.* Aliam ſibi objicit, non majore fultam fundamento. Ita videlicet Deus *fato* cuidam ſubjiciendus foret. Ecce verba ipſius: (p. 555.) *Si dantur propoſitiones æternæ veritatis, quæ naturâ ſuâ, non verò inſtitutione*

 divinâ,

(qqqq) Addit *Interpr. Lat.* diſſimulata concursûs perpetui neceſſitate.

divinâ, ſint tales, ſi non per liberum voluntatis divinæ decretum veræ ſunt; ſed potiùs Deus eas neceſſariò veras cognovit, quoniam talis earum natura erat, habemus quandam fati *ſpeciem, cui Deus ſit obnoxius; habemus neceſſitatem naturalem abſolutè inſuperabilem. Præterea inde conficitur, intellectum divinum in infinitis, quas habet, ideis perfectam earum conformitatem cum objectis ſemper, & primo ſtatim intuitu, deprehendiſſe, nullâ ſibi prælucente cognitione, nam contradictio foret dicere, quòd cauſa aliqua exemplaris propoſita fuerit actibus divini intellectûs tanquam archetypum. Sic enim ideas æternas, aut intelligentiam ullam primam, reperiremus nunquam. Dicendum ergò erit, quòd natura, neceſſariò exiſtens, viam ſuam, nullo præmonſtrante, ſemper inveniat, eique inſiſtat; quibus poſitis, qua ratione Stratonici alicujus pertinaciam frangemus?*

191. Sed hìc iterùm facilè reſpondetur: formidatum illud *fatum*, quo Deus ipſe tenetur, nihil eſt aliud, quàm ipſa Dei natura, proprius ejus intellectus, qui ipſius ſapientiæ bonitatique regulas ſuppeditat; felix eſt illa neceſſitas, ſine qua neque bonus foret, neque ſapiens. Quid enim? an velles Deum perfectum & felicem eſſe non teneri? An conditio noſtra, quæ nos defectibus exponit, invidenda eſt? nonne illam cum impeccabilitate, ſi nobis liceret, commutare gauderemus? Immodicum eſt faſtidium libertatem optare pereundi, & Dei vices dolere, quòd illa careat. Ita *Bælius* ipſe diſſerit alibi adversùs illos, qui ad ſidera tollunt libertatem exorbitantem, quam in voluntate ſibi fingunt, dum eam a ratione independentem vellent.

192. Cæterum, miratur *Bælius*, quòd *divinus intellectus in infinitis ſuis ideis perfectam earum conformitatem cum objectis ſemper, & primo ſtatim intuitu, deprehendat, nulla cognitione prælucente.* Hæc objectio prorsùs nullà eſt: omnis idea diſtincta eſt objecto ſuo conformis, hoc ipſo, quòd diſtincta eſt: nullæ autem in Deo dantur, niſi diſtinctæ: adde quòd objectum nuſpiam ante ideam ſuam exiſtat, &, cùm exiſtet, huic ideæ conformabitur. Præterea novit optimè *Bælius*, intellectum divinum non indigere tempore, ut nexum rerum videat. Omnia ratiocinia ſunt eminenter in Deo, ſervantque in ejus intellectu ordinem inter ſe æquè, ac in noſtro: ſed penes eum non eſt, niſi ordo & *prioritas naturæ*, apud nos verò quædam *temporis prioritas* cernitur. Non itaque mirum eſt, eum, qui omnia uno obtutu perſpicit, primo ſtatim intuitu ſemper deprehendere debere veritatem. Nec dici debet, quòd ad ſcopum ſuum, nulla notitia duce, pertingat, immò potiùs, quia notitia ejus perfecta eſt, hinc etiam ejuſdem actiones voluntariæ ſunt perfectæ.

193. Hactenùs palam fecimus, Dei voluntatem a ſapientiæ legibus independentem non eſſe; etſi mirum ſit, impoſitam fuiſſe nobis ea de re diſſerendi neceſſitatem, ac pro veritate tanta tamque explorata pugnandi. At non minorem ferè admirationem meretur, dari homines, qui credant,

Deum

Deum has regulas dimidiatim duntaxat obſervare, nec optimum, quanquam a ſapientia indicetur, eligere; verbo, dari auctores, qui Deum melius facere potuiſſe putent. Qui ferè error fuit notiſſimi Caſtellæ Regis, *Alphonſi*, Romanorum Regis a Septemviris quibuſdam electi, & Tabularum Aſtronomicarum, vulgo Alphonſinarum, promotoris (rrrr). Fertur hic Princeps dixiſſe, ſi a Deo, mundum condituro, conſultus fuiſſet, ſe monita ei non contemnenda daturum fuiſſe. Veriſimiliter Syſtema mundi Ptolemaicum, eo tempore receptum, is improbabat. Exiſtimabat ergò, concinnius aliquid confici potuiſſe, neque id immeritò. Sed, ſi *Copernici* Syſtema cum *Kepleri* detectionibus, gravitatis Planetarum notitiâ jam auctis, cognoviſſet, utique genuini Syſtematis inventionem eſſe admiratione digniſſimam agnoviſſet. Patet itaque, quòd non, niſi de plus minuſve perfecto, agebatur, & contendebat ſolùm *Alphonſus*, potuiſſe melius aliquid fieri, quod ejus judicium a tota poſteritate reprobatum eſt.

194. Interim Philoſophi quidam ac Theologi audent ſimile judicium tueri dogmaticè: & miratus ſum centies, viros eruditos & pios potuiſſe limites ſtatuere bonitati perfectionique Dei. Nam adſerere, quòd optimum & ſciat & facere poſſit, nec tamen faciat, quid aliud eſt, quàm fateri, quòd penes ipſum fuerit, mundum efficere meliorem, quàm ſit? Hoc autem eſt bonitate deficere, atque agere contra axioma, jam ſuprà indicatum: *Minus bonum habet rationem mali.* Si qui experientiam teſtem adducant, ut Deum melius facere potuiſſe probent, ridiculos ſe divinorum operum cenſores conſtituunt, illiſque oggeretur, quod reſpondetur cunctis iis, qui Dei gubernationem carpunt, & qui ex hac ipſa hypotheſi, hoc eſt, ex imaginariis mundi defectibus, colligunt, Deum aliquem exiſtere malum, aut ſaltem Deum neutrum ſeu medium inter bonum ac malum. Et Regis *Alphonſi* exemplo judicium ferentibus meritò dicitur: Vos vix a triduo mundum noſtis, vos vix ultra naſum veſtrum proſpicitis, & divina opera reprehendere audetis? Diſcite priùs, quæ vera rerum conſtitutio, & ante omnia conſiderate partes illas mundi, quæ totum aliquod completum exhibent; (quemadmodum præſtant corpora organica) artem certè pulchritudinemque, omni imaginatione ſuperiorem, invenietis. Hinc æſtimemus, quanta eſſe debeat Auctoris rerum ſapientia bonitaſque, etiam in iis, quas necdum cognoſcimus. Aliqua quidem in Univerſo nobis minimè adridentia reperimus, ſed novimus, illud noſtri gratiâ ſolummodò conditum non eſſe; quanquam & noſtri gratiâ conditum

(rrrr) *Alphonſus X.* Patri *Ferdinando III.* A. 1252. ſucceſſit: meruit nomen *Aſtrologi* & *Sapientis*; in Tabulas, quas vocant Alphonſinas, 400000. aureos fertur impendiſſe.

tum eſt, ſi ſapimus: nobis enim ſe commodum præſtabit, ſi nos illi adcommodabimur; felices in eo erimus, ſi felices eſſe velimus.

195. Dicet quiſpiam, impoſſibile eſſe produci optimum, quia non datur Creatura perfectiſſima, ſemperque alia aliâ perfectior produci poteſt. Reſpondeo, id, quod de creatura, vel ſubſtantia particulari, dici poteſt, quæ ſemper ab alia poteſt ſuperari, non debere ad totum Univerſum adplicari, quod, cùm totam æternitatem futuram perſeverare debeat, infinitum quoddam eſt. Præterea, in minima materiæ particula infinitæ dantur creaturæ propter diviſionem actualem *Continui* in infinitum. Nec infinitum, ſive cumulus multitudinis infinitæ ſubſtantiarum, propriè loquendo, totum aliquod eſt; non plus, quàm numerus infinitus ipſe, de quo dici nequit, parne ſit, an impar? Hac ipſa ratione refutari poſſunt ii, qui Mundum faciunt Deum, aut qui Deum velut animam Mundi concipiunt; cùm Mundus, ſive Univerſum, conſiderari non queat tanquam animal unum, vel una ſubſtantia (ssss).

196. Itaque non agitur hic de creatura quapiam una, ſed de Univerſo, cogeturque adverſarius adſerere, Univerſum poſſibile alio poſſe eſſe perfectius, in infinitum; ſed in hoc ipſo allucinabitur, nec unquam id adſertum ſuum probare poterit. Quodſi hæc opinio vera foret, ſequeretur exinde, quòd Deus Univerſum nullum condidiſſet; nequit enim abſque ratione agere, immo ſic agendo, contra rationem ageret. Perinde eſſet, ac ſi fingeretur Deus, ſphæram aliquam materialem conſtruere decreviſſe, abſque ratione ulla conſtruendi eam tantæ vel tantæ magnitudinis. Decretum iſtud foret inutile, effectûs ſui impedimentum ſecum adferret. Aliud eſſet, ſi Deus ſtatueret, a puncto dato ducere lineam rectam ad aliam rectam datam, abſque ulla determinatione anguli, nec in decreto ipſo, nec in decreti circumſtantiis; hoc enim caſu determinatio ex ipſa rei natura oriretur, & linea perpendicularis prodiret, angulusque rectus, cùm id ſolum determinatum diſtinctumque remaneat. Hoc pacto concipienda venit Univerſi omnium poſſibilium optimi creatio, maximè cùm ſtatuat Deus non ſolum creare Univerſum, ſed etiam omnium optimum creare; nihil enim decernit, niſi prævia cognitione, nec decreta cudit a ſe invicem avulſa, quæ tantùm voluntates antecedentes forent, a nobis ſuprà ſatis explicatæ, & a decretis propriè dictis diſtinctæ.

197. *Diroyſius*, Cardinalis *Eſtræi* Theologus, mihi quondam Romæ notus, Librum edidit ſub indice: *Argumenta & Præjudicia pro Religione Chriſtiana*, Pariſiis excuſum Anno MDCLXXXIII. Ex eo *Bælius* (Reſp. ad Provinc. cap. 165. pag. 1058. Tom. 3.) refert objectionem, quam ſibi Auctor ille proponit. *Reſtat* (inquit) *alia difficultas, cui non minùs, quàm præcedentibus, ſatisfacere oportet, cùm plus negotii faceſſat iis, qui, puriſſi-*

(ssss) Addit *Interpr. Lat.* cujus (fateor) perfectio ſumma eſſe non poteſt.

puriſſimorum maximeque ſublimium effatorum conſideratione nixi, de bonis maliſque judicant. Cùm Deus ſit ſuprema bonitas & ſapientia, videtur ipſis omnia facere debuiſſe, ſicut homines ſapientes ac probi juxta ſapientiæ bonitatiſque regulas, mentibus ſuis a Deo impreſſas, facta fuiſſe optarent, & ſicut tenerentur ipſi facere, ſi penes ipſos ſtaret. Hinc, intuentes hujus mundi negotia non tam bellè procedere, quàm ipſorum judicio procedere poſſent, quamque proceſſura forent, ſi ipſi curarent, inde concludunt, Deum, qui ipſis infinitè melior ac ſapientior, vel potiùs Sapientia & bonitas ipſa eſt, mundum non curare.

198. *Diroyſius* hanc in rem præclara quædam adfert, quæ non repeto, cùm huic objectioni non uno in loco abundè ſatisfecerimus, iſque præcipuus diatribæ noſtræ ſcopus fuerit. Sed addit nonnihil, quod concedere nequeo. Objectionem nempè nimium probare contendit. Ipſa ejus verba profero cum *Bælio*, (pag. 1059.) *Si ſapientiæ bonitatique ſupremæ minimè convenit, non facere id, quod eſt optimum atque perfectiſſimum, ſequitur, omnia entia ab æterno, immutabiliter, & eſſentialiter, tam perfecta tamque bona eſſe, quàm eſſe poſſunt, cùm nihil mutari poſſit, niſi vel a ſtatu minùs bono ad meliorem, vel a meliore ad minùs bonum, tranſeundo. Jam id fieri nequit, ſi Deus optimum ac perfectiſſimum omittere non poteſt: oportebit ergò omnia entia ab æterno & eſſentialiter eſſe prædita cognitione & virtute tam perfecta, quàm Deus eis dare poſſit. Atqui id, quod ab æterno & eſſentialiter tam perfectum eſt, quàm Deus facere poſſit, eſſentialiter ab eo procedit; verbo, ab æterno & eſſentialiter eſt bonum, ſicut Deus, atque adeò Deus ipſe eſt. Ecce, quò nos ducat hoc effatum, quod repugnare juſtitiæ & bonitati ſupremæ docet, res a Deo fieri minùs perfectas, quàm eſſe poſſunt. Nam ſapientiæ & bonitati eſſentiali eſt eſſentiale, removere, quidquid ei abſolutè repugnat. Itaque inter primas veritates adſumendum eſt, quod ad agendi rationem divinam intuitu creaturarum, bonitati ſapientiæque ſupremæ neutiquam repugnare, ut res ſint minùs, quàm eſſe poſſint, perfectæ, aut, ut permittat Deus, bona, a ſe producta, vel penitùs eſſe deſinere, vel mutari & variari, cùm Deo minimè repugnet exiſtere alia ab ipſo entia, hoc eſt, talia, quæ poſſint non eſſe id, quod ſunt, aut facere, quod non faciunt.*

199. *Bælius* hanc reſponſionem rectè miſeram vocat, ſed quod ipſe tamen obloquitur, intricatum eſſe video. Vult *Bælius*, eos, qui pro duobus pugnant principiis, ſuppoſitioni ſummæ libertatis divinæ potiſſimùm inniti; ſi enim ad producendum, quidquid poteſt, neceſſitaretur, etiam peccata doloreſque produceret: ita Dualiſtæ e mali exiſtentia nihil contra principii unitatem elicere poſſent, ſi principium illud in malum æquè, ac bonum, ferretur. Verùm in hoc ipſo *Bælius* notionem libertatis plus nimio extendit. Licet enim Deus ſummè ſit liber, non tamen ſequitur, eum eſſe in indifferentia æquilibrii; &, quamvis inclinetur ad agendum, non ſequitur, eundem hac inclinatione neceſſitari ad producendum, quidquid poteſt. Nihil producet, niſi quod volet, fertur namque inclinatione

ſua.

ſua ad bonum. Non equidem ſummam Dei libertatem inficiamur, ſed nec eam cum æquilibrii indifferentia confundimus, quaſi ſine ratione agere poſſet. Concipit ergò *Diroyſius*, Dualiſtas, dum ab unico principio malum produci nullum volunt, nimiùm poſtulare, nam eandem ob rationem deberent etiam, ipſo judice, poſtulare, ut produceret maximum bonum, cùm minùs bonum ſit ſpecies quædam mali. Cenſeo, Dualiſtas in priore momento errare, in poſteriore autem verum tenere, ubi a *Diroyſio* ſine cauſa adcuſantur (tttt), vel potiùs malum ſeu minùs bonum in quibuſdam partibus conciliari poſſe cum optimo in toto. Si Dualiſtæ poſtularent, ut Deus optimum faceret, nihil, quod nimium, poſtularent. Falluntur potiùs, dum optimum in toto a malo in partibus immune eſſe contendunt, atque ita, quod Deus fecit, optimum eſſe negant.

200. At inſtat *Diroyſius*, Deum ſi ſemper optimum producit, alios eſſe Deos producturum, alioqui quælibet ſubſtantia, quam produceret, non foret optima, nec perfectiſſima. Sed fallitur, quia rerum ordinem nexumque haud conſiderat. Si quælibet ſubſtantia ſigillatim ſpectata foret perfecta, omnes inter ſeſe ſimiles forent, quod nec congruit, nec eſſe poteſt. Si Dii forent, neque produci potuiſſent. Itaque Syſtema rerum optimum non complectetur Deos; ſemper manebit Syſtema corporum (hoc eſt, rerum ſecundùm loca temporaque ordinatarum) & animarum, corpora repræſentantium atque percipientium, & ſecundùm quas corpora magna ex parte gubernantur. Et ſicut idea ædificii omnium optima eſſe poteſt, ad ſcopum, impenſam, & circumſtantias, comparata; aut ſicut figuratorum quorundam corporum, tibi datorum, coordinatio aliqua omnium, quæ inveniri queant, optima eſſe poteſt; ita pariter facilè concipi poteſt, ſtructuram aliquam Univerſi omnium optimam eſſe poſſe, nec tamen eam propterea Deum evadere. Rerum nexus ordoque efficit, ut omnis animalis, omniſque plantæ, corpus ex aliis animalibus, aliiſque plantis, aut aliis viventibus organicis, componatur; atque adeò ſemper ſit ſubordinatio, utque corpus unum, una ſubſtantia, inſerviat alteri, itaque perfectio eorum nequit eſſe æqualis.

201. *Bælio* (pag. 1063.) videtur *Diroyſius* duas propoſitiones diſcrepantes confudiſſe, alteram, quod Deus omnia facere debeat, uti homines ſapientes probique, juxta regulas ſapientiæ bonitatiſque, ſibi impreſſas, fieri optarent, & uti tenerentur ipſi facere, ſi res in ipſorum poteſtate forent; alteram, quod ſupremæ ſapientiæ bonitatique minimè conveniat, non facere id, quod eſt optimum atque perfectiſſimum. *Diroyſius* (*Bælio* judice) priorem ſibi propoſitionem objicit, & poſteriori reſpondet. Sed, ut

(tttt) Addit *Interpr. Lat.* Malè poſtulant tolli omne malum; ſed rectè deſiderant, produci maximum bonum, cùm malum vel minùs bonum, *&c.*

ut mihi quidem videtur, non immeritò; namque duæ iſtæ propoſitiones inter ſe connexæ ſunt, ac poſterior eſt prioris conſectaria: minùs boni facere, quàm fieri potuerit, eſt in ſapientiam bonitatemque peccare. Eſſe optimum, & a probioribus ſapientioribuſque deſiderari, unum idemque eſt. Et dici poteſt, ſi Univerſi ſtructuram atque œconomiam intelligere nobis foret integrum, comperturos nos, illud, prout a ſapientiſſimis probiſſimiſque optari poſſet, & eſſe factum, & adminiſtrari, nec Deum committere poſſe, ut aliter fiat. Interim tamen hæc neceſſitas (uuuu) non eſt,

(uuuu) Inter Adnotationes Theologi Romano-Catholici *primo loco* ſequens occurrit. *Non placet*, inquit, *quod ait, Deum moraliter neceſſitatum fuiſſe, ut ex omnibus poſſibilibus optimum eligeret, quem creavit. Hinc enim ſequi videtur, quòd tam impoſſibile ſit, hunc mundum non exiſtere, quam impoſſibile, Deum hujus exiſtentiam non elegiſſe. Atqui ſecundùm hunc Auctorem, Deus peccaret contra ſuam ſapientiam & bonitatem infinitam, ſi non eligeret exiſtentiam mundi optimi: implicat autem contradictionem, ut Deus contra ſapientiam & bonitatem ſuam peccet, ergò non ſolùm moraliter, ſed etiam metaphyſicè impoſſibile fuit, ut Deus mundi hujus, qui optimus eſt, exiſtentiam non elegerit; ſicut metaphyſicè impoſſibile eſt, ut Deus contra ſuam ſapientiam & bonitatem peccaverit. Per conſequens, tanta neceſſitate exiſtit hic mundus, quanta neceſſitate Deus ſummè ſapiens & bonus eſt, quæ eſt neceſſitas omnium maxima.*

Fateor, hunc mundum, licet optimus ſupponatur, non tamen in objecto ſuo includere neceſſitatem exiſtendi, ſed meram poſſibilitatem & indifferentiam. Verùm ſi ex ſumma Dei bonitate & ſapientia, quæ ſunt prædicata mundo extrinſeca, in ipſum refundatur mundum neceſſitas ſumma exiſtendi, illam tam neceſſariò habebit, quàm ſi ex objecto ſuo naſceretur, ac perindè liberam Dei electionem ad creandum, vel non creandum, evertet. Quid enim refert, quòd aliquod objectum indifferenter mihi proponatur, ſi Deus aliundè per motum phyſicè prædeterminantem, vel per gratiam Calvini *irreſiſtibilem, neceſſitet me ad illud proſequendum: nonne perindè libera mea impedietur electio, ac ſi ipſum per ſe objectum me raperet irreſiſtibili neceſſitate? Sicut ergò in me; ſic in Deo nulla ſupereſſet libertas eligendi: & ſicut hanc in me deſtrueret motus phyſicè prædeterminans, objecto extrinſecus; ſic illam in Deo deſtrueret ſumma ſua bonitas & ſapientia mundo extrinſeca.*

Reſpondet *Interpres Latinus*: Deum moraliter neceſſitari ad optimum eo in genere, in quo poſſibile optimum eſt, eligendum, tuentur e Jeſuitis *Jacobus Granadius* in primam partem Tomo I. Controverſia 3. Tractatu 2. Diſputatione 3. Sectione 5. & 6. pag. 428. edit. Muſſipont. latiſſimè verò & eruditiſſimè *Didacus Ruizius* Tomo de Voluntate Dei, integris Diſputationibus nonâ & decimâ, quos ſequuntur *Silveſter Maurus* de Deo qu. 53. n. 6. *Ægidius Eſtrix* in Diatriba Theologica Sect. I. Adſert. 5. 6. & 11. & recentiſſimè *Dominicus Viva* de Incarnatione Diſp. I. qu. 2. art. 2. referens pro eadem ſententia *Thyrſum Gonzalez* T. 3. Diſp. 11. Porrò, mundum, qui nunc exiſtit, mundorum omnium poſſibilium optimum eſſe ad mentem *Leibnitii*, docet *Sebaſtianus Izquierdus*, Tom. 2. de Deo, Diſp. 32. q. 3. Propoſit. 6. n. 111. & Propoſit. 9. ubi n. 125. id ipſum egregiè elucidat. In eandem ſententiam propendet *Maurus* Tom. I. qu. 51. n. 22. docens, *poſſe dici, quòd ita mundus eſt formaliter optimus, ut, licèt poſſit dari alius mundus materialiter melior, eo tamen ipſo talis mundus eſſet formaliter minùs bonus, quàm mundus exiſtens de facto.* Id ipſum docuerat *Antonius Perez* ex eadem Societate, ſaltem in ſerie naturali rerum, de Voluntate Dei, Diſp. 6. cap. 6. n. 52. & ſeqq. quorum omnium Auctorum loca referentur in Notis.

Hæc

eſt, niſi moralis: & fateor, ſi Deus ad id, quod facit, producendum metaphyſica neceſſitate compelleretur, vel omnia poſſibilia producturum, vel nihil omninò; hocque ſenſu valeret certè *Bælii* conſequentia. Verùm, quia

Hæc doctrina ſi jungatur paullò ſuprà relatæ, planè conficit, Deum neceſſitari moraliter ad optimum in ſenſu Auctoris Tentaminum.

Ad argumentum contrarium reſpondebit, opinor, *Leibnitius*, verum eſſe, quòd tam impoſſibile ſit, hunc mundum non exiſtere, quàm eſt impoſſibile, Deum hujus mundi exiſtentiam non elegiſſe. Concedet etiam, ſi ex ſumma Dei bonitate ac ſapientia in ipſum mundum refundatur neceſſitas exiſtendi metaphyſica, illam neceſſitatem metaphyſicam tam neceſſariò habiturum eſſe mundum, quàm ſi neceſſitas illa ex objecto, ſive mundo ipſo, naſceretur.

Sed negabit implicare contradictionem, quòd Deus non eligat optimum, utpote qui tantùm moraliter neceſſitatus ſit ad optimum illud eligendum. Hanc reſponſionem Auctoris menti conſonare, vel inde patet, quòd præter alia, quæ *Leibnitius* in *Theodicæa* ſua paſſim diſſerit contra *Benedictum Spinoſam*, *Thomam Hobbeſium*, aliosque, (uti dum §. 201. dicit: *Si Deus metaphyſicè neceſſitaretur ad producendum ea, quæ produxit, vel producturum omnia poſſibilia, vel nihil producturum*) conſultus a me ſuper hac ipſa Syſtematis ſui difficultate, reſponderit: *In Deo optimè agendi moralem eſſe neceſſitatem. Omninò ſtatuo potentiam ſe determinandi ſine ulla cauſa, ſeu ſine ulla radice determinationis, implicare contradictionem, neque hinc ſequitur metaphyſica omnium effectuum neceſſitas, ſufficit enim cauſam vel rationem non eſſe neceſſitantem metaphyſicè, etſi metaphyſicè neceſſarium ſit, ut aliqua ſit talis cauſa*, id eſt, moraliter, non metaphyſicè neceſſitans. Et alia Epiſtola: *Deus neceſſitatus eſt ad mundum creandum, moraliter, non metaphyſicè.* Denique §. 234. *Non implicat contradictionem, quòd Deus velit, vel directè vel permiſſivè, rem quampiam, quæ contradictionem ipſa non implicat, & in hoc ſenſu fas eſt dicere, Deum poſſe eam velle.*

Qua verò ratione neceſſitas iſta metaphyſica rationis tantùm moraliter, non metaphyſicè neceſſitantis, a *Leibnitio* adſerta, ſit explicanda, elici poteſt e doctrina, quam tradit *Ruizius*, Diſp. 80. de Scientia Dei, Sect. 8. & 9. & *Izquierdo* ſupra n. 98. *Martinus Eſparſa*, de Deo qu. 28. art. 9. adfine quidpiam ſentire videtur, dum docet, nullam Deo convenire poſſe neceſſitatem moralem, quæ non ſit fundata in neceſſitate aliqua metaphyſica. Dum itaque *Leibnitius* alicubi dicit: *Deum contra ſapientiam & bonitatem infinitam peccaturum, ſi non eligeret exiſtentiam mundi optimi*, aliaque ſimilia, locutiones hæ duriores, quas ego auxeſes dixero, mitigandæ ſunt, uti & nonnulla SS. PP. eandem in rem effata, nec a *Leibnitiano* loquendi modo aliena, & metaphyſicam electionis divinæ neceſſitatem prima fronte inſinuantia, temperamento quodam indigent, quorum aliqua e re erit hic proferre. *Clemens Alexandrinus* Lib. 6. Stromatum. *Cùm Deus ſit bonus*, inquit, *ſi ceſſaret benefacere, Deus quoque eſſe ceſſabit. Athanaſius* Lib. 2. de Incarnatione Verbi Dei: *Deus*, inquit, *bonus eſt, vel potiùs fons bonitatis; bonus autem nullus invidia tangitur, unde nulli eſſentiam invidens ex non entibus univerſa creavit. Auguſtinus* de Geneſi ad litteram cap. 16. *Si autem poſſet* (bona facere) *nec faceret, magna eſſet invidentia.*

Anſelmus Lib. 1. Cur Deus Homo. cap. 12. & 13. probat indecens, inordinatum & repugnans, dignitati Dei eſſe, dimittere impunitum, & abſque ulla ſatisfactione, peccatum. *Neceſſe eſt*, inquit, in fine capitis 13. *ut aut ablatus* (Deo) *honor ſolvatur, aut pœna ſequatur, alioquin aut Deus ſibi ipſi Deus juſtus non erit, aut ad utrumque impotens erit, quod nefas eſt etiam cogitare.*

Hæc (aliaque hujuſmodi) verba, teſte *Ruizio*, *Dionyſius Carthuſianus* in Lib. 1. Sen-

quia poſſibilia omnia in eadem Univerſi ſerie ſimul conſiſtere nequeunt, ob id ipſum omnia poſſibilia non poſſunt produci, dicendumque, metaphyſicè loquendo, Deum ad hujus Mundi creationem neceſſitate addu-

ctum

Sentent. diſt. 45. q. 1. refert, & notat, eſſe malè ſonantia; *Nihilominùs*, ſubdit Ruizius, *piè poſſunt explicari juxta mentem prædictorum Patrum; verùm tamen ille modus loquendi non eſt uſurpandus ita crudus, ſed condiendus grano ſalis.* Quod ipſum advertens ipſe *Leibnitius* paucis poſt vulgatam *Theodicæam* menſibus ſic ad me ſcribebat: *Univerſim vocabula iſta* (neceſſitatis, & alia hujuſmodi) *ita interpretari malim, ne quid conſequatur, quod malè ſonet. Neſcio, an aliter locutus ſim aliquando, etſi non in rebus, ſed in phraſibus fuit lapſus.*

Itaque, ne cum *Abælardo*, cujus erroneam doctrinam rejicit, ſentiat Auctor, ejus locutiones ſic explicandas arbitror, ac ſi diceret: *Si Deus ad eligendum mundum e poſſibilibus optimum moraliter non neceſſitaretur, non foret infinitè ſapiens, aut infinitè bonus*, vel paullò aliter: *carentia neceſſitatis moralis ad optimum ſtare non poteſt cum ſapientia & bonitate Dei infinitè perfectis.* Quas propoſitiones neceſſe eſt veras eſſe fateantur, qui cum *Leibnitio* tuentur, perfectiorem eſſe libertatem (adeoque Deo neceſſariò tribuendam) quæ neceſſitetur moraliter ad optimum, quàm quæ reſpectu optimi moraliter ſit libera. Id autem tuetur *Ruizius*, dum Diſp. 10. de Voluntate, ſect. 4. n. 19. dicit, *majorem eſſe libertatem Dei* (neceſſitati moraliter) *quam ſi foret moraliter liber ad eligenda bona, quæ ſunt minùs rationabilia, & minùs convenientia in ordine ad univerſum .... Sicut perfectio potentis velle conſiſtit in eo, quòd poſſit amplecti bonum; ſic etiam ſumma perfectio ſummè potentis velle perfectiſſima ratione voluntarii conſiſtit in eo, quòd poſſit conſtanter & infallibiliter amplecti majus bonum: denique moralis illa libertas ad minùs bonum minueret perfectionem Dominii, quod eſt de ratione libertatis &c.* Videatur idem *Ruizius* ibid. ſect. 2. n. 2. ubi dicit abſolutè & phyſicè neceſſarium eſſe, quòd infallibilis moraliter ſit Deo volitio optimi. Tuetur *Izquierdus*, dum Diſp. 31. qu. 7. prop. 2. n. 391. docet, *in eo ipſo ſtare ſummam libertatis divinæ perfectionem, quòd ad optimum moraliter neceſſitetur.* Videatur idem Diſp. 32. a n. 98. ubi fatetur, neceſſitatem moralem ad optimum eſſe *perfectionem Deo intrinſecam* ac neceſſariam.

Tuetur denique *Viva*, dum loco ſupra citato n. 8. & 10. corollario 3. ait, *Neceſſitatem moralem ad optimum ſpectare ad perfectiſſimam libertatem, non ſecus ac neceſſitas metaphyſica ad non peccandum.*

Neque ex eo, quòd neceſſitas illa moralis contingens *ex parte objecti*, ſit perfectio Deo intrinſeca, adeoque metaphyſicè neceſſaria ſit *ex parte ſubjecti*, conficitur, eſſe quoque metaphyſicè neceſſarium illius neceſſitatis terminum, ſive mundum optimum. Nam, ut inquit *Izquierdus* n. 99. *Dato quòd non exiſteret id, ad quod eſt neceſſitas moralis in voluntate divina, nullatenùs auferenda foret talis neceſſitas, ſed ſimul cum negatione ejus, ad quod neceſſitat, permanſura; nam hæc conjunctio non eſt impoſſibilis metaphyſicè, ſed tantùm moraliter. Ex aliquo autem moraliter impoſſibili poſito nihil mirum, ſi ſequatur aliud etiam moraliter impoſſibile, qualis eſt ea conjunctio, ex quo patet, revera non ſequi, Deum non eſſe Deum ex eo, quòd committeret aliquid, ad quod eſt neceſſitatus moraliter. Nec ſequitur, talem neceſſitatem phyſicam* (aut metaphyſicam) *eſſe: etſi ea phyſicè* (immò metaphyſicè) *per ſuam eſſentiam habeat, non poſſe conjungi moraliter cum contradictorio ejus, ad quod eſt neceſſitas: quia aliud eſt eſſe neceſſitatem phyſicam* (aut metaphyſicam) *aliud habere per eſſentiam phyſicam hoc, quod eſt, eſſe neceſſitatem moralem.* Hucuſque *Izquierdus*. Vide etiam *Ruizium* de Scientia, Diſp. 80. ſect. 7. & ſeqq.

ctum non eſſe. Dici quoque poteſt, ſimul atque Deus aliquid creare decrevit, exoriri velut pugnam poſſibilium omnium, exiſtentiam ambientium; atque ea, quæ ſimul juncta plurimum *realitatis*, plurimum *perfectionis*, plurimum *intelligibilitatis*, producunt, victoriam reportare, & ad exiſtentiam admitti. Verum quidem eſt, hanc pugnam omnem non, niſi idealem, eſſe, hoc eſt, non eſſe, niſi conflictum rationum in intellectu perfectiſſimo, qui non poteſt committere, quin agat modo perfectiſſimo, nec conſequenter optimum eligat. Interim tenetur Deus neceſſitate morali, ita res efformare, ut meliùs fieri nihil poſſit: alioqui non alii ſolùm invenirent, quod in eo reprehenderent, quod facit, ſed, quod magis eſt, nec ipſemet ſuo opere contentus foret, ejuſque imperfectionem ſibi improperaret, quod divinæ naturæ felicitati ſummæ adverſatur. Hæc continua proprii defectûs, ſive imperfectionis, conſcientia inevitabilem ei dolorem adferret, uti *Bælius* alia occaſione monet (p. 953.)

202. In argumento *Diroyſii* falſum adſumitur, dum dicitur, nihil poſſe mutari, niſi tranſeundo a ſtatu minùs bono ad meliorem, vel a meliori ad minùs bonum; atque ita, ſi Deus optimum fecerit, hoc productum mutari non poſſe; fore ergò ſubſtantiam æternam, fore Deum. Sed non video, cur res aliqua ſpeciem boni malive mutare non valeat, ſine mutatione gradûs. Sic tranſeundo a voluptate Muſices ad Picturæ delicias, vel *vice verſa* ab oculorum oblectatione ad blandimenta aurium; idem voluptatis gradus utrobique eſſe poterit, ita ut poſterior præ priori ſolam habeat prærogativam novitatis. Si fieret quadratura circuli, vel (ut ſimiliter loquar) circulatura quadrati, hoc eſt, ſi circulus in quadratum æquale mutaretur, vel quadratum in circulum, difficile dictu eſſet, abſolutè loquendo, & nullum uſum ſpecialem ſpectando, lucrumne foret, an damnum? Ita optimum in aliud prorsùs æquivalens mutari poteſt, quod nec excedat, nec excedatur: intercedet tamen in ipſa mutatione ordo, & quidem optimus, qui eſſe poſſit. Si totam rerum ſeriem ſumas, optimum nihil habet æquale, ſed pars aliqua ſeriei poteſt æquari alteri parti ejuſdem ſeriei. Præterquàm quòd dici poſſet, totam rerum ſeriem infinitam eſſe poſſe poſſibilium optimam, quamvis id, quod in qualibet temporis parte per totum Univerſum exiſtit, non ſit optimum. Fieri ergò poſſet, ut Univerſum meliùs ſemper procederet, ſi talis eſſet natura rerum, ut ſimul & ſemel optimum adtingi non ſit integrum. Verùm problematis hujuſmodi difficilis eſt dijudicatio.

203. Ait *Bælius* (p. 1064.) quæſtionem, an Deus res perfectiores, quàm condiderit, condere potuerit, etiam eſſe difficillimam, & rationes in utramque partem militare validiſſimas. Sed, meâ ſententiâ, perinde eſt, ac ſi quæreretur, an actiones Dei cum perfectiſſima ſapientia, maximaque bonitate, conſentiant. Res oppidò mira eſt, mutatis aliquantùm terminis, dubia reddi ea, quæ, benè intellecta, ſunt clariſſima. Nec

ratio-

rationes, in contrarium militantes, ullius ſunt roboris, cùm in ſola defectuum adparentia fundentur, & objectio, qua *Bælius* probare contendit, quòd lex optimi veram Deo metaphyſicam neceſſitatem imponeret, illuſio mera eſt, e ſolo terminorum abuſu profecta. Aliter alias ſentiebat *Bælius*, cùm *R. P. Malebranchii* ſententiæ, non multùm hìc a mea diſcrepanti, adplaudebat. Sed, poſtquàm *Antonius Arnaldus Malebranchium* ſcriptis impetivit, mutavit mentem *Bælius*, & ſuſpicandi ratio eſt, dubitandi propenſionem, in ipſo cum ætate creſcentem, non parùm ad hanc mutationem contuliſſe. Vir ſine dubio magnus fuit *Arnaldus*, & auctoritatis ejus haud parvum eſt momentum, nec pauca benè notavit in ſuis Libris adverſus *Malebranchium*, ſed immeritò oppugnavit ea, quæ præclarus ille Scriptor noſtris de optimi regula jam dictis adfinia docuit.

204. Scilicet excellens Librorum de Inquiſitione Veritatis Auctor, a Philoſophia ad Theologiam tranſiens, denique Tractatum inſignem edidit de Natura & Gratia, in quo more ſuo oſtendit (quemadmodum a *Bælio* in Cogitationibus diverſis circa Cometas, cap. 234. explicatum eſt) eventus, e legum generalium executione prodeuntes, non eſſe objecta voluntatis alicujus divinæ particularis. Verum quidem eſt, eum, qui vult rem aliquam, velle etiam quodammodo omnia, illi rei neceſſariò adnexa, & conſequenter Deum leges generales velle non poſſe, quin etiam quodammodo velit omnes particulares effectus, inde neceſſariò pullulaturos: ſed ſemper etiam verum manet, effectus illos particulares propter ſe, ſuique gratia, non intendi, quod ipſum ſignificatur, dum dicitur, eos *voluntate particulari* & directa non intendi. Extra omne dubium eſt, quin Deus, extrorſum acturus, modum agendi elegerit, ente ſummè perfecto dignum, hoc eſt, infinitè ſimplicem & uniformem, & nihilominùs infinitè fœcundum. Immò concipi poteſt, juxta *Malebranchium* (xxxx), quod hic per *voluntates generales* agendi modus, quanquam ex illo oriri deberent aliqua ſuperflua, (immò mala, ſi ſeorſim ſumantur, quod addo) potior Deo viſus ſit modo magis compoſito, magiſque regulari

(xxxx) Aliquando, *ſcribit ill.* Bilfingerus *de Orig. mali, p. 156. §. 216. Malebranchio* id vitio Eruditi vertunt, ſoli viarum ſimplicitati virum ingenioſiſſimum adtendiſſe: id *non arbitror*, neque excluſam memini fœcunditatem; ſimplicitati, putem, ideò inſiſtere, quòd ante ipſum disertè illam non urſerint Eruditi, & momentum trahat tamen, cæterùm ſuppoſuiſſe multitudinem finium eandem, quam alii viis longioribus & anfractuoſioribus obtineri ſupponant. " Conjecturæ certitudinem hiſtoricam monſtrat *idem Vir ill.* in Dilucidd. Philoſ. §. CXXXV. not. ** prolato *ex Diario Pariſino, A. 1705. d. 20. Apr. p. 390.* loco, *Malebranchium* concernente: *Qu'afin que Dieu voulant créer, choiſiſſe avec ſageſſe dans tous les ouvrages poſſibles un ouvrage plûtôt qu'un autre, il faut, non que l'ouvrage ſoit le plus parfait en lui-même, qui ſe puiſſe; mais, que le compoſé de l'excellence de l'ouvrage, & de la ſageſſe des voyes, ſoit tel, qu'il porte davantage le caractère des attributs divins, que tout autre ouvrage joint à toute autre voye.* Conf. infr. §. 210.

gulari (yyyy). Nihil eſt (judice *Bælio*, dum ſuas de Cometis cogitationes ſcriberet) adcommodatius hac hypotheſi ad ſexcentas difficultates contra Providentiam divinam enodandas: *Interrogare* (inquit) *quare Deus tam multa, hominibus magis depravandis idonea, condiderit, idem foret, ac quærere, quare Deus meditatum opus ſuum (quod non, niſi infinitè pulchrum, eſſe poteſt) per vias ſimpliciſſimas, maximeque uniformes, perfecerit, & cur non potiùs per complicationem decretorum, ſibi mutuò obſtantium, liberi arbitrii humani abuſum impedierit.* Addit, *miracula, utpote voluntates particulares, finem Deo dignum habere debere.*

205. His fundamentis inſignes animadverſiones ſuperſtruit (cap. 231.) circa injuſtitiam eorum, qui de improborum proſperitate conqueruntur. *Auſim dicere* (inquit) *eos omnes, quibus mira accidit improborum proſperitas, Dei naturam eſſe parum meditatos, & cauſæ, cuncta gubernantis, officia ad providentiæ prorsùs ſubalternæ modulum exegiſſe, quod eſt puſillæ mentis. Quid ergo? An, poſtquàm Deus cauſas, alias liberas, alias neceſſarias, mixtura manifeſtandis infinitæ ſuæ ſapientiæ miraculis idonea, condidit, oportebit eum leges conſtituere liberarum cauſarum naturæ conformes, ſed adeo inſtabiles, ut vel minimum, quod homini queat accidere, incommodum eas cum libertatis humanæ ruina funditus everteret? Rideatur aliquis Urbis Præfectus, qui præſcriptiones & mandata mutaret, quoties alicui contra ipſum murmurare liberet; & Deus, cujus leges bonum tam univerſale reſpiciunt, ut fortaſſe, quidquid nobis adſpectabile eſt, inſtar adpendiculæ duntaxat, legum illarum particeps ſit, legibus ſuis derogare tenebitur, quia hodie uni, cras alteri, minùs adridebunt; & nunc ſuperſtitioſus aliquis, falsò judicans, monſtro aliquo funeſti quidpiam portendi, ab errore ſuo ad nefarium ſacrificium faciet gradum; nunc bona quæpiam anima, quæ nihilominùs non tanti virtutem æſtimat, ut ſatis eſſe ſupplicii judicet, virtute carere, ſcandalum patietur, hominem improbum diteſcentem, & firma valetudine utentem, videns? Quid falſius de generali Providentia cogitari poteſt? Cumque apud omnes in confeſſo ſit, hanc naturæ legem, ut debile fortiori cedat, ſapienter eſſe ſancitam, & ridiculum fore, velle, ut, dum lapis in vas aliquod fragile, domini ſui delicias, cadit, Deus illi legi deroget, ut vaſis iſtius dominum a mœrore liberet; nonne fatendum eſt, etiam eſſe ridiculum contendere, ut Deus eandem infringat legem, quo impediat, ne improbus probi ſpoliis diteſcat? Sanè quo magis improbus ad conſcientiæ & honoris ſtimulos occalluit, eo viribus eſt homine probo ſuperior, ita, ut ſi Virum probum adgrediatur, hunc, ſpectato naturæ curſu, ſuccumbere neceſſe ſit; &, ſi ærario publico admoveantur ambo, ſecundùm eundem naturæ curſum neceſſe eſt, improbum magis diteſcere, quàm probum, prorſus ſicut ignis vehemens plus ligni devorat, quàm*

(yyyy) Addit *Interpr. Lat.* (quanquam meo judicio modus regularis etiam voluntatibus generalibus magis debeat eſſe conformis.)

quàm ſtramineus. Qui vellent improbum aliquem in morbum incidere, perindè iniqui ſunt, atque ii, qui, lapide in vitrum delapſo, vitrum manere illæſum vellent; nam ejus organa ſunt ita temperata & compoſita, ut nec alimenta, quæ ſumit, nec aër, quem reſpirat, ſecundùm naturæ leges, ejus valetudinem labefactare queant. Atque adeò, qui de ejus ſanitate queruntur, Deum leges, a ſe ſtatutas, non violaſſe conqueruntur; in quo tantò ſunt iniquiores, quòd per combinationes & concatenationes, quarum Deus ſolus auctor eſſe poterat, ſæpè contingat, ut naturæ curſus peccati punitionem adducat.

206. Magnoperè dolendum eſt, *Bælium* tam citò deſerere viam, quam, tam præclarè de Providentia diſſerendo, feliciter ingreſſus fuerat, nam fructum minimè pœnitendum feciſſet, &, pulchra dicendo, ſimul quoque bona dixiſſet. Ego R. P. *Malebranchio* adſentior, Deum res facere ratione ſe digniſſima. Verùm circa *voluntates generales & particulares* paullò longiùs, quàm ipſe, progredior. Cùm Deus nihil ſine ratione facere poſſit, etiam dum agit miraculosè, ſequitur, nullam eum circa eventus individuos habere voluntatem, quæ non ſit veritatis alicujus, vel voluntatis, generalis conſectarium. Undè dicerem, Deum nunquam habere *voluntates particulares*, quales *Malebranchius* intelligit, hoc eſt, *particulares primitivas*.

207. Immò arbitror, *Miracula* (zzzz) nihil in hoc habere, quo a cæteris,

(zzzz) Conf. quæ *ill. Vir* ſuprà diſputavit *Theod.* §. 54. & §. 64. *not.* (ddd) patebit, hanc doctrinam *Spiritûs Sancti operationibus, illuminationi, converſioni, regenerationi, aliiſque ordinariis in Regno Gratiæ mutationibus*, nequaquam obeſſe. Finis miraculorum quæritur in regno gratiæ, non in regno naturæ; quoniam ſcil. hic intercedit arbitrium creaturæ, quæ ſuo facto in ejuſmodi ſtatum incidere poteſt, ut media naturalia eidem reparando ſint inſufficientia, & univerſitas ſpirituum majoris eſt Deo, quàm agentia naturalia, adhibet utique Deus miracula, ſuntque ita ea opera ſapientiæ, quæ effectus & fines longè præſtantiores producunt, quàm aliàs obtinerentur. Quando verò ſtatuitur, *in optimo mundo pauca eſſe debere miracula*, per hoc momentum neque paucitas, neque multitudo miraculorum, *abſolutè* loquendo, adſeritur, ſed divinæ ſapientiæ relinquitur, quæ præſtat totidem, quot ad œconomiam Gratiæ conducunt. *Comparatè* hæc intelligenda; eam nempe rationem agendi perfectiorem eſſe, quæ paucis utatur mediis extraordinariis, pluribus naturalibus, dummodò fines divini æqualiter obtineri queant; major enim ſic mediorum & finium conſenſus. V. ill. *Bilfingeri* Dilucidd. Philoſ. §. CCXXV. §. CCXXVIII. ubi addit: *Quando* hunc *Mundum dicimus*, omnia *hoc vocabulo involvimus, quæcumque in illo fiunt*, naturalia & ſupernaturalia. *Itaque & miracula in hoc mundo futura quoad ſtatum ſuum idealem comprehenſa ſunt in conſilio divino, & quoad realem eveniunt ſecundùm ejus conſilium.* Conf. *Theod.* 206. 207. *Eſt igitur* hic *mundus optimus* cum his *miraculis, non ſine illis. Idcoque* fiunt ex ſapientia, *non excluduntur per illam.* Denique, ubi ill. Vir de ſuo Syſtemate celebrat, *removere miracula ſuperflua*, §. 208. reſpicit ad Syſtema Carteſianum, in quo cuncta fieri deberent per miracula, §. 207. neque vult dicere, *cuncta fieri ſuperflua, præter unum & alterum*, quam cogitationem ipſe nexus verborum refellit.

teris eventibus diſtinguantur; namque rationes ordinis, naturali ſuperioris, ad miracula perpetranda Deum permovent. Unde nollem cum *Malebranchio* dicere, Deum legibus generalibus derogare, quotieſcumque ordo exigit; neque enim uni legi derogat, niſi per aliam legem magis adplicabilem, &, quod ordo poſtulat, non poteſt non eſſe conforme regulæ ordinis, quæ ex legibus generalibus infima non eſt. Miraculorum (rigidiſſimè ſumtorum) character eſt, ut per rerum conditarum naturas explicari non poſſint. Quare, ſi Deus legem generalem conderet, vi cujus corpora ſe mutuò adtraherent, ejus executionem, niſi per miracula perpetua, obtinere non poſſet. Pariter, ſi Deus corporum humanorum organa vellet animæ voluntatibus conformari, juxta *ſyſtema cauſarum occaſionalium*, hæc quoque lex non, niſi per miracula perpetua, executioni mandaretur.

208. Itaque exiſtimandum eſt, inter regulas generales, non abſolutè neceſſarias, a Deo eligi illas, quæ magis naturales ſunt, quarum ratio faciliùs reddi poteſt, & quæ ad reddendam etiam aliarum rerum rationem magis conducunt. Atque hoc abſque dubio omnium pulcherrimum eſt, & maximè placet; & quamvis *Syſtema harmoniæ præſtabilitæ* non aliundè neceſſarium foret, uti certè eſt, dum miracula ſuperflua removet, Deus illud elegiſſet, quia maximè harmonicum eſt. Viæ Dei ſimpliciſſimæ ſunt, maximeque uniformes: nempè quia regulas eligit, mutuò ſe quam minimum limitantes. Sunt etiam *fœcundiſſimæ* omnium, ſpectata *ſimplicitate viarum*. Perindè ac ſi dicas, ædificium fuiſſe optimum omnium, quæ eadem expenſa fieri potuerunt. Immò poſſunt hæ duæ conditiones, ſimplicitas atque fœcunditas, ad unicam reduci, videlicet quòd poſſibilium maximam perfectionem producat, & hoc pacto R. P. *Malebranchii* Syſtema in meum recidit. Nam ſi effectus ſupponeretur major, viæ autem minùs ſimplices, cenſeo poſſe dici, quòd, omnibus computatis atque perpenſis, effectus ipſe foret minùs magnus, habitâ ratione non modò effectûs finalis, ſed etiam effectûs medii. Nam ſapientiſſimus facit, quoad poteſt, ut *media* ſint quodammodo *fines*, hoc eſt, deſiderabilia, non ſolùm quia *faciunt*, ſed etiam quia *ſunt*. Viæ magis compoſitæ nimiùm fundi, nimiùm ſpatii, nimiùm loci, nimiùm temporis, occupant, quæ meliùs impendi potuiſſent (aaaaa).

209. Jam ſi ad perfectionem ſummam omnia reducantur, ad noſtram legem optimi ſit reditus. Perfectio enim complectitur non ſolùm *bonum morale* & *bonum phyſicum* creaturarum intelligentium, ſed etiam *bonum* illud, quod non niſi *metaphyſicum* eſt, quodque creaturas ratione deſtitutas

(aaaaa) Hæc ill. Viri verba ſua quoque facit in tractatione hujus materiæ ill. *Bilfingerus* de *Orig. Mali*, §. 215. ubi ita concludit: Sapientiorem *dic eſſe, qui* eundem *finem obtineat* brevius; *eſſe, qui* medio eodem plus *obtineat*; magis *igitur &* illum, *qui* breviori *viâ* plus *finium obtineat*.

tas etiam reſpicit. Unde efficitur, malum, quod in creaturis rationalibus ſupereſt, evenire ſolum concomitanter, nec per voluntates antecedentes, ſed per voluntatem conſequentem, tanquam involutum in opere ſive idea poſſibili optima; bonum autem metaphyſicum, omne complectens, eſt cauſa, cur dandus aliquando locus ſit malo phyſico, maloque morali, uti plus ſimplici vice explicavi. Ab hoc Syſtemate non multùm alieni fuiſſe Stoici veteres comperiuntur, ut *Bælius* ipſe advertit Dictionarii Articulo *Chryſippus* litt. T. Juvat ejus verba referre, ut eum ſibi quandoque opponamus, & ad præclaras ſententias, olim a ſe adſertas, reducamus. *Chryſippus* (inquit, pag. 939.) *in ſuo de Providentia Opere hanc inter alias quæſtionem examini ſubjecit: an natura ipſa rerum, vel providentia, mundi & generis humani conditrix, morbos etiam, quibus homines obnoxii ſunt, produxerit? Reſpondet, primarium naturæ finem non fuiſſe, homines reddere morboſos, id enim bonorum omnium cauſæ minimè congrueret; ſed, dum magna multa optimè ordinata & utiliſſima molitur ac producit, comperit, adnaſci quædam inconvenientia, atque adeò hæc primigenio ejus conſilio & ſcopo non fuere conformia; occurrerunt enim in ſerie operis, & tanquam conſectaria duntaxat exſtiterunt. Quod corporis humani formationem adtinet, inquiebat* Chryſippus, *ſubtilior idea, ipſaque adeo utilitas operis, exigebant, ut caput ex oſſiculorum tenuium textura conſtaret, ſed ex hoc ipſo illud capiti incommodum ingruebat, quod ictibus non poſſet reſiſtere. Parabat natura ſanitatem, ſimulque debuit oſtium aperiri morbis, quaſi concomitanter. Eadem eſt de virtute ratio; actio directa naturæ, quæ virtutem progenuit, vitia concomitantia præparavit. Verbum verbo non reddidi, quare ipſa* Auli Gellii *verba Latina ſubdo, in commodum eorum, qui hanc linguam callent.* (*Aulus Gellius* Lib. 6. cap. 1.) Idem *Chryſippus* in eod. Lib. (quarto, » περὶ προνοίας) tractat conſideratque, dignumque eſſe id quæri putat, εἰ » αἱ τῶν ἀνθρώπων νόσοι κατὰ φύσιν γίνονται, id eſt, naturane ipſa rerum, vel » providentia, quæ compagem hanc mundi & genus hominum fecit, mor- » bos quoque, & debilitates, & ægritudines corporum, quas patiuntur » homines, fecerit. Exiſtimat autem, non fuiſſe hoc principale naturæ » conſilium, ut faceret homines morbis obnoxios. Nunquam enim hoc » conveniſſe naturæ auctori, parentique rerum omnium bonarum. Sed » quum multa, inquit, atque magna gigneret pareretque aptiſſima & » utiliſſima, alia quoque ſimul adnata ſunt incommoda, iis ipſis, quæ » faciebat, cohærentia: eaque non per naturam, ſed per ſequelas quaſ- » dam neceſſarias facta dicit, quod ipſe adpellat κατὰ παρακολούθησιν. Sicut, » inquit, quum corpora hominum natura fingeret, ratio ſubtilior, & » utilitas ipſa operis, poſtulavit, ut tenuiſſimis minutiſque oſſiculis caput » compingeret. Sed hanc utilitatem rei majoris alia quædam incommo- » ditas extrinſecùs conſecuta eſt, ut fieret caput tenuiter munitum, & » ictibus offenſionibuſque parvis fragile. Proinde morbi quoque & ægri-

» tudines partæ ſunt, dum ſalus paritur. Sic hercle, inquit, dum virtus » hominibus per conſilium naturæ gignitur, vitia ibidem per adfinitatem » nata ſunt. *Non arbitror*, (addit *Bælius*) *hominem ethnicum*, *lapſus primi hominis ignarum*, *quem non*, *niſi revelatione*, *diſcere potuimus*, *quique vera miſeriarum noſtrarum origo eſt*, *quidquam rationi magis conſentaneum dicere potuiſſe* : *quodſi ejuſmodi plura Operum* Chryſippi *fragmenta*, *aut potiùs*, *ſi ipſa* Chryſippi *Opera exſtarent*, *meliorem de eleganti Viri ingenio opinionem haberemus.*

210. Nunc converſum in *Bælio* mutato ſcenam videamus : Poſtquam in Reſponſione ad Quæſita Provincialis, cap. 155. (pag. 962. Tom. 3.) retuliſſet hæc *Jaquelotii* verba, quæ mihi valde probantur : *Ordinem Univerſi mutare res eſt momenti infinitè majoris*, *quàm hominis probi proſperitas.* Addit : *Hæc cogitatio habet aliquid*, *quod aciem oculorum præſtringit* : *P.* Malebranchius *eam in pulcherrima luce collocavit*, *& Lectoribus quibuſdam perſuaſit*, *Syſtema ſimplex & fœcundiſſimum ſapientiæ Dei convenire magis*, *quàm Syſtema magis compoſitum*, *& proportione ſpectata minùs fœcundum*, *ſed præveniendis anomaliis magis idoneum.* Bælius *e numero eorum fuit*, *qui hoc pacto nodum a* Malebranchio *mirabiliter ſolvi cenſuerunt*, (*Bælius* ipſe loquitur) *ſed vix acquieſcere his poteſt*, *qui Libros* Arnaldi *adversùs hoc Syſtema legerit*, *& vaſtam immenſamque Entis perfectiſſimi ideam perpenderit. Hac ideâ docemur*, *nihil eſſe Deo facilius*, *quàm opus ſimplex*, *fœcundum*, *regulare & ſimul creaturis omnibus commodum*, *deſignare & exequi.*

211. Cùm olim in Gallia verſarer, Dialogum Latinum a me conſcriptum de cauſa mali, deque juſtitia Dei, cum *Arnaldo* communicavi, idque non modò ante inchoatas ipſum inter & R. P. *Malebranchium* contentiones, ſed etiam ante vulgatum de inquirenda Veritate Librum. Eo Dialogo principium illud, quod hic a me propugnatur, nempe, peccatum ideò permiſſum fuiſſe, quia in optima Univerſi idea involvebatur, jam tunc uſurpabam ; nec eo efferari viſus eſt *Arnaldus*. Sed ſubnatæ deinde cum *Malebranchio* contentiunculæ talia adtentiùs expendendi, ſeveriusque dijudicandi, anſam ei præbuerunt. Interim non uſquequaque placet mihi modus, quo rem hic exprimit *Bælius*, nec opinor, *Syſtema magis compoſitum*, *minuſque fœcundum*, *præveniendis anomaliis magis adcommodatum eſſe poſſe.* Regulæ ſunt voluntates generales, & quo plures obſervantur regulæ, eo plus obtinetur regularitatis ; ſimplicitas fœcunditaſque ſunt ſcopus regularum. Si opponas, Syſtema valdè uniforme fore ſine anomaliis, reſpondeo, ipſam uniformitatem nimiam fore anomaliæ genus, & harmoniæ regulas offenſuram. *Et citharœdus ridetur chorda qui ſemper oberrat eadem.* Cenſeo itaque, Deum ſequi poſſe ideam ſimplicem, fœcundam, regularem ; ſed non arbitror, eam, quæ optima maximeque regularis eſt, ſimul eſſe ſemper creaturis omnibus commodiſſimam, & hoc

hoc *a poſteriori* colligo; nam illa, quam Deus elegit, talis non eſt. Id ipſum verò etiam *a priori* oſtendi, in exemplis e Matheſi petitis, quorum unum ſuppeditabo. Origeniſta aliquis, qui creaturas omnes rationales demùm fore felices volet, faciliùs adhuc acquieſcet. Dicet, uti de paſſionibus hujus temporis dicit Apoſtolus, ærumnas, finem habituras, non poſſe cum æterna felicitate comparari.

212. Illud hac in re fallit, uti aliàs notavi, quòd facilè exiſtimemus, id, quod in toto optimum eſt, etiam eſſe inter poſſibilia omnia optimum in partibus ſingulis. Sic enim in Geometria diſſerimus, ubi de *maximis* & *minimis* agitur. Si via ab A ad B eſt poſſibilium omnium breviſſima, & hæc via tranſit per C, neceſſe eſt, hanc viam ab A ad C, partem illius, etiam eſſe poſſibilium omnium breviſſimam. Verùm a *quantitate* conſequentia non ſemper benè procedit ad *qualitatem*, uti nec ea, quæ ab æqualibus ducitur ad ſimilia. *Æqualia* namque ſunt, quorum quantitas eſt eadem, & *ſimilia*, quæ ſecundùm qualitates non differunt. B. *Sturmius* (bbbbb), celebris Altorfii Noricorum Mathematicus, cùm in Belgio ageret juvenis, Libellum edidit inſcriptum: *Euclides Catholicus*, in quo, hortatu B. *Erhardi Weigelii*, ſui quondam Præceptoris, exactas & generales in rebus non Mathematicis regulas tradere conabatur. In hoc libro transfert ad ſimilia, quod de æqualibus ab *Euclide* fuerat enunciatum, & hoc axioma procudit: *Si ſimilibus addas ſimilia, tota ſunt ſimilia*; ſed ad novam hanc regulam vindicandam tot limitationibus opus fuit, ut ſatius fuiſſe futurum arbitror, ſi ſtatim cum reſtrictione dixiſſet: *ſi ſimilibus ſimilia addas ſimiliter, tota ſunt ſimilia.* Hinc etiam crebrò poſtulare ſolent Geometræ *non tantùm ſimilia, ſed & ſimiliter poſita.*

213. Diſcrimen hoc inter quantitatem & qualitatem etiam in re præſenti eluceſcit. Pars viæ breviſſimæ inter duo extrema eſt etiam via breviſſima inter extrema hujus ipſius partis: ſed pars totius optimi non neceſſariò eſt optimum, quod ex hac parte effici poterat; cùm pars rei pulchræ non ſemper pulchra ſit, nam ex toto extrahi, vel in toto ſumi modo irregulari poteſt. Si bonitas & pulchritudo ſemper in aliquo abſoluto & uniformi conſiſterent, uti extenſio, materia, aurum, aqua, aliaque corpora, quæ homogenea vel ſimilaria ſupponuntur; dicendum eſſet, partem boni & pulchri fore bonam & pulchram, uti eſt ipſum totum, cum pars quælibet ſemper ſimilis toti foret; ſed aliud eſt in relativis. Exemplum, e Geometria depromtum, mentem meam declarabit.

214. Eſt quædam *Geometriæ* ſpecies, quam *Jungius* (ccccc) Hamburgenſis,

(bbbbb) *Jo. Chriſtoph. Sturmius*, Prof. Phyſ. & Math. Altorf. natus A. 1635. Neoburg. denatus Altorf. 1703. *V. vitam ejus* in *Hiſtoria Biblioth. Fabricianæ*, P. V. p. 439. 440.

(ccccc) *Joach. Jungius*, A. 1587. natus, obiit 1657. d. 23. Sept. Scripſit inter alia multa *Geometriam Empiricam*, ab ill. Viro hic citatam, qui eum aliàs *Virum verè philoſophum* ſalutat, in *Coll. Epp. Kortholt.* T. II. p. 86.

genſis, Vir inter ævi ſui præſtantiſſimos meritò numerandus, *Empiricam* nuncupabat. Utitur illa experientiis demonſtrativis, & plurimas *Euclidis* propoſitiones, eas præcipue, quæ duarum figurarum æqualitatem ſpectant, comprobat, ſecando unam in fruſta, eaque rursùs jungendo ad conſtruendam alteram. Hac ratione ſi duorum laterum trianguli rectanguli quadrata in partes ſeces, uti oportet, & has partes debito modo ordines, fiet inde quadratum hypothenuſæ, & hoc eſt quadrageſimam ſeptimam Libri primi *Euclidis* propoſitionem empiricè demonſtrare. Jam poſito, quòd horum fruſtorum, e duobus quadratis minoribus exciſorum, aliqua intercidant, deerit aliquid quadrato majori, inde efformando, & compoſitum illud defectuoſum non modò non placebit, ſed pòtiùs erit inſigniter deforme. Quodſi fruſta, quæ remanſerunt, & compoſitum illud vitioſum conſtruunt, abſque reſpectu ad majus iſtud quadratum, ad quod conflandum adhibenda erant, ſumerentur, aliter omninò coordinari inter ſe deberent, ut compoſitum inde tolerabile conflaretur: ſed ſimul atque fruſta illa deperdita rurſus comparuerint, & compoſiti vitioſi lacunam repleverint, prodibit inde res quædam pulchra atque regularis, nempè majus quadratum integrum: & compoſitum hocce completum tolerabili illo compoſito longè pulchrius erit, quod ex ſolis fruſtis non deperditis coaluerat. Compoſitum completum Univerſo planè integro reſpondet; vitioſum, quod eſt completi pars, parti Univerſi, in qua defectus deprehendimus, a rerum Auctore toleratos, quia cæteroqui, ſi vitioſam hanc partem reformare, ac compoſitum inde tolerabile efformare voluiſſet, totum ipſum non æquè fuiſſet elegans; nam vitioſi compoſiti partes, meliùs diſpoſitæ ad conflandum ex illis tolerabile compoſitum particulare, non potuiſſent adhiberi, ut oportet, ad compoſitum totale perfectumque conſtruendum. Hæc per tranſennam videbat *Thomas Aquinas*, dum dixit: *Ad prudentem gubernatorem pertinet, negligere aliquem defectum bonitatis in parte, ut faciat argumentum bonitatis in toto.* (*Thom.* contra gent. Lib. 3. cap. 71.) *Thom. Gatakerus* (ddddd) in notis ad Librum *Marci Aurelii*, (Lib. 5. cap. 8. apud *Bælium*) citat etiam Auctorum loca, dicentium, ſæpè

(ddddd) *Thomas Gatakerus*, Londini natus A. 1574. 4. Sept. denatus Cantabrigiæ A. 1654. d. 27. Jun. fuit eruditiſſimus Theol. & Criticus, plurimaque ſcripſit, inter quæ quidem eminet ipſius fœtus quadraginta annorum, *M. Antoninus*, novâ verſione donatus, diſtinctus ſectionibus, prolegomenis luculentis de Philoſophiæ Moralis Stoicæ præ Epicureorum dogmatis præſtantia, teſtimoniis de Auctore copioſis & ſelectis, locorum parallelorum & variarum lectionum diligenti ad oram notatione, & uberrimo atque elaboratiſſimo commentario illuſtratus, qui Stoicorum de moribus præceptorum ſcitorumque quoddam veluti copiæ cornu præſtare lectori poteſt, & acutis in omne genus ſcriptorum, etiam ſacrorum, obſervationibus, veluti gemmis, eſt diſtinctus, &c. Cantabrig. 1652. 4. dein Londini A. 1699. 4. & cum *Andr. Dacerii* obſervationibus additis 1707. 4. optimè Trajecti A. 1697. fol. curâ Cl. *Hermanni Witſii*. Habemus etiam ed. Oxon. Græco-Lat. 1680. 12. & 1704. 8.

ſæpè malum partium eſſe bonum totius.

215. Nunc ad inſtantias *Bælii* redeamus: fingit ille animo Principem (p. 963.) qui urbem conditurus, ex pravo judicio magnificam illam, & architecturâ audaci ſingularem, quam incolis uſquequaque commodam, eſſe malit. At ſi hic Princeps verè magnanimus foret, opus commodum magnifico præferret. Ita quidem judicat *Bælius*: crediderim tamen ego, contingere aliquando poſſe, ut palatii ſtructura elegans quorundam e famulitio commodis jure meritoque præferatur. Sed fateor, ædificium, quantumvis concinnum, ſi incolis morbos adferat, vitioſum fore, modò habita ſimul ratione elegantiæ, commoditatis atque valetudinis, melius aliquid conſtrui potuiſſet. Fieri namque poteſt, ut hæc omnia ſimul obtineri nequeant, utque arcem, quæ ſi ad boreale montis latus, quod ſalubrius habetur, exſtruatur, inconcinna prorsùs & inamœna eſſe debeat, ad meridiem præſtet collocari.

216. Objicit præterea *Bælius*, verum quidem eſſe, quòd Legislatores noſtri nunquam leges, ſingulis privatis commodas, excogitare poſſint, *Nulla lex ſatis commoda omnibus eſt; id modò quæritur, ſi majori parti & in ſummam prodeſt.* (*Cato* ap. *Livium* L. 34. circa init. (eeeee)). Sed hujus rei cauſam eſſe, quia illi ob circumſcriptam ingenii ſui perſpicaciam coguntur ad leges confugere, quæ, penſitatis omnibus, utiles magis ſunt, quàm noxiæ. Quorum nihil in Deum cadere poteſt, utpote qui potentia intelligentiaque non minùs, quàm bonitate ac vera magnitudine, infinitus eſt. Reſpondeo, cùm Deus optimum poſſibilium eligat, nullam ei perfectionum ſuarum limitationem objici poſſe, & in Univerſo non modò bonum eſſe malo potius, ſed etiam malum ipſum augendo bono prodeſſe.

217. Obſervat etiam, Stoicos ex hoc principio impietatem quandam hauſiſſe, dum ferenda æquo animo mala eſſe dicebant, utpote neceſſaria non ſolùm ſanitati & integritati Univerſi, ſed etiam felicitati, perfectioni, & conſervationi Dei, illud gubernantis. Quod *Marcus Aurelius* Imperator Soliloquiorum libro quinto, capite octavo, expreſſit. *Duplici ratione* (inquit) *diligas oportet, quidquid evenerit tibi, altera, quod tibi natum & tibi coordinatum, & ad te quodammodo adfectum eſt; altera, quod Univerſi Gubernatoris proſperitatis & conſummationis, atque adeo permanſionis ipſius procurandæ* (τῆς ἐυοδίας καὶ τῆς συντελειας καὶ συμμονῆς ἀυτῆς) *ex parte cauſa eſt.* Non admodum, fateor, rationi conſentaneum eſt hoc magni illius Imperatoris præceptum, qui alioqui multa præclara præcepit. Illud, *diligas oportet*, (ϛέργειν χρῆ) nihil valet; neque enim ideò res quæpiam amabilis evadit, quia neceſſaria eſt, aut alicui deſtinata vel adfecta: nec, quod mihi malum eſſet, ideo malum eſſe ceſſabit, quia Domino meo bonum eſt futurum, niſi bonum iſtud in me redundet. Quod bonum

 eſt

(eeeee) *Cap.* 2.

eſt in Univerſo, ex eo inter cætera cernitur, quòd generale bonum reapſe fiat bonum eorum proprium, qui boni omnis auctorem diligunt. Sed Imperatoris hujus & Stoicorum error primarius in eo ſitus erat, quòd Univerſi bono delectari Deum debere putabant, quia Deum tanquam Mundi animam concipiebant. Nihil noſtro dogmati cum errore iſto commune eſt. Deus, juxta nos, eſt *Intelligentia Extramundana*, uti *Martianus Capella* (fffff) eum vocat, vel potiùs *Supramundana*. Præterea Deus agit, ut benefaciat, non ut ſibi benè ſit. *Melius eſt dare, quàm accipere*: Beatitudo ejus ſemper perfecta eſt, augmentique, ſive intùs, ſive foris, incapax.

218. Veniamus ad præcipuam objectionem, quam in nos, *Arnaldo* duce, *Bælius* intorquet. Bicornis ea eſt; contendunt enim, aut Deum eſſe neceſſitati obnoxium, & neceſſariò agere, ſi optimum creare teneatur, aut ſaltem futurum fuiſſe impotentem, ſi aptiorem ad peccata, aliaque mala, excludenda viam reperire non potuiſſet. Hoc qui objicit, eo ipſo negat, hoc Univerſum eſſe optimum, & Deum in optimum ferri debere. Multis in locis huic argumento fecimus quod ſatis eſt, & Deum non poſſe non producere optimum probavimus; quo poſito, ſequitur, mala, quæ nos experimur, non potuiſſe cum ratione ex Univerſo excludi, quoniam ea illi inſunt. Videamus nihilominùs, quid egregii hi Duumviri nobis opponant, aut potiùs videamus, quid objiciat *Bælius*, qui ſe ex *Arnaldi* ratiociniis profeciſſe profitetur.

219. *Fierine poſſet* (ait cap. 151. Reſponſ. ad Provinc. Tom. 3. pag. 890.) *ut natura illa, cujus bonitas, ſanctitas, ſapientia, ſcientia, potentia, ſint infinitæ, quæ virtutem amet ſummè, & ſummè vitium oderit, uti ejus idea clara diſtinctaque nobis oſtendit, & omnis ferè Scripturæ pagina teſtatur, nullam in virtute rationem, finibus ſuis obtinendis congruam proportionatamque, reperire potuerit? Fierine poſſet, ut hanc ei rationem ſuppeditaverit ſolum vitium? E contrario potiùs credidiſſemus, nihil huic naturæ convenire magis, quàm virtutem in opere ſuo conſtabilire, vitio prorsùs excluſo.* *Bælius* hìc juſtos excedit limites. Concedo vitium aliquod cum optima Univerſi idea cohærere, non tamen ipſi largior, quod Deus nullam viam aut rationem, finibus ſuis adcommodatam, in virtute reperire potuerit. Hæc objectio locum haberet, ſi virtus nuſpiam, vitium ubique dominaretur. Dicet, ſatis eſſe, quòd vitium regnet, & virtus, cum vitio comparata, valdè ſit modica & infrequens. Sed hoc ipſum nunquam ei largiar, ac reverâ arbitror, ſi res ritè perpendatur, in Creaturis ratione utentibus, quarum pauciſſimæ nobis notæ ſunt, longè plus eſſe boni, quàm mali moralis.

220. Immò nec inter homines quidem tantum eſt hujus mali, quantum paſſim dicitur: ſoli homines malignæ indolis, aut ærumnis effecti miſanthropi,

(fffff) De eo locuti ſumus in Vita §. L.

miſanthropi, qualis ille *Luciani Timon* (ggggg), pravitatem ubique inveniunt, & optimas quaſque actiones ſiniſtris interpretationibus depravant: de iis loquor, qui de induſtria id factitant, ut malas indè ſequelas eliciant, ſuiſque criminibus patrocinentur, quibus vita ipſorum turpificata eſt; ſunt enim nonnulli, qui ingenii ſolùm oſtentandi gratiâ id faciunt, quod in *Tacito* culpatum fuit. Hoc ipſum *Carteſius*, (in quadam Epiſtola) reprehendit in *Hobbeſii* Libro *de Cive*, cujus tum temporis pauca duntaxat exemplaria lucem viderant inter amicos diſtribuenda, ſed qui in altera editione, quam habemus, Auctoris ipſius adnotationibus auctior prodiit (hhhhh). Nam licèt *Carteſius* Librum hunc acuti Viri opus eſſe fateatur, obſervat tamen in eo principia quædam, effataque periculoſiſſima, eo quòd vel homines omnes improbos eſſe ponat, vel eis improbitatis anſam præbeat (iiiii). B. *Jacobus Thomaſius* in elegantibus, quas edidit, Philoſophiæ practicæ tabulis (kkkkk) ajebat, πρῶτον ψεῦδος, principium errorum Libri hujus Hobbeſiani eſſe, quod *ſtatum legalem pro naturali* ſumat, hoc eſt, quod ſtatus corruptus ei ſit pro menſura & regula, cum potiùs convenientiorem hominum naturæ ſtatum, quem *Ariſtoteles* ſpectavit,

(ggggg) Præter *Lucianum Timonem* etiam miratur *Suidas*, *Cicero* Tuſc. IV. c. 11. de Amicitia c. 24. *Plutarchus* in *Alcibiade* & *Antonio*. *Lucianus* quidem in Dialogo Τίμων ἢ Μισάνθρωπος perſtringit ineptam divitiarum cupiditatem, perverſos divitum mores, profuſionem, luxum, aſperitatem, faſtum, avaritiam, divitias denique ipſas indignis ferè obvenientes, & improbos adſentatores. Exſtat Dialogus in ed. Amſtel. 1687. 8. vol. 2. T. 1. p. 51-167. Separatim cum notis edidit *Lambertus Barlæus*, Lugd. B. 1652. 8. & *Tan. Faber* Pariſ. 1655. 4. V. *Fabric.* Biblioth. Gr. L. IV. c. XVI.

(hhhhh) Prima ejus editio, inter amicos diſtribuenda, erat Pariſienſ. 1642. 4. poſt auctior prodiit Londin. 1655. 12. & Amſt. 1657. ap. *Ludovicum* & *Danielem Elzevirios*. Tribus autem partibus conſtant hæc *Elementa Philoſophica de Cive*, quatuor prima capita hominem ſiſtunt in ſtatu libertatis, ut hominem, decem ſubſequentia eundem ſub imperio, ut civem, quatuor reliqua, ut Chriſtianum.

(iiiii) *Ricard. Cumberland*, de Legibus Naturæ, ubi Elementa citata refutare adnititur, ed. 2da Lubec. 1683. pag. 390. Faciunt huc inprimis omnia illa, quæ in omnes homines *Hobbeſius* dixit probra; dicta etiam ſunt in ſumma imperia cujuscumque generis, atque adeò in ipſos reges, ideoque etiam in noſtrum regem. Ipſi enim reges humanam naturam non exuerunt, cum induebant purpuram. Immò regum natura manet, qualis eſſet, ſi nulla unquam civitas, aut regnum, pactis Hobbeſianis conſtitueretur. Tantùm ſcilicet abeſt, ut ab iis mutetur principis animus in melius, ut apertè doceat Hobbeſius illis cum non obligari, *de Civ. cap.* 7. §. 12. adeò ut nullam civibus injuriam facere poſſint, quantumcumque ipſos læſerint, §. 14. Itaque quæ in homines univerſaliter tanquam naturaliter & neceſſariò vera dixit, & pro fundamentis doctrinæ ſuæ civilis poſuit, ſcil. eos lupos, urſos & ſerpentes (qui ultra famem rapaces non ſunt, & non niſi laceſſiti ſæviunt,) ſævitiâ & rapacitate ſuperare, *Libro de Homine cap.* 10. naturamque eos diſſociaviſſe, & ad mutuam cædem aptos produxiſſe, *Leviath. cap.* 13. aliaque id genus multa. Hæc, inquam, omnia impingunt in regiam majeſtatem, &c. conf. ſupr. §. 172.

(kkkkk) Prodiere Lipſ. A. 1675. ultim. 1702.

vit, præ oculis habere debuiſſet. Nam ſecundùm *Ariſtotelem* id *naturale* dicitur, quod perfectioni naturæ magis convenit, ſed *Hobbeſius ſtatum naturalem* vocat eum, qui minùs artis continet, fortaſsè non reputans, in humanæ naturæ perfectione artem ipſam includi. Verùm hoc de voce diſſidium, de eo ſcilicet, quid naturale dici poſſit, tanti non eſſet momenti, niſi *Ariſtoteles* & *Hobbeſius* ſuo quiſque ſenſui juris naturalis notionem adligarent. Suprà dixi, in Libro *de falſitate virtutum humanarum* idem a me vitium obſervatum, quod *Carteſius* in *Hobbeſiano de Cive* Libro obſervarat.

221. Sed ponamus in humano genere plus eſſe vitii, quàm virtutis, uti reproborum numerus electorum numero potior eſſe ponitur; nullatenùs tamen hinc ſequetur, plus in Univerſo vitii miſeriæque eſſe, quàm virtutis ac felicitatis; immò judicandum potiùs contrarium, quia Civitas Dei quavis alia Republica poſſibili perfectior eſſe debet, utpote a Monarcharum omnium maximo optimoque condita, & adſiduè gubernata. Hac reſponſione confirmatur id, quod obſervavi ſuprà, dum de conformitate Fidei cum Ratione loquebar; videlicet objectionum paralogiſmos ex eo potiſſimùm oriri, quòd adparens cum vero confunditur: adparens, inquam, non quale ex adcurata factorum diſcuſſione emergeret, ſed quale e noſtrarum experientiarum tenuitate erutum eſt; iniquum enim foret, demonſtrationibus Rationis, & Fidei revelationibus, adparentias tam mancas, tamque parùm fundatas, æquiparare velle.

222. Cæterùm, jam notavimus, virtutis amorem, & odium vitii, quæ ad procurandam virtutis, & impediendam vitii exiſtentiam indefinitè tendunt, non eſſe, niſi voluntates antecedentes, qualis etiam eſt voluntas procurandæ felicitatis omnium hominum, & impediendæ omnium miſeriæ. Et hæ voluntates antecedentes non, niſi partem, faciunt omnium voluntatum Dei antecedentium ſimul ſumtarum, ex quarum ſumma reſultat voluntas conſequens, ſive decretum, creandi optimi: &, vi hujus decreti, amor virtutis felicitatiſque creaturarum rationalium de ſe indefinitus, qui, quàm poteſt longiſſimè, ſe protendit, modicas aliquas limitationes accipit, ob reſpectum boni generalis, quod præ oculis haberi debet. Et ſic intelligendum eſt, quòd Deus amet ſummè virtutem, & ſummè vitium oderit, & nihilominùs vitium quoddam permitti debeat.

223. *Arnaldus* ac *Bælius* videntur contendere, quòd hæc methodus explicandarum rerum, & ſtabiliendi inter omnia Univerſi ſyſtemata *optimi*, quod ab alio nullo ſuperari queat, Dei potentiam circumſcribat. *An ritè perpendiſti*, inquit *Arnaldus* ad *Malebranchium* (Animadverſionum in novum Syſtema Naturæ & Gratiæ. Tom. 2. pag. 385.) *quòd, dum talia profers, primum Symboli Apoſtolici articulum convellendum ſuſcipias, quo nos in Deum, Patrem omnipotentem, credere profitemur?* Dixerat ante

(pag. 362.)

(pag. 362.) *Quis, niſi ſe ipſe excæcare voluerit, contendere poteſt, ea adminiſtratione, quæ, niſi cum funeſta illa æternæ hominum plerorumque perditionis adpendice, ſtare nequibat, bonitatem Dei manifeſtari magis, quàm alia quavis adminiſtratione, qua ſi uſus fuiſſet Deus, omnes ſalvandi fuerant?* Et quia *Jaquelotius* a principiis, a me poſitis, minimè alienus eſt, *Bælius* ei paria objicit (Reſp. ad Provinc. cap. 151. pag. 900. T. 3.) *Hujuſmodi enodationes* (inquit) *ſi adoptamus, evidentiſſimis, quas de entis ſummè perfecti natura habemus, notionibus remittere nuncium cogimur. Hæ quippe nos docent, omnia, quæ contradictionem non implicant, ipſi poſſibilia eſſe, atque adeò poſſe ab ipſo ſalvari homines, quos tamen non ſalvat: quid enim contradictionis oriretur ex eo, quòd numerus electorum major foret, quàm nunc ſit? Docemur præterea, illud, utpote ſummè beatum, nullas habere voluntates, quas exequi non poſſit. Quo igitur pacto percipiemus, velle Deum omnes homines ſalvos facere, nec tamen id poſſe? Lucem quærebamus, quæ nos iis expediret nodis, quibus conſtringimur, dum ideam Dei cum generis humani conditione comparamus, & ecce explicationes nobis obtruduntur, quæ nos in tenebras ſpiſſiores conjiciant.*

224. Omnes iſtæ machinæ expoſitione jam a nobis data diffiantur. Adſentior principio *Bælii*, quod etiam meum eſt, omne, quod contradictionem non implicat, eſſe poſſibile. Verùm enim verò juxta nos, qui Deum quàm fieri poterat optimum feciſſe, aut melius, quàm fecerit, nihil facere potuiſſe, adſerimus, quique cenſemus, quòd aliter de ejus univerſo opere judicare ſit illius bonitatem aut ſapientiam lædere; dicendum eſt, contradictionem implicare, ut efficiatur quidquam, quod bonitate ſuperet ipſum optimum. Hoc enim perindè foret, ac ſi quis Deum ab uno puncto ad aliud ducere lineam breviorem rectà contenderet, idque negantes adcuſaret everſi Fidei articuli, quo in Deum, Patrem omnipotentem, credimus.

225. Poſſibilium infinitudo, quantacumque ſit, ſapientiæ Dei, poſſibilia omnia cognoſcentis, infinitudine major non eſt. Immò dici poteſt, quòd, ſi ſapientia hæc poſſibilia extenſione non ſuperat, cùm objecta intellectûs non queant ultra poſſibile progredi, quod aliquo ſenſu ſolùm eſt intelligibile, ſuperet tamen ea intenſione, ob combinationes infinitè infinitas, quas facit, & totidem reflexiones, quas ſuper iis ſtruit. Sapientia Dei, non contenta poſſibilia omnia complecti, ea ipſa penetrat, ponderat alia cum aliis, ut perfectionis imperfectioniſque gradus, robur imbecillitatemque, bonum malumque, æſtimet: ultra ipſas adeo combinationes finitas progreſſa, infinitè infinitas inſtituit, hoc eſt, infinitas Univerſi ſeries poſſibiles expendit, quarum quælibet infinitas continet creaturas; hacque ratione Sapientia divina omnia poſſibilia, jam priùs ſeparatim conſiderata, in totidem univerſalia ſyſtemata diſtribuit, quæ rursùs ſingula cum ſingulis comparat: ex his denique comparationibus ac refle-

xionibus reſultat electio optimi inter hæc omnia poſſibilia ſyſtemata, quam ſapientia demum ſtatuit, ut bonitati plenè faciat, quod ſatis eſt; id quod reapſe ideam ſiſtit Univerſi actualis. Atque omnes hæ divini Intellectûs operationes, quanquam ordinem aliquem, ac naturæ prioritatem, inter ſeſe habeant, ſimul tamen omnes exiſtunt, abſque ulla prioritate temporis.

226. Hæc adtentè conſideranti obverſaturam ſpero ideam magnitudinis perfectionum divinarum, & maximè ſapientiæ bonitatiſque Dei, longè aliam ab illa, quam habere poſſint ii, qui Deum quaſi fortuitò, ac temerè, & ſine ratione, agentem faciunt. Nec video, quo pacto ſententiam tam abſonam effugere poſſint, niſi agnoverint, eſſe quaſdam electionis divinæ rationes, eaſque rationes ab ejuſdem bonitate deſumtas: ex quo neceſſariò ſequitur, id, quod electum fuit, præ cæteris omnibus, quæ neglecta ſunt, bonitatis habuiſſe prærogativam, atque adeò poſſibilium omnium fuiſſe optimum. Porrò id, quod eſt optimum, bonitate ſuperari nequit, neque Dei potentiam circumſcribimus, dicendo, quòd impoſſibile nequeat efficere. Eſtne poſſibile, inquiebat *Bælius*, ut idea nulla melior ſit eâ, quam Deus ad actum deduxit? Reſpondetur, id vel maximè eſſe poſſibile, immò neceſſarium, ſcilicet nullam eſſe: alioqui Deus illam prætuliſſet.

227. Et jam ſatis, opinor, confirmaſſe videmur, inter omnes Univerſi ideas poſſibiles unam cæteris omnibus meliorem, & a Deo infallibiliter electam fuiſſe. Sed *Bælius* inde vult colligere, Deum ergò non eſſe liberum. En verba ejus (ubi ſupra, cap. 151. pag. 899.) *Cùm verò diſputare me credebam cum eo, qui Dei bonitatem potentiamque æquè, ac ſapientiam, infinitas eſſe nobiſcum poneret, video nunc, virum iſtum, ut propriè loquar, adſumere, quòd Dei bonitas atque potentia limitibus ſat anguſtis coërceatur.* Huic quidem argumento jam ſuprà occurrimus: nullatenùs arctamus Dei potentiam, cùm eam *ad maximum*, *ad omnia*, contradictionem non implicantia, ſe protendere agnoſcamus, ſed nec arctamus ejuſdem bonitatem, cùm tendat *ad optimum.* At pergit *Bælius*: *Nulla igitur in Deo libertas, ſapientia ſua neceſſitatur ad creandum, & ad creandum præcisè tale opus, & denique ad creandum præcisè per tales vias. Tres iſtæ ſervitutes* fatum *plus, quàm Stoicum, invehunt, efficiuntque impoſſibile, quidquid intra eorum ſphæram non continetur. Videtur Deus, ſecundùm hoc ſyſtema, dicere potuiſſe, etiam antequàm hæc decreta formaret: non poſſum ſalvare hunc hominem, neque illum alium damnare,* quippe vetor fatis, *non hoc mea permittit ſapientia.*

228. Reſpondeo, Deum ſua bonitate moveri ad creandum, ut ſe communicet: hæcque ipſa bonitas, ſapientiæ juncta, movet eundem ad creandum optimum: hoc totam ſeriem, effectum viaſque, complectitur. Ea movet, ſed non neceſſitat, nec enim impoſſibile reddit, quod non facit

eligi.

eligi. Id ſi *fatum* vocas, vocem iſtam uſurpabis ſano ſenſu, qui non adverſatur libertati. *Fatum* (lllll), a *fando* ductum, ſignificat loqui, pronunciare; ſignificat judicium, decretum Dei, ſententiam divinæ ſapientiæ. *Dicere, quod quis rem quampiam facere non poſſit, ſolum quia facere non vult*, eſt abuti vocibus. Sapiens non vult, niſi bonum: hæccine ſervitus eſt, cùm voluntas ſecundùm ſapientiam agit? Quis minùs ſervus eſſe poteſt, quàm qui ex propria electione agit ſecundùm rationis perfectiſſimæ normam? Dicebat *Ariſtoteles* (mmmmm), eum eſſe *naturâ ſervum*, qui prudentiâ caret, & rectore indiget. Servitus foris venit, & movet ad ea, quæ diſplicent, maximè verò ad ea, quæ cum ratione diſplicent; aliena vis, adfectuſque proprii, nos ſervos efficiunt. Deus nunquam movetur ab ulla re, quæ extra ipſum ſit, ſed nec adfectibus internis obnoxius eſt, nec ad ea, quæ moleſtiam ſibi creare poſſint, unquam adducitur. Videtur itaque *Bælius* odioſa nomina rebus optimis imponere, & notiones evertere, dum ſtatum maximæ perfectiſſimæque libertatis *ſervitutem* adpellat.

229. Etiam paullò antè dixerat (cap. 151. pag. 891.) *Si virtus, vel qualecumque aliud bonum æquè, ac vitium, finibus Creatoris adcommoda fuiſſent, Deus vitio primas neutiquam conceſſiſſet; oportuit ergò, vitium fuiſſe medium, quod unum adhibere Creator potuerit, ergò ex mera neceſſitate adhibitum fuit. Cùm igitur gloriam ſuam diligat, non libertate indifferentiæ, ſed neceſſariò, debet amare omnia media, ſine quibus gloriam ſuam manifeſtare nequiret. Jam verò ſi vitium, quatenùs vitium, unica fuerit via, ſeu medium, pertingendi ad ſcopum iſtum, fiet, Deum neceſſariò amare vitium, quatenùs vitium eſt, quod ſine horrore cogitari non poteſt, & revelationi ejus omninò repugnat.* Notat inſimul, Doctores quoſdam Supralapſarios (exempli gratiâ Rhetorfortium) negaſſe, quòd Deus velit peccatum, quatenùs peccatum eſt, etſi faterentur, eum velle permiſſivè peccatum, in quantum eſt punibile & condonabile, ſed objicit illis, actionem aliquam nec punibilem, nec condonabilem, eſſe, niſi in quantum vitioſa eſt.

230. *Bælius* in verbis, jam adductis, falſum adſumit, & falſas inde con-

(lllll) V. *Leibnitii Diſſ. de Stilo Philoſophico.* §. VII.

(mmmmm) *Politicorum L. I. c. III.* Eſt autem ſervus, is qui poteſt eſſe alterius, h. e. qui ſe ſponte ac libenter alteri, quia id ex re & uſu ſuo eſſe intelligit, ſubmittit. Atque hæc una cauſa eſt, quare ſit alterius: quia nempe talis a natura factus eſt, ut ei hoc ſit utile, ut nimirùm ſit alterius: ex defectu nempe rationis, cujus vis profectò in nonnullis admodum exilis eſt, ac vix adparet. Ideo, qui hactenùs eſt particeps illius, ut cum imperatur aliquid ab eo, qui plus ratione valet, intelligere illud, ac præcipientis juſſa poſſit exſequi, licet ſponte ſua quid ſit facto opus, ex præſcripto rationis nequeat dijudicare, eum eſſe *ſervum* dicimus *naturâ*: qui in hoc a belluis non multum abit. " Ex Paraphraſi Heinſiana, ed. Lugd. B. 1621. p. 33.

conſequentias elicit : nec enim verum eſt, Deum amare neceſſariò gloriam ſuam, ſi per hoc intelligatur, gloriam ſibi neceſſariò per creaturas procurare. Hoc enim ſi foret, hanc gloriam ſibi ſemper & ubique procuraret. Decretum creandi liberum eſt: Deus in omne bonum fertur; bonum, immò optimum, eum ad agendum inclinat; ſed nequaquam neceſſitat: nam ipſius electione non efficitur impoſſibile, quod non eſt optimum : non enim ea efficit, ut, quod Deus omittit, implicet contradictionem. Eſt itaque in Deo libertas, non ſolùm a coactione, ſed etiam a neceſſitate, immunis. Intelligo a neceſſitate metaphyſica, moralis namque neceſſitas eſt, ut ſapientiſſimus optimum eligere teneatur. Idem eſt de mediis, quæ Deus ad gloriam ſuam obtinendam deligit. Quod ad vitium adtinet, ſuperiùs oſtenſum eſt, illud non eſſe objectum decreti divini, tanquam *medium*, ſed tanquam conditionem *ſine qua non* ; & ideò duntaxat permitti. Pejus adhuc dicitur, quòd vitium ſit *medium unicum*; ad ſummum enim foret unum e mediis, & quidem e minimis inter alia infinita.

231. *Aliam conſequentiam horrendam vide* : (proſequitur *Bælius*) *redit omnium rerum fatalitas*, *Deo non fuerit liberum*, *alia ratione ordinare eventa*, *quandoquidem via manifeſtandæ gloriæ ſuæ*, *quam elegit*, *ejus ſapientiæ ſola conveniat*. Jactata illa fatalitas, ſive neceſſitas, non, niſi moralis, eſt, uti modò monſtravimus, nec libertati præjudicat, quin potiùs optimum libertatis uſum ponit, nec facit, objecta, quæ Deus non eligit, eſſe impoſſibilia. *Quid ergò fiet arbitrio libero hominis ?* (ſubdit *Bælius*) *Nonne fatum & neceſſitas erit* Adamum *peccare ? Si enim non peccaſſet*, *unicum*, *quod Deus ſibi neceſſariò informarat Syſtema*, *diſturbaſſet*. Hoc iterùm eſt abuti terminis; *Adamus*, liberè peccans, in ideis poſſibilium a Deo videbatur, & Deus eum, qualem videbat, ad exiſtentiam admittere decrevit : hoc decretum non mutat objectorum naturam, neque neceſſarium efficit id, quod in ſe ipſo contingens erat, nec impoſſibile, quod erat poſſibile.

232. Pergit *Bælius*: (pag. 892.) *Subtilis* Scotus *multo cum judicio adfirmat*, *ſi Deus indifferentiæ libertate careret*, *nullam creaturam hac libertatis ſpecie poſſe gaudere*. Adſentior, modò non intelligatur indifferentia æquilibrii, in qua ratio nulla ad unam potiùs, quàm ad alteram, inclinet partem *Bælius* (infrà cap. 168. pag. 1111.) agnoſcit, id, quod *indifferentiam* adpellant, non excludere inclinationes & titillationes prævenientes. Sufficit ergò, neceſſitatem metaphyſicam non ineſſe in actione, quæ libera dicitur, hoc eſt, ſufficit, ut electio fiat inter plura poſſibilia (nnnnn).

233. Pergit adhuc : (cap. 157. pag. 893.) *Si Deus non libero bonitatis ſuæ*

(nnnnn) Addit *Interpr. Lat.* (Et ita talis utique libertas in Deum cadit.)

ſuæ motu ad mundum condendum determinatus eſt, *ſed quia gloriæ ſuæ intererat*, *quam neceſſariò amat*, *quamque ſolam amat*, *neque enim ab ejus ſubſtantia diverſa eſt*; *& ſi amor*, *quo ſe ipſum amat*, *eum ad gloriam ſuam*, *via congruentiſſima manifeſtandam*, *neceſſitavit*, *& ſi denique lapſus hominis fuit illud ipſum medium*, *ſeu via*; *evidens eſt*, *lapſum hunc prorsùs neceſſariò eveniſſe*, *atque obedientiam*, *quam Protoplaſti mandatis divinis præſtare debebant*, *impoſſibilem fuiſſe.* Idem ſemper vocum abuſus. Amor quidem, quo ſe Deus amat, ipſi eſt eſſentialis, amor verò gloriæ ſuæ, aut voluntas ejus procurandæ, non item: amor ſui ipſius minimè neceſſitavit eum ad actiones externas, hæ quippe liberæ fuerunt; cumque ſuppeterent ſyſtemata poſſibilia, in quibus primi parentes peccaturi non fuerant, neceſſarium eorum peccatum non fuiſſe conficitur. Denique reapſe dicimus id ipſum, quod hic *Balius* agnoſcit; *Deum ad condendum mundum fuiſſe libero bonitatis ſuæ motu determinatum*; & addimus, eundem motum eum ad eligendum optimum induxiſſe.

234. Eadem reſponſio valet contra id, quod *Bælius* ait (cap. 165. pag. 1071.) *Aptiſſima ad finem quempiam obtinendum via eſt neceſſariò unica*: (bellè dictum, in iis ſaltem caſibus, in quibus Deus elegit) *ergò ſi Deus modo invincibili impulſus fuit ad hanc viam adhibendam*, *hanc neceſſariò adhibuit.* Impulſus quidem certò fuit, determinatus fuit, vel potiùs ipſe ſe determinavit ad illam, ſed id, quod certum eſt, non ſemper eſt neceſſarium, vel abſolutè invincibile; poſſet res aliter evenire, ſed non evenit, idque ob cauſam. Deus inter diverſa, quæ omnia poſſibilia erant, elegit: atque ita, ſi metaphyſicè loquamur, eligere, aut facere, poterat, quod non fuit optimum; moraliter tamen loquendo, id non poterat. Comparatione Geometrica rem explicemus. Optima ab uno puncto ad aliud via (abſtrahendo animum ab impedimentis, aliiſque medii conſiderationibus adventitiis) eſt unica, nempe tendens per lineam breviſſimam, quæ recta eſt. Atqui infinitis tamen viis ab uno puncto ad aliud pervenitur. Nulla igitur neceſſitate lineam rectam inſequi teneor; at quamprimum id, quod optimum eſt, eligo, hoc ipſo determinor ad tendendum per breviſſimam, quamvis non, niſi moralis, in ſapiente ſit neceſſitas; (unde ſequentes conſequentiæ concidunt: *ergò non potuit facere*, *niſi quod fecit*, *ergò quod non evenit*, *nec unquam eveniet*, *eſt abſolutè impoſſibile*;) hæ, inquam, conſequentiæ concidunt, cùm enim multa nec evenerint, nec eventura ſint unquam, quæ tamen diſtinctè intelligi poſſunt, nec ullam contradictionem implicant, qua ratione dici poterunt abſolutè impoſſibilia? *Bælius* ipſe id confutavit loco quodam ſuprà citato, ubi Spinoſiſtas impugnat, agnovitque non ſemel, nihil eſſe impoſſibile, niſi quod contradictionem involvit: nunc verò ſtilum & terminos mutat: *Ergò* Adami *perſeverantia in ſtatu innocentiæ ſemper fuit impoſſibilis*, *ergò lapſus ejus erat abſolutè inevitabilis*, *etiam antecedenter ad decretum Dei*, *nam contradictio-*

 nem

nem implicaret, *Deum aliquid ſapientiæ ſuæ contrarium poſſe velle*: *in idem certè recidit*, *ſive dicas* : *hoc eſt impoſſibile Deo* : *ſive dicas*: *Deus id poſſet*, *ſi vellet*, *ſed id velle non poteſt*. Hoc eſt terminis aliquo ſenſu abuti, dum hic dicitur, *poteſt velle*, *vult velle*: potentia refertur hic ad actiones, quas vult. Interim tamen non implicat contradictionem, quòd Deus velit (vel directè, vel permiſſivè) rem quampiam, quæ contradictionem ipſa non implicat, & in hoc ſenſu dicere fas eſt, Deum poſſe eam velle.)

235. Verbo, ubi de rei poſſibilitate ſermo eſt, non agitur de cauſis, quæ efficere poſſunt, ut res illa exiſtat, aut impedire, ne exiſtat, alioqui terminorum natura mutaretur, inutiliſque redderetur diſtinctio inter poſſibile & actuale, uti faciebat *Abælardus*, & uti poſt illum feciſſe *Wiclefus* videtur, quod illos in locutiones incommodas offenſivaſque, minimè ſane neceſſarias, injecit. Itaque, ſi quæris, ſitne res aliqua poſſibilis, aut neceſſaria, & ei quæſtioni conſiderationem eorum, quæ Deus vult & eligit, involvis, ſtatum quæſtionis mutas. Deus namque eligit inter poſſibilia, & ideò liberè eligit, neque neceſſitatur; tum demùm nulla foret electio, libertas nulla, ſi unicum tantùm foret poſſibile.

236. Supereſt, ut ad *Bælii* Syllogiſmos reſpondeam, ne quidquam negligatur eorum, quæ Vir tam eruditus obmovit. Exſtant hi cap. 151. Reſponſionis ad Quæſita Provincialis, pag. 900. 901. Tom. 3.

PRIOR SYLLOGISMUS.

Deus nihil poteſt velle, quod amori neceſſario, quo fertur in ſuam ſapientiam, adverſetur.

Atqui ſalus omnium hominum adverſatur amori neceſſario, quo Deus fertur in ſuam ſapientiam.

Ergò Deus ſalutem omnium hominum velle nequit.

Major propoſitio per ſe evidens eſt, nemo enim quidquam poteſt, cujus oppoſitum eſt neceſſarium; ſed minor tranſmitti nequit; nam licèt Deus ſapientiam ſuam amet neceſſariò, non tamen actiones, ad quas ſapientia permovet, ideò liberæ non ſunt, nec objecta, ad quæ ſapientia non permovet, ideò poſſibilia eſſe deſinunt. Præterea ſapientia Deum permovit quidem, ut vellet ſalutem omnium hominum, ſed non voluntate conſequente ſeu decretoria. Hæc verò voluntas conſequens cùm nihil ſit, niſi reſultans e voluntatibus liberis antecedentibus, nec ipſa poteſt non eſſe libera.

237. ALTER SYLLOGISMUS.

Opus Dei ſapientiâ digniſſimum omnium complectitur inter alia peccatum omnium hominum, & æternam damnationem plerorumque hominum.

Atqui Deus vult neceſſariò opus omnium digniſſimum ſuâ ſapientiâ.

Ergò neceſſariò vult opus, quod inter cætera peccatum omnium hominum, & æternam plerorumque damnationem, complectitur.

Tranſeat

Tranſeat major, negatur minor. Decreta Dei ſemper ſunt libera, quanquam Deus ad illa rationibus, in boni intuitu conſiſtentibus, ſemper moveatur: nam a ſapientia neceſſitari moraliter, obligari boni conſideratione, eſt eſſe liberum, eſt non neceſſitari metaphyſicè. Sola autem neceſſitas metaphyſica, uti toties inculcavimus, repugnat libertati.

238. Superſedeo Syllogiſmos expendere, quos *Bælius* capite ſequente (cap. 152.) contra Supralapſariorum ſyſtema, & ſpeciatim contra ſermonem, in Colloquio Montis Pelicardi a *Theodoro Beza*, Anno MDLXXXVI. habitum, intorquet. Hi Syllogiſmi eodem ferè vitio laborant, quo jam a me diſcuſſi; fateor tamen, ipſum *Bezæ* ſyſtema minimè ſatisfacere. Et ſanè Colloquium iſtud non, niſi ad exulcerandos partium animos valuit. *Deus ad gloriam ſuam creavit mundum*; *ejus gloria*, (ſi *Bezam* (ooooo) audimus) *non innoteſcit*, *niſi ejus miſericordia juſtitiaque declaretur*: *hinc certos quoſdam homines merè gratuitò declaravit ad vitam æternam*, *quoſdam juſto judicio ad damnationem æternam. Miſericordia præſupponit miſeriam*, *juſtitia culpam*, (addere poterat, quòd etiam *miſeria* ſupponat *culpam*) *Deus tamen*, *bonus cùm ſit*, *immò bonitas ipſa*, *creavit hominem bonum & juſtum*, *ſed mutabilem*, *quique liberâ voluntate ſuâ peccare poſſet. Homo fortuitò*, *vel temerè*, *lapſus non eſt*, *neque per cauſas ab alio quodam Deo*, *juxta Manichæos*, *ſed a providentia Dei conſtitutas*, *ſic tamen ſemper*, *ut Deus culpæ non involvatur*, *quia homo non cogebatur peccare.*

239. Hoc ſyſtema non admodum ſcitè excogitatum fuit, utpote demonſtrandæ ſapientiæ, bonitati juſtitiæque Dei, non valdè idoneum; & commodum hodie tantùm non antiquatum eſt (ppppp). Si aliæ nullæ rationes profundiores ſuppeterent, quæ Deum ad culpam, quæ miſeriæ fons eſt, permittendam impuliſſent, nulla foret in mundo culpa, nulla miſeria; quæ enim hic adducuntur, minimè ſufficiunt. Miſericordiam nempe ſuam impedienda miſeria, juſtitiam verò impedienda culpa, promovenda præmiandaque virtute, luculentiùs declararet. Nec etiam adparet, quo pacto is, qui non ſolum homini dat poſſe labi, ſed etiam circumſtantias ita diſponit, ut lapſum ejus adjuvent, in culpa non ſit, niſi aliæ ſuperiores, quæ illum huc adigant, rationes patrocinentur. At verò, quando mente reputamus, a Deo, perfectè bono & ſapiente, virtutem omnem, bonitatem, felicitatem, quantam idea Univerſi optima capere poterat, produci debuiſſe; & malum in quibuſdam partibus ad majus bonum totius quid conferre ſæpè poſſe, facilè judicamus, Deum reprehendi non poſſe, quod cuidam infelicitati locum dederit, culpamque adeò permi-

(ooooo) *Theodorus Beza*, plurimis nominibus notus, Vezeliis natus A. 1519. d. 24. Jun. denatus A. 1605. d. 13. Oct. Vitam ejus dedit A. *Fayus* A. 1606.

(ppppp) Conf. *Theod.* §. 79-82.

permiſerit. Hoc unico remedio ſupplentur omnia, quæ cæteris ſyſtematibus deſunt, quomodocumque demùm decreta ordinentur. Favit hiſce jam cogitatis *S. Auguſtinus*, & de *Eva* dici poteſt, quod de *Mutii Scævolæ* dextra cecinit Poëta:

Si non erraſſet, fecerat illa minus.

240. Celebris Antiſtes Anglus, qui de origine mali Librum ingenioſum elucubravit, cujus loca nonnulla Reſponſionum ad Quæſita Provincialis Tomo altero *Bælius* impugnavit, a quibuſdam ſententiis, a me hic adſertis, alienus eſſe, & ad poteſtatem deſpoticam quandoque recurrere videtur; putat enim, Dei voluntatem ſapientiæ leges circa bonum malumque non ſequi, ſed potiùs ex arbitrario decreto facere, ut aliquid ſit bonum vel malum: immò ſtatuit, creaturæ voluntatem, in quantum eſt libera, non quia objectum ei bonum adparet, ſed per determinationem purè arbitrariam, ab objecti repræſentatione independentem, eligere, & eligendo facere, ut objectum ſit bonum. Aliis tamen locis inſpergit nonnulla, quæ meæ doctrinæ magis favere videntur, quàm talibus ipſiuſmet placitis. Ait enim, *id, quod cauſa infinitè ſapiens & libera elegit, melius eſſe illo, quod non elegit.* Annon id eſt agnoſcere, quòd bonitas ſit objectum, & ratio divinæ electionis? hoc ſenſu optimè dicetur:

Sic placuit Superis; quærere plura, nefas.

TENTA-

TENTAMINUM THEODICÆÆ, DE BONITATE DEI, LIBERTATE HOMINIS, ET ORIGINE MALI,

PARS TERTIA.

ARGUMENTUM.

§. 241. EXpedita cauſa morali mali moralis, *pergit Vir ill. ad elucidandum* malum phyſicum, *quippè mali moralis adpendicem. Controverſia de* malo phyſico *cum quæſtione de* mali metaphyſici *origine difficultates communes habet, in quo conſiderandum, ipſas quoque miſerias & monſtra ordini congruere, quamvis nos quidem conformitatis hujus modum nexumque diſcernere non valeamus, planè uti in Mathematicis, quædam, quæ videntur anomala, ritè expenſa, ordinatiſſima ſunt pronuncianda.* §. 242. *Proponi hìc poteſt ſeries numerorum, in ſpeciem prorsùs irregularis, at qui ſerici numerorum originem conſtitutionemque intellexerit, dare regulam poterit, quæ, ritè perſpecta, ſeriem prorsùs regularem eſſe, & inſignes proprietates habere, demonſtrabit. Idem eſt judicium ferendum de monſtrorum anomaliis, aliiſque creditis in Univerſo defectibus.* §. 243. *Hoc ſenſu verum eſt* S. Bernardi *dictum*: Ordinatiſſimum eſt, minùs interdum ordinatè fieri aliquid. §. 244. *Eâdem ratione ſe res habet cum aliis defectibus adparentibus. Quod in globi noſtri cortice, quem ſolum ferè novimus, reperimus, ingentium quarundam converſionum effectus eſſe videtur. Veriſimile, hunc globum aliquando prorsùs fuiſſe ignitum, & rupes eſſe ſcorias, poſt magnam aliquam fuſionem relictas.* §. 245. *Veriſimile, poſt ignem, nihilo minorem a*

terra & aqua vaſtitatem illatam eſſe; *donec*, *finitis hiſce converſionibus*, *globus eam*, *quam nunc cernimus*, *faciem nactus eſt. Hæ inordinationes rebus ad ſtatum*, *in quo nunc ſunt*, *adducendis profuere.* §. 246. *At inter inordinationes non numeratur conditionum inæqualitas*, *nec requiritur omnia æquè perfecta eſſe.* §. 247. Bælio *non placet*, quod vitii permiſſio in perturbationis legum motûs evitandæ cura ex parte fundetur; *fit id ob defectum conceptûs de Syſtemate harmoniæ generalis*, *vi cujus duo*, *hinc cauſarum efficientium*, *inde finalium*, *regna inter ſe parallela ſunt.* §. 248. *Provocat idem ad* miracula, *modicum exiſtimans* auxilium extraordinarium, *Evæ* conceſſum, lapſum illius impediturum fuiſſe; *Reſp. Deum non debuiſſe aliud eligere Univerſum*, *cùm elegerit optimum*, *nec adhibuiſſe miracula*, *niſi in eo neceſſaria*; *miraculis naturalem Univerſi ordinem immutari*, *cùm tamen*, *ubi ſemel optimum ſyſtema rerum electum fuit*, *nihil*, *ac ne minimum quidem*, *in eo immutari poſſit.* §. 249. *Miracula*, *pergit Vir ill. eſſe duplicis generis*; *quædam a ſubſtantiarum inviſibilium miniſterio procurari poſſe*, *hæcque non eſſe miracula*, *niſi comparatè & intuitu noſtri.* §. 250. Bælio *illos urgente*, *qui* divinam circa malum creaturarum phyſicum adminiſtrationem, adhibitis rationibus particularibus, *exculpant*, *quædam Vir ill. de ſenſu & perceptione brutorum præfatur*; *ſed* §. 251. *eodem ampliùs quærente*, pluſne boni, an mali phyſici ſit in mundo? *reſp. in præſenti etiam vita bona malis*, *commoda incommodis eſſe potiora*; *bona nim. non in ſola voluptate collocat*, *ſed etiam in ſtatu quodam medio*, *qualis eſt ſanitas.* §. 252. *Addit*, *voluptatum uſum nimis frequentem*, *magnitudinemque*, *malum fore maximum.* §. 253. *Dum* Bælius, *ut* malum bono potius *eſſe probet*, Mottam Vajerium *adlegat*, *dicentem*, *ſe ad vitam hanc redire ſemel mortuum recuſaturum*, *ſi eandem iterùm agere perſonam oporteret*, *reſp. non recuſaturum perſonam eam*, *quòd eſſet mala*, *ſed tantùm quòd non eſſet nova.* §. 254. *Inprimis voluptates animi hic conſiderandas putat ill. Auctor. eruditio illecebras habet*, *quas nemo cogitare poteſt*, *niſi qui eas deguſtavit. Exemplum* Cardani. §. 255. *Dolores etiam corporeos*, *quantumvis acutos*, *ſapientis tranquillitatem minimè interrumpere putarunt Stoici*, *Epicurei*, Carteſius: *quod quidem fieri poſſe non dubitat Vir ill. Exemplum Hiſpani ſervi*, *inter atrociſſima tormenta triumphantis.* §. 256. *Exemplum populorum Americanorum*, *Huronum*, *Hiroquoſiorum*, *Galibiorum.* §. 257. *Aſſaſſinorum*, *Calani*, *Uxorum in India cum maritis ſe comburentium. Præſtare hanc animi corporiſque firmitatem poſſet educatio*, *corporis opportunæ adflictationes*, *gaudium dominans rationi innixum*, *præſentiſque animi medias inter diſtractiones uſus.* §. 258. *Etiam inde efficitur*, *boni plus*, *quàm mali præſto eſſe*, *cum tanto remedio non ſit opus. Suffragatur inprimis* Euripides, *qui multus eſt in refellenda eorum ſententia*, *qui bono malum potius eſſe clamitabant*; *in horum caſtris militat* Plinius, Homerus, Diphilus, *aliique Poëtæ.* §. 259. *Ad bona*

phyſica,

phyſica, de quibus hìc ſermo, refertur etiam ſanitas, cujus præſtantiam dolor indicat, cùm illâ ſumus orbati. §. 260. *Ethnici malorum noſtrorum rationem aliquam dederunt, dum animas luendorum ſcelerum causâ in hoc veluti corporis ergaſtulum conjectas tradiderunt, inſimul ſtatuentes, hujus vitæ mala præteritæ & futuræ vitæ bonis compenſari. Equidem, ait* Leibnitius, *auſim dicere, humanam vitam, adæquatis rationibus, eſſe plerumque tolerabilem, noſque, ſi conſiderationes, a Religione petitæ, accedant, ordine, a Deo conſtituto, poſſe contentos eſſe.* §. 261. *De Magnatum ærumnis dum latè diſſerit* Bælius, *excutitur inprimis exemplum* Auguſti. §. 262. *Laudatur* Maimonides, *qui boni præ malo valorem rectè agnovit.* §. 263. *Vindicatur* Maimonidis *locus a telis Bælianis.* §. 264. *In quæſtione, an ærumnæ noſtræ Deo ſint in acceptis referendæ, etiam culpæ noſtræ ratio haberi debet, contra quam* Bælius *exiſtimat, qui Religioni rationem ſive experientiam opponit.* §. 265. *Purgata ſemel permiſſione peccati, cætera mala, ut peccati effectus, non magnam difficultatem habent, nec ultra malum culpæ progredi tenemur, ut mali pœnæ rationem reddamus.* §. 266. *Hæc malum pœnæ a malo culpæ derivandi methodus præcipuè inſervit ad reddendam rationem damnationis æternæ, mali omnium phyſicorum maximi.* Erneſti Soneri *Demonſtratio contra æternitatem pœnarum. Nitebatur in ea principio, quod nulla ſit inter pœnam infinitam & culpam finitam proportio; ſed dicendum, durationem culpæ cauſam eſſe durationis pœnæ.* §. 267. *Ita reſpondent Theologi celebres*, Gerhardus, Urſinus, Drexelius. §. 268. Juriæus, Jaquelotius, *quorum teſtimonium ipſe nobis ſubminiſtrat* Bælius, *quin & ipſe Origeniſta* Clerici. §. 269. *Qui, dum docet, damnationem non nudè in peccato, ſed in voluntaria impœnitentia fundari, a* Bælio *culpatur:* Leibnitius *exiſtimat, etiam in damnatis ſemper aliquam perſeverare libertatem, quæ eos ſontes faciat, uti & potentiam aliquam, etſi remotam, reſurgendi, quamvis nunquam ad actum deducatur: remanere ſcilicet in damnatis æquè, atque in beatis, illum gradum libertatis, a neceſſitate, non item a certitudine, immunem.* §. 270. *Sententia Illuſtris Angli, de Origine mali ſcribentis, qui, juxta* Bælium, *e damnatis totidem inſanos facit, qui in miſeria ſua, quam ſentiunt, ſibi ipſi plaudunt, conditionemque ſuam, utut miſeram, amant, veluti irati, amantes, &c.* §. 271. *Veteres quidam dudum animo concepere, Diabolum mediis in tormentis voluntariè ſegregatum a Deo manere, nec ſubmittendo ſe liberare velle:* §. 272. *Credebatur olim, impoſſibile non eſſe ſalvari damnatum, quod teſtatur fabula de erepta ab inferno* Gregorii M. *precibus anima* Trajani. Godeſchalcus *voluit, ut reprobi pœnarum ſuarum mitigationem poſtularent: Miſſa defunctorum alicubi damnatorum pœnas diminui petit:* Auguſtinus *putat pœnas eorum æternùm durare, & tamen certis temporibus mitigari poſſe. De Parabola divitis epulonis; de eadem, ſententia* Gregorii M. Bonaventuræ. §. 273. *Poſtquàm divinam liberi arbitrii*

trii abuſûs permiſſionem omni culpa vacare demonſtratum eſt, mali originem tandem ſecurè in libertate creaturarum quærere poſſumus. Loca Scripturæ, de prima Diaboli malitia teſtantia. §. 274. *Locus Apocalypticus de prælio in Cœlo facto, quo eadem opera & antiquus primi hoſtis lapſus, & recens novi hoſtis ruina, denotatur. Liberè peccavit Diabolus, liberè peccaverunt* Adam & Eva, *utut a Diabolo ſeducti.* §. 275. *Loca Scripturæ, in quibus Deus dicitur indurare, dare ſpiritum mendacii, mittere errorem efficacem, ut credant mendacio, &c. &c.* §. 276. *Innuunt iſtiusmodi locutiones duntaxat, res, a Deo conditas, anſam dediſſe ignorantiæ, errori, malitiæ, Deo id prævidente, & ad fines ſuos deſtinante, cùm rationes ſuperiores ſapientiæ perfectæ ipſum ad horum malorum permiſſionem, immò ad concurſum, permoviſſent.* §. 277. *Deus hominem fecit, ad ſuam imaginem, rectum, ſed & liberum; manet ille liber etiam poſt lapſum quodammodo; ſervus eſt voluntarius ob pravam ſuam concupiſcentiam.* §. 278. *Per hanc tradidit ſe Cacodæmoni: delectatio, in malo reperta, hamus eſt, quo ſe capi ſinit: Gratia pravæ voluptati delectationem majorem opponit. Omnis voluptas eſt perfectionis cujuſdam perceptio: nihil perfectiones divinas ſuperat: amor igitur Dei parit maximam voluptatem apud benè animatos.* §. 279. *Uti corruptio noſtra non eſt inſuperabilis, ſic nec gratia ita efficax, ut ei reſiſtere nequeamus.* §. 280. *Conſentiunt his* Auguſtini *qui vocantur Diſcipuli, ſi quædam incongruè dicta tum in phraſibus, tum in dogmatis, ſemoveantur; exemplum uſus vocabulorum* neceſſarii, contingentis, poſſibilis, impoſſibilis. *Generatim dici poteſt obſervatio mandatorum divinorum ſemper* poſſibilis, *ipſis etiam non renatis: Gratia ſemper* reſiſtibilis, *etiam in ſanctiſſimis viris: Libertas* immunis *non ſolùm a* coactione, *ſed &* neceſſitate, *etſi nunquam ſit ſejuncta a certitudine* infallibili, *aut a determinatione* inclinante. §. 281. *Dici tamen etiam ex altera parte ſenſu aliquo poteſt, quòd potentia benè agendi ſæpè deſit, etiam juſtis; quod peccata ſæpè ſint neceſſaria, etiam in regeneratis, &c. ſed locutiones hæ facile abuſibus ſunt obnoxiæ, & circumſtantiis hodiernis minus adcommodatæ.* §. 282. *Ad controverſias hinc verborum hujuſmodi dirimendas opus eſt benè perceptis diſtinctionibus, v. gr. inter neceſſarium & certum, inter neceſſitatem metaphyſicam & moralem, inter poſſibilitatem & impoſſibilitatem, inter potentiam proximam & remotam; ſecundùm diverſos iſtos ſenſus res modò dicitur fieri poſſe, modò non poſſe: idem ſentiendum de ſenſu vocabuli voluntatis, intelligi per eam poteſt vel antecedens & inclinatoria, vel conſequens & decretoria.* §. 283. *Ait Vir ill. inter ipſa diſcipulorum* S. Auguſtini *dogmata ſe concoquere non poſſe infantum non regeneratorum damnationem, nec generatim ullam perditionem, e ſolo peccato originali provenientem: nec, quod dicitur, damnari eos, quibus lumina neceſſaria deſunt; omnes Ethnicorum virtutes eſſe ſpurias; Deum agere poſſe fortuitò, per decretum abſolutum, aut per voluntatem, a rationi-*

bus

bus moventibus prorſus independentem. §. 284. *His, & quibuſdam aliis, capitibus exceptis, putat Vir ill. uſurpari poſſe* Auguſtini *Syſtema, quo adſeritur, e Dei ſubſtantia nihil, niſi Deum, egredi poſſe, atque ita creaturam e nihilo eſſe productam, &c.* §. 285. *Explicantur loca,* Exod. XXXIII. 19. Rom. IX. 15. 16. 18. §. 286. *Ipſam, pergit ill. Auctor, prædeſtinationem ad ſalutem, ſecundùm* Auguſtinum, *complecti ordinem mediorum, quibus ad ſalutem pervenietur, nec eſſe decretum abſolutum:* §. 287. *Primum bonum motum a Deo indi, ſed hominem etiam deinde agere: agi, ut agant, non ut ipſi nihil agant, &c.* §. 288. *Statuit itaque Vir ill. liberum arbitrium eſſe proximam mali culpæ, deinde mali pœnæ cauſam, originalem verò creaturarum imperfectionem, ab ideis divinis repræſentatam, utriuſque mali primam & remotiſſimam rationem eſſe. Reclamat* Bælius, *cujus dubia antequàm elucidantur, requiſita libertatis, ab eodem Viro ill. enumerantur; cernuntur autem in intelligentia, ſpontaneitate, & contingentia.* §. 289. *De* Intelligentia, *ſeu cognitione diſtincta.* §. 290. *De* Spontaneitate. §. 291. *Perfecta ſpontaneitas nobis cum ſubſtantiis omnibus ſimplicibus communis eſt, & in ſubſtantia intelligente, ſive libera, tranſit in imperium aliquod in proprias actiones, id quod optimè explicatur ope ſyſtematis Harmoniæ præſtab. unde efficitur, animæ ineſſe perfectam ſpontaneitatem, ut a nullo, niſi a Deo, & ſe ipſa, in operando pendeat.* §. 292. *Per hoc ſyſtema via oſtenditur e labyrintho iſto ſe extricandi, in quo & ipſi Carteſiani circa liberum arbitrium hæſere.* Carteſius *ajebat, providentiam divinam lumine rationis nobis demonſtrari, nos itidem de libertate certos eſſe per intimam experientiam, utramque credendam, licèt utriuſque conciliandæ via nulla ſuppetat.* §. 293. *Sed hoc erat nodum* Gordium *ſecare, non ſolvere. Interim tamen hac ſententia acquievere plerique Carteſiani, quamvis intima illa experientia id, quod ipſi contendunt, minimè evincat, oſtendente* Bælio. *Citatur locus ex Metaphyſica* Petr. Silv. Regis, *pro* Carteſio *militans.* §. 294. *Judicium* Bælii *de hoc* Regis *loco.* §. 295. *Idem has internas experientias Carteſianorum oppugnat, dicendo, quoſdam ſibi perſuadere, rationem mentemque mancipia eſſe, quæ vi invitas trahenti non queant reſiſtere.* §. 296. *Judicium ill. Viri de hac Bæliana meditatione.* §. 297. *In eandem rem citat* Bælius *Poëtas, qui, dum homines abſolvere volunt, culpam in Deos rejiciunt.* §. 298. Wittichius *videtur exiſtimaſſe, independentiam noſtram eſſe duntaxat adparentem, cùm Deus in nobis operetur velle; ſed agitur hìc non de cauſa quadam univerſali, verùm de rationibus volendi & viis, quibus Deus utitur, quando bonam voluntatem nobis donat, vel malam habere permittit.* Wittichius *itaque æquè, ac* Bælius, *non rectè ad quæſtionem reſponderunt, nec hic ad Deum confugere quidquam juvat.* §. 299. *Alia profertur* Bælii *objectio, qua exiſtimatam illam libertatis conſcientiam, præcipuum liberi arbitrii apud Carteſianos argumentum, impugnat.* §. 300. *Non conceditur* Bælio, *per meditationes merè philoſophicas certò ſciri non poſſe, nos ipſos*

 eſſe

eſſe volitionum noſtrarum cauſam efficientem, *cùm Syſtema* Leibn. *indubitatè oſtendat*, *quamlibet ſubſtantiam ſimplicem eſſe unicum ſuarum operationum cauſam unicam*, *& ab omni influxu phyſico alterius ſubſtantiæ immunem*, *excepto Dei concurſu ordinario.* §. 301. *Noſtrarum hinc actionum ſpontaneitas in dubium revocari nequit*, *uti eam* Ariſtoteles *definivit*: *ſpontaneum eſt*, *cujus principium eſt in agente.* §. 302. *Scholaſtici tertiam in libertate conditionem requirunt*, indifferentiam; *benè*, *ſi per eam intelligatur* contingentia. §. 303. *Hoc tantùm ſenſu admittitur* indifferentia, *ut ſcilicet idem ſignificet*, *atque* contingentia, *ſive non neceſſitas*: indifferentia *verò* æquilibrii *non agnoſcitur*; *nunquam enim eligit*, *qui abſolutè eſt indifferens*: *talis electio ſpecies quædam meri caſûs eſſet*, *ſine omni ratione determinante*, *tam adparente*, *quàm occulta*: *caſus hinc aliquid reale jam foret*, *ſimile exiguæ* Epicuri *declinationi atomorum*, *temerè & ſine ratione factæ.* §. 304. *Hæc atomorum declinatio apud* Epicurum *cauſam finalem habebat*, *dum voluit homines a fato eximere*; *ſed nullam habere potuit in rerum natura cauſam efficientem.* Bælius *hoc commentum ipſe præclarè refutat*, *& tamen ſimile quid admittit*, *ubi loquitur de aſino* Buridani. §. 305. *Velle verò ſimpliciter*, *uti ibidem exiſtimat* Bælius, *exercere libertatem*, *nihil habet*, *quod actum ſpecificet*, *aut nos ad alterius præcisè partis electionem determinet.* §. 306. *Pergit* Bælius: *Duplici viâ homo ſe ab æquilibrii laqueis expedire poteſt*; vel *ſi ſibi blandiatur*, *quòd domi ſuæ regnet*, *nec ab objectis dependeat*; *at via hæc jam obſtructa eſt*; §. 307. Vel *ſi ſorte*, *caſu*, *aleâ*, *litem dirimere velit*; *at homo tum non ampliùs eſt in æquilibrio*, *cùm ſors æquilibris non ſit*, *& homo ſe ſorti addixerit.* §. 308. *Interim tamen & ipſe* Bælius *adversùs indifferentiam iſtam chimæricam*, *vel prorsùs indefinitam*, *pugnat*; *etenim*, *ſtatuente* Carneade, *motus animi voluntarios indifferentiæ illius indefinitæ cauſam eſſe*, *reſp. quicquid a rei natura proficiſcitur*, *eo ipſo eſſe determinatum*; *adeſſe ita ſemper determinationem*, *effugiumque* Carneadis *nihil prodeſſe.* §. 309. *Alio loco oſtendit*, *libertatem*, *quò magis a jactato iſto æquilibrio remota ſit*, *eò præſtantiorem eſſe*: *quoſdam adſerere*, *rationibus ſatis urgentibus*, *voluntatem ſemper neceſſariò ſequi ultimum actum intellectûs practicum*, *&c.* §. 310. *Adnotat Vir ill. ad hæc & ſimilia* Bælii *cogitata*, *ſemper diſtinguendum eſſe inter neceſſarium & certum*, *inter neceſſitatem metaphyſicam & moralem*; *nullam voluntatem*, *exceptâ divinâ*, *intellectûs judicium ſemper ſequi*, *omnes creaturas intelligentes adfectibus quibuſdam obnoxias eſſe*, *aut ſaltem perceptionibus*, *aliquid confuſi involventibus*; *unde in nobis motus*, *qui judicium intellectûs practicum perſæpè reddunt inefficax.* §. 311. *Nexum inter judicium & voluntatem non adeò neceſſarium eſſe*, *quàm prima fronte exiſtimari poſſet*, *inprimis cùm intellectus ferè per cogitationes ſurdas*, *& in movendo parum efficaces*, *procedat.* §. 312. §. 313. *Pergente* Bælio *eodem tramite contra indifferentiam æquilibrii*; §. 314. *Obſervat Auctor ill. veriſſimum eſſe*, *libertatem indifferentiæ*

ferentiæ indefinitæ tam noxiam & abſonam fore, quàm eſt impoſſibilis & commentitia: quamprimùm quis dicat: Ex ſolo principio beneplaciti mei judicia rationis meæ contemno, libet mihi ſic agere; *tantundem eſſe, ac ſi diceret:* inclinationem meam commodis meis, libidinem utilitati, præfero; §. 315. *Perinde hoc eſſe, ac ſi homo moroſus, amicorum monitis obſequi turpe ducens, contradicendi voluptatem utilitati anteferret.* §. 316. Bælius *alia multa præclara addit, ut oſtendat, quòd agere contra judicium intellectûs magna ſit animæ imperfectio. Eum etiam in finem Deum inducit, Protoplaſtis dicentem, num velint, ut vel ſinat eos abuti ſua libertate, cùm voluerint, vel ut abuſum impediat gratiæ novæ impreſſione?* Adamum *verò reſpondentem & petentem, ne ſeſe malo facultatum ſuarum uſu interire permitteret.* §. 317. *Eum in finem demonſtrat idem, homines non minùs ſibi gratulari, immò magis ſibi adplaudere, ſi ſuperno auxilio, quàm ſi ſuo judicio, fortunam debeant. Citantur in exemplum* L. Sulla, J. Cæſar, *fortunâ ſuâ gloriantes: Poëtæ Heroas ſuos impulſu divino regentes: Belli duces ſub auſpiciis Imperatorum prœliantes: Myſtici, ſe feliciores credentes, ubi Deum ſe in quiete tenere arbitrantur.* §. 318. *Quod* idem *de Philoſopho Stoico pronunciat, ipſum æquè, ac alium quemvis, e bona electione voluptatem percipere, &c. oſtendit iterùm, quantoperè judicium determinatum vagæ iſti indifferentiæ præcellat.* §. 319. *Hæc* Bælii *ratiocinia tum ad illuſtrandum hoc argumentum ſunt prolata, tum ut* Bælio Bælius *ipſe opponeretur, oſtendereturque, ipſum de impoſita Deo, quàm fieri poteſt optimè eligendi, neceſſitate conqueri non debuiſſe.* §. 320. *Scholaſticis quibuſdam placuit talis omnimoda indifferentia, quæ verò aliquid æquè ridiculum invehit, ac declinationes atomorum* Epicuri, *de quibus ſuprà.* §. 321. Epicuri *mentem exprimit* Lucretius *Lib. II.* §. 322. Carneades, *ad Atomos non progreſſus, in ipſa ſtatim hominis anima jactatæ indifferentiæ vagæ rationem invenire voluit; mirum hinc, quòd a* Cicerone, *& magis, quòd a* Bælio *laudetur; quaſi verò principium rationis determinantis ad corpora ſola pertineret.* §. 323. *Anima, quia ſe ipſa activa eſt, & hac dote materiæ præſtat, non eſt prorsùs ex ſe indifferens ad actionem, uti materia, & in ſe ipſa aliquid reperire debet, per quod ſe ipſa determinet; ſec. Syſtema H. p. in ſtatu adhuc puræ poſſibilitatis ab omni æternitate determinata erat ad agendum liberè id ipſum, quod actura eſt in tempore, quo exiſtit.* §. 324. Bælius *ipſe obſervat egregiè, libertatem indifferentiæ, qualis admittenda, inclinationes neutiquam excludere, nec æquilibrium poſtulare; animam cum bilance comparari poſſe docet, in qua rationes & inclinationes ſint loco ponderis, &c.* §. 325. *Cùm verò plura duobus eligibilia occurrant, poſſet anima tunc comparari loco bilancis cum vi aliqua, quæ in plures ſimul partes conatum exerat, ſed non agat, niſi in partem illam, ex qua plus facilitatis, aut minùs reſiſtentiæ, reperit: exemplo aëris, in recipiente vitreo compreſſi.* §. 326. *Hæc tamen inclinationum præponderatio nullatenùs vetat, quin homo ſit*

ſui

ſui ipſius Dominus, *modò poteſtate ſua uti norit*: *imperium ejus imperium Rationis eſt.* §. 327. *Fatendum*, *ſemper in voluntatem noſtram ſatis poteſtatis ineſſe nobis*, *ſed non ſemper venit in mentem illâ uti*; *animæ in ſuas inclinationes imperium eſſe potentiam*, *quæ non niſi indirectè poſſit exerceri. Imperium in actiones abſolutum*, *& a rationibus independens*, *quod* Bælius *requirit*, *ne Deus quidem ipſe habet*, *aut habere debet*; *agere namque non poteſt*, *niſi ordinatè*; *imperium Dei*, *Sapientis*, *eſt imperium Rationis.* §. 328. *Non uno momento*, *uti* Bælius *vellet*, *nudove voluntatis actu aliquo*, *nos ipſi corrigimus*, *aut meliorem acquirimus voluntatem.* §. 329. *Moleſtiæ & dolores*, *quæ adportatam de adfectibus victoriam comitantur*, *quibuſdam cedunt in gaudium ingens*, *quod e ſuæ mentis virium & gratiæ divinæ conſcientia vivida percipiunt*: *exemplo ſunt Aſcetæ*, *verique Myſtici*, *immò & genuini Philoſophi.* §. 330. *Si Scotiſtæ & Moliniſtæ indifferentiæ vagæ favere videntur*, *Thomiſtæ & Auguſtiniani prædeterminationi patrocinantur.* Durandus, *quanquam concurſui Dei ſpeciali refragabatur*, *non tamen idcircò prædeterminationem aliquam repudiavit.* §. 331. *Sententia Stoicorum*, Democriti, Heracliti, Empedoclis, Ariſtotelis, Epicuri *& Academicorum*, Chryſippi, Cleanthis, *item Scholaſticorum*, *Patrum Conimbricorum*, *qui ſi rerum nexum perſpexiſſent in Syſt. H. p. judicaſſent*, *certitudinem præviam admitti non poſſe*, *quin quædam rei prædeterminatio in cauſis rationibuſque ſuis admittatur.* §. 332. *Sententia* Chryſippi *ſpeciatim ex* A. Gellio *refertur. Is cylindri comparatione utitur*, *cujus volubilitas in motu a cylindri figura utitur*, *cùm contra lentius decurreret*, *ſi corpus aſperum & confragoſum foret*: *interim tamen impulſu indiget*, *uti anima objectorum ſenſilium ſollicitatione.* §. 333. Cicero *&* Bælius *arbitrantur*, *ipſum & invitum neceſſitatem fati confirmare*, *cùm cylindrus lævitatem aut aſperitatem ab artifice habeat*, *adeoque Deus*, *providentia*, *fatum*, *mali ſint cauſæ*, *& quidem neceſſitantes*: *reſp.* Lipſius, *Stoicos malum derivare a materia.* Plutarchi *refutatio nihil valet*, *contendentis*, *Deo potiùs tollendam potentiam*, *quàm malorum permiſſionem concedendam*; *contrarium ſatis jam evictum eſt.* §. 334. Chryſippus *aliquid ejuſmodi viderat*, *inprimis dum*, *referente* Plutarcho, *dixit*, *in Comœdia quædam interdùm eſſe inſipida per ſeſe*, *quæ tamen poëmati toti aliquid venuſtatis addant.* §. 335. *Quod verò illius cylindrum adtinet*, *hæc comparatio non multùm abludit a comparatione* Leibnitii, *quæ a navi onuſta deſumebatur*, *quam flumen propellit*, *ſed eò lentiùs*, *quò fuerit navis onuſtior.* §. 336. Chryſippus *contendit malum per concomitantiam adnatum eſſe*: *id ope Syſt. Leibnitiani elucidatur*, *quo etiam defectus*, *in comparatione cylindrica adhuc occurrentes*, *emendantur.* §. 337. *Libertatis in Creatura repertæ perfectio ſine dubio in Deo eminenter exiſtit*, *puta eam*, *quæ pura perfectio eſt*, *& nullam imperfectionem arguit. Meritò* Scotus *dixit*, *ſi Deus non eſſet liber*, *& a neceſſitate immunis*, *creaturam liberam fore*

fore nullum; at Deus nulla prorſus in re indeterminationis omnimodæ capax eſt, nec voluntatem particularem primigeniam, hoc eſt, a legibus, ſive voluntatibus generalibus, independentem habere unquam poteſt. Sapiens ſemper agit per principia, ſemper agit per regulas, & nunquam per exceptiones, niſi in regularum colliſione. §. 338. Qui putant, electionem, & reprobationem, ex parte Dei fieri per poteſtatem aliquam deſpoticam, ab omni omninò ratione abſolutam, profectò opinionem tuentur, quæ naturam rerum juxta & divinas perfectiones ſubvertit. Et Lutherus, *&* Calvinus, *ab iſtiuſmodi decreto abſolutè abſoluto, & planè intolerabili, longiſſimè abfuerunt. §. 339. Veritas hæc, quidquid Deus facit, rationi eſſe conſentaneum, nec meliùs fieri potuiſſe, quemvis haud obeſæ naris hominem ſtatim percellit, & tamen fato quodam accidit, ut Philoſophi nonnulli eam in dubium vocent: exemplo eſt* Bælius, Diroyſius, *non advertentes, ita falſam Deo libertatem adfingi, libertatem ſcilicet agendi contra rationem. §. 340. Hæc* Bælii *aberratio fecit etiam, ut leges regni Naturæ arbitrarias & indifferentes eſſe cenſeret, more Carteſianorum recentium, in quibus ſæpe mirum videbatur, hominibus tam eruditis ſententias tam parum philoſophicas, tamque primis Rationis effatis contrarias, probari potuiſſe. §. 341. Rectè Cl.* Regis *in Metaph. adſeruit, facultates, a Deo homini conceſſas, omnium, quarum homo, juxta generalem naturæ ordinem, capax fuerat, eſſe præſtantiſſimas. Leges quidem motûs non prohibent, quo minùs homo perfectior ſit, ſed potiùs locus, quem Deus in ſpatio & tempore adſignavit homini, perfectiones, quarum capax erat, circumſcribit. §. 342.* Bælius *longiùs abripitur, dum exiſtimat, perceptionem delectationis paria dolori efficere poſſe, utut dubitem ipſe, num dolor ad homines, periculi admonendos, ſit neceſſarius. Ratio iſta reſpectu malorum omnium iniri poſſe vix videtur, niſi miraculo. Quoniam continuitatis ſolutio in corpore noſtro diverſimode poterat contingere, naturale erat, hanc corporis imperfectionem aliquo imperfectionis ſenſu in anima repræſentari. Nolim tamen adfirmare pro certo, nulla exſtare in Univerſo animantia, quæ ex ſolutione tali voluptatem capiant, vel ſaltem ea non doleant. §. 343. Poſſunt etiam exſtare in Univerſo animantia illi, quod* Cyrano de Bergerac, *in Solis globo peregrinanti, occurrit, ſimilia. Ejus deſcriptio. §. 344. Fallitur porrò* Bælius, *dum exiſtimare videtur, ideas, quibus corporis qualitates anima percipit, eſſe prorſus arbitrarias, quo principio ipſas adeò leges motûs planè arbitrarias facit. §. 345. Leges motûs a multis arbitrariæ ideò cenſentur, quia pauci illas ritè expenderunt.* Carteſium *in illis conſtituendis valdè erraſſe, hodie conſtat. Detexit Vir ill. non conſervari eandem quantitatem motûs, ſed virtutis in natura: detexit, leges motûs non eſſe quidem abſolutè, & modo Geometrico, demonſtrabiles, ſed neque id neceſſarium eſſe, cùm illæ non penitùs e principio neceſſitatis, ſed perfectionis & ordinis deriventur, hincque ſint Entis ſupremi, intelligentis ac liberi, argumen-*

gumentum, *adverſus Syſt. neceſſitatis abſolutæ.* §. 346. §. 347. §. 348. *Propoſitis motûs legibus*, *a ſe detectis*, *confirmat Vir ill. id*, *quod anteà inculcaverat*, *ſcil. leges naturæ*, *quibus motus temperantur*, *nec eſſe prorsùs neceſſarias*, *nec prorsùs arbitrarias*, *eſſe ſapientiæ perfectiſſimæ delectum*, *& oſtendere*, *quantùm interſit inter* neceſſitatem abſolutam, *&* moralem, *& inter* aliquid abſolutè arbitrarium, *ut proinde id*, *quod eſt* ſimpliciter & abſolutè neceſſarium *cum eo*, *quod* per rationem optimi determinatur; *aut* libertas, ſeſe per rationem determinans, *cum* indifferentia vaga *non rectè confundatur.* §. 350. *Hoc ipſo mota a* Bælio *difficultas planè diluitur*, *dum veritus eſt*, *ne*, *ſi Deus per omnia determinatus ſit*, *Natura eo carere*, *& effectus*, *Deo tributos*, *neceſſitate ordinis rerum producere poſſit. Verum hoc eſſet*, *ſi regulæ motûs*, *aliæque naturæ leges in Geometrica cauſarum efficientium neceſſitate fundarentur*, *nec in analyſi ultima deveniretur ad quidpiam*, *quod a cauſis finalibus*, *vel congruentia*, *dependet.* Jo. Joach. Beccherus. §. 351. *Falſo ſuſpicatus eſt* Bælius, *dimenſionum materiæ numerum a divina optione pendere*, *uti ab ea pendebat*, *facere*, *vel non facere*, *ut arbores animalia producerent*: *numerus enim dimenſionum ternarius determinatus eſt*, *non per rationem optimi*, *ſed ex Geometrica neceſſitate.* §. 352. *Sed in legibus etiam unionis animæ & corporis* Bælius *adhuc vagam aliquam indifferentiam invenire putat.* §. 353. *Argumentatur ſcil. ex Syſt. cauſarum occaſionalium*, *quodſi ſyſtematis Harmoniæ præſt. hoc loco meminiſſet*, *dubia facilè concidiſſent.* §. 354. *Pergente* Bælio, *Deum potuiſſe tale eligere unionis animæ cum corpore ſyſtema*, *quo vulnera duntaxat excitarent ideam remedii*, *vividumque*, *ſed jucundum*, *id adplicandi adpetitum*, *&c.* §. 355. *Reſp. Vir ill. falſo* Bælium *exiſtimare*, *quidquid per leges generales efficitur*, *citra miraculum fieri*: *non ſatis eſſe*, *Deum nudè ſtatuere*, *ut læſio membrorum perceptionem aliquam jucundam in animali excitet*, *ſed vias etiam naturales*, *ad id idoneas*, *inveniendas eſſe*: §. 356. *Repræſentationem naturalem cum eo*, *quod repræſentari debet*, *convenientiam habere*, *quod exemplis illuſtratur.* §. 357. *Quanquam res eadem diverſimodè repræſentari poſſet*, *ſemper tamen inter repræſentationem & rem repræſentatam*, *atque adeò inter diverſas ejuſdem rei repræſentationes*, *exactam intercedere certæ relationis convenientiam debere*, *quod itidem exemplo illuſtratur.* §. 358. *Quærente ampliùs* Bælio, *cur Deus leges ſtabiliverit*, *e quibus tot incommoda oriantur*, *cur ſibi leges ipſe præſcripſerit*; §. 359. *Reſp. leges*, *a Deo ſtabilitas*, *fuiſſe omnium præſtantiſſimas*, *nec Deum potuiſſe non ſtatuere ſibi leges*, *& ſervare regulas*, *quia a legibus reguliſque ordo omnis & pulchritudo dimanat*, *& ſine regulis agere*, *eſt agere ſine ratione*, *&c.* §. 360. *Poſtquàm ita adparet*, *per determinatas rationes omnia fieri*, *nulla circa hoc divinæ præſcientiæ fundamentum difficultas ſupereſſe poteſt. Inter Syſtematis Harmoniæ generalis leges una hæc eſt*, *quòd præſens ſit gravidum futuro*, *&*, *qui omnia*

videt,

videt, in eo, quod nunc eſt, id, quod futurum eſt, videat: quòd Deus in qualibet Univerſi parte totum Univerſum intueatur, ob perfectam rerum omnium connexionem. §. 361. *Notavit etiam præclarè* Durandus a S. Portiano, *futura contingentia in ſuis cauſis determinatè videri, ac Deum omniſcium, dum omnia, quæ voluntatem poſſunt invitare vel abſterrere, intuetur, in his ipſis videre, quam ſit partem amplexura. Idem ſentiunt complures alii, ut* Jaquelotius, *& ſec.* Bælium *Moliniſtæ nonnulli, quos refert* Petr. a S. Joſepho. §. 362. *Quidam, qui determinationem hanc cum neceſſitate permiſcuerunt, qui neceſſitatem imaginariam, aut aliam certè ab ea, de qua agitur, metuerunt, aliquid ſine cauſa, ſine ratione ulla, evenire admiſerunt, quod ridiculæ atomorum declinationi ap.* Epicurum *æquivalet. Teſtimonium* Ciceronis. §. 363. *Illius jam tempore Stoici a Dei decretis eventuum prænotionem arceſſebant; ait enim eod. Libro II. de Divinat.* Sequitur porrò, nihil Deos ignorare, quod omnia ab iis ſint conſtituta. *Et juxta Syſt. Leibnitianum, Deus, viſo mundo poſſibili, quem creare ſtatuit, in eo prævidit omnia, ita ut divina ſcientia viſionis a ſcientia ſimplicis intelligentiæ diſcrepet tantùm in eo, quòd huic ſuperaddat illa cognitionem decreti ipſius eligendi hanc rerum ſeriem, quam ſimplex intelligentia, ſed velut poſſibilem duntaxat, noſcendam præbebat, decretum autem nunc actu exiſtentem facit.* §. 364. *Inexcuſabiles hinc ſunt Sociniani, Deo certam futurorum, & præſertim volitionum creaturæ liberæ futurarum, ſcientiam denegantes: cogitare ſaltem debebant, eventus in mundi poſſibilis, quam condere ſtatuit, idea a Deo prævideri potuiſſe.* §. 365. *Tota difficultas in re præſenti non niſi ex falſa contingentiæ & libertatis idea exorta eſt, quàm indifferentia omnimoda & æquilibri indigere multis perſuaſum erat; quam perſuaſionem &* Carteſius *adoleſcens in Collegio Flexienſi hauſiſſe videtur.* §. 366. *Exempla certaminis in hoc argumento inter Thomiſtas & Jeſuitas.* §. 367. *Confuſio ex æquivocatione vocabulorum, & diſtinctarum notionum comparandarum incuria oritur, quæ evitatur obſervato diſcrimine inter neceſſitatem & determinationem vel certitudinem, inter neceſſitatem metaphyſicam & moralem, & neglecta indifferentiæ plenæ chimæra, cujus notionem ne mente quidem concipere quimus.* §. 368. *Urgente* Bælio, Aut infallibilem eventûs contingentis præſenſionem myſterium eſſe, captu omni ſuperius, aut modum, quo creatura, ſine libertate operans, tamen peccat, eſſe prorsùs incomprehenſibilem; §. 369. *Reſp. binas has incomprehenſibilitates jam ſublatas eſſe; ubi contenditur, eventum liberum prævideri non poſſe, libertas cum indeterminatione, vel indifferentia plena & æquilibri confunditur: at cum denegatio libertatis hominem a culpa eximere adſeritur, libertas intelligitur non a determinatione, vel certitudine, ſed a neceſſitate & coactione immunis.* §. 370. *Circa* libertatem, *pergit* Bælius, dicendum, vel *quòd cauſæ omnes, ab anima diſtinctæ, cum eaque concurrentes, agendi, vel non agendi,*

di, poteſtatem animæ relinquant, vel *quòd eam ita determinent ad agendum, ut non poſſint non agere: prius ſequuntur Moliniſtæ, poſterius Thomiſtæ, Janſeniſtæ, & Proteſtantes Genevenſi Confeſſioni addicti*; §. 371. *Reſp. Duæ iſtæ ſectæ tertiam non excludunt, adſerentem, animæ determinationem provenire etiam ab ipſa conditione animæ, ejuſdemque inclinationibus, quæ ſenſuum impreſſionibus intermixtæ, eas vel augent, vel minuunt: cauſæ verò omnes, internæ externæque, ſimul ſumtæ, faciunt, ut anima certò, ſed non neceſſariò, ſe determinet. Quod ad Sectas adtinet, ſolis* Hobbeſii & Spinoſæ *adſeclis exprobranda libertatis & contingentiæ deſtructio.* §. 372. *Cabaliſtarum ſententia de ultima Sephirarum*, Malcuth, Spinoſa *valde abuſus eſt, dicens, homines, dum libertatem uſitato more concipiunt, imperium in imperio Dei ſtatuere: imperium intelligit neceſſitatis cæcæ, qua cuncta e natura divina ſic emanant, ut penes Deum nulla electio, nec hominis electio a neceſſitate ſit immunis.* §. 373. Bredenburgii *Liber contra* Spinoſam. *Ejus Adverſarii* Franciſc. Cuperus, *Socinianus*; Orobio, *Medicus Judæus*; Albertus Verſæus. §. 374. *Judicium ill. Viri de* Bredenburgio. §. 375. *Oſtendit Auctor ill.* Lucii Antiſtii Conſtantis *de Jure Eccleſiaſticorum Libri ſingularis non* Spinoſam, *ſed* Lacourtium *conditorem fuiſſe.* §. 376. *Singularia quædam de* Spinoſa, Franciſco van den Ende, & Kerkringio. §. 377. *Sublatis circa præſcientiam & providentiam Dei difficultatibus, adcingit ſe ill. Vir ad ſolvendam eam, quæ ex concurſu Dei cum actionibus creaturæ oritur, notando actionem creaturæ proficiſci a Deo, quantùm ad perfectiones, a creatura, quantùm ad limitationes, vel negationes.* §. 378. *Malum eſſe privationis conſectarium, quod jam* S. Auguſtinus & S. Baſilius, *immò & Stoici, obſervarunt.* §. 379. *Sententia Veterum, mali originem in materia quærentium*, Platonis, Ariſtotelis, Anaxagoræ, Plutarchi. §. 380. Keplerus *in materia ſpeciem quandam imperfectionis agnovit, etiam dum in illa nullus inordinatus eſt motus, quam inertiam naturalem vocavit, ea originalis creaturarum imperfectionis exemplum præbet, ſed exemplum & comparationem tantùm, cùm origo hæc in formis, ſive ideis poſſibilium, reperiatur.* §. 381. *Licèt autem ita res ſe habeat, verum tamen manet, Deum ad malum concurrere in executione actuali, quæ formas in materiam introducit, unde difficultas; hinc quidam concurſum tantùm generalem ſtatuerunt.* §. 382. Bælius *ſententiam ſuam, qua creaturis actionem omnem denegat, immò nec realem ullam inter ſubſtantiam & accidens diſtinctionem agnoſcit, fundat in eo, quòd conſervatio dicatur continuata creatio, refertque ſimul, complures Philoſophos huic dogmati adverſatos eſſe, ut* Dav. Derodon. §. 383. *Probatio Carteſianorum.* §. 384. Erhardi Weigelii *demonſtratio exiſtentiæ Dei, fundata in Creatione hac continuata: ejus defectus.* §. 385. *Pro certo poteſt adſeri in re præſenti, creaturam a divina operatione pendere continuò, nec minùs pendere, poſtquàm cœpit, quàm dum primo incipit*::

cipit: actio hæc conſervativa poteſt adpellari, ſi lubet, creatio. §. 386. Auctor Monitii ad Icona Socinianiſmi objicit, ita creaturas nec plus connexionis, nec plus relationis, habere cum actionibus ſuis, quàm habuerint cum productione ſui primo ſuæ creationis inſtanti, &c. §. 387. Bælius eandem tibiam inflat, immò rem longiùs promovet. §. 388. Reſp. diſtinguendum eſſe inter prioritatem temporis & prioritatem naturæ. §. 389. Hæc naturæ anterioritas apud Philoſophos pervulgata eſt; ſic enim dicitur ordo eſſe inter decreta Dei, &c. §. 390. Ita dum res a Deo producitur, tanquam individuum producitur, & non tanquam univerſale logicum; rei eſſentia producitur ante accidentia, ejuſdem natura ante operationes, ſecundùm naturæ ſuæ prioritatem, & in ſigno anteriore rationis. §. 391. Hinc Deus reproducit eandem ſubſtantiam, eandem animam; hinc patet, creaturam cum Deo concurrere ad alterius rei productionem, ac præſertim internæ ſuæ operationis, qualis eſſet cogitatio, volitio, quæ utique realiter a ſubſtantia diſtinguuntur. §. 392. Sed contendit Bælius, nulla eſſe hujuſmodi accidentia, a ſubſtantia diſtincta, provocatque ad teſtimonia P. Maignani, P. Malebranchii, Cl. Callii, P. Saguens, & Franciſci Lamii. Judicium ill. Viri. §. 393. Cavendum, ne, dum ſubſtantiæ cum accidentibus confunduntur, dum ſubſtantiis creatis actio omnis adimitur, gradus fiat ad Spinoſiſmum, qui Carteſianiſmus eſt immoderatus. §. 394. At, pergit Bælius, ſi creaturæ producunt accidentia, potentiam creatricem & annihilatricem habebunt; §. 395. Reſp. Modificationum productionem nunquam dictam eſſe creationem; Deum ſubſtantias e nihilo producere, ſubſtantias verò limitum ſuorum mutatione ſuâ producere accidentia. §. 396. Quod de animabus, ſive formis ſubſtantialibus, Bælius ingerit, Syſtemati Leibnitiano non adverſatur, ubi ſtatuitur, modificationes iſtas eſſe in fluxu perpetuo, dum interim ſubſtantia ſimplex invariata perſeverat. §. 397. Repetitur ſententia, §. 86. & ſeqq. Theod. prolata, de animarum origine. §. 398. Statuitur cum Malebranchio, generatim creationem, ritè intellectam, non adeò eſſe admiſſu difficilem, quàm poſſet putari, eamque in notione dependentiæ creaturarum eſſe quodammodo involutam. §. 399. Sed objicit porrò Bælius, animam ita noſtram agere non poſſe; §. 400. Reſp. cùm anima ſit principium operationis, non intelligi, cur anima ſuas cogitationes, ſenſationes, doloris voluptatiſque perceptiones, non producat, &c. §. 401. Fundamentum ſuum oſtendit Bælius, dicendo, nos non facere id, quod quomodo fiat, neſcimus; §. 402. Evidens eſſe, quòd alicujus effectus vera cauſa debeat eum cognoſcere, ac modum etiam ſcire, quo produci debeat. §. 403. Reſp. neceſſe non eſſe ſcire ſemper, quomodo fiat id, quod facimus; ideas noſtras non ideò, quia volumus, efformari, in nobis & a nobis efformari illas, non ex vi & imperio noſtræ voluntatis, ſed ſecundùm noſtram & rerum ipſarum naturam, animam eſſe automatum ſpirituale quàm maximè mirabile, & virtute divinæ præformationis elegantes illas ideas producere, in quibus voluntas noſtra nullam partem habet, & ad

quas ars noſtra non valet pertingere, &c. §. 404. *Velleitates eſſe duntaxat voluntatum conditionalium genus quoddam valdè imperfectum, nec nos, dum velleitatem hujuſmodi habemus, tam velle, ut velimus, quàm ut poſſimus; hinc in Deo nullas eſſe velleitates; noſtrum verò imperium in volitiones indirectè tantùm exerceri, & miſerum illum fore, qui ita ſuarum actionum dominus eſſet, ut temerè, ſine nexu & ratione velle poſſet.* §. 405. *Adcingit ſe ill. Auctor ad* Laurentii Vallæ *Dialogum, qui quinto* Boëtii *Libro de Conſolatione reſpondet, & aliquas elucidationes exhibet ſuper difficultate de libero arbitrio, argumento, in quo juſtitia & injuſtitia, hujus ac futuræ vitæ pœna præmiumque, verſantur.* §. 406. Antonius *quidam* Glarea *Hiſpanus, a* Valla *rogat ſententiam de præſcientiæ cum libertate conciliandæ ratione.* §. 407. *Ad Objectionem, qua ex præſcientia Dei actionis neceſſitas colligitur, reſp.* Valla, *ſi mea ſcientia res præteritas, aut præſentes, exiſtere non facit, neque præſcientia mea faciet exiſtere futuras.* §. 408. *Obj. præſens & præteritum mutari non poſſe, ea jam eſſe neceſſaria, ſed futurum, in ſe mutabile, fixum neceſſariumque fieri præſcientiâ; Reſp. neceſſarium diſtinguendum a certo; non eſſe impoſſibile, id, quod præviſum fuerit, non evenire, ſed infallibiliter tamen eventurum.* §. 409. *Obj. juxta Philoſophos omne poſſibile conſiderari poſſe ut exiſtens: ſi nunc eventus ejus, quod præviſum eſt, reapſe eveniret, Deus erraſſet; Reſp. Ambo ſæpè contradictoria eſſe poſſibilia, nec tamen ſimul poſſe exiſtere; in exemplo, dum* Sext. Tarquinius *ab* Apolline *fert reſponſum, ſe exulem inopemque interiturum ab Urbe irata pulſum, queri non poteſt, Cur,* Apollo, *mihi ſortem tam duram eloqueris? reponet Deus, Futura novi, non facio, nec ampliùs cum* Jove *contendere, cur ipſi, homini innocenti, & religioſo deorum cultori, fatum tam immite præparet: reſpondebit namque Deus: Tu innocens? ſcias, te ſuperbum, adulterum, & patriæ proditorem fore.* §. 410. *Sed dicet* Sextus: *Nolo facere, quæ dices,* Apollo? *Quid referet Deus, mentior igitur? At* Sextus *forſitan rogabit Deos, ut fata mutent, melioremque ſibi mentem largiantur: dicet forſan* Apollo: *Unuſquiſque a Diis factus eſt, qualis eſt;* Jupiter *animam tibi pravam indidit, tu genio tuo indulgebis, &* Jupiter *te pro meritis accipiet. Ita per Stygem juravit.* §. 411. *Reſpondebit* Sextus: *Ergò* Jupiter *proprium in me ſcelus ulciſcetur? ipſe ſolus eſt reus; cùm me talem fecerit, qualis ſum, agere debeo, uti voluit. Cur me plectit igitur? num ejus voluntati potero reluctari? Fatetur* Valla, *ſe de* Jovis *decretis, hoc eſt, de providentiæ placitis, ſatisfacere ſuo* Antonio *non poſſe;* §. 412. *putatque latere nos rationes, quare ſic ſtatuat, ſatis tamen eſſe, eum optimum ac ſapientiſſimum eſſe, ut bonas illas eſſe judicemus, inſimulque juſtum, ut decretis atque operationibus ſuis non deſtrui libertatem noſtram ſciamus.* §. 413. *Judicium ill. Viri de hoc* Vallæ *Dialogo, quem ipſe ulteriùs promovere inſtituit. Rogat nempè* Sextus *Dodonæ* Jovem: *Cur me adegiſti, ut malus eſſem & miſer? aut ſortem meam muta & mentem, aut culpam in te*

hærere

hærere agnoſce. Reſp. Deus : Abdica Romam, & ſapies, fortunatus eris, Romam ſi tendis, periiſti. At Sextus, *tam duræ conditionis impatiens, prorumpit e templo, & fatis ſe ſuis permittit. Tum* Theodorus, *templi Antiſtes, quærit* Jovem, *annon penes ipſum fuerit, aliam* Sexto *voluntatem impertiri.* §. 414. Pallas, *cujus in diſciplinam* Theodorum *mittit* Jupiter, *oſtendit ei Fatorum palatium, in quo non eorum ſolùm, quæ ſiunt, ſed eorum etiam, quæ fieri poſſunt, præſtò ſunt repræſentationes : ex quibus, in mundos digeſtis, omnium optimum ſibi condendum delegit* Jupiter. *Omnes hi mundi hic præſto ſunt, ait* Pallas, *ſcilicet in ideis; in eorum aliquo* Sextum *reperies quendam, fortunatum admodum, & ad magna evectum; in alio* Sextum *alium, mediocri ſorte contentum: denique in aliis* Sextos *omnigenos, & infinitè variatos, invenies.* §. 415. *Deducit hinc Dea* Theodorum *in unum e conclavibus, quod ubi ingreſſus eſt, non jam conclave, ſed mundus erat : inibi adparebat primus ille* Sextus *fortunatus : aderat etiam ingens volumen quoddam ſcriptum, hiſtoriam hujus mundi exhibens;* Theodorus *cùm numerum, in fronte hujus* Sexti *obſervatum, evolviſſet, hiſtoriam illius, quam viderat in compendio, adhuc ampliorem deprehendit. Itum deinceps in alia conclavia, novæ ſemper ſcenæ viſebantur.* §. 416. *Conclavia iſta coibant in pyramidem, quoque adſcendebatur altiùs, eo pulchriora fiebant, & pulchriores exhibebant mundos. Tandem ad ſupremum, quo Pyramis claudebatur, omniumque pulcherrimum, devénere : quo viſo,* Theodorus *ſe non capiebat præ gaudio: Nunc tandem, ajente Deâ, ad verum, ac re ipsâ exſtantem, mundum pertigimus: ad boni fontem conſiſtis : en tibi* Sextum, *qualis eſt, & qualis reapſe futurus eſt. Prorumpit e templo furibundus, & Deorum monita flocci pendit. Quodſi* Jupiter *alterum illum fortunatum* Sextum *hic poſuiſſet, non jam hic idem mundus foret; ipſe ſapientiam ſuam abdicaſſet, meque, filiam ſuam, projeciſſet. Sed vides inſuper,* Sextum *a Patre meo non fuiſſe factum improbum, talis quippe ab omni æternitate fuit, & quidem ſemper liberè : exiſtere tantùm ei conceſſit* Jupiter, *& eum e regione poſſibilium ad rerum exiſtentium claſſem tranſtulit.* Sexti *etiam crimen ad magna prodeſt, Romam in libertatem adſerit, &c. Sed hæc nihil ad mundum totum, cujus ſpeciem miraberis olim, ubi ad meliorem alteram vitam feliciter tranſgreſſo, illius penitùs cognoſcendæ Dii tibi facultatem indulſerint.* §. 417. *Hæc, ait Auctor ill. fabulæ nodum,* a Valla *intactum, expedire mihi videntur. Quodſi* Apollo *divinam ſcientiam viſionis ſat ſcitè repræſentavit;* Pallas, *ut ſpero, non ineptè perſonam egerit ſcientiæ ſimplicis intelligentiæ, a qua demum adcerſenda eſt rerum origo.*

Adjecta Epitome Controverſiæ, ad Syllogiſmos redactæ, *in reſolvendis* octo *objectionibus Bælianis occupatur, quarum* I[a]. *contendit, Deum vel potentiâ, vel cognitione, vel bonitate, caruiſſe, quòd, mundum hunc condendo, non optimam partem elegerit;* II[a]. *In toto Dei opere plus mali eſſe, quàm boni, quòd in Creaturis intelligentibus plus mali ſit, quàm boni :*

III[a].

IIIª. ſemper eſſe injuſtum punire, quod ſemper ſit impoſſibile non peccare, ſive quòd omne peccatum ſit neceſſarium; IVª. Deum inter peccati complices haberi; quòd, cùm creaturarum intelligentium peccatum impedire poſſit, illud non impediat, immò potiùs cooperetur, tum concurſu ſuo, tum occaſionibus, quas præbet, utut futuri eventûs probè ſit conſcius. Vª. Deum eſſe cauſam peccati, quòd producat, quidquid in peccato reale eſt. VIª. Deum injuſtum eſſe, quòd puniat eos, qui quàm potuerunt, optimè egerint. VIIª. Deum non habere ſatis bonitatis, quòd aliquibus duntaxat, nec omnibus, præſidia largiatur, quæ faciunt illos re ipsâ habere bonam voluntatem, & fidem finalem ſalutarem. VIIIª. Deum non eſſe liberum, quòd infallibiliter optimum eligat. Ex iis, quæ in Tentaminibus prolixè diſputata ſunt a Viro illuſtri, dubia hæc facili negotio diſſipantur; dedit verò ill. Auctor & hic reſponſiones, ipſis objectionibus legitimè adplicatas, quoniam ita occaſionem nactus eſt, & difficultates adhuc quaſdam diluendi, & obſervationes aliquas, in ipſo Operis decurſu necdum ſatis indicatas, inſpergendi.

§. 241. EXpedivimus tandem moralem cauſam mali moralis: *malum phyſicum*, hoc eſt, dolores, ærumnæ, miſeriæ, utpote mali moralis adpendices, minùs negotii nobis faceſſent. *Pœna*, auctore *Grotio* (a) *eſt malum paſſionis, quod infligitur ob malum actionis.* Patimur, quia egimus; malum toleramus, quia malum fecimus.

Noſtrorum cauſa malorum
Nos ſumus.

Verum quidem eſt, nos ſæpè ob actiones alienas pati, ſed, ſi ſceleris participes non ſumus, pro certo habendum, has ærumnas majorem nobis præparare fortunam. Controverſia *de malo phyſico*, hoc eſt, de origine miſeriarum, difficultates habet cum quæſtione *de mali metaphyſici* origine communes, cujus poſterioris exempla ſuppeditant monſtra, aliæque Univerſi, quæ adparent, anomaliæ. Sed judicandum eſt, ipſas quoque miſerias & monſtra ordini congruere; juvatque ponderare, non ſolùm hos defectus, atque hæc monſtra, admitti potiùs debere, quàm violari leges generales, uti *R. P. Malebranchius* quandoque diſſerit; verùm etiam hæc ipſa monſtra regulis eſſe conſentanea, voluntatibuſque generalibus convenire, quamvis conformitatis hujus modum nexumque diſcernere non valeamus. Prorsùs ſicut in Mathematicis quædam anomala adparent, quæ, ubi penitùs expenſa fuerint, ordinatiſſimè denique exeunt; hac de cauſa obſervavi ſuprà, e meis principiis omnes effectus individuos, nullo excepto, eſſe voluntatum generalium ſequelas.

242. Nec mirum eſſe debet, quòd res iſtas ſimilitudinibus, a Matheſi purâ

(a) De Jure B. & P. Lib. II. c. XX. 1.

purâ adcerſitis, interdum illuſtrare connitar, quia in ea non tantùm omnia ordinatè procedunt, ſed & via ſuppetit ordinis agnoſcendi ope adcuratæ meditationis, quæ divinas ideas ſub noſtrum, ut ita loquar, adſpectum collocat. Sic proponi poteſt ſeries numerorum, in ſpeciem prorſùs irregularis, in qua variabiliter creſcant decreſcantque numeri, ita ut ordo nullus adpareat: & tamen, qui clavem ænigmatis iſtius norit, & ſeriei numerorum originem conſtructionemque intellexerit, dare regulam poterit, quæ, ritè perſpecta, ſeriem prorſus regularem eſſe, & inſignes proprietates habere, demonſtrabit (b). Hoc idem adhuc clariùs ſenſui ſubjici poteſt in lineis: habere poteſt linea circuitûs reditûſque, ſumma & ima, puncta regreſsûs, puncta flexûs contrarii, interruptiones, aliasque varietates, ita ut in ea, præſertim partem conſideranti, neque modus, neque harmonia, neque ratio ulla, adpareat, & tamen ejus æquatio conſtructioque dari poteſt, in qua Geometra iſtarum omnium anomaliarum adparentium rationem & convenientiam reperiat. Idem judicium de monſtrorum anomaliis, aliiſque creditis in Univerſo defectibus, ferendum eſt.

243. Atque hoc ſenſu uſurpari poteſt inſigne illud *S. Bernardi* pronunciatum (Epiſt. 276. ad *Eugenium III.*) *Ordinatiſſimum eſt, minùs interdum ordinatè fieri aliquid.* Immo dici poteſt, exiguam hanc in parte inordinationem eſſe duntaxat adparentem in toto, quin illam ne adparentem quidem eſſe, factâ relatione ad felicitatem eorum, qui ſe ordini conformare ſtudent (c).

244. Quod dixi de monſtris, id ipſum de variis defectibus aliis etiam intelligo, qui nobis adparent. Solam ferè globi noſtri ſuperficiem novimus, ultra centenas aliquot hexapedas in terræ viſcera vix penetramus: id, quod in globi cortice reperimus, ingentium quarundam converſionum effectus eſſe videtur. Veriſimile eſt, hunc globum aliquando prorſùs ignitum fuiſſe, & rupes, quæ hujus terræ corticis baſin conſtituunt, eſſe ſcorias, poſt magnam aliquam fuſionem relictas. In earum viſceribus reperiuntur metallorum ac mineralium genimina, perſimilia iis, quæ noſtræ fornaces proferunt: mare verò integrum, genus quoddam olei per deliquium eſſe poſſet, uti oleum tartari in locis humidis naſcitur. Poſtquàm enim terræ ſuperficies a magna deflagratione refrixerat, humor, quem ignis in aërem expulerat, in terram relapſus, ſuperficiem ejus eluit, & diſſolvit, imbibitque ſalem fixum, in cineribus reſidentem, ac denique magnam illam ſuperficiei globi noſtri cavitatem implevit, ut oceanum, aqua ſalſa plenum, exhiberet.

245. Sed poſt ignem, nihilo minorem a terra & aqua illatam eſſe vaſtita-

(b) Addit *Interpr. Lat.* (Et tale quid quadrata magica exhibent.)

(c) Addit *Interpr.* (his enim cuncta tandem cedunt in bonum.)

ſtitatem, judicandum eſt. Fortaſsè cruſta, per refrigerationem efformata, quæ ſub ſe magnas cavitates habebat, collapſa eſt, ita ut non, niſi in ruderibus, habitemus, prout inter alios *Thomas Burnetius* (d), *Guilielmi* Magnæ Britanniæ Regis quondam Capellanus egregiè animadvertit. Tum deinde plura diluvia atque inundationes dejecerunt diverſa ſedimenta, quorum veſtigia & reliquiæ reperiuntur, certo argumento, mare aliquando fuiſſe in locis, hodiedum a mari remotiſſimis. Sed hæ converſiones finem habuere denique, & globus eam, quam nunc cernimus, faciem induit. Ingentes haſce mutationes paucis verbis inſinuavit *Moſes*: ſeparatio luminis a tenebris indicat fuſionem ab igne factam, & ſeparatio humidi a ſicco inundationum effectus denotat. Quis verò non videt, has inordinationes rebus ad ſtatum, in quo nunc ſunt, adducendis profuiſſe, his divitias, his commoda noſtra deberi, harum ope denique globum hunc culturæ patientem evaſiſſe? Hæ inordinationes ordine proceſſerunt. Inordinationes, quas eminùs videmus, ſunt maculæ Solis & Cometæ: ſed quos uſus adferant, aut quid in iis ordinatum ſit, necdum novimus. Olim Planetæ pro ſtellis errantibus habebantur, hodie motum earundem regularem eſſe compertum eſt. Idem fortean de Cometis verum eſt; poſteritas ſciet.

246. Inter inordinationes non numeratur conditionum inæqualitas, & merito *Jaquelotius* quærit ab iis, qui omnia æquè perfecta eſſe vellent, quare rupes foliis floribuſque non niteant? cur formicæ non ſint pavones? Et ſi omnia æqualia eſſe neceſſe foret, jure in divitem inſurgeret pauper, ſervus in herum. Non oportet æquales eſſe organi muſici tubos. Dicet *Bælius* eſſe diſcrimen inter ſimplicem privationem boni & depravationem ſeu inordinationem, item inter inordinationem in rebus inanimatis vel brutis, quæ purè metaphyſica eſt, & inter creaturas ratione gaudentes, quæ in culpa miſeriiſque conſiſtit. Jure quidem iſta diſtinguit ipſe: nos verò viciſſim ea jure meritoque conjungimus. Deus inanimata non negligit; ſenſu carent illa quidem, ſed Deus ſuo ſenſu hunc eorum defectum ſupplet. Neque animalia negligit; carent intellectu, at Deus eorum vice intelligit. Ipſe ſibi defectum quemcunque verum & minimum, in Univerſo repertum, exprobraret, quamvis a nemine obſervaretur.

247. Vi-

(d) *In Telluris Theoria Sacra, Orbis noſtri originem & mutationes generales, quas aut jam ſubiit, aut olim ſubiturus eſt, complectente.* Ejus Libri duo priores *de Diluvio & Paradiſo*, poſteriores duo *de Conflagratione Mundi* & *meliori rerum ſtatu* agunt. Vide ib. *Cap. VII.* ubi diſſolutionem terræ primæ a poſteriore probare connititur, inprimiſque agit de cavitatibus ſubterraneis, p. 52. ſqq. ed. Francof. 1691. De hac ejus Commentatione conſulantur *Acta Erud. ad A.* 1682. *p.* 70. *ſq.* & *Supplem. VI. p.* 304. *ſqq.* Reimmanni *Catalog. Biblioth. ſuæ Theol. p.* 691. *ſqq.* qui acri eam cenſura notavit. Cæterùm lucem vidit *Thomas Burnetius* A. 1632. obiit A. 1715. Vitam, quam Latine expreſſit *William Wotton*, exhibet P. *XV. Actor. Philoſ. n. V. p.* 434. *ſqq.*

247. Videtur *Bælio* non probari, quod quæ in rebus inanimatis occurrere queunt inordinationes, cum iis, quæ creaturarum rationalium pacem felicitatemque perturbant, comparentur; aut quòd vitii permiſſio in perturbationis legum motûs evitandæ cura ex parte fundetur. Ex hoc namque, ſi ipſum audiamus, (Reſponſionis poſthumæ ad *Jaquelotium*, pag. 183.) concludi poſſet, *Deum non condidiſſe mundum, niſi ut infinitam Architecturæ, Mechaniceſque, ſcientiam oſtentaret, nulla in magni hujus operis conſtructione bonitatis & amoris in virtutem habita ratione. Hujuſmodi Deus laudem duntaxat ambiret ſcientiæ, malletque totum genus humanum interire, quam pati, ut atomi pauculæ præter leges generales vel celeriùs, vel tardiùs, moverentur.* Hac objectione ſuperſediſſet *Bælius*, ſi conceptum meum generalis harmoniæ ſyſtema cognitum ipſi fuiſſet, vi cujus duo, hinc cauſarum efficientium, inde finalium, regna inter ſe parallela ſunt; nec Deus optimi Monarchæ minùs, quàm Architecti ſcientiſſimi, laudem obtinet; materia ita diſpoſita eſt, ut leges motûs optimæ ſpirituum gubernationi ſubſerviant, ex quibus denique Deus, quantum plurimum boni potuit, obtinuiſſe comperietur, modò bona metaphyſica, phyſica ac moralia, ſimul computentur.

248. Verùm (inquiet *Bælius*) Deus exiguo miraculo mala infinita poterat averruncare, cur ergò miraculum non adhibuit? tam multa hominibus lapſis auxilia extraordinaria largitur; atqui modicum hujus generis auxilium, *Evæ* conceſſum, ejus lapſum impediebat, & tentationem ſerpentis reddebat irritam. Hujuſmodi objectionibus abundè ſatisfecimus hac generali reſponſione, ſcilicet, Deum non debuiſſe aliud eligere univerſum, cùm elegerit optimum, nec adhibuiſſe miracula, niſi in eo neceſſaria. Reſponſum ipſi eſt, naturalem univerſi ordinem miraculis immutari: reponit ille, illuſionem hanc eſſe & miraculum, quod (verbi gratiâ) in nuptiis in Cana Galilææ *Chriſtus* patravit, non aliam in aëre triclinii mutationem effeciſſe, niſi quòd in poros ſuos, quibus ante quædam aquæ corpuſcula inerant, poſtea vini corpuſcula receperit. Sed conſiderandum eſt, ubi ſemel optimum ſyſtema rerum electum fuit, nihil, ac ne minimum quidem, in eo immutari poſſe.

249. Quod *miracula* (e) adtinet, (de quibus jam ſuprà nonnihil diximus)

(e) Diſtinctionem hanc miraculorum in *comparativè talia* & *rigorosè talia* agnoverunt etiam Theologi longè celeberrimi *Reverendiſſ. Cancell. Pfaffius* in *Inſtitutionib. Theol. p. 687. 688. Si quæ*, ait, *cauſæ ſecundæ & creatæ miracula patrant, patrant ſa tim ut cauſæ occaſionales, ad quarum tantùm præſentiam & motum huc directum, qui verò in ſeſe ipſe nullum influxum habet, Deus miraculum patrat.* Nihil his dici magis adpoſitum aut ſapiens poſſe, judicat Ill. *Bilſingerus*, in *Dilucidd. Philoſ.* §. CCXVI. Exigantur ad ea, quæ Ill. *Leibnitius* hoc loco differit, & judicetur tandem, num ex vero dici queat, *fucum* facere Auctorem Ill. cum ſua miraculorum diſtinctione, *adcerſendoque Angelos, per vires eorum naturales ac miniſterium, ſicque etiam per* commu-

ximus) non ſunt illa fortaſsè claſſis & generis unius. Eorum non pauca ſubſtantiarum inviſibilium, quales ſunt Angeli, miniſterio procurari a Deo veriſimile eſt, uti R. P. *Malebranchius* etiam cenſet; & hi Angeli, ſive hæ ſubſtantiæ, agunt ſecundùm naturæ ſuæ leges conſuetas, cum corporibus jungantur ſubtilioribus, magiſque activis, quàm ea, quæ a nobis tractari poſſunt. Hujuſmodi miracula non ſunt miracula, niſi comparatè, & intuitu noſtri; ſicut opera noſtra apud belluas miraculoſa reputarentur, ſi de illis judicium aliquod ferre poſſent. Ad hanc miraculorum claſſem ſpectare fortaſsè poſſet aquæ in vinum mutatio. At creatio, incarnatio, aliæque nonnullæ Dei actiones, omnem creaturarum virtutem tranſgrediuntur, & verè ſunt miracula, immò ex parte myſteria. Si tamen aquæ in vinum mutatio ad miracula primi ordinis pertinebat, Deus hac mutatione totam univerſi ſeriem immutaſſet, ob connexionem mutuam corporum; aut certè debuiſſet hanc connexionem impedire alio miraculo, & corpora, nullam in priore partem habentia, movere, perinde ac ſi miraculum nullum contigiſſet, factoque dein miraculo, debuiſſet etiam omnia in corporibus ipſis, illud participantibus, reſtituere in ſtatum, ad quem ſine miraculo perveniſſent: poſt ea demum cuncta priorem viam relegiſſent. Unde liquet, miraculum iſtiuſmodi plura, quàm prima fronte adpareat, poſtulare.

250. Quod adtinet malum creaturarum phyſicum, hoc eſt, ærumnas, impugnat vehementer *Bælius* illos, qui divinam circa illud adminiſtrationem, adhibitis rationibus particularibus, exculpare nituntur. Brutorum incommoda hìc prætereo: video enim, *Bælium* ærumnis humanis inſiſtere potiſſimùm, fortaſsè quia bruta ſenſu carere autumat: & ex hoc ipſo, quòd pati belluás iniquum foret, *Carteſiani* complures evincere contenderunt, eas nihil eſſe, niſi machinas, *quoniam ſub Deo juſto nemo innocens miſer eſt.* Principium hoc adprobo, non tamen arbitror inde poſſe colligi, quòd bruta perceptione careant (f), quia cenſeo, perceptionem, ſi propriè loquamur, ad inducendam miſeriam non ſufficere, niſi animi reflexio in ſe ipſum adſit. Idem eſt de felicitate ſentiendum: ſine reflexione nulla felicitas.

O

communem & ordinarium naturæ univerſæ curſum, plurima eorum, quæ in Scripturis miracula vulgò dicuntur, fieri contendere? Sententia Viri in doctrina de miraculis eſt, miracula ſine neceſſitate non eſſe ſtatuenda; cùm perfectior agendi ratio ea, quæ paucis utatur mediis extraordinariis, pluribus naturalibus, adeoque cenſendum ſit, in eo duntaxat ſtatu a Deo iſta fieri, quo media naturalia non ſufficiant: quo ipſo neque paucitas, neque multitudo miraculorum adſeritur. *Conf.* §. 209. Huc ſpectant illius verba, quæ leguntur in *Philoſophia Sinica.* §. XLVIII. Cæterum, ubi Vir ill. incarnationem adlegat, ea intelligit & comprehendit omnia auxilia, omnes gratias, quæ intuitu optimi Soſpitatoris noſtri in regno ſpirituali hominibus obtingunt. *V. Epitome Controverſiæ ad Syllogiſmos reductæ*, Tentaminibus adnexa, *in Reſp. ad Object. I.*

(f) Vide jam ſuprà cit. Comment. Leibnitianam *de anima brutorum.* §. *VI.*

O fortunatos nimium, ſua qui bona norint.

Dubitari cum ratione non poteſt, quin dolorem bruta percipiant; ſed & voluptates & dolores non æquè, ac in homine, vivaces eſſe adparet: nam cùm reflexionis ſint expertes, neque triſtitiæ neque lætitiæ, quarum hæc voluptatem, illa dolorem comitatur, ſunt capaces. Homines ipſi quandoque a belluarum conditione haud procul abſunt, & agunt inſtinctu ferè ſolo, & propter ſolas ſenſuum impreſſiones (g), quo in ſtatu voluptates eorum, atque dolores, ſunt admodum exiles.

251. Sed, omiſſis belluis, ad creaturas rationales revertamur. De his agit *Bælius*, dum quærit, pluſne boni, an mali phyſici, ſit in mundo? (Reſponſ. ad Quæſita Provincialis, cap. 75. Tom. 2.) Hanc quæſtionem ut ritè decidamus, explicandum eſt, in quo hæc bona malaque ſita ſint. Convenit inter nos, malum phyſicum aliud nihil eſſe, quàm diſplicentiam, ſub quo vocabulo dolorem, moleſtiam, aliudve quodvis incommodum, comprehendo. At bonum phyſicum an in ſola voluptate collocandum eſt? Ita quidem ſentire videtur *Bælius*, ego verò etiam in ſtatu quodam medio, qualis eſt ſanitas, conſiſtere arbitror. Satis benè eſt ei, cui malè non eſt: ſapientiæ gradus eſt, nihil habere ſtultitiæ,

Sapientia prima eſt
Stultitia caruiſſe.

Sicut oppido laudabilis eſt, qui jure non poteſt reprehendi;

Si non culpabor, ſat mihi laudis erit.

Hac ratione perceptiones omnes, quæ nobis non diſplicent, omnia virium exercitia, quæ non incommodant, quæque impedita incommodarent, bona phyſica ſunt, etiam dum nullam nobis adferunt voluptatem; eorum namque privatio malum eſt phyſicum. Hinc ſanitatis bonum, aliaque hujuſmodi, non, niſi poſt eorum jacturam, perſentiſcimus. Hac ratione auſim adſerere, in præſenti etiam vita bona malis, commoda incommodis, eſſe potiora, nec abs re ſcripſiſſe *Carteſium* (Tom. I. Epiſt. 9.) *naturali ratione nos edoceri, quòd plura nobis in hac vita bona, quàm mala, ſuppetant.*

252. Addendum, quòd voluptatum uſus nimis frequens, magnitudoque, malum foret maximum. Quaſdam voluptates malo caduco comparavit *Hippocrates*, & ſine dubio paſſeribus invidere ſe *Scioppius* (h)

 tantùm

(g) Addit *Interpr.* (ut lunatici ambulare dicuntur ſemiſomnes.)

(h) *Gaſp. Schoppius*, ſeu *Scioppius*, inſignis ſæculi XVII. Criticus, Neomarchiæ natus A. 1576. denatus Patavii A. 1649. d. 19. Jul. Magna ejus fuerunt merita in rem litterariam, ſed laceſſendi alios pruritu quàm maximè laborans, gloriam, egregiis

tantùm ſimulabat, ut in opere, erudito quidem illo, ſed plus quàm nugaci, lepidè nugaretur. Exquiſitioris ſaporis cupediæ valetudini nocent, & delicati palati acumen obtundunt; ac generatim corporeæ voluptates quæcumque virium impendia ſunt, etſi alii aliis meliùs impenſam illam reparare poſſint.

253. Interim, ut malum bono potius eſſe probet *Bælius*, *Mottam Vajerium* (i) (Epiſt. 134.) producit, qui, ſi impoſitam ſibi a Providentia jam ante perſonam rursùs agere debuiſſet, ad vitam hanc mortalem redire ſemel mortuus recuſaſſet. Verum, uti jam ſuprà dixi, propoſitam ab eo, qui ruptum Parcarum filum redintegrare poſſet, conditionem accepturum fuiſſe reor, ſi nova, quamvis priſtina nihilo melior, perſona promiſſa fuiſſet. Itaque ex hoc *Mottæ Vajerii* dicto non ſequitur, eum, quam egerat antè, perſonam recuſaturum fuiſſe, quòd eſſet mala, uti *Bælius* interpretari videtur, ſed tantùm, quòd non eſſet nova.

254. Mentis voluptates omnium puriſſimæ ſunt, & ad gaudii perpetuitatem utiliſſimæ. *Cardanus* (k), jam ſenex, ita ſorte ſuâ contentus erat, ut juratus adſeveraret, non ſe eam cum juvene, quantumvis opulento, ſed inerudito, permutaturum, quod *Motta Vajerius* ipſe refert, nec improbat. Illecebras videtur habere eruditio, quas qui non deguſtarunt, cogitando nunquam adſequantur. Non hìc intelligo factorum notitiam, rationum ſcientiâ nudatam, ſed qualem *Cardanus* habuit, vir verè magnus, etiam cum vitiis ſuis, maximus futurus, ſi illis caruiſſet.

Felix, qui potuit rerum cognoſcere cauſas!
Ille metus omnes & inexorabile fatum
Subjecit pedibus.

Non parva res eſt eſſe Deo Univerſoque contentum; non metuere fata noſtra, neque de eventis conqueri. Hunc nobis fructum, longe alium ab eo, quem Stoici Epicureique a Philoſophia ſua hauriebant, genuinorum

egregiis ingenii fœtibus partam, non parum labefactavit, &, ut *Marquardi Gudii* verbis utar, multa acerbitate viros maximos plerumque ſine fronte, ſine fide invaſit, tanquam ſcurras de cataſta. *Valentinus Andreæ* illum Priapejum, Veſpillonem & hominis monſtrum, vocat *Mytholog. Chriſt. manip. I. Apol.* 41.

(i) *Franciſc. de la Mothe le Vayer*, *Felicis de la Mothe* filius, celebris Gallus, A. 1588. Pariſiis natus, & A. 1672. denatus. In omnibus ſuis actionibus aliquid ſingulare & inſuetum cernebatur, ita ut pro Miſanthropo haberetur: in inceſſu ſemper cœlum tuebatur, hinc *Vigneul Marville*, eum, antea ſibi ignotum, exiſtimavit eſſe Aſtronomum: Rerum novarum tam cupidus erat, ut viſentem *Bernierium* morti proximus rogaret: *Quid novi de magno Mogole?* Scripta ipſius, Voluminib. 15. in 12. incluſa, A. 1684. adcuratiſſimè prodierunt.

(k) Scripſit ipſe *Librum de vita propria*, ex Bibliotheca *Gabr. Naudæi*, Pariſ. apud *Jacob. Villery* in Palatio, 1643. 8. & Amſt. ap. *Joann. Ravenſteinium*, 1654. 12. V. de eo, ejuſque ſcriptis, *Niceronii* Mémoires T. XIV. p. 233. ſeqq.

rum principiorum notitia conciliat. Tantùm inter veram ſinceramque diſciplinam moralem & Stoicam Epicureamve intereſt, quantùm lætitiam inter & patientiam; iſtorum namque tranquillitas ſola neceſſitate nitebatur; noſtra verò in perfectione pulchritudineque rerum, in noſtra denique vera felicitate, fundatur.

255. Sed quid de doloribus corporeis dicemus? an non tam acuti eſſe poſſunt, ut hanc ſapientis tranquillitatem interrumpant? Fatetur id *Ariſtoteles*: Stoici, ipſique adeò Epicurei, aliter ſentiebant (l), quorum Philoſophorum opinionem *Carteſius* inſtauravit: ait enim in Epiſtola paullò antè citata: *Etiam inter funeſtiſſimos caſus, & dolores acerrimos, poſſe quem ſemper eſſe contentum, modò ratione uti noverit.* Sed *hoc Bælius* (Reſp. ad Provinc. T. 3. cap. 157. p. 991.) *inane eſſe*, ait, *nam remedium nobis a* Carteſio *indicari, quod parare nemo ferè ſciat.* Ego rem non eſſe prorſus impoſſibilem arbitror, atque homines meditatione uſuque ſtrenuo illuc poſſe pertingere. Nam, ut de veris martyribus, & iis, qui extra ordinem divinitùs adjuti fuerunt, taceam, fuere Pſeudomartyres, qui veros imitarentur: ac Hiſpanus ille ſervus (m), qui, ut herum ulciſceretur, Præfectum Carthaginenſem interemit, eoque facto inter atrociſſima tormenta triumphavit, in ruborem dare Philoſophos poſſet; cur enim paria facere non liceat? In utramque fortunæ partem valet illud Poëtæ:

Cuivis poteſt accidere, quod cuiquam poteſt.

256. Quid? quod hodieque Gentes integræ, puta Hurones, Hiroquoſii, Galibii, aliique Americæ populi, magnum nobis ea in re documentum præbent: non ſine admiratione legimus, quàm intrepidè, ac propè indolenter, hoſtibus, a quibus lento igne torrentur, & ſtatim devorantur, inſultent (n). Hujuſmodi homines ſi corporis dotes animique robur ſervare, & noſtris cum notitiis copulare poſſent, ſanè nos uſquequaque ſuperarent,

Exſtat

(l) Pertinet huc ſecundum inter Paradoxa *Ciceronis*: ὅ τι αὐτάρκης ἡ ἀρετὴ πρὸς εὐδαιμονίαν; *In quo virtus ſit, ei nihil deeſſe ad beatè vivendum. Theodorus* Cyrenæus, *Lyſimacho* regi, mortem minanti, inquit, *Magnifica res tibi contigit, quia cantharidis vim adſecutus es. Cumque hoc dicto iratior factus, cruci eum adfigi juſſiſſet: Terribilis hæc*, inquit, *ſit purpuratis tuis: meâ quidem nihil intereſt, humine an in ſublimi putreſiam. Valer. Maximus* Lib. VI. de liberè dictis, notante ad dictum locum *Sylvio.*

(m) *Juſtinus* Lib. XLIV. Cap. V. 5. *Aſdrubalem* a ſervo Hiſpani cujuſdam, ulciſcente domini injuſtam necem, interfectum ſcribit. *Polybius* Lib. II. enarrat, eum noctu per inſidias a Gallo quodam privatarum inimicitiarum cauſa eſſe interfectum. *Livius*, Hiſt. Lib XXI. c. II. *Barbarus*, ſcribit, *eum* (Aſdrubalem) *quidam palam ob iram interfecti ab eo domini obtruncavit, comprehenſuſque a circumſtantibus, haud alio, quam ſi evaſiſſet, vultu, tormentis quoque quum laceraretur, eo fuit habitu oris, ut ſuperante lætitia dolores, ridentis etiam ſpeciem præbuerit.*

(n) V. *Allain Maneſſon Malleti Beſchreibung des ganzen Weltkreiſes P. V. Lib. VIII. cap. III. §. 15. p. 337.*

Exſtat ut in mediis turris aprica caſis.

Nobis forent, quod gigas nano, quod mons eſt colliculo:

Quantus Eryx, & quantus Athos, gaudetque nivali
Vertice ſe adtollens pater Apenninus ad auras.

257. Quidquid in hiſce Barbaris, inuſitato quodam œſtro gloriolæ percitis, mirificus vigor corporis animique præſtat, id totum nobis præſtare poſſent educatio (o), opportunè circumſpecteque adhibitæ corporis adflictationes, gaudium dominans rationi innixum, & magnus præſentis animi medias inter diſtractiones, adfectuſque quantumvis turbulentos, conſervandi uſus. Adfine quidpiam narratur de veteribus Aſſaſſinis, qui ſub Vetuli, vel potius Domini (*Senioris*) de Montanis imperio diſciplinaque vivebant (p). Hujuſmodi ſchola (ſed meliorem in finem) opportuna foret excolendis Miſſionariis, ſi qui Japoniæ ingreſſum denuò tentare vellent. Indorum veterum Gymnoſophiſtæ fortaſſis ab hac diſciplina non abludebant, & *Calanus* ille, qui ſe vivum comburendum *Alexandro Magno* in ſpectaculum præbuit, utique magnis magiſtrorum ſuorum exemplis animatus fuerat, & magnarum ærumnarum toleratione didicerat, non pertimeſcere dolorem (q). Eorumdem Indorum uxores, quæ cum maritorum ſuorum cadaveribus hodienum conflagrare ambiunt, antiquiorum gentis ſuæ Philoſophorum fortitudinem adumbrare videntur. Non equidem exſpecto, ut tam facilè inſtituatur religioſus aliquis ordo, cui propoſitum ſit, hominem ad tantum perfectionis apicem evehere: id hominum genus mortalibus cæteris nimium quantum præcelleret, & poteſtatibus nimis metuendum foret. Cùm rarò tantis involvamur diſcriminibus, ut tam inſigni animi fortitudine ſit opus, nemo facilè de comparandis ſibi, cum ſuetorum commodorum jactura, præſidiis hujuſmodi cogitabit, tametſi compendium, diſpendio longè majus, inde proventurum foret.

258. Interim

(o) *Interpr.* tanto molimini conveniens.

(p) Aſſaſſini, genus hominum in Oriente, qui Mahumetanæ diſciplinæ addicti, novam ſibi ſectam inſtituerunt, conditore quodam *Aloadino*, regnum in ea Perſidis parte obtinente, quæ Indo Fl. proxima eſt. Erat veluti equeſtris ordo, cujus Principes, *Aloadini* ſucceſſores, *Seniores* & *Sexmontii* nominabantur. Duravit ea uſque ad Tartarorum irruptiones; tum enim arce Aſſaſſinorum primaria, Tigado, poſt 27. annorum obſidionem capta, prorſus deleti fuere. Delecti in ea gente juvenes, religionis quadam perſuaſione inducti, & neſcio cujus Paradiſiacæ voluptatis promiſſo ineſcati, Principi ſuo fidem ſic obſtrinxerunt, ut ad imperium ejus, quoſcumque Principes occiſos ipſe vellet, eos vi, fraude, dolo, pro re nata, etiam cum præſente capitis ſui periculo, trucidarent. Hinc *Aſſaſſini* vocabantur poſtea conductitii ad alios interimendos, præcipuè viros principes.

(q) Tradunt hanc hiſtoriam *Ælian.* V. H. Lib. V. c. VI. *Plutarch.* in *Alex. Strab.* Lib. XV. *Diodor. Sic.* Lib. XVII. Bibl. *Athenæus* Lib. I. *Cicer.* de Divinat. 1. & Quæſt. Tuſc. II. *Suidas*, quos omnes citat ad *Ælianum Schefferus*. Pluribus ibid. etiam diſſeritur de more iſto Indorum a *Cl. Kuhnio*, *Perizonio*, quos vide in ſplendida ed. Gronoviana Amſt. 1731. 4.

258. Interim vel inde efficitur, boni plus eſſe, quàm mali, cùm tanto remedio nihil opus ſit. Adcinit *Euripides*:

> Πλείω τὰ χρηστὰ τῶν κακῶν εἶναι βροτοῖς.
> *Mala noſtra longè judico vinci a bonis.*

Homerus, aliique Poetæ complures, aliter cenſuere, quibus vulgus adſentitur. Hoc inde eſt, quia malum adtentionem noſtram ferit acriùs, quàm bonum: ſed hæc ipſa ratio malum eſſe bono rarius evincit. Non ergò tetricis *Plinii* (r) dictis habenda fides, qui naturam veluti novercam traducit, hominemque rem eſſe rerum omnium conditarum miſerrimam & vaniſſimam contendit. Hæc duo epitheta non benè conveniunt; neque enim ſatis eſt miſer, qui ſe ipſo turgidus eſt. Homines quidem, opinor, plus nimio naturam humanam deprimunt; fortaſsè quia nullas alias creaturas, æmulatione ſua dignas, vident; verùm enim verò ipſi ſeſe pluris, quàm ſatis eſt, æſtimant, & facillimè unuſquiſque ſibi ipſe privatim placet. Itaque cum *Merico Caſaubono* ſentio, qui in ſuis ad *Diogenis Laërtii Xenophanem* notis egregias *Euripidis* ſententias ita extollit, ut quædam, *quæ ſpirant* θεοπνευστον *pectus*, ei tribuere non vereatur (s). *Seneca* (Lib. 4. cap. 5. de Benef.) eleganter diſſerit de beneficiis, quibus natura nos cumulavit. *Bælius*, Dictionarii Articulo *Xenophanes*, multas in contrarium adducit auctoritates, interque cæteras *Diphili* Poëtæ teſtimonium, apud *Stobæum*, quod ex Græco ſic Latine reddi poſſet:

> *Fortuna cyathis bibere nos datis jubens,*
> *Infundis uno terna pro bono mala.*

259. Exiſtimat *Bælius*, ſi de ſolo malo culpæ, ſive malo morali, agetur,

(r) *Plinius*, H. N. Lib. VII. in Proœmio de Animalibus: Cum omnia exſequi humanus nequeat animus, principium jure tribuetur homini, cujus cauſa videtur cuncta alia genuiſſe natura magna & ſæva mercede contra tanta ſua munera, ut non ſit ſatis æſtimare, parens melior homini an triſtior noverca fuerit, *&c.*

(s) *Mericus Caſaubonus* ad *Diog. Laërt. Xenophanem*, qui ait, ἔφη δὲ καὶ τὰ πολλὰ ἥττω νοῦ εἶναι, *& plurima deteriora mente eſſe.*) Τὰ χείρονα νικᾷ, in divinæ adminiſtrationis & providentiæ argumento, veteribus decantatiſſima querimonia; ab *Homero* primum profecta, qui occaſione facti particularis uſurpavit: ſed ab aliis ad generalem ſenſum traducta, cum verbis iſtis, mala bonis in vita communi præponderare, ſignificare vellent. Qui parciſſimè loquebantur, Deum excuſabant, qui Bonus, non niſi bona in operibus ſuis, & omni adminiſtratione ſua, ſibi propoſuiſſet; ſed materiæ obluctantis, vel deficientis, *neceſſitate* coactus, etiam malis non paucis, invitus, locum reliquiſſet. At vulgare hoc dictum, τὰ χείρονα νικᾷ, multis refellit Tragicorum ſapientiſſimus, *Euripides*, illuſtri loco, qui incipit,

> --- ἔλεξε γάρ τις ὡς τὰ χείρονα
> Πλείω βροτοῖσίν ἐστι τῶν ἀμεινόνων.
> Ἐγὼ δὲ τούτοις ἀντίαν γνώμην ἔχω,
> Πλείω τὰ χρηστὰ τῶν κακῶν εἶναι βροτοῖς.

Cætera, quæ bene multa, talia, quæ θεοπνευστον pectus ſpirare videantur. " *In ed. Amſt. Wetſtenian. Lib. IX. Segm.* 19. *not.* 13.

retur, litem pro *Plinio* adversùs *Euripidem* eſſe brevi decidendam. Non equidem repugno: vitia noſtra ſine dubio virtutes noſtras præponderant, idque originali peccato in acceptis referendum. Sed tamen non negandum, in hoc ipſo immodicum eſſe vulgus, nonnulloſque adeo Theologos hominem ita deprimere, ut in hominis Auctoris Providentiam ſint injurii. Quare non adſentior illis, qui de Religione præclarè ſe mereri crediderunt, dum dicunt, Ethnicorum virtutes nihil eſſe, niſi *ſplendida peccata*: quæ *S. Auguſtini* exaggeratio, nec in S. Pandectis fundamentum habet, & rationi adverſatur. Verùm hîc de bono maloque phyſico duntaxat agimus, ac conferenda ſunt ſpeciatim hujus vitæ proſpera cum adverſis. Vellet *Bælius* nullam ferè ſanitatis haberi rationem; comparat eam cum corporibus rarefactis, quæ ſenſum leviter adficiunt, ut aër verbi gratia; at dolorem corporibus admodum denſis adſimilat, quæ in modico volumine multam habent gravitatem. Verùm ſanitatis præſtantiam ſatis indicat dolor ipſe, quem ſentimus, cùm illâ ſumus orbati. Jam ſuprà notavi, voluptates corporis, ſi nimiæ ſint, verum eſſe malum, nec aliter eſſe decebat; tanti enim intereſt, liberam eſſe mentem. *Lactantius* (Divin. Inſtitut. Lib. 3. c. 18.) dixerat, tam delicatos eſſe homines, ut de minimo malo, quaſi omnia bona, quibus fruantur, abſorbente, conquerantur. Reſpondet *Bælius*, ſatis eſſe, quòd homines ita ſentiant, ut judicetur iis eſſe malè, cùm ſenſus, ſive perceptio, ſit boni malive menſura. Verùm ego reſpondeo, perceptionem præſentem minimè veram eſſe boni malique præteriti ac futuri menſuram. Concedo, malè cuipiam eſſe, quamdiu triſtes has cogitationes fovet, ſed hoc nihil obſtat, quo minùs antea fuerit ei bene, &, omnibus penſatis, bonum malo prævaleat.

260. Non miror, Ethnicos, diis ſuis non admodum contentos, de *Prometheo* & *Epimetheo* (t) queſtos eſſe, quòd hominem, animal adeò imbecille, finxiſſent; & fabellæ de ſene *Sileno* (u), *Bacchi* nutritore, adplauſiſſe, qui, cùm à *Mida* rege captus eſſet, hoc ei, tanquam munus pro ſua miſſione, dediſſe ſcribitur documentum: *non naſci homini* *longè*

(t) Fertur *Prometheus*, cujus frater *Epimetheus*, homines primùm e luto finxiſſe, & ſic univerſi generis humani parens, vel potius artifex, fuiſſe. *Propertius* animum ab ipſo neglectum queritur hiſce verſibus:

O prima infelix fingenti terra Prometheo,
Ille parum cauti pectoris egit opus.
Corpora diſponens mentem non vidit in arte,
Recta animi primùm debuit eſſe via.

Lib. III. 3. p. 216. *ed.* Scaliger.

(u) Fingitur *Silenus* a *Mida* vino, in fontem quendam infuſo, captus, & ita in ſuam redactus poteſtatem, ut ab eo varia diſceret, maximè de vitæ humanæ miſeria, & longè beatiore hominum poſt ſua fata conditione: v. *Plutarchi Conſol. ad Apollon.* Habitus enim eſt ab Antiquis Philoſophus, Educator & Præceptor, ac Cuſtos, & perpetuus comes, *Bacchi*; *Doctor præſtantiſſimarum artium, qui multa* Baccho *contulit ad virtutem & gloriam*, uti *Diodorus Sic.* ait Lib. III. & hinc a *Virgilio*, *Cicerone*, *Plutarcho*, *Æliano*, aliis, inducitur ut ex interiori Philoſophia de rebus naturalibus & moralibus diſſerens.

longè optimum eſſe, proximum autem quamprimùm mori. (*Cic.* Tuſcul. Lib. I.) *Plato* animos in ſtatu feliciore fuiſſe credidit, & e Veteribus non pauci, quos inter *Cicero* in Conſolatione ſua (teſte *Lactantio*) putaverunt, *animas luendorum ſcelerum cauſa in hoc veluti corporis ergaſtulum conjectas fuiſſe.* Hoc pacto malorum noſtrorum rationem reddebant aliquam, & ſua contra vitam humanam præjudicia confirmabant: nullus eſt carcer amœnus. Sed præterquàm quòd, his ipſis Ethnicis auctoribus, hujus vitæ mala præteritæ & futuræ vitæ bonis compenſarentur, ſi rem ipſam ſine præoccupatione mentis expenderimus, auſim dicere, nos comperturos, humanam vitam, adæquatis rationibus, eſſe plerumque tolerabilem, &, ſi conſiderationes, a Religione ſuppeditatæ, accedant, nos ordine, a Deo conſtituto, contentos eſſe poſſe. Ut autem de bonis maliſque noſtris æquiorem ferre ſententiam liceat, juverit legere *Cardanum de utilitate ex adverſis capienda*, & *Novarinum de occultis Dei beneficiis.*

261. De Magnatum ærumnis, qui mortalium feliciſſimi vulgò reputantur, latè differit *Bælius.* Adſiduus fortunæ lætioris uſus boni ſenſum apud illos obtundit, malum magnoperè exaſperat atque exacuit. Dicet aliquis, tanto pejus eos ſibi conſulere, tantoque magis culpabiles eſſe, ſi naturæ fortunæque muneribus frui neſciant: an propterea alterutra culpam habebit? Magnates tamen haud pauci ſapientiores reperiuntur, qui donis, a Deo ſibi conceſſis, uti rectè noverint, qui in adverſis facile conſolationem admittunt, æquè propriis adeo erratis ac peccatis commoda eliciunt. Hæc non adtendit *Bælius*, & mavult *Plinio* (x) auſcultare, qui *Auguſtum*, Principem favore fortunæ omnium maximè utentem, ſaltem non pauciora mala, quàm bona, perſenſiſſe autumat. Fateor, *Auguſtum* domi ſuæ ſegetem moleſtiæ amplam inveniſſe (y), & oppreſſæ Reipublicæ conſcientiâ fortaſſis fuiſſe vexatum; ſed ſapientiorem fuiſſe arbitror, quàm ut priori conditione magnoperè cruciaretur, crediderimque, effeciſſe *Mecænatem*, ut Romam Domino indigere agnoſceret. Sanè ſi *Auguſto* ſcrupulus ille adhuc hæſiſſet, nunquam de quodam apud Inferos damnato ceciniſſet *Virgilius*:

> *Vendidit hic auro patriam, Dominumque potentem*
> *Impoſuit, fixit leges pretio atque refixit.*

Crediſſet *Auguſtus*, ſe *Julium*que *Cæſarem* deſignari iis verſibus, qui impoſiti libero populo Domini meminerant. Sed veriſimile eſt, eum regno ſuo, quod tanquam ſociabile cum libertate, ac veluti malorum

 pu-

(x) Adverſa *Auguſti* plura enarrat in compendio *Plinius*, Lib. VII. c. 45.

(y) *Suetonius* in Vita ejus, 65. Lætum eum atque fidentem & ſobole & diſciplina domus, fortuna deſtituit. Addit dein, *Auguſtum* ad familiæ ſuæ mentionem omnem ingemuiſſe, & proclamaſſe:

> Αἰθ' ὄφελον ἄγαμος τ' ἔμεναι, ἄγονος τ' ἀπολέσθαι.

publicorum medelam neceſſariam, ſpectabat, hos verſus tam parum adplicaſſe, quàm parum hujus ætatis Principes ſibi dictum interpretantur, quod de illaudatis regibus legitur in Archiepiſcopi Cameracenſis (z) *Telemacho*. Quiſque æquitatem a ſuo ſtare latere credit. *Tacitus* (aa), Auctor a partium ſtudio alienus, *Auguſti* Apologiam verbis paucis complectitur initio Annalium. Sed *Auguſtus* ipſe meliùs, quàm alius quivis, de fortuna ſua judicare potuit. Certè deceſſiſſe vita ſua contentum inde colligas, quod moriens amicos Græco compellavit verſiculo, qui tantundem ſignificat, ac *Plaudite*, ſolennis illa fabularum clauſula, quæ placuiſſe credebantur. Eum refert *Suetonius*:

Δοτε κροτον, καὶ παντες ὑμεις μετα χαρας κτυπησατε (bb).

262. Sed dato, mali plus, quàm boni, humano generi obveniſſe, ſatis eſt ex parte Dei, quòd longè plus in Univerſo boni, quàm mali reperiatur. Rabbi *Maimonides* (cc), (qui infra meritum laudatur, dum dicitur Rabbinorum primus ineptire deſiiſſe,) de hac tota quæſtione, mali præ bono valorem in mundo expendente, præclarè judicavit. Sic enim loquitur in ſuo *Doctore perplexorum* (p. 3. cap. 13.). *Sæpè in hominum malè doctorum mentibus cogitationes exſurgunt, ipſis plus in mundo mali, quàm boni, eſſe perſuadentes: & paſſim in Ethnicorum poëmatis carminibusque inculcatur, miraculi inſtar eſſe, ſi quid boni accidat; cùm contra mala paſſim obvia ſint & continua. Hic error non modò vulgi mentibus inſedit, ſed etiam ad illos, qui ſapientes haberi volunt, permanavit.* Alraſi, *celebris Auctor, in ſuo* Sepher Elohut, *ſive Theoſophia, præter alia multa abſurda, illud etiam inſeruit, bona malis eſſe pauciora, &, comparatione inſtituta voluptatum atque gaudiorum, quibus tempore tranquillitatis homo fruitur, cum doloribus, tormentis, perturbationibus, defectibus, ſollicitudinibus, tædiis adflictionibuſque, quibus opprimitur, compertum iri, quòd vita noſtra ingens malum ſit, verumque ſupplicium nobis in pœnam inflictum.* Addit *Maimonides*, inſani hujus erroris cauſam eſſe, quod naturam ſibi ſolis eſſe conditam arbitrentur, &, quidquid a ſe diſtinctum eſt, pro nihilo

(z) *François de Salignac de la Motte Fenelon*, natus A. 1651. d. 6. Aug. denatus 1715. d. 8. Jan.

(aa) Qui (*Auguſtus*) cuncta diſcordiis civilibus feſſa, nomine *Principis* ſub imperium accepit. Lib. I. Ann. c. 1. 3.

(bb) *Suet.* in *Vita Octavii*, 99. *Edite ſtrepitum, voſque omnes cum gaudio adplaudite.*

(cc) *R. Moſes ben Maimon*, Cordubenſis, ſæculo duodecimo floruit. Liber, qui ab ill. Viro laudatur, inſcriptus מורה נבוכים *Doctor perplexorum. Jo. Buxtorfius* fil. verſionem ejus alteram dedit, adcuratiorem verſione, quam *Auguſtinus Juſtinianus* typis imprimi curavit Pariſ. 1520. ea exiit Baſil. 1629. 4. ſine textu Ebræo. Maximum ſuæ gentis decus fuit *Maimonides*, vir ſummo ingenio excellentique doctrina; unde dictum Judæorum: *A Moſe uſque ad Moſen, non fuit ſicut Moſes.*

nihilo habeant, ex quo conficiunt, ſi quid contra votum ſibi acciderit, in Univerſo malè procedere omnia.

263. *Bælius* hanc *Maimonidis* animadverſionem a ſcopo deviare contendit, cùm quæſtio ſit, an inter homines bonum malo prævaleat, nec ne? Verùm, dum verba Rabbini expendo, quæſtionem ab eo generalem formari comperio, eumque refutandos ſuſcepiſſe illos, qui eam decidunt particulari aliqua ratione, e generis humani malis deprompta, adducti, quaſi hominis gratia condita forent univerſa (dd). Meritò dicit *Maimonides*, ſi hominis exilitas cum Univerſi mole conferatur, fore, ut evidenter pateat, mali præponderationem, etiamſi inter homines locum haberet, non ideo tamen inter Angelos, inter cœleſtia corpora, inter elementa & mixta animata, aut inter plurimas denique animantium ſpecies, debere locum habere. Oſtendi alibi, quòd concedendo, damnandorum numerum majorem eſſe, quàm ſalvandorum, (quod tamen non eſt uſquequaque certum) (ee), admitti poſſet, plus eſſe mali, quàm boni, in humano genere, nobis cognito; ſed ſimul monui, hoc nihil obſtare, quo minùs in creaturis rationalibus generatim immenſo exceſſu amplius ſit bonum, quàm malum, & quo minùs Dei civitas, omnes iſtas creaturas complexa, rerum publicarum omnium ſit perfectiſſima: denique ſi bonum malumque metaphyſicum conſideretur, quod omnibus ſubſtantiis, tam intelligentia præditis, quàm deſtitutis, ineſt, quodque, hac latitudine ſumtum, bonum phyſicum bonumque morale complecteretur, dicendum eſt, Univerſum, quale nunc eſt, omnium ſyſtematum optimum eſſe debere.

264. Cæterùm *Bælius*, ubi de ærumnis noſtris ſermo eſt, culpæ noſtræ rationem haberi non vult. Jure id quidem, ſi tantùm de earum æſtimatione agatur; ſecùs verò, dum quæritur, an ærumnæ noſtræ Deo in acceptis referendæ ſint, qui præcipuus difficultatum, a *Bælio* motarum, ſcopus eſt, cùm Religioni Rationem, ſive Experientiam, opponit. Scio, eum dictitare, fruſtrà ad liberum noſtrum arbitrium recurri, cùm argumenta ipſius contendant, abuſum liberi arbitrii Deo, permittenti & concurrenti, non ideò minùs eſſe imputandum. Et axiomatis inſtar ab eo venditatur, ob unam plus minuſve difficultatem ab aliquo ſyſtemate non eſſe recedendum. Quod ipſum in gratiam rigidarum præſertim methodorum, & Supralapſariorum dogmatis, enunciat, ratus, eorum ſententiæ ſtari poſſe, quamvis difficultates integras relinquat, quia cætera ſyſtemata, tametſi nonnullas difficultates tollant, non tamen omnes diſſolvere valent. Ego quidem cenſeo, genuinum, quod explicavi, ſyſte-

(dd) Addit *Interpr.* Ei videtur Auctor, quem refutat, etiam locutus fuiſſe de bono & malo generatim.

(ee) Addit *Interpr.* (cùm futuros generis humani ſtatus ignoremus.)

ma omnibus difficultatibus occurrere: ſed, quamvis res ita ſe non haberet, fateor, illud *Bælii* axioma mihi neutiquam probari poſſe, & ſyſtema, potiores difficultates diluens, alteri, nullam tollenti, ſemper anteferam (ff). Certè conſideratio nequitiæ hominum, a qua pleraque eorum mala pullulant, ſaltem evincit, eos non habere, quòd querantur. Cùm de pœna infligenda agitur, juſtitia pravitatis originem in ſcelerato non magnoperè quærit: alia res eſt, ubi de impedienda illa circumſpicitur. Conſtat, indolem, educationem, converſationem, & perſæpè etiam caſum, multùm ad facinus valuiſſe; an ideò minùs animadverſione dignum cenſebitur?

265. Fateor, aliam adhuc ſupereſſe difficultatem: nam etſi Deus improbis de ipſorum malitia rationem reddere non teneatur, videtur tamen ipſe ſibi, ſeque colentibus, & amantibus, debere, ut in vitio peccatoque permittendo viarum ſuarum æquitatem oſtendat. Verùm officio iſto, quantum quidem hic in terris neceſſe erat, perſunctus eſt, dumque Rationis lumen largitus eſt nobis, neceſſaria difficultatibus omnibus removendis præſidia ſubminiſtravit, quod quidem hoc in diſcurſu oſtendiſſe me ſpero, remque totam, quantùm ferè per rationes generales fieri poterat, in præcedenti horum Tentaminum parte illuſtraſſe. Poſt hæc, purgata ſemel permiſſione peccati, cætera mala, quæ ſunt peccati effectus, non magnam habent difficultatem, nec ultra malum culpæ progredi tenemur, ut mali pœnæ rationem reddamus, quemadmodum ſacri faciunt Codices, omneſque ferè Eccleſiæ Patres; & Concionatores omnes. Ne verò hæc ratio ad conciones duntaxat utilis eſſe dicatur, *per la predica* (gg), ſufficit conſiderare, quòd poſt ſolutiones, a nobis adlatas, nihil hac methodo æquius, nihil exactius, debeat videri. Nam cùm inter poſſibilia jam Deus hominem, libertate ſua abutentem, malumque ſibi adcerſentem, ante omne decretum ſuum actuale, repererit, non potuit non eum ad exiſtentiam admittere, quia optimum ſyſtema generale id poſtulabat: ita ut poſthac neceſſe non ſit dicere cum *Juriæo*, dogmatizandum quidem eſſe cum *Auguſtino*, at cum *Pelagio* concionandum.

266. Hæc malum pœnæ a malo culpæ derivandi methodus, quæ reprehendi non poteſt, præcipuè inſervit ad reddendam rationem mali omnium phyſicorum maximi, damnationis ſcilicet æternæ. *Erneſtus Sonerus* (hh), olim Philoſophiæ Profeſſor Altorfii, (quæ eſt Reipublicæ Nori-corum

(ff) Addit *Interpr.* (tanquam gradum ad perfectam ſublationem.)

(gg) Addit *Interpr.* ut Itali proverbio dicunt de phaleris ad populum.

(hh) *Erneſtus Sonerus*, Norimbergenſis, A. 1572. natus, A. 1612. denatus. In Socinianiſmo Magiſtros habuit *Andr. Voidovium*, & *Chriſtoph. Oſtorodum*, in quorum familiaritatem Lugduni Batavorum pervenit. *Scherbio*, Præceptori ſuo, Altorfi ſucceſſit in Profeſſione Med. & Phyſ. V. illius hiſtoriam in *B. Zeltneri Hiſtoria* Crypto-

corum Academia) qui Ariſtotelicus inſignis habebatur, ſed demùm occultè *Socino* favere agnitus eſt, diſſertatiunculam evulgavit inſcriptam: *Demonſtratio contra æternitatem pœnarum.* Hæc principio ſatis trito nitebatur, quod nulla ſit inter pœnam infinitam, & culpam finitam, proportio. Communicata ea mecum eſt, apud Batavos (uti videtur) excuſa, & reſpondi amico, conſiderandum hic aliquid eſſe, quod *Sonerum* effugiſſet, nempe ſufficere dicendo, durationem culpæ cauſam eſſe durationis pœnæ; damnatos, utpote in malitia ſua perſeverantes, a miſeria liberari non poſſe; atque ita, ad oſtendendam continuandæ illorum infelicitatis æquitatem, nihil eſſe neceſſe ponere, quod peccatum ſit valoris infiniti, ob objectum infinitum, quod offenſum eſt, nempe Deum: quam theſin non ſatis expenderam, ut judicare de illa poſſem. Scio, Scholaſticos, duce Magiſtro ſententiarum, communiter ſentire, quòd in altera vita nec meritum ſit, neque demeritum; ſed hanc opinionem, ſi rigidè ſumatur, pro fidei articulo habendam eſſe non arbitror. *Fechtius*, celebris apud Roſtochienſes Theologus, in Libro ſuo de ſtatu damnatorum eam validè confutavit. Falſiſſima eſt, inquit (§. 59.), Deus naturam ſuam mutare non poteſt, juſtitia ipſi eſſentialis eſt; janua gratiæ morte clauſa eſt, non item juſtitiæ.

267. Animadverti, complures eruditos Theologos durationis pœnæ damnatorum rationem eo, quem jam dixi, modo reddidiſſe. *Joannes Gerhardus*, Auguſtanæ Confeſſionis Theologus celebris (*in Locis Theol. Loco de Inferno* §. 60.) inter argumenta cætera, hoc etiam proponit, quòd damnati ſemper habeant malam voluntatem, deſitque gratia, quæ bonam efficere poſſit. *Zacharias Urſinus* (ii), Heidelbergenſis Theologus, cùm (in Tractatu *de Fide*) quæſiviſſet, cur peccatum mereatur pœnas æternas, poſtquam protuliſſet vulgarem rationem, quòd perſona offenſa ſit infinita, hanc etiam ſecundam adducit, *quòd, non ceſſante peccato, non poteſt ceſſare pœna.* Et *P. Drexelius* (kk) Jeſuita, Libro, cui titulus: *Nicetas, ſive Incontinentia triumphata*, (Lib. 2. cap. 11. §. 9.) *Nec mirum*, inquit, *damnatos ſemper torqueri, continuè blaſphemant, & ſic quaſi ſemper,*

Crypto-Sociniſmi, Altorfinæ quondam Academiæ infeſti, *Lipſiæ*, 1729. p. 26. & ſqq. Cl. *Fellerus* in Supplemento Vitæ *Leibn.* quod Otio Hannoverano præmiſit de Libello, quo *æterna impiorum ſupplicia juſtitiæ divinæ adverſari* Sonerus demonſtrare conatus eſt, judicat, *ſolam argumentorum, in forma propoſitorum, lectionem ſubactis ingeniis ad refutandum ſufficere*: adprobat judicium *Zeltnerus*, p. 49. not. b. *ſeque*, *perlecto hoc opuſculo*, pariter dicit, *nihil obſervaſſe*, *quod Theologi exacti & ſtyli Script. S. gnari vires ſuperet, & vel mediocri induſtria adhibita, dilui nequeat.*

(ii) *Zach. Urſinus*, Wratisl. natus A. 1534. d. 18. Jul. denatus A. 1583. d. 6. Mart. Juſſu *Friderici* III. Elect. Palat. cum *Caſp. Oleviano* Catechiſmum Heidelbergenſem confecit, qui A. 1563. lucem vidit.

(kk) *Jeremias Drexelius*, S. J. Bavariæ Ducis & Elect. Maximiliani Confeſſionarius, mortuus A. 1638. annos natus quinquaginta ſeptem.

ſemper peccant, ſemper ergò plectuntur. Eandem rationem refert & adprobat in Opere ſuo Æternitatis (ll), (Libr. 2. cap. 15.) *Sunt*, inquit, *qui dicant, nec diſplicet reſponſum: ſcelerati in locis infernis ſemper peccant, ideò ſemper puniuntur.* Quibus verbis innuit, hanc opinionem apud Eccleſiæ Romanæ Doctores ſatis eſſe receptam. Verum quidem eſt, ipſum adlegare aliam rationem, adhuc ſubtiliorem, e *Gregorio Magno*, Pontifice, (Dialogorum Libro 4. cap. 44.) depromptam, quòd damnati pœnas æternas luant, quia Deus per ſcientiam quandam, mediæ adfinem, prævidit, ſemper fuiſſe peccaturos, ſi ſemper in terra victuri fuiſſent. Verùm hac de hypotheſi multa dicenda forent. *Fechtius* inſuper plures celebres Theologos Proteſtantes pro *Gerhardi* ſententia producit, quanquam alios etiam referat aliter ſentientes.

268. *Bælius* ipſe duorum eruditorum partis ſuæ Theologorum loca, dictis ſat conſona, mihi ſuppeditat. *Juriæus* Libro de Unitate Eccleſiæ, quem Nicoliano ejuſdem argumenti Tractatui oppoſuit, cenſet (p. 379.) *dictare nobis Rationem, quòd creatura, quæ a reatu ceſſare nequit, etiam ceſſare a miſeria nequeat. Jaquelotius*, Libro de Conformitate Fidei & Rationis (pag. 220.) exiſtimat, *damnatos debere perpetuò manere beatorum gloriâ privatos, & hanc privationem omnium, quas patiuntur, ærumnarum originem & cauſam eſſe poſſe, dum ſcilicet infelices iſtæ creaturæ crimina ſua mente revolvent, propter quæ æterna felicitate excidere. Notum eſt, quàm acerbos animi dolores, quantos cruciatus invidia adferat iis, qui ſe bono aliquo inſigni, puta, honoribus amplis, & a ſe repudiatis, orbatos vident, maximè ubi alios iiſdem inſignitos intuentur.* Hæc explicandi ratio a *Juriæi* modo aliquantùm diſcrepat, uterque tamen in eo conveniunt, quòd damnati ſuppliciorum ſuorum continuationem ſibimet ipſis procurent. Nec Origeniſta *Clerici* penitùs ab hac ſententia recedit, dum in Bibliotheca ſelecta (Tom. 7. pag. 341.) dicit, *Deus, qui lapſurum prævidit hominem, non idcircò eum damnat, ſed tantùm, quia, cùm poſſit reſurgere, non reſurgit, hoc eſt, quia ad vitæ metam uſque in pravis ſuis habitibus liberè perſeverat.* Quodſi hoc ratiocinium ultra vitam provehat, continuatas impiorum pœnas continuatæ eorundem culpæ adſcribet.

269. *Bælius* (Reſp. ad Provinc. cap. 175. p. 1188.) ait, *illud Origeniſtæ dogma hæreticum eſſe, in quantum docet, damnationem non nudè in peccato, ſed in voluntaria impœnitentia fundari*: at impœnitentia iſta voluntaria, nonne peccati continuatio eſt? Nollem tamen ſimpliciter dicere, idcircò damnari hominem, quia, cùm poſſit reſurgere, non reſurgit, ſed adderem, etiam idcircò damnari, quia non utitur auxilio gratiæ ad reſurgendum. At poſt hanc vitam, quamvis hoc auxilium ceſſare ponatur,

(ll) *Conſiderationes de Æternitate. Interpr. Lat.* nominat Librum, quem inſcripſit: *Infernus Carcer damnatorum, cap.* 15. §. 1.

tur, in peccante, etiam dum damnatus eſt, ſemper aliqua perſeverat libertas, quæ eum ſontem facit, uti & potentia aliqua, etſi remota, reſurgendi, quamvis nunquam ad actum reducatur. Nec quidquam vetat, quo minùs dici poſſit, illum gradum libertatis, a neceſſitate, non item a certitudine, immunem, remanere in damnatis æquè, atque in beatis. Præterquàm quòd damnati aliquo auxilio, quo hac in vita indigemus, non egeant, nimis quippe, ſed ſerò ſciunt, quid hic credendum ſit.

270. Illuſtris Anglicanæ Eccleſiæ Præſul, qui de Mali Origine nuper vulgavit Librum, in quem *Bælius* animadverſiones edidit Tomo ſecundo Reſponſionis ad Quæſita Provincialis, perquàm ingenioſè loquitur de pœnis damnatorum. Ejus opinio (ex Auctore Novellarum Reipublicæ Litterariæ, Jun. 1703.) a *Bælio* ſic exhibetur : quaſi faceret *e damnatis totidem inſanos, qui miſeriam ſuam ſentiant quidem vehementer, plaudant tamen ipſi ſibi, nec tantùm malint eſſe, & eſſe, quod ſunt, quàm penitus non eſſe, ſed etiam ament conditionem ſuam, quamvis miſeram, prorſus uti irati, amantes, ambitioſi, invidi, iis ipſis, quæ ipſorum augent miſerias, delectantur. Addit, impios mentem ſuam ita falſis adſueſeciſſe judiciis, ut aliter poſthac judicaturi non ſint, &, ab uno errore in alium perpetuo tranſeuntes, non poſſint non perpetuò deſiderare ea, quibus nunquam frui licebit, & quorum privatione in deſperationem conjicientur, nullâ cogitatione adſequendam, nec experientiâ magiſtrâ unquam ſapere diſcant in poſterum, quia propria culpa intellectum corruperint, & ferendo ulla de re judicio ſano ineptum reddiderint* (mm).

271. Dudum Veteres quidam animo concepere, Diabolum mediis in tormentis voluntariè ſegregatum a Deo manere, nec ſubmittendo ſe liberare velle. Finxere datam a Deo Anachoretæ cuidam (nn), in ecſtaſi poſito, fidem, fore, ut Cacodæmonum Principem in gratiam reciperet, ſi ipſe culpam ſuam agnoſcere non detrectaret, ſed mediatorem illum a Diabolo fuiſſe cum ſtomacho rejectum. Saltem Theologi ferè conſentiunt, a Diabolo, & damnatis, odio haberi Deum, & blaſphemari, cujuſmodi conditio non poteſt non trahere poſt ſe miſeriæ continuationem. Hac de re legi poteſt eruditus *Fechtii* Tractatus de ſtatu damnatorum.

272. Fuit, cum credebatur, impoſſibile non eſſe, ſalvari damnatum. Nota eſt fabula de erepta ab Inferno *Gregorii Magni*, Pontificis, precibus anima *Trajani* (oo), cujus bonitas tantoperè celebrabatur, ut recens

(mm) Addit *Interpr. Lat.* (ſed de hac explicatione meritò dubitatur, cùm in Scriptura ſacra exhibeantur, quaſi errorem ſerò agnoſcant.)

(nn) *S. Macario.*

(oo) Fabula occurrit in *Pſeudo-Damaſceni* ſermone de defunctis, p. 424. *Glycæ* Annalib. p. 240. in legenda 46. *Jacobi de Voragine*, in *Conſtantienſis Concilii reprobatione articulorum Jo. Wiclefi*, Artic. 19. &c.

Quoſdam

inauguratis Imperatoribus voveretur, *Auguſtum* fortuna, *Trajanum* bonitate ſuperare. Movit hæc bonitas miſericordiam ſancti Pontificis, & Deus, ut ajunt, ejus precibus adnuit quidem, ſed vetuit, eum poſthac ſimilia poſtulare. Juxta hanc fabulam ſancti *Gregorii* preces parem *Æſculapii* remediis vim habuerunt, qui *Hippolytum* revocavit ab inferis. Quodſi talia precari perrexiſſet *Gregorius*, indignatus ei fuiſſet Deus, uti *Jupiter Æſculapio* apud *Maronem*:

At Pater omnipotens aliquem indignatus ab umbris
Mortalem infernis ad lumina ſurgere vitæ,
Ipſe repertorem medicinæ talis & artis
Fulmine Phœbigenam Stygias detruſit ad undas.

Godeſchalcus, noni ſæculi Monachus, qui ætatis ſuæ, immò & noſtræ, Theologos invicem colliſit, volebat, reprobos a Deo pœnarum ſuarum mitigationem poſtulare: verùm, quamdiu vitam hanc ducimus, nemo ſe reprobum credendi jus habet. Meliùs *Miſſa defunctorum*, alicubi damnatorum pœnas diminui petit, &, juxta hypotheſin jamjam a nobis expoſitam, *meliorem* ipſis *mentem* optare oporteret. Cùm *Origenes* pro ſe adduxiſſet locum e Pſalmo LXXVII. v. 10. *Numquid obliviſcetur miſereri Deus, aut continebit in ira ſua miſericordias ſuas omnes? S. Auguſtinus* reſpondet (Enchiridii cap. 112.) fieri poſſe, ut damnatorum pœnæ æternùm durent, & tamen certis temporum intervallis mitigentur. Si Textus eo collimaret, diminutio tenderet, quoad durationem in infinitum, ita tamen, ut infra certum gradum non deſcenderet, ſuum haberet *non plus ultrà*, quoad ipſius diminutionis quantitatem; uti in Geometria figuræ quædam aſymptotæ dantur, in quibus longitudo infinita non, niſi ſpatium

Quoſdam non puduit hujus fabulæ apologiam ſcribere, ut *Alphonſum Ciacconium* ſingulari diatriba; eam ridet *Iſ. Caſaubonus* in Caſaubonianis p. 11. Exploditur ab ipſis Pontificiis, *Alphonſo Toſtato*, *Dionyſ. Carthuſiano*, *Dominico Soto*, *Franciſc. Suarez*, *Rob. Bellarmino*, *Cæſ. Baronio*, &c. Fictionis occaſionem dedit *Trajani* Epiſtola inter *Plin.* 98. de non conquirendis Chriſtianis. V. *Fabric.* Biblioth. Lat. T. I. p. 478. *not. c.* qui geminam quoque narrationem citat de *Dinocrate* defuncto, *Perpetuæ* precibus ex pœnis inferorum liberato, quæ reperitur in Actis *Perpetuæ* & *Felicitatis*, a *Luc. Holſtenio* vulgatis; eam *Theodoricus Ruinartus* in Actis ſelectis Martyrum, p. 89. 90. egregium locum eſſe dicit ad probandum, mortuos poſſe a pœnis, quas patiuntur, per virorum preces liberari; tantùm abeſt, ut fabulam in dubium vocet. Modeſtius *Joannes*, Metropolita Euchaitenſium, ſub *Conſtantini Monomachi* & *Comnenorum* imperio clarus, *Platoni* ac *Plutarcho* æterna ſupplicia hiſce verſibus deprecatur:

Ειπερ τινας βυλοιο των ἀλλοτρίων
Τῆς σῆς ἀπειλης ἐξελεσθαι, Χριςε μυ,
Πλατωνα κ̀ Πλύταρχον ἐξελοιο μοι.
Αμφω γὰρ εἰσι κ̀ τὸν λόγον κ̀ τὸν τροπον
Τοῖς σοις νομοις ἔγγιςα προσπεφύκοτες,
Ει δ' ἠγνόησαν ὡς Θεὸς σὺ τῶν ὅλων,
Ενταυθα τῆς σῆς χρηςότητος δεῖ μόνον,
Δι ἣν ἁπάντας δωρεαν σώζειν θέλεις.

ſpatium finitum, conficit (pp). Si in Divitis Epulonis parabola veri damnati ſtatus exhiberetur, hypotheſes, quæ damnatos tam ſtultos, tamque ſceleratos, faciunt, locum non haberent. Verùm fraterna charitas, quam illi parabola adtribuit, in eum, qui damnatis adſcribitur, nequitiæ gradum convenire omnibus non videtur. *S. Gregorius Magnus* IX. Moral. 39. exiſtimat, Epulonem timuiſſe, ne fratrum damnatione augeretur ſua: ſed hic metus indoli hominis, inſigniter ſcelerati, non admodum congruit. *Bonaventura* (qq), in Magiſtrum Sententiarum, cenſet, divitem Epulonem optaviſſe quidem, ut omnes homines cerneret damnatos, ſed, cùm id futurum non eſſe noſſet, fratrum potiùs, quàm aliorum, optaviſſe ſalutem. Hæc reſponſio non uſquequaque ſolida videtur. Immò potiùs *Lazari* miſſio, quam is optabat, multorum ſaluti, ex ejus ſententia, profutura fuerat: & qui aliorum damnatione tantoperè delectatur, ut omnes damnari cupiat, optabit forſitan horum potiùs, quàm illorum, damnationem; ſed, abſolutè loquendo, nullius ſaluti procurandæ ſtudebit. Quidquid ſit, hæc omnia in utramque partem diſputari poſſe fatendum eſt, cùm Deus nobis revelaverit, quidquid ſufficit ad malorum omnium maximum metuendum, non item, quidquid opus eſt ad intelligendum.

273. Porrò, cùm, in reddenda cæterorum malorum ratione, fas jam ſit ad abuſum arbitrii liberi, pravamque voluntatem, confugere, poſtquàm divinam hujus abuſûs permiſſionem omni culpâ vacare ſatis evidenter demonſtratum eſt, eadem opera commune Theologorum ſyſtema erroris expers eſſe comprobatur. Et nunc tandem mali originem in libertate creaturarum ſecurè poſſumus inveſtigare. Nota nobis eſt omnium prima malitia, Diaboli ſcilicet & Angelorum ejus: *Diabolus peccat ab initio, & in hoc adparuit Filius Dei, ut diſſolvat opera Diaboli*, 1. Joann. III. 8. *Diabolus pater mendacii eſt, ille homicida erat ab initio, & in veritate non ſtetit*, Joann. VIII. 44. *Et ideò, Deus Angelis peccantibus non pepercit, ſed rudentibus inferni detractos in Tartarum, tradidit cruciandos in judicium reſervari*, 2. Petr. II. 4. *Reſervavit ſub caligine vinculis* æternis (hoc eſt, durantibus) *uſque ad judicium magni diei, Angelos, qui non ſervaverunt ſuam originem* (ſive dignitatem) *ſed dereliquerunt ſuum domicilium*, Jud. v. 6. unde alterutram harum Epiſtolarum ab alterius Auctore viſam fuiſſe (rr) facilè agnoſcitur.

(pp) *Interpr. Lat.* ita diminutio, licèt perpetua, ſuum haberet non plus ultrà, quoad gradum, etſi non quoad tempus. "

(qq) *Bonaventura*, Cardinal. dictus *Doctor Seraphicus*, A. 1221. natus, A. 1274. denatus, A. 1482. inter Sanctos receptus. Inter illius ſcripta, quæ Romæ 1596. VII. Tomis elegantiſſ. recuſa ſunt, reperiuntur Commentaria in IV. Libr. Sententiarum.

(rr) T. *Sherlock*, Doct. Anglus, in Diſſ. 1. *Sur la Canonicité de la ſeconde Epitre de S. Pierre*, adjecta Libro: *L'uſage & les fins de la Prophétie*, Gallicè verſ. ab *Abrah.* le

274. Quod cæteri Scriptores Canonici obſcurum reliquerant, id Apocalypſeos Auctor videtur elucidare voluiſſe. Narrat, *prælium in Cœlo factum*: Michaël, *& Angeli ejus præliabantur cum Dracone, & Draco pugnabat, & Angeli ejus, & non valuerunt, neque locus inventus eſt eorum ampliùs in Cœlo. Et Draco ille magnus, Serpens antiquus, qui vocatur Diabolus & Satanas, qui ſeducit univerſum mundum, projectus eſt in terram, & Angeli ejus projecti ſunt cum illo*, Apoc. XII. 7. 8. 9. Nam, licèt hæc narratio poſt fugam mulieris in ſolitudinem collocetur, eaque rerum converſio Eccleſiæ favorabilis indicetur, videtur tamen Auctor eadem opera & antiquum primi hoſtis lapſum, & recentem novi hoſtis ruinam, denotare voluiſſe. Mendacium, ſive malitia, ex eo, quod Diabolo proprium eſt, ἐκ τῶν ἰδίων, ex ejus voluntate, ortum habet, quia in veritatum æternarum Libro, etiam poſſibilia ante decretum Dei omne complexo, ſcriptum erat, hanc Creaturam, ſi crearetur, liberè declinaturam ad malum. Idem dicendum de *Eva* atque *Adamo*, qui, quamvis a Diabolo ſeducti, liberè tamen peccaverunt. *Tradit Deus impios in reprobum ſenſum*, Rom. I. 28. dum eos ſibimet ipſis relinquit, & gratias denegat, quas non debet, immò quas debet denegare.

275. In Sacris Litteris legitur Deus *indurare*, Exod. IV. 21. & VII. 3. Jeſaiæ LXIII. 17. *dare ſpiritum mendacii*, 1. Reg. XXII. 23. *mittere errorem efficacem, ut credant mendacio*, 2. Theſſ. II. 11. *decepiſſe Prophetam*, Ezech. XIV. 9. *præcepiſſe* Semei, *ut malediceret*, 2. Sam. XVI. 10. *Filios* Eli *audire vocem patris ſui noluiſſe, quia Deus eos voluit occidere*, 1. Sam. II. 25. *abſtuliſſe fortunas ſuas* Jobo, quamvis id latronum injuriâ factum eſſe conſtet, Job. I. 21. *idcirco ſuſcitaſſe* Pharaonem, *ut oſtenderet in illo ſuam fortitudinem*, Exod. IX. 16. Rom. IX. 17. *eſſe ſimilem figulo, facienti vas in contumeliam*, Rom. IX. 21. *abſcondiſſe veritatem a ſapientibus & prudentibus*, Math. XI. 25. *in parabolis loqui, ut ii, qui foris ſunt, videntes videant, & non videant, & audientes audiant, & non intelligant, ne quando convertantur, & dimittantur eis peccata*, Marc. IV. 12. Luc. VIII. 10. *JEſus* dicitur *definito conſilio, & præſcientiâ Dei, traditus*,

Actor.

le Moine, Amſt. 1729. non abſurdus eſt, dum utriuſque Scriptoris, & *Petri* & *Judæ*, expreſſiones, ſententias, & loquendi formulas acriores, ex antiqui alicujus Scriptoris Judæi, in falſos ſui temporis Prophetas detonantis, commentario depromtas, & contra falſos novorum temporum Prophetas ab Apoſtolis inflexas & uſurpatas fuiſſe exiſtimat. „ L'Epître de *S. Jude* „ a tant de raport avec le ſecond chapi„ tre de la ſeconde Epitre de *S. Pierre*, „ les figures & les images en ſont ſi ſem„ blables, de même que les anciens exem„ ples allegués; que l'on a cru commu„ nément que *S. Jude* avoit copié *S. Pierre*: „ Mais d'un autre côté, le tour des ex„ preſſions eſt ſi différent, le choix de la „ matiére eſt en partie ſi peu le même; „ certaines choſes ſe trouvant dans l'un, „ qui ne ſe trouvent pas dans l'autre; „ qu'il eſt beaucoup plus probable qu'ils „ ont tous deux tiré ce qu'ils diſent du „ même original, ſuivant à cet égard chacun ſon propre jugement. “ p. 206. 207.

Actor. II. 23. Herodes & Pontius Pilatus, *cum Gentibus & populo Iſraël*, dicuntur *feciſſe ea, quæ manus Dei, & conſilium ejus, decreverunt fieri*, Act. IV. 28. *a Deo factum, ut indurarentur corda inimicorum, & pugnarent contra Iſraël, & caderent, & non mererentur ullam clementiam, & perirent*, Joſ. XI. 20. *miſcuiſſe* legitur *Dominus in medio Ægypti ſpiritum vertiginis, & errare feciſſe Ægyptum in omni opere ſuo, ſicut errat ebrius*, Joſ. XIX. 14. Roboam *non audiviſſe vocem populi, quoniam a Domino ita dirigebatur*, 1. Reg. XII. 15. *Convertiſſe cor Ægyptiorum, ut odirent populum ejus, & dolum facerent in ſervos ejus*, Pſ. CV. 25.

276. Verùm omnes iſtæ locutiones, aliæque ſimiles, duntaxat innuunt, res, a Deo conditas, anſam dediſſe ignorantiæ, errori, malitiæ, praviſque actibus, & ad eos contuliſſe, Deo id prævidente, & ad fines ſuos deſtinante; utpote quem ſuperiores rationes ſapientiæ perfectæ ad permiſſionem horum malorum, immò ad concurſum, permoverunt. *Sed non ſineret bonus fieri malè, niſi Omnipotens etiam de malo poſſet facere benè*, ut cum *S. Auguſtino* loquamur. Hæc jam fuſiùs *Parte ſecunda* explicavimus.

277. *Creavit Deus hominem ad imaginem ſuam*, Gen. I. 27. *Fecit eum rectum*, Eccleſ. VII. Sed & fecit liberum, homo libertate malè uſus eſt, lapſus eſt, manet tamen ſemper, etiam poſt lapſum, libertas aliqua. Moſes dicit Dei nomine: *Teſtes invoco hodie cœlum & terram, quòd propoſuerim tibi vitam & mortem, benedictionem & maledictionem; elige ergò vitam*, Deut. XXX. 19. *Hæc dixit Dominus: ecce ego do coram vobis viam vitæ & viam mortis*, Jerem. XXI. 8. *Reliquit hominem in manu conſilii ſui, adjecit mandata & præcepta; ſi volueris mandata ſervare, ſervabis ea*, (vel *conſervabunt te.*) *Adpoſuit tibi aquam & ignem, ad quod volueris, porrige manum tuam*, Sirac. XV. 14. 15. Homo lapſus, nec regeneratus, eſt ſub peccati & Satanæ dominatu, quia ſic lubet, ſervus eſt voluntarius ob pravam ſuam concupiſcentiam. Ita his liberum arbitrium, & ſervum arbitrium, idem ſunt.

278. *Nemo, cùm tentatur, dicat, quòd a Deo tentatur, unuſquiſque verò tentatur, a concupiſcentia ſua abſtractus & illectus*, Jac. I. 14. Cooperatur quoque Satanas: *Deus hujus ſæculi excæcat mentes infidelium*, 2. Cor. IV. 4. Sed homo per concupiſcentiam ſuam ſeſe tradidit Dæmoni: delectatio, in malo reperta, hamus eſt, quo ſe capi ſinit. Hoc ipſum dixerat jam antè *Plato*, & repetit *Cicero* (ss). Plato *voluptatem dicebat eſcam malorum.* Gratia pravæ voluptati delectationem majorem opponit, uti notavit *S. Auguſtinus.* Omnis *voluptas* eſt perceptio alicujus perfectionis: objectum *amatur* juxta menſuram perceptionis perfectionum ſuarum; nihil autem perfectiones divinas ſuperat, ex quo conſequitur, charitatem, & amorem Dei, maximam, quæ concipi queat, parere voluptatem apud

(ss) *In Catone Maj. cap.* 13.

eos, quorum mens melioribus ſenſis imbuta eſt: ſed eorum nimis exiguus eſt numerus, quia plerique objectis, adfectus ſtimulantibus, occupantur (tt), & implentur.

279. Præterea, cùm corruptio noſtra non ſit prorsùs inſuperabilis, neque neceſſariò peccemus, etiam dum ſub peccati ſervitute gemimus, dicendum pariter, nos non invincibiliter adjuvari, & quantumcumque Gratia divina ſit efficax, ei reſiſti poſſe. Sed quando ea reapſe victrix futura eſt, jam in anteceſſum certum & infallibile fuit, nos ejus illecebris ceſſuros, ſive gratia vim efficaciamque ſuam habeat a ſe ipſa, ſive circumſtantiarum congruitate utatur ad triumphum. Atque ita inter infallibile & neceſſarium ſemper ſtatuere diſcrimen oportet.

280. Eorum, qui ſe diſcipulos *S. Auguſtini* prædicant, ſyſtema non penitùs recedit ab his, modò odioſa quædam, tum in phraſibus, tum in dogmatibus ipſis, ſemoveantur. Ac *in phraſibus* quidem comperio, uſum præcipuè vocabulorum, qualia ſunt, *neceſſarium vel contingens*, *poſſibile vel impoſſibile*, adcuſationibus anſam dare, & turbas non mediocres excitare. Hac de cauſa, quemadmodum *Læſcherus* junior, in erudita ſua Diſſertatione de Decreti abſoluti Paroxyſmis (uu), optimè obſervavit *Lutherus*, Libro de ſervo arbitrio, optabat aptius aliquod explicandæ menti ſuæ vocabulum ſuppetere, quàm eſt *neceſſitas*. Generatim loquendo, rationi magis conveniens videtur, ut dicatur obſervatio divinorum mandatorum ſemper *poſſibilis*, ipſis etiam non regeneratis; gratia ſemper *reſiſtibilis*, etiam in viris ſanctiſſimis; & libertas immunis, non ſolum *a coactione*, ſed etiam *a neceſſitate*, etſi nunquam ſit a *certitudine* infallibili, aut a *determinatione* inclinante, ſejuncta.

281. Interim ex altera parte ſenſu aliquo fas erit quibuſdam in caſibus dicere, quòd *potentia* benè agendi ſæpè deſit, etiam juſtis; quòd peccata ſæpè ſint *neceſſaria*, etiam in regeneratis; quòd interdum *impoſſibile* ſit, non peccare; quòd gratia ſit *irreſiſtibilis*; quòd libertas non ſit exemta a *neceſſitate*. Sed locutiones iſtæ & minùs exactæ ſunt, & circumſtantiis hodiernis minùs adcommodatæ, &, abſolutè loquendo, magis obnoxiæ abuſibus, & aliunde populare quidpiam ſonant, ubi voces in magna latitudine ſumuntur. Dantur tamen circumſtantiæ, in quibus admitti poſſunt, immò in quibus utiles ſunt; hinc etiam ab Auctoribus ſanctis & orthodoxis, quin & a ſacris Codicibus utriuſque partis locutiones adhibitæ fuiſſe reperiuntur, abſque ulla vera utrimque oppoſitione, non magis quàm inter Sanctos, *Jacobum Paulum*que, & abſque ullo utrobique errore ob vocabulorum ambiguitatem. Itaque diverſis iſtis loquendi modis ita paſſim adſuevimus, ut ſæpè vix dici præcisè poſſit, *quis ſit ſenſus magis*

(tt) Quibus mens a pura ratione deſciſcit, " addit. *Interpr. Lat.*

(uu) Exſtat in *Initiis Academicis*

magis naturalis, *obvius*, *intentus*, cùm idem Auctor diverſis in locis diverſa ſpectet, eædemque locutiones plus minuſve receptæ ſint, aut recipi poſſint, ante vel poſt deciſionem magni alicujus viri, vel auctoritatis, quam reveremur & ſequimur. Unde fit, ut pro re nata, certiſque temporibus, certæ quædam locutiones auctoritate publica adprobari vel improbari queant; verum nihil hoc ad ſenſum, aut ad fidem, facit, niſi ſufficientes vocabulorum explicationes adjungantur.

282. Itaque, ad controverſias verborum dirimendas, non niſi benè perceptis diſtinctionibus opus eſt, qualis eſt illa, quam ſæpiſſime inculcavimus, inter neceſſarium ac certum, inter neceſſitatem metaphyſicam ac moralem. Et idem eſt de poſſibilitate atque impoſſibilitate, cùm eventus, cujus oppoſitum eſt poſſibile, ſit contingens, uti e contrario neceſſarius eſt, cujus oppoſitum eſt impoſſibile. Meritò etiam ſtatuitur diſcrimen inter potentiam proximam, & potentiam remotam, ac juxta diverſos iſtos ſenſus modò dicitur res fieri poſſe, modò non poſſe. Quodam ſenſu dici poteſt, neceſſe eſſe, ut non peccent beati, ut Diaboli damnatique peccent, ut Deus ipſe eligat optimum, ut homo parti magis inclinanti adhæreat. Sed hæc neceſſitas non eſt oppoſita contingentiæ; neque enim eſt neceſſitas logica, geometrica, aut metaphyſica, cujus oppoſitum implicat contradictionem. *Nicolius* alicubi comparatione uſus eſt non ineptâ. Impoſſibile reputatur, ut Magiſtratus aliquis ſapiens, gravis & compos rationis, aliquid valdè indecorum inſulſumque faciat, puta, ut per compita nudus curſitet riſus excitandi causâ. Idem eſt quodammodo de beatis, qui minùs adhuc peccati capaces ſunt, & neceſſitas, eos peccare prohibens, ad idem genus pertinet. Denique comperio, *voluntatis* vocabulum perinde æquivocum eſſe, ac potentiæ & neceſſitatis. Jam enim notavi, eos, qui hoc axiomate utuntur, *qui vult*, *& poteſt*, *ille facit*, indeque colligunt, Deum non velle ſalutem omnium, *voluntatem decretoriam* intelligere, quo ſenſu duntaxat ſuſtineri poteſt hæc propoſitio, quod ſapiens nunquam velit id, quod noverit, nunquam eſſe futurum; cùm contrà, ſi voluntas ſenſu generaliori, & ad uſum magis adcommodato, ſumatur, dici poſſit, ſapientis voluntatem in omne bonum eſſe antecedenter *inclinatam*, quamvis demùm non, niſi quod maximè congruit, facere *decernat*. Atque ita iniquum eſſet, denegare Deo ſeriam hanc, immo vehementem, omnes homines ſalvandi inclinationem, quam ipſi ſacra Scriptura tribuit, immò ipſi tribuere odium antecedaneum ſalutis plurimorum; adſerendum potiùs, ſapientem pro menſura cognitionum ac virium ſuarum ferri in omne bonum, quatenùs bonum eſt, ſed nihil producere, niſi quod eſt factu optimum. Id qui admittunt, & nihilominùs antecedentem omnes homines ſalvandi voluntatem Deo denegant, ſola vocum abuſione peccant, modò aliunde agnoſcunt, Deum omnibus auxilia ſufficientia impertire, quibus ſi voluerint uti, ſalutem conſequi poſſint.

283. Inter

283. Inter ipſa diſcipulorum *S. Auguſtini dogmata* concoquere non poſſum infantium non regeneratorum damnationem, nec generatim ullam perditionem, e ſolo originali peccato provenientem. Adduci pariter non queo, ut credam, a Deo damnari eos, quibus lumina neceſſaria deſunt. Nec quidquam vetat cum Theologis haud paucis ſtatuere, homines plura, quàm nobis conſtet, auxilia, ſaltem in mortis articulo, conſequi. Sed neque neceſſarium videtur, ut omnes, qui ſalvantur, per gratiam ſe ipſa, & independenter a circumſtantiarum ratione, efficacem ſalventur. Pariter neceſſarium eſſe non putem, ut omnes Ethnicorum virtutes ſpuriæ dicantur & adulterinæ (xx), aut, ut omnia eorum opera pro peccatis habeantur, quanquam verum ſit, quidquid non eſt ex fide, vel rectâ conſcientiâ coram Deo, eſſe peccato infectum, ſaltem virtualiter (yy). Denique cenſeo, Deum agere non poſſe fortuitò, per decretum abſolutum, aut per voluntatem a rátionibus moventibus prorsùs independentem. Perſuaſumque mihi eſt, in gratiarum diſpenſatione rationibus, naturam objecti reſpicientibus, Deum moveri, alioqui ſecundùm ſapientiam non ageret: at concedo tamen, haſce rationes bonis, vel minùs malis, hominum qualitatibus neutiquam eſſe prorsùs adfixas, quaſi Deus nunquam ſuas gratias largiretur, niſi pro bonis hiſce qualitatibus; quamvis cenſeam, uti ſuprà explicavi, has quoque perinde, atque alias omnes circumſtantias, in conſiderationem venire, cùm ſuprema ſapientia ſuis in conſiliis nihil omninò negligere poſſit.

284. Hæc fere capita ſi exceperis, aliaque paucula, in quibus *S. Auguſtinus* vel obſcurus, vel duriuſculus, videtur, uſurpari poſſe ejus ſyſtema reor, quo adſeritur, e Dei ſubſtantia nihil, niſi Deum, egredi poſſe, atque ita creaturam e nihilo eſſe productam. *S. Auguſtin. de lib. arb. Lib.* 1. *c.* 2. Hinc creaturæ imperfectio, defectus, & corruptibilitas. *De Geneſ. ad litt. cap.* 15. *Contra Epiſtolam* Manichæi, *cap.* 36. Malum non a natura, ſed a mala voluntate oriri. *Auguſtin.* toto Libro *de natura boni.* Deus impoſſibilia jubere non poteſt. *Firmiſſimè creditur, Deum juſtum & bonum impoſſibilia non potuiſſe præcipere.* Lib. de nat. & grat. cap. 43. cap. 69. *Nemo peccat in eo, quod caveri non poteſt.* Lib. 3. de lib. arbit. cap. 16. 17. Lib. 1. Retract. cap. 11. 13. 15. *Neque ſub Deo juſto miſer eſſe quidquam, niſi mereatur, poteſt.* Lib. 1. Operis imperf. contra Julian. cap. 39. Liberum arbitrium ſine auxilio gratiæ Dei mandata adimplere non poteſt. *Epiſt. ad* Hilar. *Cæſarauguſtan.* Scimus, gratiam non dari ſecundùm merita.

(xx) Sic e. gr. *Chriſtophor. Wittichius* de fucata Gentium virtute integram Diſſertationem ſcripſit, quæ quarta eſt inter *Exercitationes* ejus *Theologicas*, ed. Lugd. Bat. 1682. Ill. *Leibnitius* in *Diſſ. Epiſtolica de Philoſophia Platonica* ad *Cel. Hanſchium*; §. V. & ſeqq.

(yy) Ut ſic dicam, ſeu quodam cum cæteris pravis nexu, addit *Interpr. Lat.*

rita. *Epiſt.* 106. 107. 120. Homo in ſtatu integritatis habebat adjutorium neceſſarium ad poſſe benè agere, ſi vellet, ſed velle pendebat a libero arbitrio, *habebat adjutorium, per quod poſſet, & ſine quo non vellet, ſed non adjutorium, quo vellet.* Lib. de Corrept. cap. 11. & cap. 10. 12. Deus voluit Angelos & homines experiri, *quid poſſet eorum liberum arbitrium, deinde quid poſſet ſuæ gratiæ beneficium, juſtitiæque judicium.* Ibid. cap. 10. *Peccatum avertit hominem a Deo, ut converteret ad creaturas.* Lib. 1. qu. 2. ad Simplic. *Delectari peccato libertas eſt ſervi.* Enchir. cap. 103. *Liberum arbitrium uſque adeò in peccatore non periit, ut per illud peccent maximè omnes, qui cum delectatione peccant.* Lib. 1. ad Bonifac. c. 2. 3.

285. Dicit Deus Moſi: *Miſerebor, cujus miſerebor, & miſericordiam præſtabo, cui præſtabo.* (Exod. XXXIII. 19.) *Igitur non volentis, neque currentis, ſed miſerentis eſt Dei.* Rom. IX. 15. 16. Quod non vetat, quo minùs omnes, qui bonam voluntatem habent, in eaque perſeverant, ſalventur. Sed Deus dat illis velle & agere. *Ergò cujus vult, miſeretur, & quem vult, indurat.* Rom. IX. 18. Et tamen idem Apoſtolus dicit, *Deum velle omnes homines ſalvos fieri, & ad agnitionem veritatis pervenire*; quod quidem interpretari nollem ſecundùm quædam *S. Auguſtini* loca, quaſi ſignificaret, nullos fore ſalvos, niſi quorum ſalutem voluerit, aut quaſi vellet ſalvare *non ſingulos generum, ſed genera ſingulorum.* Sed dicere malim, neminem eſſe, cujus non velit ſalutem, quantùm majores rationes patiuntur, ob quas fit, ut Deus non ſalvet, niſi eos, qui oblatam ſibi fidem accipiunt, eique per gratiam, ſibi divinitùs conceſſam, obtemperant, prout ſcilicet totius rerum operis, quo melius deſignari nullum poterat, integritati congruere viſum fuerit.

286. Ipſa verò ad ſalutem prædeſtinatio, ſecundùm *S. Auguſtinum*, complectitur ordinem mediorum, quibus ad ſalutem pervenietur. *Prædeſtinatio Sanctorum nihil aliud eſt, quàm præſcientia & præparatio beneficiorum Dei, quibus certiſſimè liberantur, quicumque liberantur.* Lib. de Perſev. cap. 14. Neque igitur eam ſibi repræſentat, ut decretum abſolutum, ſtatuit gratiam, quæ a nullo corde indurato rejicitur, quia ad tollendam cordium duritatem datur. *Lib. de Prædeſt. c.* 8. *Lib. de Grat. c.* 13. 14. Non tamen reperio, *S. Auguſtinum* uſpiam ſatis expreſſiſſe, quòd hæc gratia, quæ cor ſubigit, ſit ſe ipſa ſemper efficax. Nec ſcio, annon ſalva ejus ſententia, adſeri poſſit, eundem interioris gratiæ gradum in uno victorioſum eſſe, cùm circumſtantiis adjuvatur, in alio non item.

287. Voluntas cognitionis, qua bonum percipimus, menſuræ reſpondet, ejuſque prævalentiam ſequitur. *Si utrumque tantundem diligimus, nihil horum dabimus.* Item, *Quod ampliùs nos delectat, ſecundùm id operemur neceſſe eſt*, in cap. 5. ad Gal. Explicavi jam ſuprà, quo pacto nihilo ſeciùs verè magnâ in voluntatem poteſtate præditi ſimus. *S. Auguſti-*

nus paullo aliter, & ſenſu parum proficiente, dictum illud accipere videtur, uti dum ait: *Nihil tam in noſtra poteſtate eſt, quàm ipſa voluntas*, ubi rationem reddit, aliquantum identicam, *ea enim*, inquit, *mox ut volumus præſto eſt.* Lib. 3. de Lib. Arbitr. cap. 3. Lib. 5. de Civ. Dei, cap. 10. Sed hoc ſolùm ſignificat, nos velle, dum volumus, non verò, nos velle, quod velle optamus. Iſtud magis ad rem dicit: *aut voluntas non eſt, aut libera dicenda eſt.* d. Lib. 3. c. 3. & ideò, quòd voluntatem ad bonum infallibiliter, aut certò, movet, non obſtare vult, quo minùs libera ſit. *Perquàm abſurdum eſt, ut ideò dicamus non pertinere ad voluntatem* (libertatem) *noſtram, quòd beati eſſe volumus, quia id omninò nolle non poſſumus, neſcio qua bona conſtrictione naturæ. Nec dicere audemus, ideò Deum non voluntatem*, (libertatem) *ſed neceſſitatem habere juſtitiæ, quia non poteſt velle peccare. Certè Deus ipſe numquid quia peccare non poteſt, ideò liberum arbitrium habere negandus eſt?* De Nat. & Grat. cap. 46. 47. 48. 49. Dicit etiam optimè *S. Auguſtinus*, primum bonum motum a Deo indi, ſed hominem etiam deinde agere. *Aguntur, ut agant, non ut ipſi nihil agant.* De Corrept. cap. 2.

288. Liberum arbitrium proximam mali culpæ, tum deinde mali pœnæ, cauſam eſſe ſtatuimus, quamquam originalis quidem creaturarum imperfectio, quam ideæ divinæ repræſentant, utriuſque mali prima, & remotiſſima ratio ſit. *Bælius* verò ſemper hunc liberi arbitrii uſum repudiat, nec vult mali cauſam ei acceptam referri. Audiendæ ſunt ejus objectiones, ſed priùs naturam libertatis adhuc magis elucidare juvabit. Oſtendimus, libertatem, qualem Scholæ Theologicæ poſtulant, conſiſtere partim in *intelligentia*, diſtinctam objecti, de quo deliberatur, cognitionem involvente, partim in *ſpontaneitate*, qua nos ipſi determinamus, partim denique in *contingentia*, hoc eſt, in excluſione neceſſitatis logicæ vel metaphyſicæ. Intelligentia eſt velut anima libertatis, reliqua duo ſunt veluti corpus & baſis ejuſdem. Subſtantia libera ſe ipſam vi ſua determinat, idque ſecundum rationem boni, ab intellectu percepti, inclinantis, non neceſſitantis. Paucis hiſce verbis omnia ad libertatem requiſita comprehenduntur. Juvat tamen oſtendere, quòd cognitionis & ſpontaneitatis noſtræ imperfectio, ac determinatio infallibilis, in contingentia noſtra involuta, neque libertatem, neque contingentiam deſtruant.

289. Duplex eſt genus cognitionis noſtræ, diſtincta alia, alia confuſa. Cognitio diſtincta, ſive *Intelligentia* (zz), in vero legitimoque rationis uſu locum habet, ſed cogitationes confuſæ a ſenſibus proficiſcuntur. Atque eatenùs a ſervitute immunes dici poſſumus, quatenùs cognitione diſtincta

(zz) Notionum differentiam primus diſtinctè tradidit Ill. *Leibnitius* in *Actis Eruditor. A.* 1684. *p.* 537. uti monet Ill. *Wolfius* tum in Logica Lat. §. 77. tum in *Comment. de Methodo Mathematica*, Elementis Matheſeos univerſæ præfixa, addens ſimul, quanti ea differentia ſit ponderis, paucos hactenùs agnoviſſe, §. 5.

ſtincta prælucente operamur; eatenus verò adfectibus noſtris mancipati, quatenùs perceptiones confuſæ nobis inſunt. Et hoc ſenſu non omnem, quæ optanda foret, mentis libertatem habemus, poſſumuſque dicere cum *S. Auguſtino*, quòd mancipati peccato, ſervorum libertatem habeamus. Attamen ſervus, quantumlibet ſervus ſit, non idcircò eligendi pro captu ſuo caret libertate, quamvis plerumque in dura neceſſitate unius e duobus malis eligendi conſtituatur; quia nimirum vis quædam ſuperior eum ad quæ adſpirat bona, adtingere non ſinit. Quod vincula coactioque efficiunt in ſervis, hoc in nobis peragunt adfectus, quorum violentia ſuavis illa quidem eſt, ſed non ideò minùs perniciofa. Non quidem, niſi quod placet nobis, volumus, ſed, quæ noſtra miſeria eſt, quod nobis nunc placet, ſæpè verum eſt malum, nobis diſpliciturum, ſi apertos mentis oculos haberemus. Interim tamen miſer ille ſervi ſtatus, ac noſter etiam, non obſtat, quo minùs (æquè ac ille) pro ſtatu illo miſero, ſecundùm præſentes, quas habemus, vires cognitioneſque, quod nobis placet, eligamus.

290. Porrò *ſpontaneitas* ad nos pertinet, quatenùs actionum noſtrarum principium in nobis eſt, uti *Ariſtoteles* optimè perſpexit. Verum quidem eſt, rerum externarum impreſſiones nos a via ſæpiùs abducere, & communem opinionem eſſe, hac ſaltem ratione noſtrarum actionum principia aliqua extra nos eſſe; nec diffiteor, ſic eſſe loquendum, juxta ſermonem popularem, quod aliquo ſenſu fieri poteſt ſine læſione veritatis. Sed, ſi adcuratè loquendum eſt, adſero, ſpontaneitatem noſtram nulla exceptione reſtringi, & res externas, ſi dicta noſtra ad amuſſim philoſophicam exigamus, nullo in voluntatem influxu phyſico pollere.

291. Ut momentum hoc meliùs intelligatur, ſciendum eſt, perfectam ſpontaneitatem nobis cum ſubſtantiis omnibus ſimplicibus communem eſſe, & hanc ipſam in ſubſtantia intelligente, ſive libera, tranſire in imperium aliquod in proprias actiones; id quod meliùs explicari non poteſt, quàm ope *Syſtematis Harmoniæ præſtabilitæ*, pluribus abhinc annis a me propoſiti. Ibi oſtendo, ſubſtantiam quamlibet ſimplicem naturaliter perceptionem habere, & ejus individualitatem conſiſtere in lege perpetua, ex qua naſcitur ſeries perceptionum, ipſi adfectarum, quæ naturaliter aliæ ex aliis progignuntur, ad repræſentandum corpus, ei adſignatum, ejuſque ope totum Univerſum, pro modulo cuilibet ſimplici ſubſtantiæ proprio, ſine ulla influxûs phyſici, a corpore recepti, neceſſitate: quemadmodum vice verſa corpus etiam ipſum, vi legum propriarum, voluntatibus animæ ſeſe adtemperat, & conſequenter animæ non paret, niſi quantùm leges iſtæ ferunt. Unde efficitur, animæ ipſi perfectam ineſſe ſpontaneitatem, ut a nullo, niſi a Deo, & ſe ipſa, in operando pendeat.

292. Cùm ſyſtema hoc antehac ignotum eſſet, variæ e labyrintho iſto ſe extricandi viæ quæſitæ ſunt, ipſique Carteſiani circa liberum arbitrium

hæſere impediti. Non contenti ſcholæ facultatibus, animadvertebant, omnes animæ actiones ab eo, quod per impreſſiones ſenſuum extrinſecus advenit, determinatas videri, ac denique omnia, quæ in Univerſo ſunt, a divina providentia dirigi; ſed inde prono alveo fluebat hæc objectio, nullam igitur eſſe libertatem. Reſpondebat *Carteſius*, divinam providentiam lumine rationis nobis demonſtrari, nos itidem de libertate noſtra certitudinem nanciſci per intimam experientiam, & utramque credendam eſſe, etſi utriuſque conciliandæ via nulla ſuppetat.

293. Hoc enimverò erat nodum Gordium ſecare, non ſolvere, & concluſioni argumenti reſpondere, non præmiſſarum diſcuſſione, ſed contrarii argumenti oppoſitione, id quod Philoſophicorum certaminum legibus neutiquam congruit. Interim tamen huic reſponſioni acquievere Carteſiani plerique, quanquam intima illa, quam adlegant, experientia id, quod ipſi contendunt, minimè evincat, uti egregiè monſtravit *Bælius*. *Petrus Sylvanus Regis* (aaa), (Philoſ. T. I. Metaph. Lib. 2. Part. 2. cap. 22.) *Carteſii* doctrinam ſic uberiùs explicat. *Plerique Philoſophi* (inquit) *allucinati ſunt in eo, quòd alii quidem concordiam, quæ inter actiones liberas Deique providentiam intercedit, percipere non valentes, Deum liberi arbitrii cauſam primam efficientem eſſe negaverunt, quod eſt ſacrilegium: alii verò non capientes, quo pacto cum efficacitate Dei conſiſtere poſſet actionum libertas, hominem negaverunt eſſe liberum, quod eſt impium. Inter hæc duo extrema medium eſt, ut dicamus* (id. ibid. pag. 485.) *quòd, quamvis non omnem, quæ inter libertatem Deique providentiam intercedit, cohærentiam capere poſſemus, adhuc tamen nos & liberos, & a Deo dependentes, agnoſcere teneremur, quia binæ hæ veritates æqualiter nobis notæ ſunt, altera quidem per experientiam, altera verò per rationem, vetatque prudentia, veritates certè notas deſerere, quia quo modo cum veritatibus itidem notis conſentiant, percipere non poſſumus.*

294. Optimè *Bælius* ad marginem adnotat, *has* Regis *locutiones nequaquam indicare, quòd aliquos inter actiones humanas & Dei providentiam reſpectus cognoſcamus, qui cum libertate noſtra pugnare videntur.* Addit, has eſſe locutiones arte temperatas, quæ ſtatum quæſtionis enervent. *Ponunt Auctores,*

(aaa) *Pierre Silvain Regis*, in Tractu Aginnenſi natus A. 1632. denatus Pariſ. 1707. Syſtema ejus Philoſophiæ Carteſianæ prodiit Pariſ. 1690. Amſt. 1691. in 4. Tom. 4. ſub indice: *Cours entier de Philoſophie, ou Syſtême général ſelon les Principes de M. Des Cartes.* Docendi typus iſte forte ab *Auguſtino* depromtus, qui *Ciceroni*, liberum arbitrium divino influxui ſubducenti, reſpondens, ita ſcribit de Civ. Dei: „ Atque in has anguſtias *Cicero* coarctat animum religioſum, ut unum eligat e duobus: aut eſſe aliquid in noſtra voluntate, aut eſſe præſcientiam futurorum: Ipſe itaque vir magnus & doctus, & vitæ humanæ plurimùm ac peritiſſimè conſulens, ex his duobus eligit liberum voluntatis arbitrium. Quod ut confirmaretur, negavit præſcientiam futurorum: atque ita, dum vult facere liberos, facit ſacrilegos. „ *De Civ. Dei, Lib. V. c. IX.*

Auctores, (inquit) *oriri unicè difficultatem ex rationum penuria*, *cùm potiùs dicere deberent*, *oriri præcipuè e notitiis*, *quas habemus*, *quaſque cum myſteriis noſtris* (Bælii *ſententiâ*) *conciliare non valemus.* Atque id ipſum eſt, quod hujus Operis principio dicebamus, ſi myſteria conciliari non poſſent cum Ratione, ſi objectiones inſolubiles occurrerent, non jam myſterium incomprehenſibile fore, ſed potiùs ejus falſitatem a nobis comprehenſum iri; quanquam hìc non de myſterio aliquo, ſed de naturali duntaxat religione ſermo ſit.

295. Ecce verò, qua ratione *Bælius* has experientias internas, in quibus Carteſiani libertatem fundant, oppugnet: ſed incipit ab obſervationibus, quibus ego adſentiri non queo. *Ii*, (inquit Diction. Art. *Helen.* litt. TΔ.) *qui quod intra ſe geritur*, *non ſcrutantur penitiùs*, *facilè ſe liberos eſſe ſibi perſuadent*, *&*, *ſi voluntas ſua feratur in malum*, *id fieri culpa ſua*, *& electione*, *quæ in poteſtate ſua ſit. At qui ſecùs judicant*, *viri ſunt*, *intimos actionum ſuarum receſſus & circumſtantias ſolerter perſcrutati*, *& mentis ſuæ motuum ſeriem totam non perfunctoriè meditati. Hi de arbitrii ſui libertate plerumque dubitant*, *quin eo progrediuntur*, *ut Rationem*, *mentemque ſuam*, *mancipia eſſe ſibi perſuadeant*, *quæ vi*, *invitas trahenti*, *reſiſtere non poſſint. Atque hoc præſertim hominum genus pravarum actionum ſuarum cauſam in Deos referebat.*

296. Hæc *Bælii* verba *Franciſci Baconis a Verulamio* (bbb), Angliæ Cancellarii, dictum in memoriam mihi revocant; ajebat ille, Philoſophiam, mediocriter delibatam, a Deo nos alienare, profundiùs hauſtam, ad Deum adducere. Idem valet de iis, qui actiones ſuas mente recolunt, quibus videtur prima fronte, quidquid agimus, non, niſi aliquo impellente, fieri, quidquid cogitamus, extrinſecùs venire per ſenſus, & in mente noſtra vacua, *tanquam in tabula raſa*, deſignari. Sed, ſi rem penitùs ſcrutemur, comperiemus, omne, (ipſas etiam perceptiones ac paſſiones) plena cum ſpontaneitate e fundo noſtro prodire.

297. Interim Poëtas *Bælius* laudat, qui, dum homines abſolvere a culpa volunt, eam in Deos rejiciunt. Sic apud *Naſonem Medea*:

> *Fruſtra*, Medea, *repugnas*,
> *Neſcio quis Deus obſtat*, *ait.*

Et paullo pòſt addit idem Poëta:

> *Sed trahit invitam nova vis*, *aliudque* Cupido,
> *Mens aliud ſuadet*: *video meliora proboque*,
> *Deteriora ſequor.*

(bbb) Londinenſ. natus A. 1560. denatus A. 1626. Opera ejus A. 1665. Francof. fol. & Amſt. 1696. VI. Vol. in 12. prodiere.

Verùm *Ovidio* poterat opponi *Virgilius*, apud quem *Niſus* longe potiori cum ratione dicit:

> - - *Dîne hunc ardorem mentibus addunt*,
> Euryale, *an ſua cuique Deus ſit dira cupido?*

298. *Wittichius* videtur exiſtimaſſe, independentiam noſtram eſſe duntaxat adparentem. Nam in Diſſertatione *de Providentia Dei actuali* (ccc) (n. 61.) liberum arbitrium in eo conſtituit, quòd ita feramur in objecta, animæ noſtræ oblata ad ea adfirmanda, vel neganda, amanda vel odio habenda, ut *non ſentiamus*, quænam vis externa nos impellat. Addit, quando Deus ipſe noſtræ voluntatis actus producit, nos tum maximè agere liberè, &, quo Dei actio in nos efficacior ac potentior eſt, eo nos eſſe magis actionum noſtrarum dominos. *Quia enim Deus operatur ipſum velle, quo efficaciùs operatur, eo magis volumus; quod autem, cùm volumus, facimus, id maximè habemus in noſtra poteſtate.* Verum quidem, Deum, dum velle in nobis operatur, actionem in nobis liberam producere, ſed arbitror, non hic agi de cauſa univerſali, deque ea voluntatis dependentia, quam habet communem cum omni creatura, per quam fit, ut omnis realitas abſoluta rerum reverâ per Dei concurſum continuò creetur. Agitur hic de rationibus volendi, deque viis, ſive mediis, quibus Deus utitur, cum bonam voluntatem nobis donat, vel malam habere permittit. Nos ſemper ſive bonam, ſive malam, actionem producimus,

(ccc) Inter Exercitationes *Chriſtoph. Wittichii* ad §. 283. cit. prima Diſſert. inſcribitur: *Deus Mundi Rector*, & agit de Providentia Dei actuali. Verba in §. 298. prolata, quoad partem primam, leguntur §. LXVII. Ait: Adtendamus igitur ad naturam Liberi Arbitrii, quam §. LIX. in eo conſtituimus: *quòd ad id, quod nobis proponitur ab intellectu adfirmandum vel negandum, ſive proſequendum vel fugiendum, ita ſponte & lubentes feramur, ut a nulla vi externa nos ad id determinari ſentiamus.* Ubi vim externam ſentimus, ubi percipimus, nos ad aliquid determinari ab ulla vi externa, ibi accidit nobis aliquid invitis, ſicque non adeſt Libertas: at dum Deus efficit noſtram volitionem, nihil ſanè nobis invitis accidit. Fit quidem in nobis determinatio, ſed ea fit per volitionem, quæ nobis non eſt externa, ſed maximè intrinſeca. Ejus dum conſcii ſumus, ſentimus eam, non ut actionem extrinſecam, ſed ut intrinſecam, ut volitionem noſtram, ut determinationem, quæ eſt voluntaria, ſive voluntatis, quæ eſt noſtra, etſi a Deo in nobis ſit effecta " *&c.* §. LXVIII. *inter alia*: Unde nihil aliud cum *Auguſtino* Lib. III. de Lib. Arbit. cap. 3. dicimus, *eſſe in poteſtate noſtra*, quam *quod cùm volumus, facimus*, quod utique non evertit operationem divinam, quæ non aliud efficit in nobis, quàm hoc ipſum *velle.* Tantùm abeſt, ut hæc operatio divina evertat id, quod eſt eſſentiale Libertati, ut potiùs illud ipſum ponat & conſtituat. -- Quin immò dicendum eſt, quo magis & efficaciùs Deus in nobis operatur, eo magis nos habere actionem in noſtra poteſtate. Efficit enim Deus ſua operatione ipſum velle, Phil. II. 13. Quo igitur efficaciùs illud operatur, eo magis volumus; quod autem cùm volumus, facimus, id maximè habemus in noſtra poteſtate. ¶ p. 60. 61.

cimus, eſt enim actio noſtra: ſed adſunt etiam ſemper rationes, quæ, illæsâ ſpontaneitate, vel libertate noſtrâ, faciant nos operari. Gratia ipſa impreſſiones duntaxat ſuppeditat, quæ nos impellunt ad agendum per congruas rationes, veluti cùm adtentio in nobis excitatur, cùm nobis ingeritur iſtud, *dic*, *cur hic*, cùm delectatio quædam præveniens in nobis exoritur. Et in aprico eſt, id non magis obeſſe libertati, quàm obeſſet amicus aliquis, dum ſuadet, & agendi cauſas atque rationes proponit. Itaque *Wittichius* æquè, ac *Bælius*, ad quæſtionem non rectè reſponderunt, neque hic ad Deum confugere quidquam juvat.

299. Sed jam alium ejuſdem *Bælii* locum haud paullò rectiorem proferamus, quo exiſtimatam illam libertatis conſcientiam, præcipuum liberi arbitrii apud Carteſianos argumentum, impugnat. Verba ejus ſanè plena ſunt ingenio, dignaque conſideratione. Exſtant in Reſponſione ad Quæſita Provincialis, cap. 140. (Tom: 3. p. 761. & ſeqq.) ubi ſic ratiocinatur: *Ope claræ diſtinctæque perceptionis, quam de exiſtentia noſtra habemus, diſcernere non valemus, utrum a nobis ipſi exiſtamus, an verò id, quod ſumus, habeamus ab alio. Hanc dependentiam non intimo aliquo ſenſu, ſed meditationum ac ratiocinationum ope, demùm deprehendimus, dum ſcilicet, nobiſcum habitantes, conſideramus, quàm parum conſervatio noſtra in noſtra poteſtate ſita ſit, & quàm multis rebus, nos circumſtantibus, egeamus, &c. Quin etiam certum eſt, Ethnicos, idem de Socinianis dicendum, cùm creationem inficientur, nunquam ad dogmatis hujus veriſſimi notitiam perveniſſe, quod e nihilo ſimus, & quolibet durationis noſtræ momento e nihilo educamur. Crediderunt igitur falsò, quidquid in Univerſo ſubſtantiarum eſt, exiſtere a ſe ipſis, nec in nihilum reverti poſſe, atque ita ab aliis rebus non pendere, niſi quoad modificationes, quæ per actionem externæ cauſæ deſtrui poſſunt. Hic error nonne oritur ex eo, quod non actionem creatricem, qua conſervamur, ſed exiſtentiam ſolùm noſtram percipiamus, atque ita, niſi aliæ notitiæ præſto eſſent, exiſtentiæ noſtræ cauſam eſſemus æternùm ignoraturi? Eodem modo dicendum eſt, ope claræ diſtinctæque perceptionis, qua noſtræ voluntatis actus percipimus, non poſſe nos diſcernere, utrùm illos a nobis ipſis, an verò ab eadem, quæ exiſtentiam nobis largitur, cauſa habeamus. Hoc ut diſcernamus, meditatione nobis ac ratiocinatione opus eſt. Et adſerere auſim, per meditationes merè philoſophicas, nunquam certè ſciri poſſe, quòd volitionum noſtrarum cauſa efficiens ipſi ſimus. Quiſquis enim ſedulo rem expendet, evidenter cognoſcet, ſi actuum voluntatis paſſivum duntaxat ſubjectum eſſemus, nos eaſdem perceptiones experimentales habituros, quas modò habemus, dum nos liberos eſſe credimus. Finge, ſi placet, leges unionis inter animam & corpus ita a Deo conſtitutas, ut omnes animæ modalitates, nullâ exceptâ, invicem colligatæ ſint, interpoſitis cerebri modalitatibus; intelliges, nihil tibi eventurum, niſi quod nunc experimur, eritque eadem mentis noſtræ cogitationum ſeries, inde a perceptione objectorum ſenſilium, qui eſt primus animæ motus, uſque ad volitiones maximè firmas, qui eſt poſtremus. Erit in hac*

ſerie

ſerie idearum perceptio, erit perceptio adfirmationum negationumque, erit hæſitationum ac dubitationum, erit denique velleitatum ac volitionum. Nam ſive volendi actum cauſa nobis externa imprimat, ſive producamus ipſi, æquè verum erit, velle nos, & percipere, quod volumus, cumque hæc externa cauſa volitioni, quam nobis imprimit, quantam ſibi libet, voluptatem admiſcere poſſit, interdum percipere poterimus, nos actibus noſtræ voluntatis immenſum quantum delectari, & iiſdem ſecundùm vehementiſſimarum adfectionum noſtrarum pondus ferri declives. Nec verò coactionem perciperemus: noſti axioma: Voluntas non poteſt cogi: *ſi bracteæ verſatili, ventorum indici, ſimul & ſemper daretur motus versùs determinatum aliquod punctum horizontis, & deſiderium illuc ſe movendi (ita tamen, ut deſiderium ſe movendi prioritatem naturæ, vel, ſi mavis, prioritatem etiam inſtantis realis præ motu ipſo retineret) annon clarè intelligis, bracteolam ſibi ſponte, & a ſe ipſa, moveri viſum iri, ad exſequenda, quæ concepiſſet, deſideria? Præſertim ſi ponas, eam ignorare, num ventus ullus exiſtat, nec de externa ulla cauſa, & ſitus, & deſideriorum ſuorum, mutationem inducente, cogitare. Sic prorsùs nos ipſi naturaliter conſtituti ſumus: neſcimus, an inviſibilis aliqua cauſa nos ab una cogitatione ad aliam per gradus traducat. Eſt igitur ita naturâ comparatum, ut homines ſibi perſuadeant, ſe a ſemet ipſis determinari. Sed indagandum reſtat, utrùm hac in re, quemadmodum in ſexcentis aliis allucinentur rebus, quas per quandam ſpeciem inſtinctus, nullis adhibitis meditationibus philoſophicis, adfirmant. Cùm itaque circa ea, quæ in homine geruntur, duæ ſint hypotheſes, una, quæ hominem non, niſi ſubjectum paſſivum, eſſe ſtatuit, altera, quæ virtutes ei adſcribit activas, æquum non eſt, poſteriorem præferre priori, quamdiu alia nulla proferri queunt argumenta, quàm quæ ab intima experientia depromuntur, nam perinde ſentiremus nos velle, ſive volitiones omnes menti noſtræ cauſa aliqua inviſibilis & externa imprimat, ſive nos ipſi producamus.*

300. Præclara quædam ratiocinia locus hicce complectitur, quæ adversùs ſyſtemata vulgaria valent, non item contra ſyſtema Harmoniæ præſtabilitæ, quæ nos longiùs ducit, quàm antehac progredi liceret. *Bælius* inter alia adſerit, *per meditationes merè philoſophicas certò ſciri non poſſe, nos ipſos eſſe volitionum noſtrarum cauſam efficientem*, verùm hoc ſanè caput ipſi neutiquam largior, nam ſyſtematis hujus conſtitutio indubitatè oſtendit, quamlibet in naturæ curſu ſubſtantiam (ſimplicem ſcilicet) eſſe omnium ſuarum operationum cauſam unicam, & ab omni influxu phyſico cujuſvis alterius ſubſtantiæ immunem, ſi ordinariam Dei concurſum excipias. Atque hoc ipſum ſyſtema palam facit, veram & genuinam eſſe ſpontaneitatem noſtram, nec tantùm adparentem, uti *Wittichius* crediderat. Pugnat etiam *Bælius* eaſdem ob rationes, (cap. 170. pag. 1132.) *fatum Aſtrologicum*, ſi daretur, libertatem non deſtructurum, nec diffiteor, ita eſſe, ſi libertas in ſola ſpontaneitate adparente conſiſteret.

301. Ita-

301. Itaque noſtrarum actionum ſpontaneitas in dubium revocari nequit, uti eam *Ariſtoteles* probè definivit. *Spontaneum eſt, cujus principium eſt in agente.* Et ſic actiones noſtræ & voluntates penitùs in noſtra ſunt poteſtate. Verum quidem eſt, nos voluntatis noſtræ dominos directè non eſſe, quanquàm ejus cauſa ſimus, neque enim uti actiones noſtras per actus voluntatis, ita & ipſos voluntatis actus eligimus. Interim tamen aliquam in voluntatem etiam noſtram habemus poteſtatem, quia obliquè nos præparare ac diſponere poſſumus ad volendum aliquando, quod tamen propriè loquendo non eſt *velleitas* illa, de qua aliàs ſermo eſt. Atque ita, præter illam actionum noſtrarum a noſtra ſubſtantia dependentiam, habemus peculiare aliquod & perceptibile in eas imperium noſtræ voluntatis, ſed quod ex ſpontaneitate, intelligentiæ juncta, reſultet, cum prior dependentia e ſpontaneitate ſola naſcatur.

302. Hactenùs duas libertatis conditiones, ab *Ariſtotele* memoratas, explicavimus, *ſpontaneitatem* ſcilicet & *intelligentiam*, quæ in nobis inter deliberandum conjunctæ reperiuntur, cum belluæ ſecundâ conditione careant. At Scholaſtici tertiam inſuper exigunt, quam *indifferentiam* (ddd) nuncupant. Et revera admittenda illa eſt, ſi indifferentia tantundem ſignificat, atque *contingentia*; nam, ut ſuprà dixi, libertas omnem neceſſitatem abſolutam & metaphyſicam, vel logicam, excludere debet. Verùm, ut jam plus ſimplici vice explicui, hæc indifferentia, hæc contingentia, hæc *non-neceſſitas*, ut ita loquar, quæ eſt characteriſticum libertatis adtributum, non prohibet, quo minus agens in partem, quam eligit, vehementiùs inclinetur, nec ullatenùs poſtulat, ut abſolutè indifferentes ſimus, & æquè ad utramque partem nos habeamus.

303. Itaque indifferentiam non admitto, niſi eo ſenſu, quo illa tantundem ſignificat, atque *contingentia*, ſive *non-neceſſitas.* At juxta ea, quæ ſæpiſſimè iteravi, *indifferentiam æquilibrii* non agnoſco, nec arbitror, unquam eligi ab eo, qui abſolutè ſit indifferens. Talis electio ſpecies quædam meri casûs eſſet, ſine omni ratione determinante, tam adparente, quàm occulta. Atqui ejuſmodi merus caſus, eventus ejuſmodi purè fortuitus, non manifeſta tantum, ſed omni, cauſa deſtitutus, commentum

(ddd) Scholaſtici animæ tribuerunt *indifferentiam exercitii;* quoniam ſc. *docente* Thümmigio *in Pſych. Empir.* §. 152. 153. eligere poteſt, quod ipſi maxime adridet, ideò ex neceſſitate naturæ determinata non eſt ad hoc vel illud agendum, ad agendum hoc vel iſto modo, & ideo per naturam indifferens dicitur ad agendum, agendum hoc vel iſto modo: quam *indifferentiam exercitii* adpellarunt Scholaſtici. Et quia motiva eam non neceſſitant, ita ut etiam iis non obſtantibus ſeſe aliter determinare poſſit, ſi quidem ob rationes oblatas commodum viſum fuerit; in ipſo determinationis actu indifferentia illa exercitii adhuc ſubſiſtit. Idem pluribus monent Ill. *Wolfius* in Adnott. ad Metaph. Germ. §§. 165. 331. 332. & adplicatè ad Deum §. 365. in Pſych. Emp. Lat. §. 946. Illuſtr. *Bilfingerus* Dilucidd. Philoſoph. §. CCCCXXXVII.

tum eſt, quod nunquam in natura deprehendas. Concors Sapientum omnium ſententia eſt, caſum eſſe duntaxat rem adparentem, uti fortuna, a cauſarum ignoratione in noſtra mente exortam. Quodſi verò talis indifferentia vaga daretur, aut ſi nulla ratione, ad eligendum impellente, eligeremus, jam caſus aliquid reale foret, ſimile exiguæ illi declinationi atomorum, temerè, & ſine ratione, factæ, quam invehebat *Epicurus*, ut neceſſitatem evitaret, quod meritò tantopere *Tullius* irriſit.

304. Hæc atomorum declinatio in *Epicuri* mente cauſam finalem habebat quidem, ſcopus enim ipſius erat, homines a fato eximere; ſed nullam habere potuit in rerum natura cauſam efficientem. Hoc commentum, ſi quod aliud, impoſſibile eſt. *Bælius* ipſe præclarè illud refutat, uti mox dicemus, & tamen, quod mirum eſt, videtur ipſe jactatæ illi declinationi ſimile quidpiam admittere. En ipſius verba, dum loquitur de aſino *Buridani* (Diction. Art. *Buridan.* Litt. 13.) *Qui liberum arbitrium, propriè dictum, tuentur, in homine potentiam admittunt ſe determinandi, vel dextrorsùm, vel ſiniſtrorsùm, etiàm dum ex parte utriuſque objecti propoſiti rationes moventes perfectè ſunt æquales. Adſerunt enim, mentem noſtram ſolâ libertatis exercendæ gratiâ poſſe dicere: malo hoc potiùs, quàm illud, quamvis nihil in hoc magis, quàm in illo, electione dignum videam.*

305. Sed non omnes, qui liberum arbitrium propriè dictum admittunt, determinationem hanc, a cauſa indeterminata profectam, idcirco *Bælio* concedent. *S. Auguſtinus*, nec non Thomiſtæ, omnia eſſe determinata judicant. Quin & adverſarios eorum ad circumſtantias, electioni noſtræ inſervientes, confugere videmus. Quid quod neque chimæricæ æquilibrii indifferentiæ favet experientia, poſſetque hic uſurpari ratiocinium, quod contra modum, quo Carteſiani libertatem ex independentiæ noſtræ conſcientia intima eliciunt, *Bælius* ipſe paullò antè uſurpabat. Nam licèt non ſemper videam rationem inclinationis, qua ad unum e duobus, quæ æqualia videntur, eligendum permovear, aderit tamen ſemper impreſſio quædam, etſi imperceptibilis, quæ me determinet. Velle ſimpliciter exercere libertatem, nihil habet, quod actum ſpecificet, aut nos ad alterius præcisè partis electionem determinet.

306. Pergit *Bælius*: *Duplici minimùm via ſeſe ab æquilibrii laqueis expedire homo poteſt. Altera eſt, quam jam adduxi, nempe ut grata ſibi imaginatione blandiatur quòd domi ſuæ regnet, nec ab objectis dependeat.* Via hæc obſtructa eſt: quantumvis domi tuæ imperare velis, nihil inde determinans elicies, nec hoc uni parti potiùs, quàm alteri, favet. Proſequitur *Bælius*: *Nempe hunc actum elicict: volo hanc rem illi præferre, quia mihi ſic placet.* Verum hæc ipſa verba, *quia mihi ſic placet*, *quia mihi ſic lubet*, jam aliquam in *objectum* placens propenſionem includunt.

307. Immeritò itaque ſic pergit *Bælius*: *Tumque id, quod determinaret,*

non

non ab objecto ipſo, *ſed ab ideis*, *quas homines de perfectionibus propriis*, *ac facultatibus ſuis naturalibus*, *habent*, *deſumeretur* (eee). *Altera via eſt ſortis ſive caſus*: *hic aleâ litem dirimeret*. Via hæc exitum habet, ſed a ſcopo aberrat; hoc enim eſt mutare ſtatum quæſtionis, quippe tunc homo ipſe non decidit, aut, ſi hominem nihilominùs ſorte decidere contendis, jam homo ipſe non ampliùs eſt in æquilibrio, cum ſors æquilibris non ſit, & homo ſorti ſe addixerit. Semper in natura rationes occurrunt, quæ cauſæ ſunt eorum, quæ caſu vel ſorte accidunt. Equidem miror, *Bælium*, ea ſagacitate virum, tantoperè a ſcopo aberrare potuiſſe. Alibi reſponſionem, ſophiſmati *Buridanico* plenè ſatisfacientem, dedi; nempe quod caſus perfecti æquilibrii ſit impoſſibilis, cùm Univerſum nunquam ita bipartiri quis poſſit, ut impreſſiones utrobique æquipolleant.

308. Videamus nunc, quid *Bælius* ipſe adversùs indifferentiam iſtam chimæricam, vel prorsùs indefinitam, alibi opponat. Dixerat *Cicero* (Libro *de Fato*) aliquid atomorum declinatione acutius inveniſſe *Carneadem*, dum motus animi voluntarios indifferentiæ illius omninò indefinitæ cauſam eſſe ſtatuebat, quia motus hi, utpote a noſtra natura profecti, nullâ causâ externâ indigent. Sed *Bælius* (Diction. Artic. *Epicurus*, pag. 1143.) præclarè reſpondet, quidquid a rei cujuſpiam natura proficiſcitur, eo ipſo eſſe determinatum: atque ita ſemper determinatio ſuppetit, nec quidquam prodeſt *Carneadis* effugium.

309. Oſtendit alibi, (Reſp. ad Provinc. cap. 90. T. 2. p. 219.) *libertatem*, *quo magis a jactato iſto æquilibrio remota ſit*, *eo eſſe præſtantiorem*. *Intelligo*, (inquit) *libertatem*, *quæ mentis judicia ſemper ſequatur*, *nec objectis*, *clarè cognitis ut bonis*, *reluctari poſſit*. *Neminem reperio*, *qui non fateatur*, *veritatem clarè cognitam neceſſitare* (determinare potiùs, niſi de neceſſitate morali ſermo ſit) *mentis adſenſum*, *quod experientia confirmat*. *In Scholis conſtanter docetur*, *ſicut verum eſt objectum intellectûs*, *ita bonum eſſe objectum voluntatis*, *&*, *ſicut intellectus nunquam adfirmare poteſt*, *niſi quod ſub veritatis ſpecie proponitur*, *ſic voluntatem nihil unquam amare poſſe*, *quod ſibi bonum non adpareat*. *Nunquam adſentimur falſo*, *ut falſum eſt*, *neque malum unquam*, *ut malum eſt*, *amatur*. *Eſt in intellectu determinatio naturalis ad verum in genere*, *& ad verum quodlibet particulare clarè cognitum*. *Similiter in voluntate eſt determinatio naturalis ad bonum in genere*, *unde complures Philoſophi concludunt*, *ſtatim atque bona particularia clarè cognoſcuntur a nobis*, *ad ea amanda nos compelli*. *Nec intellectûs hos actus ſuſpendit*, *niſi quando objecta ſeſe obſcurè produnt*, *ita ut locus ſit dubitandi*, *falſane ſint*, *an vera*, *quæ adparent*: *& inde plures colligunt*, *voluntatem in æquilibrio non manere*, *niſi dum mens incerta hæret*, *an objectum*,

(eee) Addit *Interpr.* (pro ideis illis *Bælius* inclinationes ſæpè occultas nominare debebat.)

ctum, propoſitum ſibi, ſit bonum: quamprimùm verò partem adfirmativam amplectitur, neceſſariò in illud ferri objectum, donec alia judicia mentis eam aliter determinent. Qui libertatem hoc pacto explicant, ſatis amplum in ea meriti demeritique campum reperire ſe autumant, quia ſtatuunt, judicia mentis procedere a libera adplicatione animi ad objecta conſideranda, invicem comparanda, & diſcernenda. Nec prætereundum eſt, viros dari perquàm eruditos (uti *Bellarminum*, Lib. 3. de Gratia & libero arbitrio, cap. 8. & 9. & *Cameronem* (fff) in reſponſione ad Epiſtolam Viri docti, id eſt, *Epiſcopii*) *qui adſerant rationibus ſatis urgentibus, voluntatem ſemper neceſſariò ſequi ultimum actum intellectûs practicum.*

310. Juvat ad huncce diſcurſum quaſdam adjungere obſervationes. Notitia valdè clara optimi voluntatem ad id proſequendum *determinat*, non tamen neceſſitat, propriè loquendo. Diſtinguendum ſemper eſt inter neceſſarium & certum, ſive infallibile, uti ſuprà monuimus non ſemel: diſtinguenda etiam metaphyſica neceſſitas a morali neceſſitate. Cenſeo inſuper, nullam voluntatem, exceptâ divinâ, intellectûs judicium ſemper ſequi: omnes creaturæ intelligentes adfectibus quibuſdam obnoxiæ ſunt, aut ſaltem perceptionibus, aliquid confuſi involventibus, quæ non penitùs ſitæ ſunt in eo, quod *ideas adæquatas* adpello. Et quanquam hi adfectus in Beatis virtute legum naturæ, rerumque præſtabilitarum ſyſtematis, ſemper ad verum ipſorum bonum tendant, non tamen perfectam ejuſdem notitiam ſemper habent, nobis quoad hoc ſimiles, qui inſtinctuum noſtrorum rationem non ſemper intelligimus. *Angeli* & *Beati* ſunt creaturæ perinde, atque nos, in quibus ſemper aliqua perceptio confuſa notitiis diſtinctis intermiſcetur. Adfine quidpiam de illis dixit *Suarez*, (Tractatu de Oratione, Lib. 1. cap. 11.) cenſens, Deum res antecedenter ita conſtituiſſe, ut Beatorum preces, quando plena cum voluntate fiunt, eventum ſemper obtineant, quod *Harmoniæ præſtabilitæ* ſpecimen quoddam eſt. Nobis, in mortali vita degentibus, præter judicium intellectûs, cujus expreſſam notitiam habemus, intermiſcentur confuſæ quædam ſenſuum perceptiones, quæ non adfectus tantum, ſed & propenſiones

(fff) *Jo. Camero*, Scotus quidem, Glaſcoviæ natus, ſed in Gallia non uno functus munere, Montalbani Theologiæ Profeſſ. conſtitutus, vitæ ibi finem nactus eſt A. 1625. annos habens 48. Cùm novarum in Theologia opinionum ſectator eſſet, *ſcribit Budd. in Iſag. p.* 1318. 1319. aliorum in ſe concitavit animos, & a Synodi Dordracenæ decretis diſceſſiſſe arguebatur, nec deerant, qui eum modò Pelagianiſmi, modò Manichæiſmi arguebant. Iis hinc etiam, qui cum illo faciebant, *Cameronianorum* nomen datum. Si *Ludov. Ell. du Pin* credimus, caput cauſæ in eo conſiſtebat, quod *Camero* doceret, voluntatem hominis a judicio practico intellectus determinari, adeoque quod benè aut malè homines agant, id ab intellectûs illuminatione, quam Deus ſuppeditet, pendere, nec phyſica voluntatis commotione opus eſſe, cùm moralis ſufficiat; *dans la Biblioth. des Auteurs ſéparés, &c. Tom. II. P. I, p.* 337.

ſiones inſenſibiles, excitant, vel etiam ſenſibiles quidem, ſed quas ob exiguitatem, aut animi diſtractionem, non animadvertimus. Hi motus judicium intellectûs practicum perſæpè reddunt inefficax.

311. Circa Parallelismum, inſtitutum inter intellectum in ordine ad verum, & voluntatem in ordine ad bonum, ſciendum eſt, quòd clara diſtinctaque perceptio veritatis actu in ſe veritatis ejuſdem adfirmationem contineat, unde fit, ut intellectus ea ipſa perceptione neceſſitetur. Sed qualiſcumque demùm perceptio boni ſit, conatus agendi poſt judicium, in quo *voluntatis eſſentiam* repoſitam eſſe arbitror, a perceptione diſtinguitur. Unde, cùm tempore opus ſit, ut hic conatus ad faſtigium ſuum perducatur, ſuſpendi ille, immò mutari poteſt, intercurrente nova perceptione vel inclinatione, quæ mentem aliò avertit, immò frequenter imbuit judicio contrario. Hinc eſt, quòd mens noſtra tot habeat agnitæ veritati reſiſtendæ vias, tantuſque ſit a mente ad cor, ab intellectu ad voluntatem, trajectus. Præſertim ubi intellectus ferè per *cogitationes ſurdas*, & in movendo parum efficaces, procedit, uti alibi explicavi. Atque ita nexus inter judicium & voluntatem non adeò neceſſarius eſt, quàm prima fronte poſſet exiſtimari.

312. Pergit optimè *Bælius* (pag. 221.) *Jam defectus mentis humanæ cenſeri nequit, quod libertatem indifferentiæ in ordine ad bonum in genere non habeat; quin potiùs inordinatio & imperfectio abſurda foret, ſi verè dici poſſet: parvi meâ refert, felixne ſim, an miſer; nec magis ad bonum amandum, quàm odio habendum, impellor; utrumque facere æquè poſſum. Quodſi ad bonum in genere determinatum eſſe laudabile eſt & utile, ſanè defectus eſſe non poteſt, ad ſingula bona particularia, manifeſtè agnita ut nobis bona, neceſſitari. Immò neceſſariò conſequi videtur, ſi mens circa bonum generatim libertatem indifferentiæ non habeat, nec illam habituram etiam circa bona particularia, dum, expenſa utrimque cauſa, hæc eſſe ſibi bona judicat. Quid cogitaremus de anima, quæ poſtquàm judicium illud tuliſſet, meritò gloriaretur, ſe vi pollere bona iſta non amandi, immò habendi odio; quæ diceret: agnoſco clarè, hæc eſſe mihi bona, neceſſariis hac in re luminibus abunde ſum inſtructa, nolo tamen illa amare, volo illa odiſſe; decretum eſt, hoc ago; non quòd ulla ratio* (hoc eſt, alia quædam ratio, quàm ea, quæ in *beneplacito meo* ſita eſt) *eò me impellat, ſed quia mihi lubet ita agere; quid, inquam, de hujuſmodi anima cenſeremus? an non magis imperfectam, magiſque miſeram, eam judicaremus, quàm ſi hac indifferentiæ libertate careret?*

313. *Non doctrina ſolùm, quæ voluntatem ultimis intellectûs actibus ſubjicit, nobiliorem nobis de animæ conditione ideam ingenerat, verùm etiam oſtendit, hominem ad felicitatem hac via faciliùs, quàm via indifferentiæ, deduci poſſe; ſufficiet enim, menti vera ſua commoda clarè proponere, & ſtatim voluntas ad judicia, a Ratione pronunciata, ſe componet. Si verò libertatem habeat a Ratione, clareque cognitâ objectorum qualitate, minimè penden-*

pendentem, homo animantium omnium maximè indocilis erit, nec unquam ejus in bonam partem inflectendi via certa ſuppetet. Conſilia omnia, ratiocinia omnia, prorſus inutilia eſſe poterunt; illuſtrabis tu quidem & convinces intellectum ejus adfatim, ſed reluctabitur voluntas, & rupis adinſtar immota perſtabit. Virgil. *Æn. Lib. 6. v.* 470.

Nec magis in cœpto vultum ſermone movetur,
Quàm ſi dura ſilex aut ſtet Marpeſia cautes.

Adversùs omne rationum genus pervicaciâ vanâ & moroſitate obfirmabitur, nec bonum ſuum, clariſſimè agnitum, amare libebit, libebit odiſſe. Quid cenſes, amabo? hanccine facultatem putabis munus omnium, quæ Deus homini largiri potuerit, eſſe præſtantiſſimum, & noſtræ felicitatis inſtrumentum unicum, an potiùs obicem? Eſtne, cur quiſquam glorietur, quod dicere poſſit: omnia Rationis meæ judicia contemſi, aliam omninò viam tenui ex ſolo principio beneplaciti mei? *Quanta pœnitudine, quantis doloribus, non laceraretur hujuſmodi animus, ſi conſilium, ita ſuſceptum, perniciem adferret? Talis utique libertas hominibus magis noxia foret, quàm utilis; quia quantamcumque objecti bonitatem non ſatis repræſentaret intellectûs ad adimendam voluntati boni reſpuendi facultatem. Longè igitur melius eſt, hominem intellectûs judicio determinari ſemper, quàm ſuſpendendi actus ſui copiam fieri voluntati; illo namque pacto faciliùs ac certiùs ſcopum ſuum conſequetur.*

314. Circa hoc ratiocinium obſervo rursùs, veriſſimum eſſe, libertatem indifferentiæ indefinitæ, quæque omni ratione determinante careat, tam noxiam abſonamque fore, quàm eſt impoſſibilis & commentitia. Quicumque ſic agere, aut ſic agentem ſimulare vellet, quaſi temerè & ſine ratione procederet, certiſſimè delirus haberetur. Sed reverâ impoſſibile eſt ſic agi, ſi rigidè prorsùs omnis animum movendi ratio excludatur. Ut primum exemplum ejus adferre voles, ſtatim a poſita hypotheſi deviabis, & incides in caſum hominis, qui non ſine cauſa, ſed inclinatione potiùs adfectuve, quàm judicio, ſeſe determinat. Quamprimùm enim dicet: *Ex ſolo principio beneplaciti mei judicia Rationis meæ contemno, libet mihi ſic agere*; tantundem eſt, ac ſi diceretur: inclinationem meam commodis meis, libidinem utilitati, præfero.

315. Perinde hoc eſt, ac ſi quis homo moroſus & pervicax, ratus turpe fore amicorum vel famulorum monitis obſequi, contradicendi voluptatem utilitati, ex alieno conſilio redituræ, anteferret. Evenire tamen poteſt, ut in re levis momenti vir etiam ſapiens ex præſcripto legis non agat, & in propria commoda peccet, ut alicui, ſe cogere volenti, aut imperium in ſe adfectanti, obſiſtat, vel eos, qui facta ſua obſervant, confundat. Immò expedit interdum, *Bruti* (ggg) exemplo ingenium occultare

(ggg) *Ovidius* Lib. II. Faſtor. Brutus *erat ſtulti ſapiens imitator, ut eſſet Tutus ab inſidiis, dire ſuperbe, tuis.*

tare ſuum, vel adeò inſaniam ipſam ſimulare, uti *Davides* fecit coram Rege Philiſtinorum.

316. Alia multa præclara *Bælius* addit, ut oſtendat, quòd agere contra judicium intellectûs magna ſit animæ imperfectio. Obſervat (pag.225.) juxta ipſos etiam Moliniſtas, *intellectum, qui ritè ſuo fungitur OFFICIO, indicare id, quod eſt OPTIMUM*; introducit Deum (cap.91. pag.227.) Protoplaſtis noſtris in Paradiſo dicentem: *Largitus ſum vobis cognitionem meam, facultatem de rebus judicandi, plenamque diſponendi circa veſtras voluntates poteſtatem. Dabo inſuper vobis mandata & documenta, ſed liberi arbitrii, vobis a me conceſſi, ea eſt natura, ut* (ſi caſus tulerit) *æquali ad obtemperandum, & non obtemperandum, virtute polleatis. Tentabimini: ſi libertate veſtra benè uſi fueritis, eritis felices; ſin malè, infelices. Veſtrum nunc eſt diſpicere, num novi muneris inſtar a me poſtulare velitis, ut vel ſinam veſtra vos abuti libertate, cùm id volueritis, vel abuſum iſtum impediam gratiæ novæ impreſſione. Rem benè perpendite: diem vobis ſolidum ad deliberandum concedo. . . . . . . Nonne clarè agnoſcis,* (addit, *Bælius*) *Protoplaſtos Ratione ſua, nullo adhuc peccato obſcurata, haud dubiè convincendos fuiſſe, a Deo, tanquam beneficiorum, in ſe collatorum, cumulum, peti debere, ne ſeſe malo facultatum ſuarum uſu interire permitteret? Et ſi* Adamus, *inani ſui ipſius gubernandi honore illectus, divinam directionem, qua felicitatem ſuam in tuto collocare poterat, recuſaſſet, nonne* Phaëtontum & Icarorum *prototypon futurum fuiſſe fatendum foret? Immò æquè penè impium, ac* Ajax Sophoclæus, *qui ſine Deorum ope vincere volebat, ac ignaviſſimum quemque tali cum auxilio hoſtes ſuos fugaturum dicebat.*

317. Demonſtrat etiam *Bælius* (cap. 80.) homines non minùs ſibi gratulari, immò ſibi magis adplaudere, ſi ſuperno auxilio, quàm ſi judicio ſuo, fortunam debeant, &, quando rationibus maturè penſitatis inſtinctum aliquem tumultuoſum, & ſubitò ingruentem, cum ſucceſſu prætulere, inſolitam inde lætitiam percipere; nam vel Deum, vel Genium tutelarem noſtrum, vel aliud neſcio quid, quod ſub vago *fortunæ* nomine intelligitur, faviſſe nobis imagine concipimus. Certè *Lucius Sylla* & *Julius Cæſar* fortuna magis ſua, quàm in rebus agendis dexteritate, gloriabantur. Ethnici, atque inprimis Poëtæ, (præ cæteris *Homerus*) Heroas ſuos impulſu divino regebant. *Æneas* apud *Virgilium* nihil, niſi Deo aliquo duce & auſpice, adgreditur. Arguta Imperatorum laudatio erat, cùm & copiis ſuis, & Diis, quos Ducibus commodaſſent, viciſſe dicebantur:

Te copias, te conſilium & tuos
Præbente Divos,

dicebat *Horatius Auguſto* (hhh). Belli Duces ſub Imperatorum *auſpiciis*

(hhh) *Carm. Lib. IV. Od. XIV.*

ciis (iii) præliabantur, quaſi eorum in fortuna acquieſcentes, nam auſpicia ad ipſos, alteri ſubmiſſos, non pertinebant. De gratioſis Cœli muneribus mirè ſibi plaudunt homines, & potiùs ducunt fortunatum eſſe, quàm induſtrium & ſolertem. Nulli ſe feliciores credunt, quam Myſtici, qui Deum in quiete tenere, & Deum in ſe agere, arbitrantur.

318. Ex altera parte, uti *Bælius* addit c. 83. *Philoſophus aliquis Stoicus, qui fatalem rebus omnibus neceſſitatem adſigit, æquè ac alius quivis e bona electione voluptatem percipit, & homo quilibet benè ſanus comperiet, quòd non tam volupe ſit diù deliberaſſe, & tandem honeſtiſſimam elegiſſe partem, quàm primo impetu in meliora ferri. Atque ideò incredibili gaudio expleri mentem, cùm ſibi perſuadet, in virtutis amore ita ſe confirmatam, ut ſine lucta ulla tentationem quampiam propulſatura foret. Homo, cui aliquid contra officium, honorem, vel conſcientiam ſuam, agendum proponitur, & qui e veſtigio reſpondet, in ſe non cadere tale facinus, & revera in ſe non cadere comperit, longè de ſe ſentit præclariùs, quàm ſi deliberandi ſpatium poſtularet, & horas aliquot, quam in partem ſe vertat, dubius hæreret. Moleſtiſſimum multoties accidit, datâ duorum optione, non poſſe ſe determinare, gratiſſimumque foret, vel amici conſilio, vel cœleſti quopiam auxilio, ad electionem bonam compelli.* Ex his omnibus videre licet, quantoperè judicium determinatum vagæ illi, quæ nos incertos relinquit, indifferentiæ præcellat. Sed quid multa? Satis, opinor, probavimus, ſolâ ignorantiâ, aut adfectu, poſſe nos ſuſpenſos teneri, & hac de cauſa id in Deum cadere non poſſe. Quò magis ad Deum adpropinquatur, eò perfectior eſt libertas, ſemperque *Catonis* indoles, qui, *Vellejo* teſte, aliter quam rectè facere non poterat, hominis, qui hæſitare poſſit, ingenio præferrent.

319. Hæc

(iii) Singularem de hoc argumento Diſſertationem, ſat elegantem, exhibuit Cel. *Jo. Henr. Boeclerus*, ſub indice: *De Auſpicio Regio.* Exſtat inter *Diſſertationes illius Academicas*, quarum ed. altera Argentorati prodiit A. 1701. & quidem a pag. 132. ad 199. „ Quandoquidem, *ait* pag. 135. auſpicia, magiſtratibus gerendis, adeoque Reipubl. cauſa & nomine, eximiè adcommodari videmus: facilè poſſumus colligere, *ipſius* quoque *Reip. ac ſummi imperii* aliqua eſſe, & quidem *omnium præcipua auſpicia.* Hoc ſenſu nim. ut quæ *ducum auſpiciis* geſta dicuntur in Rep. libera, excellenti quodam ſignificatu, & ſi adcuratè loquendum ſit, *auſpiciis populi Romani*, *ſive Reip. Romanæ*, tribuenda ſint. Quod ut rectiùs intelligatur, notandum eſt, vocem *auſpicii* in illis locutionibus, cum *auſpicio alicujus aliquid geſtum* dicitur, præter communem auſpicii capiendi reſpectum, atque cærimoniam (quæ nec ſemper in tabulis adtenditur) apud adcuratioris ſtili Auctores ſignificare θεῖαν τινα ϗ ἀρχιτεκτονικὴν ἐνέργειαν, *ſanctiorem quandam, & moderatricem vim ac virtutem* : i. e. rerum gerendarum eminentem quandam ac juſtam auctoritatem, quam dat muneris officiique poteſtas; penetrabilem agendi efficaciam ſive fortunam, quæ gerentes publica divinitùs comitatur. Id quod ex iis, quæ cum nota cognationis & mutuæ declarationis conjungi ſolent, vocabulis licet quodammodo æſtimare, dum modò *ductu auſpicioque*, modò *ductu, imperio, auſpicioque alicujus*, geſta bella, confecta negotia memorant Scriptores. “ *&c.*

319. Hæc *Bælii* adversùs vagam indifferentiam ratiocinia repræſentare & confirmare libuit, tum ut argumentum hoc illuſtraremus, tum ut *Bælio Bælium* ipſum opponeremus, atque oſtenderemus, eum de impoſita Deo, quàm fieri poteſt optimè eligendi, neceſſitate conqueri non debuiſſe. Vel enim ex indifferentia vaga & fortuitò, vel ex ſubitario animi impetu, aliove quopiam adfectu, vel denique ex prævalente rationis, ad optimum moventis, inclinatione agit. Atqui adfectus, qui e confuſa boni adparentis perceptione oriuntur, in Deo locum non habent, vaga autem indifferentia chimærica eſt; quid igitur reſtat, niſi ut ratio validior Dei electionem poſt ſe trahat? Noſtræ libertatis imperfectione fit, ut pro bono malum, pro minori malo majus malum, & pro majori bono minus bonum eligere poſſimus. Id totum e fallacibus boni malique repræſentationibus oritur; cùm contrà Deus ſemper in verum, maximumque bonum, feratur, hoc eſt, in bonum verum abſolutè, quod utique ipſe cognoſcat neceſſe eſt.

320. Falſa iſta idea libertatis, ab iis conficta, qui libertatem, non dico a coactione, ſed etiam a neceſſitate ipſa, eximere non contenti, vellent inſuper eam a certitudine & determinatione, hoc eſt, a ratione & perfectione, immunem reddere; placuit nihilominùs Scholaſticis quibusdam, qui ſuis ſæpè argutiis intricant ſeſe, & vocabulorum paleam pro rerum ipſarum grano amplexantur. Nempè commentitiam aliquam notionem effingunt, ex qua commoda haurire ſe poſſe arbitrantur, eamque cavillationibus propugnare conantur. Hanc ad claſſem pertinet indifferentia omnimoda, quam voluntati indulgere eſt privilegium ei concedere, non abſimile ei, quod Carteſiani quidam, Myſticique nonnulli, naturæ divinæ adfingunt, potentiam ſcilicet faciendi id, quod eſt impoſſibile, producendi abſurda, & efficiendi, ut duæ enunciationes contradictoriæ ſint ſimul veræ. Velle, ut ex omnimoda indifferentia, prorsùs indeterminata, determinatio aliqua prodeat, eſt velle, ut ea naturaliter e nihilo profluat. Ponitur Deus hanc determinationem non dare, nullam igitur originem habet illa, nec in anima, nec in corpore, nec in circumſtantiis, cùm omnia indeterminata ponantur; & tamen ecce tibi prodit exiſtitque determinatio, ſine præparatione, ſine diſpoſitione ulla, ita quidem, ut nec Angelus, nec Deus ipſe, quo pacto illa exiſtat, videre vel oſtendere poſſit. Hoc non modò eſt e nihilo egredi, ſed etiam egredi per ſe ipſum. Doctrina hæc aliquid æquè ridiculum invehit, ac declinationes Atomorum *Epicuri*, de quibus ſuprà locuti ſumus. Volebat *Epicurus*, unum ex his corpuſculis, quæ rectis lineis ad perpendiculum deorsùm feruntur, ſubitò a via ſua declinare ſine ulla cauſa, ſolùm quia voluntas ita jubet. Et nota, hunc Philoſophum eo confugiſſe ideò tantùm, ut jactatam illam indifferentiæ omnimodæ libertatem ſartam tectamque conſervaret: ex quo patet, commentum hoc valdè antiquum eſſe, & novis commentis occaſionem præbuiſſe, ut meritò dici poſſit: *Chimæra Chimæram parit.*

321. *Epicuri* mentem Cel. *Marchetti* idiomati Italico ita incluſit, in venuſta *Lucretii* Traductione, quæ lucem nondum vidit (kkk): Lib. II.

Mà ch'i principii poi non corran punto
Della lor dritta via, chi veder puote?
Si finalmente ogni lor moto ſempre
Inſieme s'aggruppa, e dall' antico
Sempre con ordin certo il nuovo naſce;
Ne tracciándo i primi ſemi, fanno
Di moto un tal principio, il qual poi rompa
I decreti del fato, acciò non ſegua
L'una cauſa dell' altra in infinito;
Onde han queſta, dich' io, del fato ſciolta
Libera voluntà, *per cui ciaſcuno*
Va dove più l'agrada? I moti ancora
Si declinan ſovente, e non in tempo
Certo, ne certa region, mà ſolo
Quando e dove commanda il noſtro arbitrio,
Poiche ſenz' alcun dubbio à queſte coſe
Dà ſol principio il voler proprio, e quindi
Van poi ſcorrendo per le membra i moti.

Lepidum eſt, hominem, qualis *Epicurus* fuit, poſtquàm Deos, omneſque ſubſtantias incorporeas, a mundi procuratione ſubmoviſſet, imaginari ſibi potuiſſe, voluntatem, quam ex atomis ipſe componit, in atomos imperium

(kkk) Metaphraſis hæc elegantiſſima *Alexandri Marchetti*, quam verſibus Italicis ἀρυθμοις abſolvit A. 1669. inſcripſitque *Coſmo III.* magno Florentiæ Duci, Londini lucem vidit, editore *Paulo Antonio Rullo*, Romano, 1717. 8. De ea v. Biblioth. Anglic. *Mich. de la Roche*, T. I. p. 332. Monumenta Trevolt. A. 1718. p. 382. & de ipſo *Marchetto* Diarium Venetum, *Giornale de' letterati d'Italia* T. XXI. pag. 213. ſq. Cel. *Stolle* Adnotationes in *Heumanni* Conſpectum Reip. Litterariæ, pag. 746. Natus eſt A. 1633. d. 17. Mart. denatus Piſis A. 1714. d. 6. Sept. Verſus hos *Lucretius*, Lib. II. de Natura rerum, ita expreſſit:

Sed nihil omninò recta regione viai
Declinare quis eſt, qui poſſit cernere ſeſe?
Denique, ſi ſemper motus connectitur omnis,
Et vetere exoritur ſemper novus ordine certo,
Nec declinando faciunt primordia motus
Principium quoddam, quod fati fœdera rumpat,
Ex infinito ne cauſam cauſa ſequatur:
Libera per terras unde hæc animantibus exſtat,
Per quam progredimur, quò ducit quemque voluptas?
Unde eſt hæc, inquam, fatis avulſa voluntas?
Declinamus item motus, nec tempore certo
Nec regione loci certa, ſed ubi ipſa tulit mens,
Nam dubio procul his rebus ſua cuique voluntas
Principium dat: & hinc motus per membra geruntur.

rium habere, eaſque a via recta deflectere, cùm nulla, qua id fiat, ratio poſſit adferri.

322. *Carneades*, ad Atomos uſque non progreſſus, in ipſa ſtatim hominis anima jactatæ indifferentiæ vagæ rationem invenire voluit, ſumens pro ratione id ipſum, cujus rationem inveſtigabat *Epicurus*. Nihil lucrabatur *Carneades*, niſi quod hominibus, parum adtentis, faciliùs imponeret, abſurditatem in una materia, in qua paullo nimiùm manifeſta erat, transferendo ad aliam, quæ tricarum patientior erat, videlicet a corpore ad animam, quia plerique Philoſophi non admodum diſtinctas de natura animæ notiones habebant. *Epicurus*, qui eam componebat ex atomis, ſaltem in eo culpandus non erat, quòd ſuæ determinationis originem in illo quærebat, quod ipſius animæ originem eſſe autumabat. Quare *Cicero* ac *Bælius* immeritò *Epicurum* tantoperè vituperant, *Carneadem* verò, non minùs abſurda pronunciantem, excuſant, immò laudant: nec capio, quo pacto *Bælius*, vir alioquin acutiſſimus, larvata abſurditate ita imponi ſibi paſſus ſit, ut commentum iſtud conatum, qui ab humano ingenio hac in re exeri poſſit, maximum adpellare non dubitarit: quaſi vero anima, quæ Rationis eſt ſedes, potiùs, quàm corpus, agere ſine ratione aliqua, ſive cauſa interna externave, determinante poſſit; aut quaſi magnum illud principium, nihil ſine cauſa fieri, ad corpora ſola pertineret.

323. Verum quidem eſt, Formam, ſive Animam, hac dote Materiæ præſtare, quod ſit principium actionis, utpote habens in ſe principium motûs, ſive mutationis; verbo, τὸ αὐτοκίνητον, uti *Plato* vocat; cùm contrà Materia ſit ſolùm paſſiva, & impulſu indigeat ad agendum, *agitur, ut agat*: at ſi anima ſe ipſa activa eſt, (uti reverâ eſt) ob id ipſum non eſt prorsùs ex ſe indifferens ad actionem, uti materia, & in ſe ipſa aliquid reperiat neceſſe eſt, per quod ſe ipſa determinet. Et quidem, ſecundùm Harmoniæ præſtabilitæ ſyſtema, anima in ſe ipſa, & in natura ſua ideali, quæ exiſtentiâ anterior eſt, determinationum ſuarum rationes, rebus circumſtantibus omnibus adtemperatas, reperit. Hoc pacto in ſtatu puræ poſſibilitatis ab omni æternitate determinata erat ad agendum liberè id ipſum, quod actura eſt in tempore, quo exiſtet.

324. *Bælius* ipſe obſervat egregiè, libertatem indifferentiæ (qualis admittenda eſt) inclinationes neutiquam excludere, nec æquilibrium poſtulare. Satis prolixè oſtendit (Reſp. ad Provincial. cap. 139. p. 748.) animam cum bilance comparari poſſe, in qua rationes inclinationeſque ſint loco ponderis. Juxta illum, id, quod in decretis noſtris fit, explicari poteſt per hypotheſin, qua voluntas hominis æquiparatur bilanci, quæ, ſi lancis utriuſque pondera ſint æqualia, quieſcit, & quæ propendet alterutram in partem, prout lanx alterutra magis gravata fuerit. Nova ratio ſuperaddita pondus ſuperiùs efficit, idea recens vetere vividior radiat, gravioris pœnæ metus voluptatem aliquantam prægravat; ubi duo depræ-

 liantur

liantur adfectus, penes fortiorem ſemper eſt victoria, niſi ratio, vel adfectus quiſpiam fœderatus, ſuppetias debiliori ferat. Dum quis, vitæ ſervandæ gratiâ, merces in mare projicit, actio, quam Scholæ mixtam vocant, voluntaria eſt & libera, & tamen amor vitæ fortunarum amorem abſque omni dubio vincit. Moeror verò ex amittendarum fortunarum recordatione exoritur, eoque difficiliùs projectio illa decernitur, quò major eſt jactura, & quò propiùs ad æqualitatem accedunt oppoſitæ rationes, uti videmus, bilancem determinari promtiùs, cùm pondera valdè diſcrepant.

325. Interim, cùm ſæpè plura duobus, ex quibus eligi poſſit, occurrant, poſſet anima tunc comparari loco bilàncis cum vi aliqua, quæ in plures ſimul partes conatum exerat, ſed non agat, niſi in partem illam, ex qua plus facilitatis, aut minùs reſiſtentiæ, reperit. Ita aer, in recipiente vitreo nimis compreſſus, franget illum, ut exeat, ac conatum quidem in omnes partes exerit, ſed denique in debiliorem convertit impetum. Hoc pacto inclinationes animæ, quæ ſunt voluntates antecedentes, in omnia bona obvia feruntur, ſed voluntas conſequens, quæ ex illis reſultat, versùs partem, efficaciùs adficientem, ſeſe convertit.

326. Interim tamen hæc inclinationum præponderatio nullatenus prohibet, quin homo ſit ſui ipſius dominus, modo poteſtate ſua uti norit. Imperium ejus imperium Rationis eſt; ſi animum duntaxat ad obſiſtendum adfectibus tempeſtivè præparet, quorumlibet, etiam vehementiſſimorum, impetum coërcere valebit. Fingatur *Auguſtus*, *Fabium Maximum* neci damnaturus, pro more ſuo datum ſibi a Philoſopho quodam conſilium exſequi, & priùs Alphabetum Græcum recitare, quàm quidquam ſtatuat iratus. Hæc una cogitatio & *Fabio* vitam, & *Auguſto* gloriam, ſervare poterit. Verùm, niſi felix quædam hujuſmodi cogitatio præſto ſit, quæ beneficentiæ alicui divinæ, prorſus ſingulari, accepta quandoque ferenda eſt, aut niſi quædam induſtria, priùs adquiſita, juverit, excitandis cogitationibus, tempori & loco congruentibus, adcommoda, quali pollebat *Auguſtus*, adfectus Rationem ſuperabit. Auriga quidem imperium in equos exercet, ſi eos regit, uti debet, & uti poteſt; ſed, ſi aliquando negligentiùs agat, laxatis frenis,

Fertur equis auriga, nec audit currus habenas.

327. Fatendum eſt, ſemper in voluntatem noſtram ſatis poteſtatis ineſſe nobis, ſed non ſemper venit in mentem illâ uti. Unde palam fit, uti jam ſæpiùs obſervavimus, animæ in ſuas inclinationes imperium eſſe potentiam, quæ non, niſi *indirectè*, poſſit exerceri; ad eum ferè modum, quo Pontifices poteſtate in Regum temporalia pollere volebat *Bellarminus*. Certè actiones externæ, quæ vires noſtras non excedunt, a voluntate noſtra pendent abſolutè, ſed ipſæ noſtræ volitiones non pendent a volun-

voluntate, niſi per quædam diverticula ſolerter quæſita, quæ conſilii noſtri, vel ſuſpendendi, vel mutandi, viam nobis ſuppeditant. Domi imperamus, non uti Deus in Mundo, qui *dixit*, *& facta ſunt*, ſed veluti Princeps ſapiens in ſua ditione, vel uti bonus Pater-familias in ſua familia. *Bælius* interdum rem aliter accipit, quaſi noſtrum in actiones noſtras imperium abſolutum, & a rationibus ac viis, ſive mediis, independens eſſe deberet, ut de arbitrii libertate meritò gloriari queamus. Sed ne Deus quidem ipſe tale habet, aut habere debet, intuitu ſuæ voluntatis; nam mutare naturam ſuam non poteſt, neque aliter agere, atque ordinare; & qua, quæſo, ratione ſe homo derepente transformare poſſet? Dixi jam ſuprà, imperium Dei, imperium ſapientis, imperia ſunt Rationis. Interim ſolus tamen Deus voluntates habet maximè deſiderabiles, unde fit, ut illas immutandi potentiâ minimè indigeat.

328. *Si anima domi ſuæ imperaret* (inquit *Bælius*, p. 753.) *ſimul atque voluerit, hic dolor, hæc mœſtitia, reportatæ de adfectibus victoriæ comites, evaneſcent.* Ad hoc obtinendum, ſufficeret, ejus ſententiâ, dare ſibi indifferentiam erga adfectuum objecta (pag. 758.) *quid igitur cauſæ eſt*, (inquit) *cur indifferentiam iſtam ſibi non dent homines, ſi domi imperant, & actionum ſuarum ſunt domini?* Verùm hæc objectio idem prorsùs valet, ac ſi quærerem, quare Pater-familias ſibi ipſe non det aurum, quo indiget? Is quidem aurum acquirere poteſt, ſed induſtria ſua, non nudo voluntatis juſſu, vel adtactu, uti poterat *Midas*, aut fabuloſis illarum fœminarum ſæculis fiebat, quas Feas (lll) vocant. Ut quis ſibi det, quidquid cupit, non ſatis eſſet imperare domi, ſed oporteret omnium rerum eſſe dominum; non enim omnia domi inveniuntur. Et verò, dum quis circa ſe ipſe operatur, rem non aliter inſtituere debet, atque dum operatur circa res alias: objecti primum ſui conſtitutionem & qualitates pernoſcere, tum demùm ei ſuas operationes accommodare neceſſe habet. Non ergò momento unico, nudove voluntatis actu aliquo, nos ipſi corrigimus, aut meliorem acquirimus voluntatem.

 329. Ju-

(lll) *Interpr. Lat.* Fatas nuncupat; ſunt fœminæ fatidicæ & magicis incantationibus notæ. Exſtat fabula Roman. ſub tit. *La Tyrannie des Fées détruite: Nouveaux Contes, dédiés à Madame la Ducheſſe de Bourgogne, par Madame la Comteſſe D. L. Amſt.* 1710. 12. Inducit fœminam principem *Philonicen*, earum laqueis irretitam, ad quam una ex iſtarum numero potentiam ſuam ita oſtentat. „Il y a bien d'au„tres exemples ici de nôtre pouvoir, continua la Fée, „toutes ces ſtatuës que vous „voyez le long de ces terraſſes, étoient „autrefois des ſujets d'un Prince nôtre voi„ſin; ces Jardins n'étoient point faits en„core; nous n'y faiſions pas nôtre habi„tation, quelquefois la beauté de cette „vallée nous y attirant. Un ſoir que nous „y danſions au clair de la Lune, nous „fûmes aperçuës par ces hommes; ils ſe „moquérent de nos poſtures différentes; „irritées contre ces inſolens, nous les fi„mes demeurer immobiles dans la ſitua„tion où ils étoient, & depuis nous les „avons convertis en ſtatuës.“ Conf. infr. *Reſponſ. ad Libellum* Kingii §§. 18. 24. 25.

329. Juvat nihilominùs animadvertere, moleſtias atque dolores, quæ adportatam de adfectibus victoriam comitantur, quibuſdam in gaudium ingens converti, quod e mentis ſuæ virium & gratiæ divinæ conſcientia vivida percipiunt. Qua de re Aſcetæ, verique Myſtici, experientiâ magiſtrâ loqui poſſunt, immò & genuinus Philoſophus nonnihil, quod hic dicat, habet. Pertingi utique ad ſtatum adeò felicem poteſt, hæcque via eſt una e præcipuis, quibus anima ad firmandum imperium ſuum uti valet.

330. Quòd ſi Scotiſtæ, ac Moliniſtæ, videntur *indifferentiæ vagæ* favere, (videntur, inquam, dubito enim, an id ſeriò faciant, ubi eam benè perſpectam habuerint) Thomiſtæ certè & Auguſtiniani prædeterminationi patrocinantur. Alterutrum enim eſt neceſſarium. *Thomas Aquinas* ad ſolidum tendere ſolet, & ſubtilis *Scotus*, ei contradicere ſtudens, ſæpè res obſcurat potiùs, quàm illuſtrat. Thomiſtæ Magiſtrum ſuum ſequuntur communiter, nec animam ſeſe determinare concedunt, ſine aliqua eò faciente prædeterminatione; ſed recentiorum Thomiſtarum prædeterminatio non eſt fortaſſis omninò illa, qua opus eſt. *Durandus a S. Porciano*, qui frequenter in opinando ab aliis diſcedit, quique concurſui Dei ſpeciali refragabatur, non tamen idcircò prædeterminationem aliquam repudiavit; cenſuit namque, Deum in anima, & rebus eam circumſtantibus, ipſarum determinationum animæ rationem intueri.

331. Stoici veteres ferè ſimul determinationem adſtruebant, & neceſſitatem negabant, quanquam inductæ rerum omnium neceſſitatis inſimulati ſunt. *Cicero* Libro *de Fato*, *Democritum*, *Heraclitum*, *Empedoclem*, *Ariſtotelem*, cenſuiſſe dicit, fatum neceſſitatis vim habere; alios verò (forſan *Epicurum* & Academicos intelligit) iis ſe oppoſuiſſe, & *Chryſippum* medium quoddam quæſiviſſe. Arbitror, falli *Ciceronem* de *Ariſtotele*, qui contingentiam & libertatem agnovit, ſi quis alius, immò longiùs, quàm par erat, progreſſus eſt, dum dixit (imprudens, ut opinor) enunciationes de futuris contingentibus non habere veritatem determinatam, in quo quidem a Scholaſticis pleriſque meritò deſertus eſt. *Cleanthes* ipſe, Magiſter *Chryſippi*, quanquam ſtaret pro eventuum futurorum determinata veritate, eorum tamen inficiabatur neceſſitatem. Quòd ſi Scholaſtici, quibus de futurorum contingentium determinatione hac tantoperè perſuaſum eſt, (uti Patribus Conimbricis (mmm), celebris curriculi philoſophici Auctoribus, contigit) perſpexiſſent rerum nexum, qualem Harmoniæ generalis ſyſtema exhibet, judicaſſent, certitudinem præviam, aut determinationem futuritionis, admitti non poſſe, quin prædeterminatio rei quædam in cauſis rationibuſque ſuis admittatur.

332. *Ci-*

(mmm) Collegium Conimbricenſe ſuper Ariſtotel. *Colon.* 4. 1600. *&* 1638. *Mogunt.* 4. 1600.

332. *Cicero* illud *Chryſippi* medium conatus eſt explicare nobis, ſed *Juſtus Lipſius* (nnn) in Philoſophia ſua Stoicorum notavit, locum *Ciceronis* eſſe mutilum, & totam Philoſophi hujus Stoici ratiocinationem ab *Aulo Gellio* nobis eſſe conſervatam, (Noct. Attic. Lib. 6. cap. 2.) Damus illam in compendio. Fatum eſt indeclinabilis quædam & æterna omnium eventuum ſeries & catena: opponitur, inde ſequi, actus voluntatis eſſe neceſſarios, & nocentes, ad malum vi compulſos, inique puniri. *Chryſippus* reſpondet, malum a primigenia conſtitutione animarum provenire, quæ partem facit ſeriei fatalis; eas, quæ per naturam benè ſunt formatæ, cauſarum externarum impreſſionibus meliùs reſiſtere; quarum verò vitia naturalia nullo diſciplinæ beneficio ſint emendata, eas in flagitia & errores ruere. Tum *Chryſippus* (referente *Tullio*) diſtinguit inter cauſas principales & inter cauſas acceſſorias, ac cylindri comparatione utitur, cujus volubilitas & velocitas, vel facilitas, in motu a cylindri figura præcipuè oritur, cùm contrà lentiùs decurreret, ſi corpus aſperum & confragoſum foret. Interim tamen impulſu indiget, ſicut anima objectorum ſenſilium ſollicitatione eget, & impreſſionem recipit ſecundùm conſtitutionem præſentem.

333. Arbitratur *Cicero* eas in difficultates delabi *Chryſippum*, ut neceſſitatem fati confirmet invitus. Idem ferè ſentit *Bælius* (Diction. Artic. *Chryſippus* litt. H.) Ait, hunc Philoſophum iſta lacuna nunquam emerſurum, cùm cylindrus, quòd lævis aut aſper ſit, ab artifice habeat: adeoque Deus, providentia, fatum, mali ſint cauſæ, & quidem neceſſitantes. Reſpondet *Juſtus Lipſius* (ooo), juxta Stoicos malum provenire a materia; perinde (meâ ſententiâ) ac ſi dixiſſet, ſaxum, quod artifex expolivit, rudius & inæqualius fuiſſe, quàm ut cylindrus inde bonus exiret. *Bælius* adversùs *Chryſippum* profert *Onomai* & *Diogeniani* fragmenta, ab *Euſebio* in Præparatione Evangelica nobis conſervata (Lib. 6. c. 7. 8.) & maximè inſiſtit refutationi, quam *Plutarchus* Libro de communibus notitiis adversùs Stoicos inſeruit, & *Bælius* ipſe retulit Artic. (*Pauliciani*, litt. C.) Verùm tanti non eſt iſta refutatio. Contendit *Plutarchus*, tollendam Deo potentiam potiùs, quàm concedendam ei malorum permiſſionem, negatque malum bono majori deſervire poſſe. Atqui ſuprà jam oſtendimus, Deum non idcircò non eſſe omnipotentem, quòd nihil melius facere poſſit, quàm producere optimum, quod mali permiſſionem continet,

(nnn) Duo ad Philoſophiam Stoicam ejuſque Hiſtoriam pertinentes Libri *Juſti Lipſii* exſtant, Antw. 1604. 4. & Lugd. B. 3644. 12. Nim. Juſti Lipſii *ad Stoicam Philoſophiam Libri III.* L. Annæo Senecæ, *aliiſque Scriptoribus illuſtrandis*: J. L. *Phyſiologiæ Stoicorum Lib. III. &c.* Non eſt plenior in hoc argumento ſcriptor, & qui adcuratiùs hanc doctrinam tractarit, judicat Cel. *Morhofius* in *Polyhiſt. Tom. II. Lib. I. c. IV.* §. 2. Opera illius omnia prodierunt Antw. 1637. VI. Vol. fol.

(ooo) *Diſſertat.* 14. *Lib.* 1.

net, palamque fecimus plus, quàm ſemel, id, quod in parte aliqua, ſigillàtim ſumta, incongruum eſt, perfectioni totius inſervire poſſe.

334. Viderat aliquid ejuſmodi *Chryſippus*, non ſolùm quarto ſuo de Providentia Libro apud *Aulum Gellium* (Lib. 6. c. 1.) ubi vult, bonum intelligi non poſſe, niſi ex mali oppoſitione, (quæ ratio hic non ſufficit) ſed adhuc melius, dum dramatis exemplo utitur, libro ſecundo de Natura (uti *Plutarchus* ipſe refert) dicens, in comœdia quædam interdum eſſe inſipida per ſeſe, quæ tamen poëmati toti aliquid venuſtatis addant (ppp). Epigrammata, ſive inſcriptiones, vocat *Chryſippus*. Nobis comœdiæ veteris natura non ſatis perſpecta eſt, ut hunc ejus locum penitùs intelligere queamus; ſed cùm *Plutarchus* adſentiatur, fas eſt exiſtimare, non ineptam fuiſſe comparationem. Reſpondet itaque *Plutarchus* primò, Mundum non eſſe ludicri dramatis inſtar; ſed malè reſpondet; in hoc enim ſolùm comparatio ſita eſt *Chryſippi*, quòd pars mala totum ipſum melius efficere poſſit. Reſpondet ſecundò, malum illud exiguam duntaxat comœdiæ partem eſſe, cùm contrà vita humana malis ſcateat. Neque verò hæc reſponſio quidquam valet: conſiderare quippe debuerat *Plutarchus*, id, quod nobis notum eſt, eſſe minimam Univerſi partem.

335. Sed redeamus ad *Chryſippi* cylindrum: meritò ille pronunciat, vitium e primigenia quorundam ingeniorum conſtitutione naſci: objicitur, Deum ingenia illa condidiſſe, nec *Chryſippus* effugere poterat, niſi per imperfectionem *materiæ*, quæ Deum melius facere non ſinebat. Sed effugium iſtud nullum eſt, ipſa namque materia indifferens eſt ad formas omnes, & a Deo creata eſt. Malum potiùs provenit a formis ipſis, ſed abſtractis, hoc eſt, ab ideis, quæ ſuæ voluntatis actu Deus non magis produxit, quàm numeros & figuras, & (ut verbo dicam) non magis, quàm eſſentias quaslibet poſſibiles, quæ pro æternis & neceſſariis habendæ ſunt; nam in ideali poſſibilium regione, hoc eſt, in intellectu divino, reſident. Deus itaque non eſt auctor eſſentiarum, quatenus hæ meræ poſſibilitates ſunt; attamen nihil reperitur actuale, cui ipſe non decreverit dederitque exiſtentiam: permiſit autem malum, quia in optima omnium, quæ in regione poſſibilium inveniebatur, idea malum involvebatur, & hanc ſumma ſapientia non adoptare non poterat. Atque hæc notio ſapientiæ, potentiæ, bonitatique divinæ, ſimul ſatisfacit, nec tamen ingreſſum malo præcludit. Deus tantam, quantam Univerſum capere poteſt, perfectionem creaturis impertitur. Impellitur cylindrus, ſed quod in ejus figura aſperum eſt, motûs celeritatem moderatur. Hæc *Chryſippi* com-

(ppp) „ Tout ainſi, dit *Chryſippe*, que „ les comédies ont quelquefois des épigrammes ou inſcriptions ridicules, leſquelles ne valent rien quant à elles, „ mais néanmoins elles donnent quelque „ grace à tout le poëme: auſſi eſt bien à „ blaſmer & ridicule le vice quant à lui; „ mais quant aux autres il n'eſt pas inutile. " *Bælius* ex *Plutarch.* artic. *Pauliciens* Litt. G.

comparatio non multùm abludit a noſtra, quæ a navi onuſta deſumebatur, quam flumen propellit, ſed eò lentiùs, quò fuerit navis onuſtior. Ambæ comparationes iſtæ eundem ſcopum ſpectant, & inde licet arguere, ſi veterum Philoſophorum ſententiæ magis perſpectæ nobis forent, nos in illis plus, quàm paſſim creditur, reperturos eſſe rationis.

336. *Bælius* ipſe locum *Chryſippi* commendat (Artic. *Chryſippus*, litt.T.) quem *Aulus Gellius* ibidem refert, ubi Philoſophus iſte malum *per concomitantiam* adnatum eſſe contendit. Id etiam ope noſtri Syſtematis elucidatur; oſtendimus namque, malum, a Deo permiſſum, non eſſe voluntatis ejus objectum, velut finem, aut medium, ſed ſolùm velut conditionem, utpote quod optimo adhærere debebat. Fatendum tamen eſt, *Chryſippi* cylindrum objectioni de neceſſitate non ſatisfacere. Addendum erat primò, quòd per electionem Dei liberam fiat, ut e poſſibilibus aliqua exiſtant; deinde quòd creaturæ, ratione gaudentes, etiam agant liberè, juxta naturam ſuam primigeniam, quæ jam tum in ideis æternis inveniebatur; denique quod objecti bonitas voluntatem quidem inclinet, non tamen neceſſitet.

337. Libertatis, in creatura repertæ, perfectio ſine dubio in Deo eminenter exiſtit, intellige eam, quæ pura perfectio eſt, & quæ nullam imperfectionem arguit. Nam poſſe falli, & poſſe aberrare, imperfectio eſt; imperare autem adfectibus perfectio quidem eſt, ſed quæ imperfectionem, adfectum videlicet ipſum, ponit, cujus Deus eſt incapax. Meritò dixit *Scotus*, ſi Deus non eſſet liber, & a neceſſitate immunis, creaturam liberam fore nullam; at Deus nulla prorsùs in re indeterminationis omnimodæ capax eſt, nec ignorare, nec dubitare, nec judicium ſuſpendere poteſt; ejus voluntas ſemper eſt fixa, nec, niſi per optimum, figi poteſt. Deus etiam voluntatem particularem primigeniam, hoc eſt, a legibus, ſive voluntatibus generalibus, independentem, habere nunquam poſſet; eſſet enim hujuſmodi voluntas præter rationem. Nec de *Adamo*, de *Petro*, de *Juda*, ullove alio individuo, ſtatuere poſſet, niſi ſtatuendi ratio aliqua præſto eſſet; & hæc ratio neceſſariò ducit ad enunciationem aliquam generalem: Sapiens ſemper agit *per principia*, ſemper agit *per regulas*, & nunquam *per exceptiones*, niſi cùm regulæ concurrunt invicem per tendentias contrarias, ubi regula fortior præponderabit; alioquin aut ſe mutuò præpedient, aut certè tertium aliquod inde reſultabit; & his caſibus cunctis altera regula alteri exceptionis inſtar erit; nec ullæ unquam apud eum, qui ſemper ordine agit, *exceptiones originales* reperiuntur.

338. Si qui ſint, qui putent, electionem, & reprobationem, ex parte Dei fieri per poteſtatem aliquam deſpoticam, ab omni ratione, non tantùm manifeſta, ſed etiam occulta, abſolutam, hi profectò opinionem tuentur, quæ naturam rerum juxta & divinas perfectiones ſubvertit. Hujuſmodi *decretum abſolutè abſolutum* (ut ita loquar) eſſet ſine dubio intolerabile;

lerabile : ſed *Lutherus* & *Calvinus* ab eo ſtatuendo procul abſuerunt: ac ille quidem ſperat, fore, ut in futura vita juſtæ electionis divinæ rationes a nobis comprehendantur, hic verò diſertè proteſtatur, has rationes eſſe juſtas & ſanctas, licet nobis ignotas. Suprà jam citavimus in hanc rem *Calvini* de Prædeſtinatione Tractatum, cujus hæc ferè ſunt verba: *Deus ante* Adami *lapſum, quid ſibi facto opus foret, deliberaverat, idque ob cauſas nobis occultas... Reſtat itaque, ut partis hominum reprobandæ juſtas cauſas habuerit, ſed nobis IGNOTAS.*

339. Veritas hæc, quidquid Deus facit, rationi eſſe conſentaneum, nec melius fieri potuiſſe, omnem hominem ſani judicii ſtatim percellit, & adſenſum, ut ita dicam, extorquet. Et tamen fato quodam accidit, ut Philoſophi quidam acutiſſimi eam in dubium vocent, & in progreſſu, æſtuque diſputationis in prima rationis principia, ſub vocabulorum involucro non agnita, quandoque impingant imprudentes. Vidimus ſuprà, quomodo Vir excellentiſſimus, *Bælius*, quantumvis perſpicax, principium jam relatum, quod certiſſimum eſt ſupremæ Dei perfectionis conſectarium, impugnarit: nempe cauſam Dei agere ſe hac ratione credidit, eumque ab imaginaria neceſſitate immunem reddere, conceſsâ eligendi inter plura bona minoris facultate. Meminimus ſuprà *Diroyſii*, aliorumque, qui miræ huic opinioni, nimium quantum receptæ, adhæſerunt. Non advertunt illius patroni, hoc pacto falſam Deo libertatem conſervari, vel potiùs adfingi, ſcilicet libertatem agendi contra rationem. Hoc eſt opera ejus correctioni obnoxia reddere, nobiſque penitùs adimere poteſtatem, immò & ſpem, quidquam circa mali permiſſionem rectè & cum ratione dicendi.

340. Aberratio iſta, *Bælii* ratiociniis plurimùm offecit, & viam ipſi præcidit, multis e difficultatibus emergendi. Fecit id etiam, ut leges regni Naturæ arbitrarias & indifferentes eſſe cenſeret, objiceretque, Deum ad finem ſuum in regno Gratiæ meliùs pervenire potuiſſe, ſi legibus illis non inhæſiſſet, ſi ſæpiùs eas miſſas feciſſet, aut etiam alias conſtituiſſet. Id autem maximè verum eſſe cenſebat de lege unionis animæ cum corpore. Opinatur enim cum Carteſianis recentibus, qualitatum ſenſilium ideas, quas Deum occaſione motuum corporis, animæ impertiri putant, nihil habere, quod hos motus repræſentet, aut iis ſimile ſit; ita ut in mero Dei arbitrio eſſet, caloris, frigoris, luminis, cæterarumque qualitatum eas, quas nunc experimur, ideas, aut eadem occaſione prorsùs alias, nobis largiri. Miratus ſum frequenter, hominibus tam eruditis ſententias tam parum philoſophicas, tamque primis Rationis effatis contrarias, probari potuiſſe. Nihil enim Philoſophiæ alicujus imperfectionem luculentiùs indicat, quàm ſi Philoſophus fateri cogatur, aliquid in ſyſtemate ſuo reperiri, cujus ratio nulla exiſtat, quod ſanè tantundem eſt, ac atomorum *Epicuri* declinatio. Sive Deus, ſive Natura, operetur, ſuæ nunquam

rationes

rationes operationi deerunt. Ac in Naturæ quidem operationibus rationes iſtæ vel a veritatibus neceſſariis, vel a legibus, quas Deus rationi conformiores eſſe judicavit, petentur; in operationibus autem Dei, ab electione ſupremæ Rationis, qua Deus ad agendum movetur, dependebunt.

341. *Petrus Silvanus Regis*, celebris *Carteſii* adſecla, in Metaphyſica ſua (Part. 2. Lib. 2. c. 29.) rectè adſeruerat, facultates, a Deo homini conceſſas, omnium, quarum homo, juxta generalem naturæ ordinem, capax fuerat, eſſe præſtantiſſimas. *Si* (inquit) *ſola Dei potentia, & hominis natura, ſecundùm ſe conſiderentur, Deus hominem perfectiorem reddere potuiſſe facillimè concipitur: at ſi homo non in ſe ipſo, & a reliquis creaturis ſeparatus, ſed velut Univerſi membrum, ac pars, generalibus motuum legibus ſubjecta, conſideretur, agnoſcendum erit, hominem, quàm potuit perfectiſſimum, eſſe conſtitutum.* Subdit, *nos non concipere, quòd Deus ullam corpori conſervando rationem aptiorem adhibere potuerit, quàm dolorem, quo vitare, qua licet, admonemur, quæ nos deſtruere poſſint.* Rectè Cl. *Regis* ait generatim, Deum melius, quàm fecerit, reſpectu totius facere non potuiſſe. Et quamvis in quibuſdam Univerſi regionibus animalia rationalia forſitan exiſtant homine perfectiora, benè tamen a Deo factum judicabimus, omnigenas ut creaverit ſpecies, alias aliis perfectiores. Nec fortaſſis impoſſibile eſt, exſtare alicubi ſpeciem animalium, homini valdè ſimilium, nobiſque perfectiorum. Immò fieri poteſt, ut genus hominum ad majorem ea, quam nunc concipere animo poſſimus, perfectionem aliquando pertingat. Non igitur leges motûs prohibent, quo minùs homo perfectior ſit, ſed potiùs locus, quem Deus in ſpatio & tempore adſignavit homini, perfectiones, quarum capax erat, circumſcribit.

342. Dubito equidem ipſe cum *Bælio*, num dolor ad homines, periculi admonendos, ſit neceſſarius; vereor tamen, ne longiùs abreptus ſit (Reſp. ad Provinc. cap. 77. Tom. 2. pag. 104.) dum exiſtimare videtur, perceptionem delectationis paria dolori efficere poſſe, Deumque, ad prohibendum ab igne puerum, ei delectationis ideas impertiri potuiſſe eò majores, quò magis ab igne receſſiſſet. Hæc ratio reſpectu malorum omnium iniri poſſe vix videtur, niſi miraculo. Ordini magis conſonum eſt, ut id, quod nimis propinquum noceret, minùs propinquum aliquam ſaltem mali præſenſionem adferat. Agnoſco tamen, præſenſionem iſtam aliquid dolore levius eſſe poſſe, & pleruinque ita eſſe, ita ut dolor ad præſentis periculi fugam minimè neceſſarius videatur. Solet iſte potiùs pœnæ deſervire, eo quòd in malum nos reverâ conjecerimus, & monitioni, ne aliàs in illud relabamur. Multa quoque mala dolorem adferunt, quæ vitare non poſſumus, &, quia continuitatis in corpore noſtro ſolutio diverſimodè poterat contingere, naturale erat, hanc corporis imperfectionem aliquo imperfectionis ſenſu in anima repræſentari. Nolim tamen ad-

firmare pro certo, nulla in Univerſo exſtare animantia, quorum compages tam artificioſa ſit, ut continuitatis ſolutione non magis doleant, quàm illi, quibus membrum, gangræna vitiatum, abſcinditur; vel etiam, ut ea ſolutione voluptatem percipiant, veluti ſi quis ſeſe duntaxat ſcalpit; dum ſcilicet imperfectio, corporis ſolutionem comitata, ſenſum perfectionis excitaret majoris, continuitate, quæ removetur, ſuſpenſæ aut ſufflaminatæ, & his animalibus corpus (craſſum) foret inſtar carceris.

343. Nihil etiam vetat, exſtare in Univerſo animantia, ſimilia illi, quod *Cyrano de Bergeraco* (qqq), in Solis globo peregrinanti, occurrit. Hujus animalis corpus fluidum quoddam erat, in infinitis animalculis, ad majoris animalis vota ſe componere natis, collectum: unde momento temporis, quam libuiſſet figuram induebat, nec magis ei nocebat ſolutio continuitatis, quàm remus impactus mari. Sed hæc quidem animalia non ſunt homines, nec in globo noſtro, hac ſaltem ætate, exiſtunt. Non permiſit autem Dei ſyſtema, globum noſtrum carere animali rationali, carne & oſſibus veſtito, quem ſtructura ſua doloris capacem facit.

344. Sed *Bælius*, alio præterea principio adductus, nobis refragatur, eo nempe, cujus paullò antè meminimus. Exiſtimare videtur, ideas, quibus corporis qualitates anima percipit, eſſe prorsùs arbitrarias. Ita Deus facere potuiſſet, ut continuitatis ſolutio voluptatem nobis adtuliſſet. Ipſas adeò leges motûs planè arbitrarias eſſe contendit. *Scire velim*, ait, (cap. 166. Tom. 3. pag. 1080.) *an Deus aliquo ſuæ libertatis indifferentiæ actu generales communicationis motuum, & particulares unionis animæ humanæ cum corpore organico, leges ſtatuerit, nec ne? ſi ſtatuit liberè, leges prorsùs alias præſcribere poterat, & adoptare ſyſtema, ex quo nec malum morale, neque phyſicum, ſequeretur; ſin verò ſuprema ſapientia Deo neceſſitatem impoſuit conſtituendi leges, quas re ipſa tulit, habes purum putumque* fatum *Stoicum. Nempe ſapientia Deo viam monſtraverit, a qua non magis deflectere potuerit, quàm ſe ipſe deſtruere.* Objectio hæc ſatis ſuperque diluta fuit; neceſſitas illa ſolùm moralis eſt, ſemperque felix eſt neceſſitas ad obſervandas perfectæ ſapientiæ regulas impelli.

345. Adhæc leges motus a multis arbitrariæ idcircò cenſeri mihi videntur, quia pauci illas ritè expenderunt. Conſtat hodie, *Carteſium* in illis conſtituendis valdè erraſſe. Demonſtravi, conſervationem ejuſdem quantitatis motûs in natura locum habere non poſſe, ſed comperio, eandem quantitatem virtutis, tam abſolutæ, quàm directivæ & reſpectivæ, tam totalis, quàm partialis, conſervari. Principia mea, quæ argumentum iſtud penitùs

(qqq) Gallus gente fuit, natus A. 1620. denatus A. 1655. Primum militiæ dedit operam, ſed litterarum poſt deliciis captus, in illis colendis totus hæſit, inter alia luci publicæ committens, *l'Hiſtoire comique des Etats & Empires de la Lune*, ed. a *Mr. le Bret*, qui & Auctoris vitam præmiſit; *l'Hiſtoire comique des Etats & Empires du Soleil*, ab Ill. *Leibnitio* laud.

penitùs exhaurire videntur, necdum publicavi omnia, ſed cum amicis, idoneis talium judicibus, communicavi, qui ea valdè probavere, jamque nonnullos eruditionis ſpectatæ viros a priſtina ſententia deduxerunt. Detexi pariter, leges motûs, quæ in natura verè exiſtunt, & experimentis comprobantur, non eſſe quidem abſolutè demonſtrabiles, ad modum propoſitionis Geometricæ, ſed neque id neceſſarium eſſe. Neque enim illæ penitùs e principio neceſſitatis, ſed e principio perfectionis & ordinis, derivantur, ſunt enim effectus electionis & ſapientiæ Dei. Hæ leges variis a me modis demonſtrari poſſunt, ſed ſemper aliquid ponendum eſt, quod non eſt prorsùs Geometricè neceſſarium. Unde fit, ut elegantes illæ leges mirabile ſint Entis ſupremi, intelligentis ac liberi, argumentum, adversùs ſyſtema neceſſitatis abſolutæ brutæque, a *Stratone* aut *Spinoſa* invectum (rrr).

346. Inveni, legum harum rationes reddi poſſe, ſi ponamus, quòd effectus ſemper æquet vim cauſæ, vel, quod in idem recidit, quòd eadem vis ſemper conſervetur: verùm hoc ipſum axioma, a Philoſophia quadam ſuperiore profectum, Geometricè demonſtrari nequit. Poſſunt etiam alia generis ejuſdem principia adhiberi, quale iſtud eſt, quod actio ſemper ſit æqualis reactioni; quod ponit in rebus repugnantiam quandam ad mutationem ab externo, neque ex extenſione, aut impenetrabilitate, elici poteſt: quemadmodum nec alterum hoc principium, quod motus ſimplex eaſdem proprietates habeat, quas habere poſſet motus compoſitus, idem translationis phænomenon producturus. Hæ hypotheſes maximè ſunt plauſibiles, & in explicandis motûs legibus feliciter procedunt; nihilque eis convenientius eſt, maximè cùm reciprocentur. Sed nulla in eis neceſſitas abſoluta reperitur, quæ nos illas admittere cogat, uti Logicæ, Arithmeticæ, & Geometriæ, regulas cogimur admittere, ne in contradictoria incidamus.

347. Indifferentiam ſanè materiæ ad motum & quietem conſideranti, videtur corpus majus quieſcens a corpore minori moto ſine reſiſtentia ulla poſſe moveri, quo caſu actio daretur ſine reactione, & effectus major ſuâ causâ. Nec etiam ulla jubet neceſſitas motui ſphæræ, per planum horizontale æquabili velocitate, ut A, decurrentis, tribuere proprietates ejus motus, quem in navi haberet ſphæra tardiorem, ſed, accedente navis motu, ex ripa ſpectanti eandem velocitatis A adparitionem, vel idem trans-

(rrr) Vid. Epiſt. ad *R. P. Claudium Phil. Grimaldum.* It. Epiſtolam ad *Peliſſonium*, ubi de contentionibus cum *Catelano* Carteſiano, idem argumentum ſpectantibus, agit. Cel. *Jac. Hermannus* ill. *Leibnitii* ſententiam pluribus docuit in *Exercit. ſubſeciv. Francof. Tom. III. ſect. I.* at contra ill. Virum invictam, uti putat, demonſtrationem protulit *Dn. de Louville* in *Monumentis Trevolt.* refutatam a Cel. *Georg. Frid. Richtero* in *Novis Litterariis Lipſ. A.* 1723. uti ipſe monet in *Adnotationibus* ad elegantem edit. *Theodicææ* Germanicam, p. 829.

tranſlationis phænomenon daturum. Nam licèt eadem adparentia velocitatis & directionis ratione navis motæ reſultet, non tamen idcircò eadem res eſt. Interim effectus ſphærarum concurrentium in navi, quarum ſingularum motus proprius, additus motui navis, ſpeciem ejus, quod extra navim fit, exhibet, comperiuntur etiam exhibere ſpeciem effectuum, quos eædem hæ ſphæræ, extra navim concurrentes, producerent. Pulchrum iſtud quidem, ſed tamen abſolutè neceſſarium eſſe non adparet. Motus in utroque trianguli rectanguli latere motum aliquem in hypothenuſa componit, nec tamen indè ſequitur, globum, in hypothenuſa motum, debere eundem præſtare effectum, quem duæ ſphæræ, priori æquales, in utroque latere motæ, præſtarent; interim id tamen verum eſſe deprehenditur. Nihil eventu iſto congruum magis, & Deus leges, eum producentes, elegit; ſed Geometrica neceſſitas hìc adparet nulla. Verùm hic ipſe defectus neceſſitatis, legum, a Deo electarum, elegantiam exaggerat, in quibus egregia ſimul axiomata multa concurrunt, inter quæ utrum primigenium ſit, dicere nequeas.

348. Oſtendi præterea, inſignem illam *continuitatis* obſervari *legem*, quam fortaſſe primus protuli, quæque lydii lapidis inſtar eſt, cujus probationem excogitatæ a *Carteſio*, *P. Fabrio* (rrr*), *P. Pardiæo* (sss), *P. Malebranchio*, aliiſque, regulæ non ſuſtinent, uti olim in Bælianis Reipublicæ Litterariæ Novellis ex parte oſtendi. Vi hujus legis, quies veluti motus, poſt continuam diminutionem evaneſcens, conſiderari poſſe debet, & pariter æqualitas veluti inæqualitas, etiam evaneſcens, uti accideret per diminutionem continuam corporis majoris e duobus inæqualibus, dum interim corpus minus molem ſuam ſervat invariatam. Hac conſideratione poſita, generalem corporum inæqualium, aut motorum, regulam corporibus æqualibus, aut iis, quorum alterum quieſcit, tanquam particulari exemplo regulæ, adplicabilem eſſe oportebit; quod in genuinis motuum legibus bellè ſuccedit, non item in quibuſdam legibus, quarum auctores fuere *Carteſius*, aliique nonnulli viri eruditi, quæ ob id ipſum perperam excogitatæ fuiſſe comperiuntur, ita ut prædici poſſit, experientiâ minimè confirmatum iri.

349. His ex conſiderationibus ſatis liquet, leges naturæ, quibus motus temperantur, nec eſſe prorsùs neceſſarias, neque prorsùs arbitrarias. Medium ergò

(rrr*) *Honoratus Fabri*, S. J. Mathematicus & Philoſophus Gallus A. 1607. natus. Varia illius ingenii exſtant monumenta, inter quæ Phyſica eminet, de quo opere v. *Morhof.* Polyhiſt. *T. II. Lib. II. c. XII.* §. 3. ut & *Lib. I. c. XV.* §. 11.

(sss) *Ignatius Gaſton. Pardies*, S. J. An. 1636. natus, Mathematicus & Philoſophus celebris, denatus Pariſ. A. 1673. Edidit inter alia *Diſſ. de motu & natura cometarum; Diſcours du mouvement local; Elémens de la Géométrie; Diſcours de la connoiſſance des Bêtes; la Statique ou la ſcience des forces mouvantes.* Aliqua eorum A. 1725. in unum coll. Lugd. Gall. prodiere ſub tit. *Oeuvres du P. Pardies.*

ergò tenendum eſt, nempe quòd ſint ſapientiæ perfectiſſimæ delectus. Et hoc grande legum motûs exemplum manifeſtiſſimè demonſtrat, quantum ſit inter hæc tria diſcrimen: primò ſcilicet inter *neceſſitatem abſolutam*, Metaphyſicam, ſive Geometricam, quæ & *cæca* poteſt adpellari, nec niſi ab efficientibus cauſis pendet; ſecundò inter *neceſſitatem moralem*, quæ a libera ſapientiæ electione oritur, reſpectu cauſarum finalium; tertiò denique inter aliquid *abſolutè arbitrarium*, pendens ab indifferentia æquilibrii, quæ fingitur, ſed exiſtere nequit, in quo nulla ratio ſufficiens adeſt, nec ex parte cauſæ efficientis, nec etiam ex parte finalis. Atque adeò id, quod eſt *ſimpliciter & abſolutè neceſſarium* cum eo, quod *per rationem optimi determinatur*; aut *libertas*, *ſeſe per rationem determinans*, cum *indifferentia vaga*, non rectè confunduntur.

350. Et hoc ipſum etiam motam a *Bælio* difficultatem planè diluit, verito, ne, ſi Deus per omnia determinatus ſit, natura eo carere poſſit, & effectus, Deo tributos, neceſſitate ordinis rerum producere. Hoc quidem verum foret, ſi, verbi gratiâ, regulæ motus, aliæque naturæ leges, in Geometrica cauſarum efficientium neceſſitate fundarentur; ſed, analyſin ultimam inſtituendo, ad quidpiam, quod a cauſis finalibus, vel congruentia, dependeat, deveniendum eſſe deprehenditur. Hac etiam conſideratione præcipuum & ſpecioſiſſimum Naturaliſtarum fundamentum evertitur. Doctor *Joannes Joachimus Beccherus*, Medicus Germanus, & Chymicis Libris notus (ttt), precationem quandam compoſuerat, quæ ipſi moleſta eſſe voluit. Ejus initium erat: *O ſancta mater*, *Natura*, *æterne rerum ordo.* Dicebat autem ibi, naturam hânc ſuos ipſi defectus condonare debere, utpote quorum auctor ipſa foret. At enim natura rerum, ſi ſine intelligentia & electione ſumatur, nihil habet, quod ſatis determinet. Non veniebat in mentem *Becchero*, auctorem rerum (*Naturam naturantem*) bonam ac ſapientem eſſe, & poſſe nos eſſe pravos, ita ut illa ſcelerum noſtrorum haud ſit conſors. Dum improbus aliquis exiſtit, inventam a Deo fuiſſe oportuit in poſſibilium regione talis hominis ideam, incluſam rerum ſeriei, cujus electionem exigebat major Univerſi perfectio, & in qua defectus, & peccata, non modò puniuntur, ſed etiam magno cum fœnore penſantur, & majori bono deſerviunt.

351. *Bælius* tamen ampliùs paullò, quàm par erat, electionem Dei liberam

(ttt) Scripta *Beccheri* chymica rariora, in unum coll. prodiere Noriberg. 1719. Natus eſt *Beccherus* Spiræ A. 1635. denatus Londin. A. 1682. menſe Oct. Vitam ejus ſingulari ſcripto exhibuit *D. Urban. Gottfr. Bucherus*, 1722. 8. ſub tit. *Das Muſter eines nützlichen Gelehrten in der Perſon Hrrn. D. Jo. Joach. Bechers*, *&c.* Conf. *Nova Litter. Germ. Lipſ. ad A.* 1722. *p.*310. In compendio vitam quoque exhibet ipſe *Vir. ill.* in *Otio Hannov.* p. 230. „ Monſieur le Docteur *Beccher*, Médecin, étoit „ d'un eſprit excellent, mais ſi malin, „ que le mauvais ſurpaſſoit ce qu'il y avoit „ de bon, *&c.*

beram prolatavit; nam de Peripatetico *Stratone* loquens (Reſponſ. ad Prov. cap. 180. p. 1239. Tom. 3.) qui naturæ cujuſdam, intelligentia deſtitutæ, neceſſitate facta fuiſſe omnia contendebat, vult, hunc Philoſophum, ſi rogatus fuiſſet, *quare arbor oſſium venarumque formandarum virtute careat*, potuiſſe viciſſim interrogare, *quare materia tres præciſè dimenſiones habeat, cur duæ non ſuffeciſſent, aut quare non habeat quatuor? Si reſpondiſſes, tribus dimenſionibus nec plures, neque pauciores, eſſe poſſe, ſciſcitatus fuiſſet hujus impoſſibilitatis cauſam.* Ex hiſce verbis judicare licet, *Bælium* ſuſpicatum fuiſſe, dimenſionum materiæ numerum a divina optione pendere, uti ab ea pendebat, facere, vel non facere, ut arbores animalia producerent. Et quis ſcit, an non in quibuſdam Planetarum globis, aut adeò in terris, in remotiori aliqua univerſi regione poſitis, vera ſit fabula Scoticarum Bernacularum (uuu), (quod avium genus ex abietibus naſci ferebatur) immò an non quædam ſint regiones, in quibus verum ſit illud:

- - - populos umbroſa creavit
Fraxinus, & fœtâ viridis puer excidit alno.

Non ſic de dimenſionibus materiæ ſuſpicari licet, quarum numerus ternarius determinatus eſt, non per rationem optimi, ſed ex Geometrica neceſſitate. Nimirùm, quia demonſtrare Geometræ potuerunt, non dari, niſi tres lineas rectas, inter ſe perpendiculares, quæ ſe eodem in puncto ſecare poſſint. Nihil aptius deligi poterat ad demonſtrandum diſcrimen, quod intercedit inter neceſſitatem moralem, in ſapientis electione poſitam, & neceſſitatem brutam *Stratonis* ac Spinoſiſtarum, qui Deo intellectum voluntatemque denegant. Id enim diſcrimen ob oculos ponit differentia, reperta inter rationem legum motus, & rationem numeri ternarii dimenſionum, quarum illa in electione optimi, hæc in neceſſitate Geometrica cæcaque ſita eſt.

352. A legibus corporum, hoc eſt, a regulis motûs, accedamus ad leges unionis animæ & corporis, in quibus adhuc *Bælius* indifferentiam aliquam

(uuu) Cel. *Thomas Lanſius* in *Conſultat.* & quidem in *Relatione de Nationum & Provinciarum Europæ inter ipſas principatu atque prærogativa*, ed. Tub. 1678. pag. 11. de inſulſis peregrinatorum quorundam moribus ita infit. „Illi peregrinatores multiplicant viſa vel audita: & non modò Indicas formicas vulpium aut luporum magnitudine ... Scotiæ anſeres e ligno putrefacto enatos, quos Angli *Bernacles*, Scoti *Clakes* & *Soland Geeſſe* vocant; ſed & alia ex *Plinio*, *Luciano*, *S. Brandano*, & aliunde denarrant, quæ neque viderunt unquam, neque etiam videbunt unquam, &c. Et *in margine* ib. Aviculas, ex vetuſtis & putrefactis navium carinis procreatas, teſtari poſſunt, qui navem, qua *Fr. Drake* orbem circumnavigavit, in Tamiſis ripam ſubductam viderunt, cujus carinæ exteriùs ejuſmodi aviculæ magno numero inanimes & implumes adhæſerunt, quarum tamen ſemina non fuiſſe e truncis, ſed ab Oceano, quem rerum parentem dixere Poëtæ, opinari. “

aliquam vagam, aliquid merè arbitrarium, invenire ſperat. Sic enim loquitur Reſponſione ad Quæſita Provincialis (cap. 84. p. 163. Tom. 2.) *Quæſtio moleſta ac difficilis eſt, utrùm corpora virtutem aliquam habeant naturalem, animæ humanæ benè malève faciendi. Si adfirmas, in horrendum te labyrinthum conjicis, cùm enim hominis anima ſit ſubſtantia materiæ expers, dicendum erit, motum localem certorum corporum cauſam eſſe efficientem cogitationum mentis, quod evidentiſſimis Philoſophiæ notionibus adverſatur. Si negas, fateri cogeris, organorum noſtrorum in cogitationes noſtras influxum, nec ab internis materiæ qualitatibus, nec a legibus motûs, ſed ab* arbitraria inſtitutione *pendere Creatoris. Fatendum igitur erit, abſolutè penes Dei arbitrium fuiſſe, ut has, vel illas, animæ noſtræ cogitationes his, aut illis, corporis noſtri modificationibus adligaret, etiam poſtquàm omnes actionis corporum inter ſe leges fixerat. Unde conſequitur, nullàm in Univerſo exſtare portionem materiæ, cujus vicinia nobis obeſſe poſſit, niſi in quantum Deus ita vult, atque adeò terram æquè idoneam eſſe, quàm ullum alium locum, ut in ea beatam agere vitam homines poſſint. . . . . Denique manifeſtum eſt, ad impediendas malas libertatis electiones, neceſſe non eſſe, hominem e terris aliò transferri, cùm Deus circa quoſvis voluntatis cujuſlibet actus efficere in terris poſſet, quidquid circa prædeſtinatorum opera efficit, dum eorum eventum definit, ſive per gratias efficaces, ſive per ſufficientes, quas ſine ullo libertatis incommodo ſemper conſenſus animæ conſequitur. Æquè facile eſſet ipſi, in terra, atque in cœlo, animas noſtras ad electionem bonam determinare.*

353. Equidem adſentior *Bælio*, Deum corporibus animabuſque talem in hoc terræ globo conſtituere potuiſſe ordinem, ſive per vias naturales, ſive per gratias extraordinarias, ut Paradiſus hic perpetuus fuiſſet, & prægustatio quædam ſtatûs cœleſtis beatorum; immò nihil vetat, quo minùs aliæ terræ ſint hac noſtra feliciores: ſed Deus juſtis de cauſis voluit noſtram talem eſſe, qualis eſt (xxx). Sed, ut meliorem hic ſtatum poſſibilem fuiſſe *Bælius* probaret, non ei neceſſe fuerat, ad cauſarum occaſionalium ſyſtema confugere, plenum miraculis, & hypotheſibus, quas nulla ratione fulciri fatentur ipſi ejus Architecti. Utrumque hoc vitium ſyſtema a genuinæ Philoſophiæ indole quàm maximè alienum reddit. Miretur quis prima fronte, *Bælium* non meminiſſe *Syſtematis Harmoniæ præſtabilitæ*, quod & ipſe expenderat alias, & hic erat perquàm opportunum. Verùm, quia hoc in ſyſtemate omnia catenata ſunt & harmonica, omnia per rationem procedunt, nihilque vacuum, & temerario omnimodæ indifferentiæ arbitrio, relinquitur, non videtur id hoc loco placuiſſe *Bælio*,

(xxx) Addit *Interpr. Lat.* (ut verò, quemadmodum *Bælius* vult, eodem manente in hoc globo ſtatu corporum, melius tamen eſſet animabus, rationi conſentaneum non erat.)

lio, in indifferentias iſtas hic paullo proniori, quas tamen alibi tam validè impugnabat. Facilè quippe ab uno extremo tranſibat ad aliud (yyy), non id quidem malo animo, aut contra conſcientiam, ſed quia circa controverſiam, quæ agitabatur, nihildum in mente conſtitutum habebat. Quidquid adverſario, quicum in præſenti digladiabatur, vexando idoneum vaſtiſſima memoria, ingeniumque, ſuggerebat, id in uſum ſuum convertebat, ſcilicet cruci Philoſophis figendæ, & imbecillitati Rationis demonſtrandæ unicè intentus. Nec ab *Arceſila* ipſo, aut *Carneade* (zzz), majori cum eloquentiæ ingeniique adparatu utramque contradictionis partem propugnatam fuiſſe arbitror. Verùm enim verò dubitare nos non oportet, ut dubitemus; dubitationes graduum inſtar eſſe debent, quorum ope ad veritatem adſcendatur. Quod ipſum defuncto Abbati *Fucherio* (aaaa) dictitabam, cujus ſpecimina quædam indicant, conſilium ipſi fuiſſe, Academicis tribuere, quod *Lipſius* & *Scioppius* Stoicis, quod *Gaſſendus Epicuro*, quodque *Dacerius Platoni* tam ſcitè præſtare cœpit (bbbb). Nec veris genuiniſque Philoſophis exprobrari poſſe debet, quod celebris *Caſaubonus* (cccc) repoſuiſſe fertur iis, qui, Sorbonicam ipſi exedram oſtendentes, dicebant, tot jam ſæculis in ea fuiſſe diſputatum: at quid concluſum? retulit *Caſaubonus*.

354. Pergit *Bælius*, (pag. 166.) *Verum quidem, ſtatutis ſemel legibus motûs*,

(yyy) Addit *Interpr.*

Nil æquale homini fuit illi, nil fuit unquam
Sic impar ſibi.

(zzz) *Cicero* de *Nat. Deor. L. II.* Hæc in Philoſophia ratio contra omnia diſſerendi, nullamque rem apertè judicandi, profecta a *Socrate*, repetita ab *Arceſilao*, confirmata a *Carneade*, uſque ad noſtram viget ætatem. Hi ſumus, qui omnibus veris falſa quædam adjuncta eſſe dicamus, tanta ſimilitudine, ut in iis nulla inſit certè judicandi & adſentiendi nota."

(aaaa) *Foucherius*, Canonicus Divionienſis, pro Philoſophia Academicorum aliquot Tractatus evulgavit, junctim edit. ſub tit. *Diſſertations ſur la recherche de la Vérité, contenant l'Hiſtoire & les Principes des Académiciens; avec pluſieurs Réflexions ſur les ſentimens de Mr.* Des Cartes. *Pariſ.* 1693. *in* 12. Idem argumentum tractat in *Critique* de la *Recherche de la Vérité* du Père Malebranche, *&c.*

(bbbb) De *Lipſii* Philoſophia Stoica v. ſuprà ad §. 332. (not. nnn): dè *Scioppio* ad §. 252. (not. h). Dedit hic *Elementa Philoſophiæ Stoicæ Moralis*, Moguntiæ 1606. 8. maximam partem ex *Lipſii* commentationibus depromta. Notum eſt *Syntagma Philoſophiæ* Epicuri, *cum refutationibus dogmatum, quæ contra fidem Chriſtianam ab eo adſerta ſunt, oppoſitis per* Petrum Gaſſendum, *Philoſ. ac Mathem. celeberr. Præfixa* Sam. Sorberii *Diſſertatione de Vita ac Moribus* Petri Gaſſendi, *Amſt.* 1684. 4. Gallicè Dialogos præcipuos *Platonis* eleganter convertit *Andr. Dacerius*, &, præmiſſâ ejus vitâ atque in Philoſophiam introductione, edidit Pariſ. 1699. 12. & Amſt. 1700. 8. Tom. II. In ea, ut & in notis ad verſionem paſſim, *Platonis* cum Religione Chriſtiana conſenſum oſtendere laboravit. V. Cel. *Stolle*, in *Hiſt. Litt. P. II. c. I. §. XXXIV. not. h.*

(cccc) *Iſaacus Caſaubonus*, cujus vitam ipſe dedit filius *Mericus Caſaubonus*, ſupra laudatus §. 258. A. 1559. lucem in Gallia adſpexit, Sæculi ſui Phœnix, &, ſi merita ejus repetamus ſine exemplo maxima, omni invidia major, uti ait Cel. *Schurzfleiſchius*; Londini deceſſit A. 1614.

motûs, quales nunc in Mundo videmus, prorsùs neceſſe eſſe, impactum nuci malleum frangere, & lapidem, ſi in hominis pedem ruat, contuſionem aliquam, vel perturbationem partium, adferre. Sed nihil præterea e lapidis hujus humanum in corpus impulſu ſequi poteſt. Quòd ſi velis inſuper, ab illo doloris ſenſum excitari, jam alius Codex, aliæ leges ponendæ ſunt, diverſæ ab illis, quæ reciprocæ corporum actionis & reactionis ſunt regula; confugiendum, inquam, ad ſpeciale legum unionis animæ cum certis corporibus ſyſtema. Cùm verò hoc ipſum ſyſtema cum altero illo neceſſarium nexum habeat nullum, Deus, dum unum eligit, reſpectu alterius indifferens eſſe non deſinit. Itaque bina hæc ſyſtemata, tanquam res duas, quæ naturaliter non reciprocantur, plena cum libertate copulavit, atque adeò pro arbitrio ſanxit, ut corporis vulnera in anima, huic corpori unita, dolorem excitarent. Ergò penes eum fuit, aliud unionis animæ cum corpore ſyſtema adoptare. Potuit itaque tale eligere, quo vulnera duntaxat excitarent ideam remedii, deſideriumque validum, nec uſu injucundum. Statuere potuit, ut omnia corpora, quæ hominis capiti jamjam conterendo, vel cordi transfigendo, imminerent, vivacem periculi ideam excitarent, ſicque idea iſta cauſa foret, ut corpus ſe extemplo ictui ſubduceret. Hæc omnia citra miraculum peracta fuiſſent; de his enim omnibus leges generales exſtituræ fuiſſe ponuntur. Syſtema, quod experientiâ magiſtrâ novimus, nos edocet, determinationem motûs certorum corporum vi deſideriorum noſtrorum immutari. Potuit itaque inter deſideria noſtra, & motum certorum corporum, combinatio fieri, qua ſucci, nutriendi vim habentes, ſic modificarentur, ut bona corporum noſtrorum temperies nunquam alteraretur.

355. Cernimus, *Bælium* exiſtimare, quidquid per leges generales efficitur, citra miraculum fieri. Verum ſatis ſuperque oſtendi, legem, niſi in ratione fundata ſit, nec eventui, per naturam rerum explicando, inſerviat, non, niſi per miraculum, exſecutioni dari poſſe. Sic, verbi gratiâ, ſi Deus ſtatuiſſet, ut corpora, ſemel in circulum acta, in eo motu ſine aliorum corporum adminiculo perſeverare deberent, miraculis ei perpetuis, vel angelorum miniſterio, fuiſſet opus ad hoc mandatum exſequendum, cùm contrarium ſit naturæ motûs, in quo corpus naturaliter deſerit lineam circularem, ut per rectam tangentem feratur, ſi nihil impediat. Non itaque ſatis eſt, Deum nudè ſtatuere, ut læſio membrorum perceptionem aliquam jucundam in animali excitet, ſed viæ naturales, ad id idoneæ, inveniendæ ſunt. Vera via, qua Deus efficit, ut ea, quæ in corpore geruntur, anima perſentiſcat, ex ipſa animæ natura oritur, quæ corporum repræſentativa eſt, atque ita præformata, ut quæ in ipſa aliæ ex aliis per naturalem cogitationum ſeriem naſcentur repræſentationes, corporum mutationi reſpondeant (dddd).

(dddd) Pariter reſpondet Ill. *Bilfingerus* in *Tr. de H. Pr.* Repræſentatio, niſi conveniat

356. Repræſentatio naturalem cum eo, quod repræſentari debet, convenientiam habet. Si Deus figuram rotundam per ideam quadrati repræſentari vellet, parum congrua foret ea repræſentatio, nam in repræſentatione eſſent anguli vel eminentiæ, cum in archetypo æqualia & uniformia forent omnia. Repræſentatio non rarò in objectis aliquid ſupprimit, cùm imperfecta eſt, ſed addere nihil unquam poteſt; hoc enim illam non plus, quàm perfectam, ſed falſam, redderet. Adde, quòd ſuppreſſio in perceptionibus noſtris nunquam eſt integra, & in repræſentatione, quatenùs confuſa eſt, amplius aliquid latet, quàm in ea diſcernamus. Itaque judicare fas eſt, caloris, frigoris, colorum, aliarumque hujuſmodi qualitatum, ideas repræſentare revera exiles motus, in organis exercitos, dum qualitates iſtæ ſentiuntur, quanquam horum motuum multitudo & exilitas diſtinctam ipſorum repræſentationem, quæ a nobis animadverti poſſit, prohibeant. Ferè quemadmodum contingit, a nobis cærulum flavumque colores in viridi, cujus uti compoſitionem, ita & repræſentationem, ingrediuntur, nudo oculo non diſcerni, cùm tamen ope microſcopii cernamus id, quod viride adparet, eſſe mixtum quoddam a partibus flavis & cærulis (eeee).

357. Verum quidem eſt, rem eandem diverſimodè repræſentari poſſe, ſemper tamen inter repræſentationem & rem repræſentatam, atque adeò inter diverſas ejuſdem rei repræſentationes, exacta intercedere certæ relationis convenientia debet. Projectiones opticæ circuli, quæ in ſectiones conicas recidunt, demonſtrant, eundem circulum per ellipſin, per parabolam, per hyperbolam, immò per alium circulum, per lineam rectam, & adeò per punctum, poſſe repræſentari. Quid his figuris diverſius aut diſſimilius? & tamen cujuslibet puncti in uno ad quodlibet reſpondens punctum in alio relatio, in iiſdem exacta ſervatur. Et verò fatendum eſt, animam quamlibet Univerſum ſibi repræſentare ſecundum punctum ſui viſus, & per reſpectum ac rationem ſibi propriam; ſed ſibi perfecta ſemper harmonia ſubſiſtit. Quòd ſi Deus ſolutionem continui per jucundam perceptionem in anima repræſentari voluiſſet, utique effeciſſet, ut hæc ipſa ſolutio ad aliquam corporis perfectionem profuiſſet, novum ei levamen aliquod adferendo, uti dum onere aliquo ſublevamur, vel vinculo abſol-

veniat repræſentato, juſta non eſt, aut exacta: ſi vulnus, corpori inimicum, animæ gratam atque amicam debuiſſet ideam excitare, neutrum alteri reſpondiſſet. Sin omninò velis, ut ſolutio continui, ut vulnus in anima repræſentatum, aliquid boni atque grati ſit, fac prius, ut corpori aliquam perfectionem adferat, qualis foret, ſi per eam ſolutionem aliqua difficultate agendi liberaretur, cujuſmodi eſt, cùm adſtrictæ funibus manus ſolvuntur, &c. Atqui hoc ſecus eſt in *noſtro* corpore." §. 176. p. 188.

(eeee) Addit *Interpr. Lat.* ita & noſtra caloris idea occultam quandam motuum, calorem efficientium, repræſentationem continebit. Laud. *Georg. Frid. Richterus* enunciata hæc capere ſe poſſe negat; v. Adnott. cit. p. 829. 830.

abſolvimur (ffff). Verùm hæc corporum organicorum genera, quanquam poſſibilia ſint, noſtro tamen in globo non reperiuntur, qui dubio procul caret infinitis machinis, quas Deus alibi condidiſſe potuit: illud interim nobis ſatis eſt, ſi locus ſpectetur, quem terra noſtra in Univerſo tenet, nihil ei melius fieri potuiſſe, quàm quod Deus in illa fecit. Utitur quàm fieri poteſt optimè ſtatutis a ſe legibus naturæ, &, (quemadmodum laudatus Regis citato loco quoque agnovit) *ipſæ leges, a Deo in natura conſtitutæ, ſunt omnium, quæ concipi queunt, præſtantiſſimæ.*

358. Hactenùs dictis addamus obſervationem Pariſienſis Eruditorum Diarii d. XVI. Martii, MDCCV. quam *Bælius* etiam capiti 162. Reſponſionis ad Provincialem (Tom. 3. p. 1030.) inſeruit. Ubi, dum ingenioſus Liber de Origine mali, a nobis ſuprà laudatus, recenſetur, dicitur, *ſolutionem generalem intuitu mali phyſici, quam hic Liber exhibet, hanc eſſe, quòd conſiderandum ſit Univerſum tanquam opus, e partibus variis, unum totum conſtituentibus, compactum: quod ſecundùm leges, in natura ſtabilitas, melius eſſe quibuſdam partibus non poſſit, quin aliis ſit pejus, indeque integrum ſyſtema minùs perfectum reſultet. Hoc principium* (inquit obſervator) *bonum eſt, ſed, niſi quid aliud addatur, ſufficere non videtur. Cur enim Deus leges iſtas ſtabilivit, e quibus tot incommoda pullulant, quærent Philoſophi paullo difficiliores? Nonne alias, nullis defectibus obnoxias, ſtabilire poterat? Verbo, quid eſt, quod ſibi leges ipſe præſcripſerit? Quidni ſine legibus generalibus agit, toti potentiæ, totique bonitati ſuæ, velificando? Non eo quidem uſque difficultatem promovit Auctor noſter; ſi tamen evolvantur ipſius ideæ, reperietur fortaſsè, quo pacto nodus ille ſolvi poſſit, ſed nihil apud eum hac de re explicate traditur.*

359. Equidem mihi perſuadeo, acutum hujus excerpti auctorem, dum hanc ſolvi poſſe difficultatem credidit, aliquid hac in re principiis meis cognatum in mente habuiſſe, & ſi proſequi cogitata voluiſſet, veriſimiliter ad ea fuiſſe deventurum, quæ reſpondit Cl. *Regis*, nempe quòd leges, a Deo ſtatutæ, fuerint omnium, quæ ſtatui poterant, præſtantiſſimæ; ſimulque agniturum fuiſſe, quòd Deus non potuerit non ſtatuere ſibi leges, & ſervare regulas, quoniam a legibus reguliſque ordo omnis & pulchritudo dimanat, & ſine regulis agere, eſt agere ſine ratione; eoque ipſo, dum Deus *totam ſuam in agendo bonitatem exſeruit*, omnipotentiæ ipſius exercitium ſapientiæ legibus conſentaneum fuerit, ut quàm poterat plurimum boni obtineret: denique quòd exiſtentia incommodorum quorundam particularium, nos vexantium, certo ſint argumento, quod optima rerum ſeries talia abeſſe non permittebat, quodque ad boni totius cumulum complementumque faciunt; cui quidem ratiocinio *Bælius* ipſe non uno in loco adſentitur.

(ffff) Addit *Interpr. Lat.* (aut dum ulcus purulentum aperitur.)

360. Nunc, poſtquam per determinatas rationes omnia fieri ſatis oſtendimus, nulla circa hoc divinæ præſcientiæ fundamentum difficultas ſupereſſe poteſt; quamvis enim hæ determinationes minimè neceſſitent, non ideò tamen tam certæ non ſunt, ut futuri præſcientiam non adferant. Deus quidem intuitu unico totam hujus Univerſi ſeriem videt, eo ipſo, dum illud eligit, atque ita effectuum cum cauſis connexione non indiget ad prævidendos effectus. Sed cùm a ſapientia ſua permoveatur ad eligendam ſeriem, perfectiſſimè catenatam, non poteſt non hujus ſeriei partem quamlibet in quavis altera videre. Inter ſyſtematis mei Harmoniæ generalis leges una hæc eſt, quod *præſens ſit gravidum futuro*, &, qui omnia videt, in eo, quod nunc eſt, id, quod futurum eſt, videat. Quod amplius eſt, demonſtravi, Deum in qualibet Univerſi parte totum Univerſum intueri, ob perfectam rerum omnium connexionem (gggg). Eſt enim Deus infinitè perſpicacior *Pythagorâ*, qui ex *Herculis* veſtigio proceritatem ejuſdem conjectare potuit. Nihil ergò dubitandum, quin effectus determinatè ſequantur e cauſis, non obſtante contingentiâ; immò nec libertate, quæ ambæ cum certitudine vel determinatione optimè conſiſtere poſſunt.

361. *Durandus a S. Portiano* id inter alios egregiè notavit, dum adſerit, futura contingentia in ſuis cauſis determinatè videri, ac Deum omniſcium,

(gggg) Conf. ad hæc, quæ Ill. *Bilfingerus* diſputat, in Tr. *de Harm. Praſt. Sect. V.* §. 93. *ſqq.* not. r. p. 109. ait, Intelligis hinc, quomodò *Deus videat omnia in omnibus*, & quàm infinitè variis modis eundem mundum cognoſcat. Cognoſcit enim totum in quacumque Monade, totum quidem & ratione ſpatii & durationis. Præſens enim ſtatus ſequitur ex antecedente, & ex præſenti conſequens: Ergo, ut nos concludendo unum ex altero poſſumus inferre, ita is intuendo poteſt unum in altero intelligere. Cognoſcit autem hoc Univerſum toties ſub alia ratione, quot ſunt hujuſmodi Monades, ſive naturæ elementa, mundi pro ſuo ſitu repræſentativa. De quo plura in *Metaphyſ. Wolfian. c. ult.* §. 972 - 974. Adde inferiùs notam §. 109. ex Theodic. *Leibnitii* §. 360. (Atque dum hic intelligis, quid ego mihi velim, cùm dico, Deus *videt* omnia in omnibus: quære etiam ex aliis, quid iſti ſibi velint, cùm dicunt, Deum eſſe omnia in omnibus? An hoc ſolum volunt, Deum in ſe poſſidere realitates omnes? An iſtud, omnes rerum realitates eſſe a Deo? An aliquid aliud, & amplius, & fortaſſis ὕπουλον?) It. *ad* §. *96. not. s. Præſens gravidum eſſe futuro* ſupponimus *communiter*, etiam non adtendentes, cùm rationem reddere de præſenti rerum conditione jubemur; quis enim neſcit, ex antecedaneo illam ſtatu peti communiter. Et poſſumus id ſanè, quotieſcumque rerum aut adpetituum, in præſentem ſtatum influentium, curioſi fuimus, aut eſſe potuimus; potuimus verò, quoties ideæ ſatis claræ aut diſtinctæ ſunt, ut earum conſcii eſſe poſſumus & meminiſſe. Sin obſcuræ fuerint, rationem in antecedaneo quærimus ſanè, neque invenimus tamen ſpecificam; etſi, dari illam, negari ex ea cauſa non poſſit. Illud ſolum hoc loco, ſi placet, adtende: *Nihil adversùs libertatem* moliri eam regulam. Pariunt gravidæ *naturaliter*: *Neceſſariò* non item. Sequitur adeò præſens ex antecedaneo ſtatus naturaliter: Neceſſariò non ſequitur ex iſta comparatione. " *&c.*

niſcium, dum omnia, quæ voluntatem invitare, vel abſterrere poſſunt, intuetur, in his ipſis videre, quam ſit partem amplexura. Poſſem complures alios eandem in ſententiam adlegare, ſed nec Ratio ſinit aliter judicare. Innuit etiam *Jaquelotius* (Conformit. p. 318. & ſeqq.) uti *Bælius* obſervat (Reſp. ad Provinc. cap. 142. Tom. 3. pag. 769.) quòd cordis humani, & circumſtantiarum ejus, diſpoſitiones electionis humanæ infallibilem Deo præbeant cognitionem. Addit *Bælius*, Moliniſtas nonnullos idem adſerere, & remittit ad eos, quos refert *Petrus a S. Joſeph* (hhhh) Fulienſis, *Suavis Concordiæ* pag. 579. 580.

362. Qui determinationem iſtam cum neceſſitate permiſcuerunt, monſtra finxere, quæ debellarent. Ut rem rationi conſentaneam, cui larvam terribilem impoſuerant, evitarent, in abſurda ingentia lapſi ſunt. Dum verebantur neceſſitatem imaginariam, aut aliam certè ab ea, de qua agitur, aliquid ſine cauſa, ſine ratione ulla, evenire admiſerunt, quod ridiculæ atomorum declinationi, ab *Epicuro* temerè invectæ, tantùm non æquivalet. *Cicero* Libro ſecundo de Divinatione optimè vidit, ſi cauſa effectum, ad quem prorsùs eſſet indifferens, producere valeret, verum caſum, fortunam veram, veramque ſortem dari, hoc eſt, eam, quæ non ſolum reſpectu noſtri, noſtræque ignorantiæ, talis foret, qua poſita, dicere poſſemus:

Sed Te
Nos facimus, Fortuna, Deam, cæloque locamus:

ſed etiam reſpectu Dei, ipſiuſque naturæ rerum; adeoque impoſſibile foret prævidere eventus, ex præteritis judicando de futuris. Et præclarè *Tullius* ibidem dicit: *Qui poteſt provideri, quidquam futurum eſſe, quod neque cauſam habet ullam, neque notam, cur futurum ſit?* Et paullò poſt: *Nihil eſt tam contrarium rationi & conſtantiæ, quàm fortuna; ut mihi ne in Deum quidem cadere videatur, ut ſciat, quid caſu & fortuitò futurum ſit. Si enim ſcit, certè illud eveniet, ſin certè eveniet, nulla fortuna eſt.* Sed addit valdè incongruè: *Eſt autem fortuna, rerum igitur fortuitarum nulla præſenſio eſt.* Potiùs concludere debuerat, cùm eventus prædeterminati ac præſciti ſint, nullam eſſe fortunam. Sed eo loco adversùs Stoicos ſub Academici perſona loquebatur.

363. Jam tum Stoici a Dei decretis eventuum prænotionem arceſſebant, ut enim *Cicero* eodem Libro dicit: *Sequitur porrò, nihil Deos ignorare, quòd omnia ab iis ſint conſtituta.* Et juxta ſyſtema meum, Deus, viſo mundo poſſibili, quem creare ſtatuit, in eo prævidit omnia: ita ut dici poſſit, divinam ſcientiam viſionis non diſcrepare a ſcientia ſimplicis intel-

(hhhh) *Petrus a S. Joſepho*, Fulienſis, edidit *Ideam univerſæ Theologiæ*, A. 1642. fol. *Concordiam humanæ libertatis*, A. 1639. *Summam Conſcientiæ in Decalogum*, VI. Tomis, A. 1645.

intelligentiæ, niſi in eo, quòd huic ſuperaddat illa cognitionem decreti ipſius, eligendi hanc rerum ſeriem, quam ſimplex intelligentia, ſed velut poſſibilem duntaxat, noſcendam præbebat, decretum autem nunc facit actu exiſtentem.

364. Inexcuſabiles itaque ſunt Sociniani, Deo certam futurorum, & præſertim volitionum creaturæ liberæ futurarum, ſcientiam denegantes. Etſi enim ſibi perſuaſiſſent, aliquam plenæ indifferentiæ libertatem exſtare, ita ut voluntas eligere temerè poſſit, atque ita hanc electionem in ſua cauſa prævideri non poſſe (quod ingens eſt abſurdum) at ſaltem reputare animo debebant, hunc eventum in mundi poſſibilis, quem condere ſtatuit, idea prævideri a Deo potuiſſe. Verùm notio, quam de Deo Sociniani habent, rerum Auctore planè indigna eſt, & eruditioni ingenioque, quod Sectæ iſtius auctores in diſcuſſionibus quibuſdam peculiaribus non raro produnt, parum reſpondet. Nec prorsùs immeritò dixit Auctor Iconis Socinianiſmi (iiii), Deum Socinianorum fore ignarum atque impotentem, uti Deus *Epicuri*, eventibus quotidie conturbatum, viventem in diem & ſuſpenſum, ſi conjectatione duntaxat hominum futuras novit voluntates.

365. Tota difficultas in re præſenti non, niſi ex falſa contingentiæ & libertatis idea exorta eſt, quam indifferentia omnimoda & æquilibri indigere multis perſuaſum erat: cujus figmenti nec idea, nec exemplum ullum eſt, aut haberi poteſt. Veriſimiliter *Carteſius* hanc perſuaſionem adoleſcens in Collegio Flexienſi hauſerat, ut dixerit (Part. 1. Principiorum, Art. 41.) *mentem noſtram eſſe finitam, Dei autem ſcientiam & potentiam, per quam non tantùm omnia, quæ ſunt, aut eſſe poſſunt, ab æterno præſcivit, ſed etiam voluit, eſſe infinitam; ideoque hanc quidem a nobis ſatis adtingi, ut clarè & diſtinctè percipiamus, hanc ſcientiam & potentiam in Deo eſſe; non autem ſatis comprehendi, ut videamus, quo pacto prorsùs liberas hominum actiones & indeterminatas relinquat.* Reliqua ſupra retulimus. *Prorsùs liberas*, inquit rectè, ſed corrumpit omnia, dum addit, *prorsùs indeterminatas.* Nihil opus eſt infinitâ ſcientiâ, ut Dei præſcientiam ac providentiam actionibus noſtris libertatem relinquere videamus, cùm Deus eas in ſuis ideis, uti ſunt, hoc eſt, liberas præviderit. Et quamvis *Laurentius*

(iiii) Auctor illius eſt jam ſæpè laudatus *Juriæus*, qui A. 1690. Litteras edidit ſub indice, *Le Tableau du Socinianiſme, où l'on voit l'impureté & la fauſſeté des dogmes des Sociniens, & où l'on découvre les myſtéres de la cabale de ceux qui veulent tolerer l'héréſie Socinienne. Diviſé en deux parties, & en diverſes Lettres aux vrais Fidéles. Premiére Partie.* La Haye, in 12. Iconi ſe oppoſuerunt *Jaquelotius* in ſcripto, *Avis ſur le Tableau du Socinianiſme*, & *Huetius* in *Apologie pour les vrais Tolerans, &c.* Dordrecht 1690. 12. De iis audi differentem *Bælium* in Ep. LXXXVII. pag. 324. ſqq. in ed. *des Maizeaux*, qui & controverſiam iſtam in adjecta nota pluribus enarrat.

tius Valla (kkkk) in Dialogo contra *Boëtium* (cujus epitomen paullo poſt dabimus) ubi libertatem cum præſcientia non malè conciliat, ſperare non auſit, eandem a ſe cum providentia conciliari poſſe, non tamen in hoc major eſt difficultas, quia decretum actionem producendi non magis actionis naturam, jam in poſſibilitatibus repertam, immutat, quàm nuda, quæ de ea habetur, notitia. Aſt verò ſcientia, quantumvis infinita, nulla eſt, quæ divinam ſcientiam providentiamque cum cauſæ alicujus indeterminatæ actionibus, hoc eſt, cum ente chimærico impoſſibilique, poſſit conciliare. Voluntatis actiones dupliciter determinantur, per Dei præſcientiam ſcilicet vel providentiam, tum deinde per diſpoſitiones cauſæ particularis proximæ, quæ conſiſtunt in inclinationibus animæ. *Carteſius* hoc in capite favebat Thomiſtis, ſed ſolita cum cautione ſcribebat, ne quoſdam alios Theologos in ſe concitaret.

366. *Bælius* (Reſp. ad Provinc. cap. 142. pag. 804. Tom. 3.) refert, *P. Gibieufium*, Oratorii Gallicani Presbyterum, Anno MDCXXX. evulgaſſe Tractatum latinum de Libertate Dei & Creaturæ, ei reclamatum fuiſſe, exhibitamque illi (llll) ſeptuaginta contradictionum, e primo Operis ejus Libro excerptarum, collectionem; ac *P. Franciſcum Annatum* (mmmm), Regis Galliarum Confeſſarium, in Libro *de incoacta libertate* (ed. Romæ, 1654. in 4.) ſilentium *Gibieufio* tam diuturnum exprobraſſe. Quis non credat (ſubdit *Bælius*) poſt tantos ſtrepitus Congregationis *de Auxiliis* (nnnn), Thomiſtas circa liberi arbitrii naturam docere penitùs oppoſita ſententiæ Jeſuitarum? & tamen, ſi textus expendantur, quos *P. Annatus* ipſe e Thomiſtarum libris excerpſit (Libro, quem inſcripſit, *Janſenius a Thomiſtis, gratiæ per ſe ipſam efficacis defenſoribus, condemnatus*, Pariſiis excuſo, anno 1654. in 4.) reverâ non, niſi logomachias, utrimque cernere eſt. Gratia per ſe efficax æqualem reſiſtendi potentiam apud hos arbitrio libero relinquit, atque gratiæ congruæ apud alios. *Bælius* exiſtimat, idem ferè dici de *Janſenio* ipſo poſſe. Erat (inquit) vir

(kkkk) Natus eſt A. 1415. Romæ, ibidemque mortuus A. 1465. Opera ejus Baſileæ apud *Henr. Petri* A. 1540. fol. ſat eleganter prodierunt. Conf. infr. §. 404. Scholaſticorum tricas ſtrenuè impugnavit, de quo ejus inſtituto idem *Vir ill.* in Diſſ. *de Stilo Philoſophico.*

(llll) A P. *Theophilo Raynaudo*, addit *Interpr. Lat.*

(mmmm) *Franciſc. Annatus*, S. J. A. 1590. d. 5. Febr. natus, A. 1670. d. 14. Jun. denatus; ejus ſcripta Latina tribus voll. prodierunt A. 1666. 4.

(nnnn) *P. Serry*, Dominicanus, ſub ementito nomine *Auguſtini le Blanc*, Lovanii edidit *Hiſtoriam Congregationum de Auxiliis divinæ Gratiæ, ſub ſummis Pontificibus* Clemente VIII. & Paulo V. &c. *fol.* Impugnavit eam *P. Germon*, S. J. inque primo tantùm libro quinquaginta ampliùs errata ineſſe contendit, Libr. *Errata de l'Hiſtoire des Congrégations* de Auxiliis, *compoſée par l'Abbé* le Blanc, *& condamnée par l'Inquiſition générale d'Eſpagne*, &c. Pariſ. 1702. 8. V. *la Bibliothèque des Auteurs Eccléſiaſtiques du XVIII. Siécle*, Tom. I. pag. 1. ſq. Mutua utriuſque partis certamina conjicere hinc facile eſt.

ille ſanè eruditus, ingenio ſyſtematico, & valdè laborioſo, præditus. Viginti duos ipſos annos *Auguſtino* ſuo concinnando inſumſit: ſcopus ejus inter cæteros fuit, Jeſuitarum de libero arbitrio dogma confutare; hactenùs tamen decidi non potuit, libertatemne indifferentiæ repudiet, an admittat. Ex ejuſdem Opere ſexcenti in utramque partem textus excerpuntur, uti *Annatus* ipſe palam facit in Opere jam laudato *de incoacta libertate.* Adeò facile eſt, huic argumento tenebras offundere, uti ait *Bælius* huic diſcurſui modum imponens. Quod P. *Gibieufium* adtinet, fatendum eſt, eum vocum ſignificationem innovare perſæpè, adeoque quæſtioni non omninò ſatisfacere, quamvis res ſæpè bonas proferat.

367. Sanè confuſio ex æquivocatione vocabulorum & diſtinctarum notionum comparandarum incuria frequenter oritur. Hinc lites illæ perennes, & plerumque non rectè perceptæ, de neceſſitate & contingentia, deque poſſibili & impoſſibili. Sed dummodò intelligatur, neceſſitatem & poſſibilitatem in metaphyſico rigore, unicè pendere ab ea quæſtione, an objectum in ſe ipſo, aut ejus oppoſitum, contradictionem involvat, nec ne; ac deinde conſideretur, contingentiam cum inclinationibus, ſive rationibus, ad voluntatem determinandam facientibus, optimè componi poſſe; inſuper modò benè diſtinguatur inter neceſſitatem & determinationem vel certitudinem, inter neceſſitatem metaphyſicam, quæ nullum electioni locum relinquit, cùm unum duntaxat objectum hic & nunc poſſibile offerat, ac neceſſitatem moralem, quæ ſapientiſſimum ad electionem optimi compellit: denique modò abjiciatur indifferentiæ plenæ chimæra, quæ non, niſi in Philoſophorum Commentariis, & charta, reperiri poteſt (nam ejus notionem ne quidem mente concipere, nec ejus realitatem ullo in rebus exemplo oſtendere queunt) facile erit ex hoc ſe labyrintho extricare, cujus Dædalus infelix fuit humanum ingenium, quique innumera, tam apud veteres, quàm apud recentes, mala invexit, ac homines adeò in ridiculum ignavi ſophiſmatis errorem, non multùm a fato Mahumetano diſcrepantem, induxit. Non miror, Thomiſtas & Jeſuitas, immo & Moliniſtas ac Janſeniſtas, in re ipſa magis hìc inter ſe concordare, quàm putetur. Thomiſta, immò Janſeniſta etiam ſapiens, contentus erit determinatione certâ, nec ad neceſſitatem promovebit greſſum; quam ſi quis etiam adſtruat, error fortaſſis in ſola voce conſiſtet. Moliniſta verò ſapiens contentus erit indifferentiâ neceſſitati oppoſitâ, ſed quæ inclinationes prævalentes non excludat.

368. Interim tamen hæ difficultates *Bælium* valdè adfecerunt, ad eaſdem urgendas, quàm diluendas proniorem, quanquam, ſi hanc in partem potiùs convertere ingenium voluiſſet, potuiſſet fortaſſè, ſi quis alius, rem præclarè agere. En ejus verba (Diction. Artic. *Janſenius*, litt. G. pag. 1626.) *Dixit nonnemo, materiam de Gratia Oceanum eſſe, ripa fundoque carentem. Rectiùs fortaſſe locutus fuit, ſi eam cum Meſſanenſi Pharo*

com-

comparaſſet, in qua dum quis unum ſcopulum cavet, ſemper ab altero periclitatur.

Dextrum Scylla latus, lævum implacata Charybdis
Obſidet.

Controverſia tota huc denique redit: utrùm Adamus *liberè peccaverit, nec ne? ſi ais, ergò lapſus, inquient, non fuit prævifus; ſin negas, igitur* Adamus, *reponent, non fuit reus. Ubi centum adversùs utramlibet conſequentiam volumina conſcripſeris, fateberis nihilominùs, aut infallibilem eventûs contingentis præſenſionem myſterium eſſe, captu omni ſuperius; aut modum, quo creatura, ſine libertate operans, tamen peccet, eſſe prorsùs incomprehenſibilem.*

369. Aut vehementer fallor, aut binæ illæ jactatæ incomprehenſibilitates ſolutionibus noſtris penitùs ſunt ſublatæ. Utinam æquè facilè reſponderi poſſet quærentibus, quo modo curandæ febres, & qua ratione vitandi duorum morborum chronicorum ſcopuli, qui enaſci poſſunt, alter, dum febris non curatur, alter, dum malè curatur. Quando contenditur, eventum liberum prævideri non poſſe, libertas cum indeterminatione, vel indifferentia plena & æquilibri, confunditur: at cùm denegatio libertatis hominem a culpa eximere adſeritur, libertas intelligitur non a determinatione, vel certitudine, ſed a neceſſitate & a coactione, immunis (oooo). Unde patet, dilemma illud *Bælii* non urgere, cùm binos inter ſcopulos iſtos lata via porrigatur. Reſpondebitur itaque, *Adamum* liberè peccaſſe, & Deum vidiſſe peccantem in ſtatu *Adami* poſſibili, qui ſtatus, ſecundùm decretum divinæ permiſſionis, factus eſt actualis. Verum quidem, *Adamum* ex inclinationum quarundam prævalentium ratione ſe determinaſſe ad peccandum, ſed hæc determinatio nec contingentiam tollit, ne-

 que

(oooo) Conf. ad totam hanc materiam Ill. *Bilfingerus* in *Libr. de Orig. Mali* §.182. ſqq. *Dilucidd. Philoſ.* Sect. I. c. III. it. de *Harm. Præſt.* Sect. VI. §. 186. ubi v. g. p. 197. *not. r.* Negamus ſanè, & optimo id quidem jure, *neceſſitatem* actionum futurarum; negamus indeterminationem quoque futurorum contingentium. *Illud* argumentis *moralibus*, *hoc* ducti *metaphyſicis*, præcipuè illis, quòd, niſi determinata ſit futuritio rerum, præſcientia ſubſiſtere divina non poſſit. Jam, ſi placet, adtende *determinationi futurorum*, quid illa ſit? Unde pendeat? Quid a neceſſitate differat? Quid ab indeterminatione actûs? Quomodo fundare præſcientiam poſſit? Et cum libertate agentium conſpirare? Et quænam futurorum determinatio id poſſit? Quæ non poſſit? Quæ ſit objectiva rerum certitudo? Quod infallibilis & determinatæ Dei præſcientiæ, in rebus ipſis, fundamentum? Et quæ ſunt ſimilia? de quibus hoc loco pluribus agere non convenit. Obiter tamen moneo, num fortè exiſtimes, *Poiretum* cum Socinianis negare præſcientiam peccati; quoniam in abſoluta, quam tuetur, voluntatis liberæ indeterminatione & indifferentia fundamentum præſcientiæ nullum obſervaverit? Conf. in Theod. *Leibnitii* §. 369. eidemque contende dicta §. 364. " Ex iis, quæ hactenùs diſputata ſunt a *Viro ill.* ſolvi hæ omnes quæſtiones facili poterunt negotio.

que libertatem; nec determinatio certa, quam homo ad peccandum habet, impedit, quo minùs (abſolutè loquendo) poſſit non peccare, &, dum peccat, reus ſit & pœnâ dignus; quia hæc ipſa pœna vel peccanti, vel aliis, utilis eſſe poteſt ad eos alia vice determinandos ad non peccandum. Ut de juſtitia vindicativa nihil dicam, quæ ultra damni compenſationem emendationemque progreditur, & in qua etiam nihil eſt, quod certa contingentium voluntatis actuum determinatione lædatur. E contrario dici poteſt, præmia pœnaſque ex parte fore inutiles, & uno e finibus ſuis præcipuo, ſcilicet emendatione, carituras, ſi voluntati, ad meliora determinandæ aliâ vice, deſervire non poſſent.

370. Progreditur *Bælius* : *Circa libertatem alterutrum e duobus dicendum, vel quòd cauſæ omnes, ab anima diſtinctæ, cum eaque concurrentes, agendi, vel non agendi, poteſtatem animæ relinquant, vel quòd eam ita determinent ad agendum, ut non poſſint non agere. Priorem partem ſequuntur Moliniſtæ, poſteriorem Thomiſtæ, Janſeniſtæ, & Proteſtantes Confeſſioni Genevenſi addicti. Interim tamen Thomiſtæ ſe Janſeniſtas eſſe omni contentione pernegarunt, Janſeniſtæ verò non minori æſtu ſe in capite libertatis Calviniſtas eſſe inficiati ſunt. Ex altera parte Moliniſtæ contenderunt*, S. Auguſtinum *non docuiſſe placita* Janſenii. *Atque ita, dum illi fateri nolunt, ſe hominibus, qui hæretici habebantur, conſentire, hi, concedere renuentes, adverſari ſe, ſancto Doctori, cujus ſententiæ ſemper habitæ fuerunt pro orthodoxis, ſexcentas commenti ſunt aſtutias, &c.*

371. Duæ illæ ſectæ, quas hic *Bælius* diſtinguit, tertiam non excludunt, quæ adſeret, animæ determinationem non provenire unicè a concurſu *cauſarum omnium ab anima diſtinctarum*, ſed etiam ab ipſa conditione animæ, ejuſdemque inclinationibus, quæ ſenſuum impreſſionibus intermixtæ, eas vel augent, vel minuunt. Jam verò cauſæ omnes internæ externæque, ſimul ſumtæ, faciunt, ut anima certò, ſed non neceſſariò, ſe determinet; non enim contradictionem implicaret, eam ſeſe aliter determinare; cùm voluntas inclinari poſſit, non neceſſitari. Non lubet hic diſcutere, quodnam ſit Janſeniſtas inter & Reformatos in hoc negotio diſcrimen. Fortaſsè nec ipſi inter ſeſe conſentiunt, ſive quoad res ipſas, ſive quoad locutiones, in argumento, ubi e ſubtilitatum intricatarum labyrintho nullus ſæpè reperitur exitus. *P. Theophilus Raynaudus* (pppp) Libro, cui Titulus, *Calviniſmus religio beſtiarum*, Dominicanos, quos tamen non nominabat, perſtringere voluit. Ex alia parte ii, qui ſe *S. Auguſtini* ſectatores nuncupabant, Moliniſtis Pelagianiſmum, aut ſaltem Semipe-

(pppp) *Theoph. Raynaudus*, S. J. Ceſpitellenſis, A. *1663*. mortuus d. 31. Oct. Lugd. Gall. annos natus 87. Ejus opera univerſa in XIX. Tomos digeſta prodiere Lugduni A. *1665*. quibus poſtmodum acceſſit Tomus vigeſimus, in quo & citata *Religio beſtiarum* adparet. V. *L'Abregé de l'Hiſtoire des Sçavans anciens & modernes Tom. I. p. 242.*

mipelagianiſmum, exprobrabant, nec ſubinde modus utrimque ſervabatur, ſive dum hi *vagam indifferentiam* tuentur, & homini nimium tribuunt, ſive dum illi docent *determinationem ad unum ſecundùm qualitatem actûs, licèt non quoad ejus ſubſtantiam*, hoc eſt, determinationem ad malum in non regeneratis, quaſi hi nihil facerent, niſi peccare. Si res ipſa ſpectetur, exiſtimo, ſolis *Hobbeſii* & *Spinoſæ* adſeclis exprobrandam eſſe libertatis & contingentiæ deſtructionem; arbitrantur enim, id, quod evenit, eſſe ſolum poſſibile, & bruta Geometricaque neceſſitate evenire debere. Et *Hobbeſius* quidem omnia materialia ſtatuebat, eaque ſolis legibus mathematicis ſubjiciebat; *Spinoſa* verò inſuper intelligentiam electionemque Deo adimebat, relicta ei potentia cæca, a qua cuncta neceſſariò emanent. Proteſtantes partis utriuſque Theologi pari ardore in refutationem neceſſitatis intolerabilis incumbunt: &, quamvis ii, qui Synodo Dordracenæ adhærent, interdum doceant, ſufficere, ut libertas a coactione immunis ſit, videtur tamen neceſſitas, quam libertati relinquunt, non eſſe, niſi hypothetica, aut certè eſſe id, quod magis propriè certitudinem, aut infallibilitatem, vocamus, ut ſæpè difficultates in ſolis vocibus conſiſtere comperiantur. Idem de Janſeniſtis dixerim, quanquàm omnes iſtos in omnibus excuſare nolim.

372. Apud Ebræos Cabaliſtas, *Malcuth*, ſive *Regnum*, ultima Sephirarum (qqqq), ſignificabat, cuncta irreſiſtibiliter, ſed ſuaviter, ac ſine violentia, a Deo adminiſtrari, ita ut homo, dum divinam exſequitur, ſuam ſe voluntatem exſequi putet. Ajebant, *Adami* peccatum fuiſſe *truncationem Malcuth a cæteris plantis*, hoc eſt, ab *Adamo* reſectam fuiſſe Sephirarum ultimam, faciendo ſibi imperium in imperio Dei, ſibique tribuendo libertatem, a Deo independentem; ſed eum lapſu ſuo edoctum fuiſſe, quòd ipſe vi ſua ſubſiſtere non poſſit, quodque homines ad erectionem Meſſia indigeant. Doctrina iſta ſenſum commodum accipere poteſt, at *Spinoſa*, qui in Auctorum gentis ſuæ Cabala verſatus erat, fœdè

(qqqq) Qui de ratione decem Sephiroth, ſive Ordinum in ſcala Cabaliſtica, ſcripſerunt, eos recenſet *B. Fabric.* in *Bibliogr. Antiq.* C. VIII. p. 244. Ultimum ex iis decem, *Malcuth*, *ſeu Regnum*, ex plerorumque ſententia Eccleſiam denotat. Cæterùm, quæ hic *Vir ill.* adſerit, Spinoſam ex Philoſophia Cabaliſtica multum profeciſſe, ea a *Jo. Georgio Wachtero* in Spinoſiſmo Judaiſmi luculenter oſtenduntur. Scriptum illlius A. 1699. 8. Amſt. prodiit, *Moſi* iſti *Germano*, de quo in *Diſcurſ. de Conform. F. & R.* §. 9. oppoſitum, uti ib. notat Ill. *Leibnitius*. Nomen illi *Moſi* fuit *Jo. Petr. Speeth*, Auguſtan. de quo vid. *de la Croze* Vindiciæ Vet. Scriptorum contra *Jo. Harduinum* p. 61. Patet ex Scripto Wachteriano, uti & ex ejus *Elucidario Cabaliſtico*, Berolini, non Romæ, uti titulus habet, 1706. edito, licèt hic infeliciter ſe revocarit, & ex Philoſophiæ Cabaliſticæ rationibus divinitatem Chriſti, & veritatem univerſæ Religionis Chriſtianæ, *Spinoſam* agnoviſſe dixerit, Cabaliſtarum, non Carteſianorum, dogmatis ſua accepta tuliſſe, contra quam *Albertus Verſæus* exiſtimavit cit. §. ſeq. 373.

dè exorbitavit, dicens, (Tract. Polit. cap. 2. n. 6.) homines, dum libertatem uſitato more concipiunt, imperium in imperio Dei ſtatuere. Imperium Dei apud *Spinoſam* nihil aliud eſt, quàm imperium neceſſitatis, & quidem neceſſitatis cæcæ, (uti apud *Stratonem*) qua cuncta e natura divina ita emanant, ut penes Deum nulla ſit electio, nec hominis electio a neceſſitate ſit immunis. Addit, homines, ut *imperium in imperio* ſtatuant, animam humanam facere immediatam Dei productionem, quæ a cauſis naturalibus produci nequiverit, & quæ abſolutam ſeſe determinandi poteſtatem habeat, quod experientiæ repugnet. Meritò *Spinoſa* abſolutam, hoc eſt, ſine ratione ulla, ſe determinandi facultatem reſpuit, quæ ne in Deum quidem cadit; ſed immeritò arbitratur, animam, aut ſubſtantiam ſimplicem, poſſe naturæ viribus produci. Vel hinc ſatis adparet, animam Spinoſæ non, niſi modificationem tranſitoriam, fuiſſe, dumque eam durabilem, immò perpetuam, ſe facere ſimulat, ideam ei corporis ſubſtituit, quæ mera notio eſt, non reale aliquid & actuale.

373. Curioſitate Lectoris dignum eſt, quod de *Joanne Bredenburgio* (rrrr), cive Roterodamenſi, narrat *Bælius* (Diction. Artic. *Spinoſa*, litt. H. pag. 2774.) Ediderat *Bredenburgius* Librum adversùs *Spinoſam*, ſub indice: *Enervatio Tractatûs Theologico-Politici, unà cum demonſtratione Geometrico ordine diſpoſita, Naturam non eſſe Deum, cujus effati contrario prædictus Tractatus unicè innititur.* Mirum fuit, hominem, qui litteras non profitebatur, nec admodum litteratus erat (utpote qui Librum ſuum, idiomate Flandrico a ſe conſcriptum, ab alio Latinè reddendum curaverit) omnia *Spinoſæ* principia tam ſagaciter introſpicere, ac feliciter convellere potuiſſe, poſtquàm illa per bonæ fidei analyſin reduxiſſet ad ſtatum, in quo vim ſuam omnem exſerere poterant. Mihi relatum eſt (ſubdit *Bælius*) hunc Auctorem, poſtquam reſponſionem ſuam, & adverſarii ſui ſententiam diutiſſimè ruminatus fuerat, ac invicem contulerat, inveniſſe tandem, principium illud *Spinoſæ* ad demonſtrationem redigi poſſe. Itaque probandum ſuſcepit, nullam aliam rerum omnium cauſam dari, niſi naturam quampiam neceſſariò exiſtentem, & immobili, inevitabili, & irrevocabili, neceſſitate agentem. Geometricam methodum ſervavit omnem,

(rrrr) Confirmat hujus facti recenſionem *Bælius*, in Epiſtola ad *Dn. des Maizeaux*, Roterod. Cal. Nov. 1701. exarata, verbis ſeqq. „Vous pouvez être perſuadé „que tout ce que j'ai dit de *Bredenbourg*, „eſt vrai ſelon la plus-forte exactitude. „(Scil. Art. *Spinoſa*, Litt. H.) Les Piéces „Flamandes, où ſon Accuſateur inſera la „démonſtration, étoient en quelque ma-„niére Ecritures de Procès; & ainſi quoi-„qu'elles ayent été imprimées, on ne „trouve point à les acheter. Le fils de ce „*Bredenbourg* eſt de ma connoiſſance, „homme de grand raiſonnement & précis: „il vit ce que j'avois écrit touchant ſon „père, auſſitôt que le *Dictionnaire* eut pa-„ru, & tomba d'accord de tous les faits.“ p. 839. T. III. Epp. 1729. ed. Prodiit *Bredenburgii* Commentatio Roterod. 1675. 4. Cæterùm in compendio ad hunc locum tradit *Syſtema Spinoſianum Cel. Richterus* in Adnott. p. 831-834.

nem, & conſtructam a ſe demonſtrationem verſavit omnem in partem expenditque, ut vitium deprehenderet, nec unquam ejus evertendæ, immò nec infirmandæ viam ullam, aut rimam, invenire potuit. Indoluit enimverò, ingemuit, amicorum doctiſſimos obteſtatus eſt, ut in perveſtigandis demonſtrationis hujus defectibus ferrent ſuppetias. Ægrè tamen ferebat illius exempla deſcribi. *Franciſcus Cuperus*, Socinianus, (qui adversùs *Spinoſam Arcana Atheiſmi revelata* vulgaverat Roterodami, 1676. in 4.) unum nactus, quale erat, hoc eſt, Belgico ſermone conſcriptum, illud cum aliquot animadverſionibus publicavit, & Auctorem Atheiſmi inſimulavit. *Bredenburgius* eâdem linguâ cauſam tutatus eſt. *Orobio* (ssss), Medicus Judæus ſanè eruditus, (is ipſe, quem *Limborchius* confutavit, & qui, ut audivi, opere poſthumo, necdum in lucem edito, reſpondit *Limborchio*) contra demonſtrationem *Bredenburgii* Librum evulgavit, cui titulus: *Certamen Philoſophicum propugnatæ veritatis divinæ ac naturalis, adverſus J. B. principia*, Amſtelædami 1684. Sed & *Albertus Verſæus* (tttt) eodem anno ſtilum in *Bredenburgium* exacuit ſub nomine *Latini Serbatti Sartenſis*. Proteſtatus eſt *Bredenburgius*, ſibi de libero arbitrio ac Religione perſuaſum eſſe, & optare ſe ſolum, ut via ſibi indicaretur demonſtrationi ſuæ reſpondendi.

374. Cuperem equidem jactatam illam demonſtrationem cernere, ac noſſe, num ſcopus ejus ſit probare, naturam primigeniam, omnium creatricem, abſque electione & cognitione agere. Huc ſi tendat, fateor demonſtrationem Spinoſiſticam eſſe ac periculoſam. At ſi fortaſſis intelligebat *Bredenburgius*, naturam divinam ad ea, quæ producit, determinari electione ſua, & ratione optimi, non erat profectò, quòd exiſtimata illa neceſſitas *immutabilis*, *inevitabilis*, *irrevocabilis*, eum adfligeret. Eſt enim illa moralis duntaxat, eſt felix neceſſitas, quæ tantùm abeſt, ut Religionem evertat, ut divinam perfectionem maxima in luce collocet.

375. Dicam, occaſione datâ, *Bælium* (pag. 1773.) eorum opinionem referre, qui Librum inſcriptum, *Lucii Antiſtii Conſtantis de Jure Eccleſiaſticorum Liber ſingularis*, Anno MDCLXV. evulgatum, *Spinoſæ* tribuerunt;

(ssss) *Orobio*, Hiſpanus, *Don Balthaſar*, Amſtelædami verò *Iſaacus* vocatus, diu Judaiſmum diſſimulavit, adeo ut in Academia Salmanticenſi Lectorem ageret Metaphyſices, donec Inquiſitioni delatus, illiuſque crudelitati vix ſubductus, Amſtelædami circumciſionem accepit; Judaïſmum apertè profeſſus. E vita diſceſſit A. 1687. *Philippi Limborchii* Amica Collatio cum Judæo de Veritate Religionis Chriſtianæ, Goudæ prodiit A. 1687. 4. V. Tr. noſtrum de *Trinit.* not. * p. 45. 46.

(tttt) *Aubert de Verſé*, Socinianus, aliàs notus Libro: *L'Impie convaincu: ou Diſſertation contre* Spinoſa, *dans laquelle on réfute les fondemens de ſon Athéiſme. L'on trouvera dans cet ouvrage, non ſeulement la réfutation des maximes impies de* Spinoſa, *mais auſſi celle des principales Hypothéſes du Cartéſianiſme, que l'on fait voir être l'origine du Spinoſiſme.* Amſt. 1685. in 8.

buerunt ; ſed dubium id eſſe mihi , quanquam *Colerus* (uuuu) , qui de famoſi hujus Judæi Vita Commentarium edidit , in eadem ſtet ſententia. Litteræ initiales, L. A. C. argumento mihi ſunt , Auctorem hujus Libri fuiſſe Dominum de *La Court* , ſive *Van den Hoof* , notum ab *eo* , *quod Hollandiæ intereſt* , Bilance Politica, & compluribus aliis Libris editis, (ex parte vocando ſe V. D. H.) adversùs Gubernatoris Hollandiæ potentiam , quæ tunc eſſe Reipublicæ perniciosa putabatur , dum molitionis *Guilielmi II.* Principis Auriaci , in Urbem Amſtelædamenſem recens eſſet memoria. Cumque plerique Hollandiæ Eccleſiaſtici pro filio Principis hujus , tunc pupillo , ſtarent , & *Joannem de Witt* (xxxx) , eoſque omnes , qui factionis Lovenſteiniæ nomine comprehendebantur, Arminianis, Carteſianis , aliiſque ſectis , magis adhuc formidatis , favere ſuſpicarentur , & plebem adversùs illos concitare laborarent , quod ſucceſſu non caruit , uti docuit eventus ; valdè conſentaneum erat , hunc Librum a *Lacourtio* vulgari : verùm in opellis hujuſmodi , quas partium ſtudia in publicum propellunt , æqua mediocritas raro ſervatur. Dicam hic obiter , prodiiſſe nuper *Commodorum Hollandiæ* , a *Lacourtio* elucubratorum , ſeu *ejus* , *quod Hollandiæ intereſt* , Gallicam Verſionem , ſub titulo fallace *Commentariorum Domini* Joannis de Witt , *magni Hollandiæ Penſionarii* , quaſi verò cogitata hominis privati , qui revera *Wittii* partes ſectabatur , & ſolers quidem erat , ſed qui nec rerum publicarum notitia , nec ingenii ac prudentiæ præſidiis ſatis inſtructus erat , ut tanti rerum Adminiſtri adinſtar ſcriberet , pro viri , inter ſæculi ſui ſummos meritò numerandi , partu habere poſſent.

376. Dum e Gallia per Angliam Hollandiamque reverterer , vidi *Lacourtium* , uti & *Spinoſam* , ab eiſque anecdota non contemnenda de rebus illius temporis didici. *Bælius* (pag. 2770.) ait , *Spinoſam* ſub Medico quodam ,

(uuuu) *La vie de* B. de Spinoſa , *tirée des écrits de ce fameux Philoſophe* , *& du témoignage de pluſieurs perſonnes dignes de foi , qui l'ont connu particuliérement : Par* Jean Colerus *Miniſtre de l'Egliſe Luthérienne de la Haye* , à la Haye 1706. 8. Ex Belgico idiomate a quodam in linguam Gallicam transfuſa , referente *Bælio* in Epiſtola , quæ in Coll. cit. eſt CCLXXXII. pag. 1076. Hinc inter alia , quæ tq. diverſa a *Bælii* recenſione in *Dict.* Art. *Spinoſa* notantur , quarto loco p. 1079. ſcribitur : 4. „ Il nie (*Colerus*) que Spinoſa ſoit „ l'Auteur d'un Livre imprimé l'an 1665. „ ſous le titre de *Lucii Antiſtii Conſtantis* „ *de jure Eccleſ.* & que le *ſtile* de ce livre „ reſſemble à celui du *Tractatus Theologico-* „ *Politicus*. Il fait entendre qu'un Médecin „ d'Amſterdam , qu'il ne déſigne que par „ ces deux Lettres L... M... (cela veut „ dire *Louis Meyer*) eſt l'Auteur du *Lucii* „ *Antiſtii* &c. & du Traité qui parut en „ 1666. ſous le titre de *Philoſophia Scripturæ interpres*. Reſp. *Bælius* : Il ne faloit „ point non plus s'en prendre à Mr. *Bayle* „ ſur le 4. fait ; car il a cité ſimplement „ les paroles du *Journal de Hambourg* , „ ſans y ajouter aucun mot d'aprobation. "

(xxxx) Dordraci natus A. 1625. d. 25. Sept. Hollandiæ Penſionarius factus A. 1652. ob rationem ab *Ill. Viro* in §. cit. miſerè interfectus A. 1672. d. 20. Aug.

quodam, *Franciſco van den Ende*, nuncupato, linguæ Latinæ operam dediſſe, ac ſimul poſt *Sebaſtianum Kortholtum* (qui ea de re loquitur in Præfatione ſecundæ editionis (yyyy) Libri paterni, *de tribus impoſtoribus*, *Herberto* L. B. de *Cherbury*, *Hobbio* & *Spinoſa*,) refert, eundem *Spinoſam* a puella doctum fuiſſe Latinam linguam, hanc puellam deinde nupſiſſe *Kerkeringio*, *Spinoſæ* ſub communi magiſtra condiſcipulo. Super his obſervo virginem iſtam eruditam fuiſſe filiam ipſius *Van den Ende*, & Patri ſuccollaſſe in docendi munere. *Van den Ende*, qui ſe etiam *A finibus* nuncupabat, deinde Pariſios conceſſit, & in *S. Antonii* ſuburbiis convictores habuit. Excellens in didactico genere audiebat, mihique inviſenti dixit, ſe quovis pignore certaturum, auditores ſuos ad ea, quæ dicturus eſſet, adtentos fore. Aderat etiam tunc illi puella, Latinè docta, nec demonſtrationum Geometricarum imperita. Ipſe ſeſe in *Arnaldi* favorem inſinuarat, jamque Jeſuitæ famam ejus ferre iniquiùs dicebantur; ſed paullò poſt, cum Equitis *Rohanii* conſpirationi ſeſe implicuiſſet, peſſum ivit (zzzz).

377. Satis oſtendiſſe videmur, nec præſcientiam, nec providentiam Dei, poſſe ejuſdem juſtitiæ bonitatique, aut libertati noſtræ, præjudicare. Reſtat ſolùm difficultas, orta *ex concurſu Dei cum actionibus creaturæ*, quæ & bonitatem Dei reſpectu noſtrarum actionum pravarum, & libertatem noſtram reſpectu noſtrarum actionum bonarum, vel quarumcumque, propiùs adtingere & ſollicitare videtur. Hanc etiam *Bælius* ſolita cum ingenii laude amplificat. Conabimur difficultates, ab ipſo prolatas,

diluere,

(*yyyy*) Ed. A. 1700. Hamburg. in 4. 1. Alph. cura *Sebaſtiani Kortholti*. V. *Acta Eruditor*. A. 1701. m. Mart. pag. 105. Auctor illius *Chriſtianus Kortholtus*, A. 1633. natus, & Kiloniæ tq. Prof. Theol. primar. A. 1694. d. 31. Mart. denatus. Prima ejus editio erat Kilonienſis A. 1680. *Herberti*, *Hobbii* & *Spinoſæ* technas, quibus Chriſtianiſmum penitùs evertere viſi ſunt, ob oculos ponit. Ait autem in Præf. novæ editionis *Seb. Kortholtus*, *Chriſtiani* fil. Poëſeos tum Prof. accepiſſe ſe Hagæ Comitum a Viris eruditis, & *Spinoſæ* domeſticis, hunc impoſtorem patre mercatore Judæo Amſtelodami natum, & *Paulum* adpellatum fuiſſe, Latinamque linguam ductu virginis adripuiſſe; Hagæ, ubi vitam egit, ſolitariam, templa Reformatorum Lutheranorumque frequentaſſe, & domi duriter vixiſſe, uſque dum animam d. 21. Febr. A. 1677. præſente ſolo Medicinæ doctore (*Lud.* ſcil. *Meyero*, *cit.* §. 375. *not.* (*uuuu*) efflavit. "

(zzzz) *Mr. des Maizeaux* in notis ad Epp. Bælianas, & quidem Ep. XIII. p. 64. *not.* 6. „ Le Chevalier *de Rohan*, la Marquiſe *de Villars*, & le Chevalier *de Preaux* „ furent exécutés à Paris le 27. de Novembre 1674. pour crime d'Etat. Ils „ avoient formé le deſſein chimérique de „ faire ſoulever la Normandie, &c. " *Bælius* in Ep. ipſa, ad Mr. *Minutoli* d. 15. Dec. 1674. exarata, p. 65. „ Pour le Bourreau, il fut ſi glorieux d'avoir fait voler la tête d'un Prince, qu'il ne daigna „ pas profaner ſes mains à pendre le Maître d'Ecole, complice de la Conjuration. Mais, après avoir fait trois décollations, il dit à ſes Valets fort fiérement, *Vous autres pendez cela*; en leur „ montrant le miſerable *Van den Ende*, „ qui eſt Belge; & pourtant il eſt renoncé & par les Hollandois, & par les „ Flamans. "

diluere, quo peracto, finem huic Operi imponere fas erit. Jam ſuprà ſtatuimus, divinum concurſum in eo conſiſtere, quòd ipſe nobis adſiduè largiatur, quidquid in nobis, actionibuſque noſtris, reale eſt, quatenùs id perfectionem aliquam involvit; ſed, quod in his limitatum & imperfectum eſt, conſectarium eſſe quoddam præcedentium limitationum, in creatura originariè exiſtentium. Cumque omnis creaturæ actio ſit modificationum ejus immutatio, manifeſtum eſt, actionem a Deo oriri, quantùm ad perfectiones, a creatura, quantùm ad limitationes, vel negationes, quas includit, quaſque immutatione iſta variari contingit.

378. Monui ſuprà non ſemel, malum eſſe privationis conſectarium, idque ratione, ſatis intellectui obvia, a me explicatum arbitror. Hanc ſententiam *S. Auguſtinus* jam tum illuſtrarat: ſed & *S. Baſilius* adfine quidpiam dixit in Hexaëmero, Homil. 2. *Malum non ſubſtantiam viventem, animaque præditam, eſſe, ſed adfectionem animæ, virtuti contrariam* (aaaaa), *a deſertione boni oriundam, ita ut quærere malum primitivum neceſſe non habeamus. Bælius*, hunc *S. Baſilii* locum referens (Diction. Artic. *Pauliciani*, litt. D. pag. 2325.) adprobat animadverſionem *Pfanneri* (bbbbb), (quem Theologum Germanum vocat, cùm tamen Juriſprudentiam profiteatur, & Saxoniæ Ducibus a conſiliis ſit) *S. Baſilium* carpentis, quòd Deum mali phyſici auctorem eſſe non fateatur. Eſt utique Deus auctor mali phyſici, quando malum morale jam ponitur exiſtens: ſed, abſolutè loquendo, ſuſtineri poſſet, quòd Deus malum phyſicum permiſerit conſequenter, permittendo malum morale, quod ejus origo eſt. Videntur etiam Stoici agnoviſſe, quantula ſit mali entitas; uti hæc *Epicteti* verba indicant: *Sicut aberrandi cauſa meta non ponitur, ſic nec natura mali in mundo exiſtit.*

379. Nihil itaque neceſſe fuerat, ad aliquod mali principium confugere, uti *S. Baſilius* egregiè obſervat, ſed neque mali originem quærere in materia eſt neceſſe. Qui ſtatuere chaos, antequàm Deus in materia quidquam operaretur, in eo inordinationis originem quæſierunt. Quam opinionem *Plato* poſuerat in *Timæo*, ſed reprehenditur ab *Ariſtotele* (Lib. 3. de Cœlo, cap. 2.) quia, juxta hanc doctrinam, inordinatio eſſet originaria & naturalis, & ordo præter naturam introductus. Id *Anaxagoras* cavit, dum materiam, donec a Deo moveatur, quieſcentem facit, & ideo ibidem ab *Ariſtotele* laudatur. Si *Plutarchum* audimus (*de* Iſide *&* Oſiride, *& Tr. de animæ procreatione ex* Timæo). *Plato* in materia quandam animam,

(aaaaa) *Interpr. Lat.* deſidioſis atque inertibus, propterea quòd a bono deciderint, inditam, neque malum forinſecùs circumſpiciendum atque inquirendum, neque quandam naturam principem malignitatis imaginandam.

(bbbbb) *Tobias Pfannerus*, Auguſtanus, JC. natus A. 1641. d. 15. Mart. factus Conſiliarius A. 1686. mortuus A. 1716. d. 23. Nov. Locus, a *Bælio* notatus, exſtat in ejus *Syſtem. Theologiæ Gentilis*, Cap. IX.

animam, ſive vim, maleficam, Deo rebellantem, agnoſcebat, hoc vitium reale erat, conſiliorumque divinorum obſtaculum. Stoici quoque cenſuerunt, materiam eſſe originem defectuum, uti *Juſtus Lipſius* Lib. I. Phyſiologiæ Stoicorum oſtendit.

380. Chaos ab *Ariſtotele* meritò repudiatum eſt; verùm *Platonis*, & multo magis aliorum quorundam Veterum, quorum ſcripta periere, ſententias explicare non ſemper eſt proclive. *Keplerus*, inter præſtantiſſimos Mathematicos recentes merito ſuo numerandus, agnovit in materia ſpeciem quandam imperfectionis, etiam dum in illa nullus inordinatus eſt motus, quam *inertiam naturalem* vocavit, quæ motui reſiſtat, & ob quam major maſſa ab eadem vi movente minorem accipit velocitatem. Hæc obſervatio ſolida eſt, eamque ſuprà utiliter adhibui, ut comparatione quadam oſtenderem, quo pacto originalis creaturarum imperfectio Creatoris actionem, ad bonum tendentem, circumſcribat. Sed quia materia ipſa Deum habet auctorem, non, niſi comparationem & exemplum, præbet, neque mali, & imperfectionis, origo ipſa eſſe poteſt. Suprà oſtendimus, hanc originem in formis, ſive ideis poſſibilium, reperiri; æterna enim eſſe debet; materia autem æterna non eſt. Cùm itaque Deus, quidquid eſt realitatis poſitivæ, fecerit, quæ ipſa æterna non eſt, etiam cenſendus foret, feciſſe mali originem, niſi ea in rerum, ſive formarum, poſſibilitate ſita eſſet, quam poſſibilitatem unicam non fecit Deus, cùm intellectus ipſe ſui cauſa non ſit.

381. Interim, licèt mali fons in formis poſſibilibus, omnes divinæ voluntatis actus antecedentibus, poſitus ſit, verum tamen manet, Deum ad malum concurrere in executione actuali, quæ formas in materiam introducit: & hinc oritur præſens difficultas. *Durandus a S. Portiano*, Cardinalis *Aureolus*, *Nicolaus Taurellus* (ccccc), *P. Ludovicus a Dola*, *Bernerius*, aliique nonnulli, de hoc concurſu loquentes, eum non, niſi generalem, eſſe voluerunt, ne humanæ libertati, & divinæ ſanctitati, præjudicaret. Videntur Auctores iſti adſerere, quòd Deus, poſtquàm creaturis virtutem agendi largitus eſt, ſatis habeat illam conſervare. Ex altera parte, *Bælius*, recentiores quoſdam ſecutus, Dei concurſum nimis extendit. Vereri videtur, ne creatura non ſatis a Deo dependeat, eoque progreditur, ut actionem omnem deneget creaturis, immò nec realem ullam inter ſubſtantiam & accidens diſtinctionem agnoſcit.

382. Hanc opinionem præcipuè fundat in doctrina Scholarum recepta, quòd conſervatio ſit creatio continuata: quo poſito, videtur creatura nun-

(ccccc) Natus Mont. Bellicard. A. 1547. Altorfi mortuus A. 1606. Illius Lib. *de rerum æternitate* Marpurgi prodiit A. 1604. 8. Lib. *de mundo & cælo* Ambergæ A. 1611. 8. referente Ill. *Leibnitio*, vocante eum *Scaligerum Germanorum*, ſtylo, acumine, ingenio, libertate ſentiendi, medicinæ profeſſione, ſimillimum.

nunquam exiſtere, ſemper naſci & ſemper mori, uti tempus, motus, aliaque entia ſucceſſiva. *Platonis* hæc ſententia fuit de rebus materialibus & ſenſilibus, ajentis, illas eſſe in fluxu perpetuo: *Semper fluunt, nunquam ſunt.* Sed de ſubſtantiis immaterialibus, quas ſolas pro veris ſubſtantiis habebat, prorsùs aliter ſentiebat, in quo non uſquequaque allucinabatur. Verùm creatio continuata creaturas omnes indiſcriminatim reſpicit. Philoſophi complures eruditi huic de creatione continuata dogmati adverſati ſunt, refertque *Bælius*, *Davidem Derodon* (ddddd), celebrem apud Gallos, Genevæ addictos, Philoſophum, illud data opera confutaſſe. Sed nec Arminianis magnoperè probabatur, quibus argutiæ iſtæ metaphyſicæ non valdè placent; ut Socinianos taceam, qui eas adhuc minùs ferunt.

383. Ut benè expendatur, utrùm conſervatio ſit continuata creatio, conſiderandæ ſunt rationes, quibus dogma illud ſuperſtruitur. Carteſiani, Magiſtrum ſuum ſecuti, ad id probandum utuntur principio, non admodum firmo. Ajunt, *cùm momenta temporis nullum inter ſe neceſſarium nexum habeant, ex eo, quòd hoc momento exiſtam, non ſequitur, me momento ſequente ſubſtiturum, niſi cauſa eadem, quæ mihi hoc momento dat eſſe, illud ipſum mihi det inſtanti ſequente.* Auctor Moniti in Icona Socinianiſmi hoc ratiocinium uſurpavit, & *Bælius* (ejuſdem Moniti forſan Auctor) (eeeee) illud refert (Reſp. ad Provincial. cap. 141. p. 771. T. 3.) Reſponderi poteſt, ex eo, quòd nunc ſim, nequaquam ſequi *neceſſariò*, quòd futurus ſim, ſed tamen id ſequi *naturaliter*, hoc eſt, *per ſe*, niſi quid impediat. Atque hoc eſt diſcrimen, quod inter *eſſentiale* & *naturale* intercedit: perinde ſicut motus idem naturaliter durat, niſi nova quædam obſtet cauſa, eumque immutet, quia ratio, quæ motum hunc ceſſare facit hoc inſtanti, ſi nova non eſt, jam dudum eum ceſſare feciſſet.

384. *Erhardus Weigelius* (fffff), celebris nuper Jenæ Mathematicus ac Philoſophus, notus a ſua *Analyſi Euclidea*, *Philoſophia Mathematica*, nonnullis mechanicis inventis ſatis elegantibus, ac denique ſtudio Proteſtantes Imperii Principes ad poſtremam Calendarii reformationem adducendi, cujus tamen ſucceſſum ipſe non vidit; *Weigelius*, inquam, demonſtrationem quandam exiſtentiæ Dei communicabat cum amicis, quæ reverâ in creationem hancce continuatam recidebat. Et quia computationem

(ddddd) *David Derodon*, ex Delphinatu, Religionem Reform. amplexus, Genevæ A. 1664. vitam clauſit; ibi A. 1659. Opera ejus Philoſophica junctim prodiere. V. *Laud. Stolle* Adnott. in *Heumanni* Conſpectum, p. 390.

(eeeee) Conf. ſupr. §. 364. *not. tttt.* In ead. Ep. ſcribit *Bælius* pag. 324. „ On ne „ connoit pas l'Auteur de *l'Avis ſur le Tableau du Socinianiſme*; mais on ſoupçonne fort un Miniſtre Réfugié, autrefois un peu ſuſpect. de Pajoniſme, ou d'erreurs aprochantes. "

(fffff) V. *Vitam Leibn.* §. IX. conf. *Laud. Stolle* in Conſpectum Heumannianum, p. 380.

tionem cum ratiocinatione æquiparare ſolebat, quod ejus Ethice Arithmetica (*Rechenſchafftliche Sitten-Lehre*) teſtatur, ajebat, demonſtrationis ſuæ fundamentum eſſe initium tabulæ Pythagoricæ: *Semel unum eſt unum*; Hæ unitates repetitæ eſſent momenta exiſtentiæ rerum, quorum quodlibet a Deo dependebat, qui res omnes, extra ſe poſitas, momento quovis reſuſcitat, ut ita dicam. Et, quia illæ momento quolibet concidunt, aliquo ſemper indigent reſuſcitante, qui alius a Deo eſſe nequit. At certè magis exacto argumento opus foret, ut id demonſtratio vocari poſſet. Probandum eſſet, creaturam ſemper e nihilo egredi, & in illud relabi; ac præcipuè oſtendendum eſſet, prærogativam durandi plus, quàm uno momento, ex natura ſua, ſoli enti neceſſariò competere. Difficultates ſuper compoſitione *Continui* hanc quoque materiam pervadunt. Videtur enim iſtud dogma reſolvere tempus in momenta, cùm alii ex adverſo momenta & puncta conſiderent tanquam meras continui modalitates, hoc eſt, tanquam extrema partium, in eo adſignabilium, non tanquam partes conſtitutivas. Sed non eſt hic Labyrinthum illum ſubeundi locus.

385. Hoc in re præſenti pro certo poteſt adſeri, creaturam a divina operatione pendere continuò, nec minùs pendere, poſtquàm cœpit, quàm dum primò incipit. Hac dependentia fit, ut creatura non pergeret exiſtere, niſi Deus pergeret agere; denique hanc Dei actionem eſſe liberam. Nam ſi foret emanatio neceſſaria, qualis eſt emanatio proprietatum circuli, ab ejus eſſentia profluentium, dicendum eſſet, Deum ſtatim ab initio neceſſariò produxiſſe creaturam; vel ſaltem oſtendendum, qua ratione, ſemel eam creando, neceſſitatem ipſe ſibi impoſuerit eandem conſervandi. At verò nihil obſtat, quo minùs actio illa conſervativa, productio, immò, ſi lubet, creatio, vocetur. Cùm enim creaturæ dependentia non minor ſit deinceps, quàm ab initio, denominatio extrinſeca novæ, vel non novæ, naturam rei haudquaquam immutat.

386. Admittamus itaque hoc ſenſu, conſervationem eſſe continuatam creationem, ac videamus, quid *Bælius* inde colligat, (pag. 771.) poſt Auctorem Moniti in Icona Socinianiſmi, *Juriæo* oppoſitam. *Mihi videtur* (inquit hic Auctor) *inde concludendum, quòd Deus omnia agat, nec inter creaturas ullæ ſint cauſæ, ſive primæ, ſive ſecundæ, immò nec occaſionales quidem; uti facilè probari poteſt. Hoc enim momento, quo loquor, ſum, qualis ſum, cum omnibus adjunctis, ſive circumſtantiis meis, cum tali cogitatione, tali actione, tali ſitu: quòd ſi Deus hoc momento me creet, qualis ſum, uti hoc in ſyſtemate neceſſariò dicendum eſt, utique me creat cum tali cogitatione, tali actione, tali motu, tali denique determinatione. Nec dici poteſt Deus me primò creare, ac deinde, poſtquàm me creavit, meos motus, meaſque determinationes, unà mecum producere; hoc enim nullo pacto defendi poteſt duabus de cauſis. Primò quia, dum Deus me hoc inſtanti creat, aut conſervat, non conſervat me velut ens informe, velut ſpeciem, aut aliud quodpiam univerſale logicum. Sum individuum aliquod, & Deus*

 ut

ut tale me creat conſervatque, qui ſum, quidquid ſum eo inſtante cum omnibus adpendicibus meis. Secundò quia, dum Deus hoc inſtanti me creat, ſi deinde meas actiones mecum producere dicatur, neceſſariò concipiendum erit aliud inſtans ad agendum; & ſic eſſent duo inſtantia, cùm unum tantùm inſtans eſſe ponamus. Certum igitur eſt in hac hypotheſi, creaturas nec plus connexionis, nec plus relationis, habere cum actionibus ſuis, quàm habuerint cum productione ſui primo ſuæ creationis inſtanti. Auctor hujus Moniti conſectaria inde valdè dura elicit, quæ facilè cogitari poſſunt, ac denique teſtatur in fine, magnam gratiam initurum, quiſquis hujus ſyſtematis adprobationibus viam monſtraret, qua ſe ab horrendis iſtis abſurdis expedire poſſent.

387. Longiùs adhuc rem iſtam promovet *Bælius. Noſtis*, inquit, (*pag.* 775.) *in Scholis demonſtrari* (citat *Arriagam*, Diſp. 9. Phyſ. Sect. 6. & præſertim Subſect. 3.) *quòd creatura nec totalis, nec partialis, cauſa conſervationis eſſe queat, ſi enim alterutra eſſet, exiſteret, antequàm exiſteret, quod eſt contradictorium. Noſtis, argumentum ita inſtitui: id, quod ſe conſervat, agit; atqui id, quod agit, exiſtit, & nihil poteſt agere, priuſquàm completè exiſtat; ergò ſi quæ creatura ſe conſervat, agit, antequàm ſit. Hoc argumentum non in probabilitatibus, ſed in primis Metaphyſicæ principiis fundatur, ipſa luce meridianâ clarioribus*, non entis nullæ ſunt qualitates, aut accidentia, operari ſequitur eſſe. *Progrediamur ulteriùs. Si creaturæ cum Deo concurrerent (intelligitur hic concurſus activus, & non concurſus inſtrumenti paſſivus) ad ſui conſervationem, agerent, antequàm forent: id ſuprà demonſtratum. Atqui ſi in cujuslibet alterius rei productione cum Deo concurrerent, agerent pariter, antequàm eſſent; ergò æquè impoſſibile eſt, eas cum Deo concurrere ad productionem cujuslibet alterius rei, (quales ſunt motus localis, adfirmatio, volitio aliqua, quæ, uti contenditur, ſunt entitates, a creaturarum ſubſtantia diſtinctæ) quàm ad propriam ſui conſervationem. Cùmque earum conſervatio ſit continuata creatio, &, quidquid in orbe hominum eſt, fateri debeant, eas, primo exiſtentiæ ſuæ momento, cum Deo concurrere non poſſe, neque ad ſui productionem, neque ad dandam ſibi modalitatem ullam, id enim foret agere, antequàm eſſent; (nota,* Thomam Aquinatem, *pluresque alios Scholaſticos, docere, quòd, ſi Angeli primo ſuæ creationis momento peccaſſent, Deus eorum peccati auctor foret. Vide* Petrum a S. Joſeph *Fulienſem*, *in* Suavi Concordia humanæ Libertatis, *pag.* 318. *& ſeqq. Hoc indicat, eos cognoſcere, quòd inſtanti primo creatura nihil omninò agere poſſit.) Sequitur evidenter, eas nullo momentorum ſequentium cum Deo concurrere poſſe, nec ad ſui, nec ad aliarum rerum productionem. Quòd ſi ſecundo ſuæ durationis momento poſſent concurrere, nihil vetaret, quo minùs etiam primo momento concurſum præſtare poſſent.*

388. His argumentis ſic erit reſpondendum. Demus aliquo ſenſu, creaturam quolibet inſtanti de novo produci; largiamur etiam, inſtans, utpote indiviſibile, excludere omnem prioritatem temporis: ſed moneamus,

mus, nequaquam excludere prioritatem naturæ, vel id, quod vocant anterioritatem *in ſigno rationis*, & hanc ipſam ſufficere. Productio, ſive actio, qua Deus producit, eſt natura prior exiſtentia creaturæ productæ. Creatura, ſecundùm ſe ſumta, cum natura & proprietatibus ſuis neceſſariis anterior eſt adfectionibus accidentalibus & actionibus ſuis, & nihilominùs cuncta iſta eodem momento exiſtunt. Deus creaturam producit convenienter exiſtentiæ inſtantium præcedentium, ſecundùm leges ſuæ ſapientiæ; Creatura verò conformiter ei naturæ, quam Deus creatione continuatâ ipſi reddit, operatur. Limitationes & imperfectiones ei adnaſcuntur per naturam ſubjecti, quæ Dei productionem limitat, & hic eſt originalis creaturarum imperfectionis effectus; at vitium & crimen ex operatione creaturæ interna liberaque naſcitur, quanta haberi inſtanti poteſt, quæque repetitione notabilis evadit.

389. Hæc naturæ anterioritas apud Philoſophos pervulgata eſt; ſic enim dicitur ordo eſſe inter decreta Dei. Dumque Deo (ut par eſt) ratiocinationum & conſecutionum, a creaturis deductarum, intelligentia tribuitur, ita ut omnes earum demonſtrationes, & Syllogiſmi omnes, Deo ſint perſpecti, in eoque reperiantur eminenter; agnoſcitur, in propoſitionibus, ſive veritatibus, quas ipſe novit, ordo eſſe aliquis naturæ, ſine ullo ordine vel intervallo temporis, quo in cognitione proficiat, & a præmiſſis tranſeat ad concluſionem.

390. In argumentis, jam relatis, nihil admodum reperio, quod hac obſervatione non diluatur. Dum res a Deo producitur, tanquam individuum producitur, & non tanquam univerſale logicum, fateor; ſed rei eſſentia producitur ante accidentia, ejuſdem natura ante operationes, ſecundùm naturæ ſuæ prioritatem, & *in ſigno anteriore rationis*. Hinc patet, quo pacto creatura poſſit eſſe vera peccati cauſa, non obſtante ejuſdem conſervatione orta a Deo, ſeſe ad præcedentem ejuſdem creaturæ ſtatum adcommodante, ut ſapientiæ ſuæ legibus obtemperet, neque obſtante peccati rudimento momentaneo, jamjam a creatura producendo. Verùm tamen Deus ab initio non condidiſſet animam in ſtatu, quo primo ſtatim momento peccatura fuerat, uti Scholaſtici rectè obſervarunt: nihil enim in ſapientiæ ſuæ legibus erat, quod huc impellere poſſet (ggggg).

391. Ex hac etiam ſapientiæ lege fit, ut Deus eandem reproducat ſubſtantiam, eandem animam (hhhhh); & hoc reponere poterat Abbas, quem *Bælius* loquentem inducit (Diction. Art. *Pyrrhon.* litt. B. p. 2432). Hæc ſapientia rerum nexum facit. Largior itaque, creaturam non concurrere

(ggggg) Addit *Interpr. Lat.* quòd ſecùs eſt in progreſſu, ubi antecedentia ſequentibus modum præſcribunt.

(hhhhh) *Idem*: cùm contrà corpus nunquam ultra momentum idem permaneat.

currere cum Deo ad ſui conſervationem (eo modo , quo conſervatio jam explicata eſt) ſed non video , quid vetet , eam cum Deo concurrere ad alterius rei productionem , ac præſertim internæ ſuæ operationis , qualis eſſet cogitatio , volitio , quæ utique realiter a ſubſtantia diſtinguuntur.

392. Ecce autem novum cum *Bælio* certamen , pugnat ille , nulla eſſe hujuſmodi accidentia , a ſubſtantia diſtincta. *Rationes* , inquit , *quas Philoſophi recentes ad probandum , quòd accidentia non ſint entia a ſubſtantia realiter diſtincta* , *adhibuere* , *non nudæ ſunt difficultates* , *ſed argumenta* , *quæ ſuo pondere obruunt* , *neque ſolvi poſſunt.* Subdit : *Require ſis illa vel in P.* Maignano (iiiii) , *vel in P.* Malebranchio , *vel in* Cl. Callio (Philoſophiæ Profeſſore Cadomenſi) *vel in Libello* , *cui titulus :* Accidentia profligata , *quem P.* Saguens , Maignani *diſcipulus* , *edidit* , *& cujus excerptum in* Novellis Reipublicæ Litterariæ , *Junio* 1702. *reperies* , *aut* , *ſi unicum tibi auctorem ſatis eſſe cupis* , *elige Dominum* Franciſcum Lamium , *Benedictinum* , *unum e robuſtiſſimis* , *qui in Gallia vivunt* , *Carteſianis* , *cujus inter* Epiſtolas Philoſophicas , *Trivultii Anno* 1703. *excuſas* , unam *reperies* , in qua methodo Geometrica demonſtrat , *Deum eſſe veram unicam cauſam omnis ejus* , *quod eſt reale.* Cuperem equidem omnes iſtos Libros videre (kkkkk). Quod ultimam hanc oppoſitionem adtinet , ea ſenſu valdè bono vera eſſe poteſt. Deus enim eſt ſola principalis cauſa realitatum purarum & abſolutarum , ſive perfectionum. *Cauſæ ſecundæ agunt in virtute primæ.* Sed cùm limitationes & privationes ſub realitatibus comprehenduntur , dici poteſt , cauſas ſecundas concurrere ad productionem ejus , quod eſt limitatum : alioqui Deus peccati cauſa foret , & quidem unica.

393. Cæterùm conſultum erit , cavere , ne , dum ſubſtantiæ cum accidentibus confunduntur , dum ſubſtantiis creatis actio omnis adimitur , gradus fiat ad Spinoſiſmum , qui Carteſianiſmus eſt immoderatus. Quod non agit , ſubſtantiæ nomen non meretur : ſi accidentia non diſtinguuntur a ſubſtantiis , ſi ſubſtantia creata eſt ens ſucceſſivum , uti motus , ſi ultra momentum non permanet , neque (aliquo temporis ſpatio adſignabili) eadem reperitur magis , quàm ejus accidentia , ſi non magis , quàm mathematica quædam figura , vel numerus , operatur , cur non dicamus cum *Spinoſa* , Deum ſolum eſſe ſubſtantiam , creaturas verò nihil eſſe , niſi accidentia , ſive modificationes ? Hucuſque creditum fuit , ſubſtantiam manere , mutari accidentia : in hac vetere doctrina perſtandum cenſeo , nec argumenta , quæ legiſſe memini , contrarium probant , & nimium probant , ſi quid probant.

394. *Unum ex abſurdis* , inquit *Bælius* (p. 779.) *ex admiſſa ſubſtantiam inter*

(iiiii) Exhibuit inter alia Curſum Philoſophicum *Emanuel Maignan* , Toloſæ natus A. 1601. denatus A. 1676. Ejus vitam dedit diſcipulus , *P. Jo. Saguens* , idiom. Lat. A. 1697.

(kkkkk) Vide *Remarques de Mr.* de Leibniz *ſur ſa ſixiéme lettre Philoſophique.*

inter & ejus accidentia diſtinctione emanantibus, *eſt illud*, *quod*, *ſi creaturæ producant accidentia*, *potentiam creatricem & annihilatricem habebunt*, *ita ut ne minima quidem actio fieri poſſit*, *quin entium realium numerus innumerus creetur*, *& totidem alia in nihilum redigantur. Si clamandi*, *aut comedendi*, *gratiâ linguam moveas*, *tot creas accidentia*, *quot ſunt motus partium linguæ*, *totque deſtruis accidentia*, *quot ſunt comeſtæ rei partes*, *quæ formam ſuam amittunt*, *& in chylum*, *ſanguinem*, *&c. convertuntur.* Hoc argumentum nihil, niſi terriculamentum, eſt. Quid, obſecro, mali eſt, infinitos motus, infinitas figuras, momento quovis in Univerſo modò, immò in qualibet Univerſi parte, naſci & emori? Aliunde demonſtrari poteſt, id eſſe neceſſarium.

395. Quod jactatam accidentium creationem adtinet, quis non videt, opus non eſſe potentiâ ullâ creatrice ad mutandum locum, aut figuram, ad efformandum quadratum vel parallelogrammum oblongum, aliamve quamcumque figuram agminis militum arma exercentium, magis, quàm ad fingendam ſtatuam, demendo partes a marmore, vel conſtruendam aliquam figuram exſtantem, mutando, minuendo, vel augendo ceram? Modificationum productio nunquam dicta *creatio*, & vocibus abutitur, quiſquis hominibus terriculamentum illud objicit. Deus ſubſtantias e nihilo producit, ſubſtantiæ verò limitum ſuorum mutatione ſua producunt accidentia.

396. De animabus, ſive formis ſubſtantialibus, meritò *Bælius* adjicit, *nihil accidere moleſtius iis*, *qui formas ſubſtantiales adſerunt*, *quàm quod illis objicitur*, *non*, *niſi per veram creationem*, *eas produci poſſe*, *& miſeratione dignos eſſe Scholaſticos*, *ac turpiter ſe dare*, *dum huic objectioni reſpondere conantur.* At verò nihil mihi, meoque ſyſtemati, hac ipſa objectione commodius, qui adſero, omnes animas, Entelechias, aut vires primigenias, formas ſubſtantiales, ſubſtantias ſimplices, ſive monadas, quocumque demum nomine vocentur, naturaliter naſci, aut interire, non poſſe. Concipio autem qualitates, ſive vires derivativas, aut id, quod formas accidentales adpellant, tanquam Entelechiæ primitivæ modificationes; uti figuræ ſunt modificationes materiæ. Hinc modificationes iſtæ in fluxu perpetuo ſunt, interim dum ſubſtantia ſimplex invariata perſeverat.

397. Oſtendi ſuprà (*Part.* I. §. 86. *& ſeqq.*) animas nec naſci naturaliter, nec alias ex aliis educi poſſe, ac neceſſe eſſe, ut noſtra vel creetur de novo, vel præexſtiterit. Quin immò medium quendam indicavi modum inter creationem omnimodam, & præexiſtentiam perfectam, arbitratus congruè dici poſſe, quòd anima, præexiſtens in ſeminibus, ab initio non fuerit, niſi ſenſitiva, ſed deinde ad ſuperiorem rationis gradum elevata, poſtquàm homo ille, cujus futura erat anima, conceptus fuiſſet, quódque corpus organicum, huic animæ ſemper ab initio copulatum, poſt multas denique mutationes, determinatum fuerit ad formandum corpus humanum.

manum. Judicavi etiam, hanc animæ ſenſitivæ elevationem (quæ ipſam promovet ad gradum eſſentialem magis ſublimem, hoc eſt, ad Rationem) extraordinariæ Dei operationi adſcribi poſſe. Juverit tamen addere, quòd mallem hominis perinde, atque aliorum animalium, generationem ſine miraculo ſtatuere: quod ipſum utcumque explicari poterit, ſi concipias, e magno illo animarum & animalium, vel ſaltem corporum organicorum, vitam habentium, & in ſeminibus latentium, numero ſolas animas, naturæ humanæ deſtinatas, Rationem involvere, ſuo tempore prodituram, & corpora organica ſola eſſe præformata, atque prædiſpoſita ad ſuſcipiendam aliquando formam humanam, dum interim animalcula, ſive viventia ſeminalia, in quibus nihil hujuſmodi præſtabilitum eſt, a prioribus illis eſſentialiter diſcrepant, & in genere inferiore ſunt conſtituta. Hæc productio *Tradux* quidam erit, ſed paullo tractabilior, quàm qui vulgò ponitur, non animæ ex anima, ſed animati ex animato, ac frequentia novæ creationis miracula evitans, quibus anima noviter creata ac pura in corpus, illam corrupturum, immitteretur.

398. Interim ſentio tamen cum R. P. *Malebranchio*, generatim creationem, rite intellectam, non adeò eſſe admiſſu difficilem, quàm poſſet putari, eamque in notione dependentiæ creaturarum eſſe quodammodo involutam. *O Philoſophos ſtupidos ac ridiculos!* (exclamat *Malebranchius* Meditatione Chriſtiana 9. n. 3.) *Imaginantur ſibi, impoſſibilem eſſe creationem, quia non concipiunt, Dei potentiam eſſe ſatis magnam, ut ex nihilo faciat aliquid; at meliuſne concipiunt, Dei potentiam feſtucæ movendæ capacem eſſe?* Addit præterea optimè: (n. 5.) *Si materia foret increata, Deus illam movere non poſſet, neque ex ea formare quidquam. Deus enim materiam nec movere, nec ſapienter ordinare poteſt, quin eam perſpectam habeat. Deus autem illam habere perſpectam nequit, niſi illi dat eſſe: non enim ab alio, quam a ſe ipſo notitias ſuas haurire poteſt. Nihil in ipſum agere, nihil ipſum edocere poteſt.*

399. *Bælius*, non contentus dicere, quòd continuo creemur, inſiſtit adhuc alteri illi doctrinæ, quam e creatione continuata elicere vellet, animam nempe noſtram agere non poſſe. Qua de re ſic loquitur (cap.141. p. 765.) *Notior ipſi* (erudito, quem adloquitur, adverſario) *Carteſianiſmus eſt, quàm ut ignoret, quanta vi fuerit ætate noſtra propugnatum, nullam Creaturam poſſe producere motum, & animam noſtram eſſe ſubjectum merè paſſivum reſpectu ſenſationum, ac idearum, perceptionumque doloris & voluptatis, &c. Quòd ſi id ipſum ad volitiones necdum fuit extenſum, id accidit propter veritates revelatas; quæ ſi non obſtitiſſent, actus voluntatis æquè paſſivi, quàm actus intellectus, cenſerentur. Eædem rationes, quæ ideas noſtras ab anima noſtra non efformari, nec ab eadem organa noſtra moveri, probant, etiam probarent, actus noſtros amoris, noſtraſque volitiones, efformari ab illa non poſſe, &c.* Addere poterat, actiones noſtras vitioſas, noſtra peccata.

400. Sanè

400. Sanè non eam, quam rationibus, a ſe laudatis, *Bælius* tribuit, ineſſe vim oportet, cùm nimium probarent; facerent namque Deum auctorem peccati. Fateor, animam influxu phyſico organa movere non poſſe, cenſeo enim corpus ita præformari debuiſſe, ut tempore & loco faciat, quidquid voluntatibus animæ reſpondet; quanquam interim verum ſit, animam eſſe principium operationis. Sed nullam video dicendi rationem, animam ſuas cogitationes, ſuas ſenſationes, ſuas doloris voluptatisque perceptiones, non producere. Apud me omnis ſubſtantia ſimplex (hoc eſt, omnis vera ſubſtantia) debet eſſe vera cauſa immediata omnium ſuarum actionum paſſionumque internarum; &, ſi metaphyſico rigore loquamur, alias anima non habet adfectiones, quàm quas ipſa producit. Qui aliter ſentiunt, quique Deum ſolum agentem faciunt, ſine cauſa ſeſe locutionibus implicant, e quibus, illæſa Religione, ſeſe vix, ac ne vix quidem, expedient, præterquàm quòd Rationi penitus adverſentur.

401. Ecce verò fundamentum *Bælii.* Ait, nos non facere id, quod quomodo fiat, neſcimus. Sed non largior ipſi principium illud. Diſputationem ejus audiamus. (pag. 767. & ſeqq.) *Stupenda res eſt, omnes ferè Philoſophos (exceptis iis* Ariſtotelis *interpretibus, qui intellectum univerſalem, ab anima noſtra diſtinctum, intellectionum noſtrarum cauſam, ſtatuere. Vide Diction. Hiſtor. Critic. Notam E. Artic.* Averroës) *exiſtimaſſe cum vulgo, ideas noſtras a nobis activè efformari. Et tamen quis eſt, qui neſciat, hinc quidem ignorare ſe omninò, quo pacto fiant ideæ, inde verò nec actu quidem pingere quemquam poſſe, qui quomodo acus ducenda ſit, neſciat? An ergò acum ducere opus difficilius eſt, quàm pingere in mente roſam, ſimul atque in oculos illa incurrit, quamvis hanc pingendi artem didicerit antè nunquam? An non contrà potiùs adparet, imaginem iſtam ſpiritualem in ſe opus difficilius eſſe, quàm in tela flores exprimere? quod niſi didicerimus, utique facere non valemus. Certiſſimi ſumus omnes, clavem, niſi ejus uſum edocti ſimus, aperiendæ ciſtæ nihil nobis profore; & tamen nobis perſuademus, animam noſtram motus brachiorum noſtrorum efficientem eſſe cauſam, quamvis, nec ubi ſint nervi, ciendo huic motui idonei, nec unde ſpiritus animales, quos in nervos influere oportet, adcerſendi ſint, noverit? Experimur quotidie, ideas quærentem effugere, incogitanti ſponte præſto eſſe. Quodſi hoc non vetat credere, nos eſſe earum cauſam efficientem, quid colligemus ex probatione ſenſûs, quæ,* Jaquelotio *tam explorata videtur? Num imperium in noſtras ideas ſæpè anguſtius eſt, quàm imperium in noſtras volitiones? ſi benè rem putaremus, plures in vitæ noſtræ curſu velleitates, quàm volitiones, inveniremus: hoc eſt, plura ſervientis voluntatis noſtræ, quàm imperantis, argumenta. Quam ſæpè idem homo experitur, ſe certum quendam voluntatis actum elicere non poſſe (puta, actum amoris in eum, a quo recentiſſimè offenſus eſt, actum contemptûs in elegans aliquod Tetradecaſtichon, actum odii in amaſiam, actum adprobationis*

bationis in epigramma aliquod inficetum & ridiculum. Nota, me non loqui, niſi de actibus internis exprimendis per verbum volo, *uti* volo contemnere, volo adprobare, *&c.*) *Non, ſi centum aureorum lucrum offeratur, & ipſe quàm maximè cupiat, nec ſi ambitioſa proprium voluntatis in actus ſuos dominium experimento comprobandi gloria animos addat, eo unquam adducetur.*

402. *Ut omnium jam dictorum robur paucis unum ſub adſpectum ponam, obſervabo, omnibus rem penitiùs perſcrutantibus evidens eſſe, quòd alicujus effectûs vera cauſa debeat eum cognoſcere, ac modum etiam ſcire, quo produci debeat. Secùs eſt in nudis cauſæ inſtrumentis, aut actionis ſubjectis duntaxat paſſivis, quibus id neceſſarium non eſt; ſed alicui verò agenti id neceſſarium non eſſe concipi nequit. At, ſi nos ipſos adcuratè excutiamus, compertiſſimum nobis erit, abſtrahendo ab experientia, animam noſtram tam parum ſcire, quid ſit volitio, quàm parum novit, quid ſit idea. Reperiemus, eam poſt longam experientiam non magis ſcire, quomodo volitiones efformentur, quàm id noſſet, antequàm quidquam voluiſſet. Quid jam inde concludendum, niſi eam volitionum ſuarum non magis, quàm idearum ſuarum, quàm motus ſpirituum, quibus brachia moventur, efficientem cauſam eſſe poſſe? (Nota me hic nolle id penitùs decidere, ſed ſolùm hæc conſiderare relatè ad principia objectionis.)*

403. Hem tibi ratiocinium prorſùs mirabile! Quid, obſecro, neceſſe eſt ſcire ſemper, quomodo fiat id, quod facimus? An ſalia, metalla, plantæ, animalia, ſexcentaque alia, ſive animata, ſive inanimata, ea, quæ faciunt, faciendi modum norunt, aut notitiâ ullâ indigent? An ergò olei, vel adipis, guttam, ut in aquæ ſuperficie rotundetur, Geometriæ peritam eſſe oportebit? Aliud eſt fila trajicere, ſive acum ducere, tunc enim agitur finis alicujus gratiâ, adeóque media, ad hunc idonea, pernoſcenda ſunt. Ideas verò noſtras non ideò, quia volumus, efformamus; in nobis & a nobis efformantur illæ, non ex vi & imperio noſtræ voluntatis, ſed ſecundùm noſtram & rerum ipſarum naturam. Et quemadmodum fœtus in animali formatur, quemadmodum alia naturæ miracula ſexcenta producuntur per *inſtinctum* quendam, a Deo rebus inditum, hoc eſt, virtute *præformationis divinæ*, quæ admiranda illa automata, tam egregios effectus mechanicè producere nata, effinxit: ita facilè judicatur, animam eſſe automatum ſpirituale, adhuc mirabilius, & virtute divinæ præformationis elegantes illas ideas producere, in quibus voluntas noſtra nullam partem habet, & ad quas ars noſtra non valet pertingere. Automatorum ſpiritualium, ſive animarum, operatio non eſt mechanica, ſed, quidquid in mechanica pulchrum eſt, eminenter continet: nempè motus, qui in corporibus evolvuntur, per repræſentationem concentrantur in anima, velut in mundo quodam ideali, mundi actualis leges, earumque effectus, exhibente; cum hoc tamen diſcrimine à mundo ideali perfecto,

ſecto, qui in Deo eſt, quòd pleræque perceptiones in nobis ſunt tantùm confuſæ. Sciendum enim eſt, quòd omnis ſubſtantia ſimplex Univerſum per ſuas perceptiones confuſas, vel ſenſationes, involvat, quodque perceptionum harum ſeries in qualibet ſubſtantia naturæ ipſius ſpeciali adtemperetur, ita tamen, ut naturam univerſam omnem ſemper exprimat: & perceptio quælibet præſens ad perceptionem novam tendat, uti omnis motus, quem perceptio repræſentat, ad alium motum tendit. Sed impoſſibile eſt, ut anima totam ſuam naturam diſtinctè cognoſcat, videatque, quomodo innumerabilis ille perceptionum minutiſſimarum numerus, quarum aliæ aliis coacervatæ, vel potiùs concentratæ, ſunt, in ſe efformetur: ad hoc enim opus eſſet, ut Univerſum omne, perceptionibus illis involutum, perfectè cognoſceret, hoc eſt, foret Deus.

404. Quod *Velleitates* adtinet, hæ ſunt duntaxat voluntatum conditionalium genus quoddam valdè imperfectum. Vellem, ſi poſſem; *liberet, ſi liceret*: &, dum velleitatem hujuſmodi habemus, non tam volumus velle, quàm poſſe. Hinc in Deo nullæ ſunt velleitates, quæ cum voluntatibus antecedentibus confundendæ non ſunt. Alibi ſatis explicavi, noſtrum in volitiones imperium non, niſi indirectè, poſſe exerceri, & miſerum illum fore, qui ita ſuarum actionum dominus eſſet, ut temerè, ſine nexu & ratione, velle poſſet. Hoc imperio qui ſe deſtitutum quereretur, imitaretur exemplum *Plinii*, potentiam divinam in eo incuſantis, quòd ſemet ipſe deſtruere nequeat.

405. Atque ita diſcurſui inſtituto finem hic imponere decreveram, poſtquàm (ut mihi quidem videtur) omnibus hoc de argumento *Bælii* objectionibus, quas in ejus Operibus potui reperire, ſatisfeci. Sed cùm in mentem mihi veniſſet *Laurentii Vallæ* de libero arbitrio Dialogus adversùs *Boëtium*, cujus ſuprà memini, eum hic ſummatim referendum, ſervatâ Dialogi formâ, putavi, ac deinde proſequendum, ubi ipſe deſinit, continuatâ, quam cœpit, fictione: idque non tam argumenti totius exhilarandi gratiâ, quàm ut in Diſcursûs mei meta, quàm poſſem clariſſimè maximeque populariter, mentem meam explicarem. Hic *Vallæ* Dialogus, ejuſdemque de voluptate & vero bono Libri, palam faciunt, eum non minùs Philoſophiâ, quàm humanioribus excultum fuiſſe litteris. Quatuor hi Libri totidem *Boëtii* Libris de Conſolatione Philoſophiæ opponuntur; Dialogus autem quinto reſpondet. Quidam *Antonius Glarea*, Hiſpanus, poſtulat a *Valla* elucidationes aliquas ſuper difficultate de libero arbitrio, argumento tam ignoto, quàm digno cognoſci, utpote in quo juſtitia & injuſtitia, hujus ac futuræ vitæ pœna præmiumque, verſantur. Reſpondet *Laurentius Valla*, ferendam æquo animo communem mortalibus cunctis ignorantiam, quemadmodum nos volucrum alis deſtitui non iniquè ferimus.

406. *Antonius*. Atqui tu has alas, alterius inſtar *Dædali*, ſcio, aptare

 mihi

mihi potes, quibus ex ignorantiæ ergaſtulo egreſſus, ad regionem veritatis, animarum patriam, ſublimis ferar. Libri, hactenùs a me viſi, mihi non faciunt, quod ſatis eſt, ne celebris quidem *Boëtius* ipſe, omnium licèt ſuffragio comprobatus, qui quæ de intellectu divino, deque ſupergrediente tempus æternitate, diſſerit, an intellexerit ipſe, neſcio, tuamque de præſcientiæ cum libertate conciliandæ ratione rogo ſententiam. *Laurentius.* Multorum offenſam pertimeſco, ſi tantum virum confutare adgrediar; huic tamen timori preces amici præferam, ſi fidem des . . . *Ant.* Ecquam? *Laur.* Ubi pranſus apud me fueris, te cœnam a me non poſtulaturum; volo, inquam, te propoſitæ quæſtionis ſolutioni acquieſcere, nec novam aliam ingerere.

407. *Ant.* Fidem do. En tibi nodum. Si Deus proditionem *Judæ* præſenſit animo, neceſſe fuit eum prodere, non potuit non proditor eſſe. At nemo ad impoſſibile tenetur, non igitur peccabat *Judas*, neque pœnam merebatur. Hoc vero juſtitiam, religionem, Deique timorem, evertit. *Laur.* Deus quidem peccatum præſenſit, hominem tamen ad peccatum non adegit; peccatum eſt voluntarium. *Ant.* Voluntas illa, cùm prævifa fuerit, neceſſaria erat. *Laur.* Si mea ſcientia res præteritas, aut præſentes, exiſtere non facit, neque præſcientia mea faciet exiſtere futuras.

408. *Ant.* Fallax eſt comparatio iſta; nec præſens, nec præteritum, mutari poſſunt: hæc ſunt jam neceſſaria; futurum verò, in ſe mutabile, fixum neceſſariumque fit præſcientiâ. Fingamus Deorum aliquem apud gentes futurorum notitiâ gloriari, ſciſcitabor, an norit, utrum pedem priùs moturus ſim, faxo deinde contra, quam prædixerit. *Laur.* Deus iſte, quid facere volueris, ſciet. *Ant.* At quo pacto ſciet, cùm facturus ſim oppoſitum ejus, quod ipſe dixerit, eumque ex animi ſententia locuturum ponam? *Laur.* Fallit te commentum tuum: vel a Deo iſto reſponſum nullum auferes, vel, ſi reſpondeat, pro tua in illum veneratione facies illicò, quidquid dixerit: ejus prædictio erit tibi inſtar mandati. Sed quæſtionem mutavimus: non hìc agitur, quid Deus ſit prædicturus, ſed quid prævideat. Ad præſcientiam itaque revertamur, & neceſſarium diſtinguamus a certo: non eſt impoſſibile, id, quod prævifum fuerit, non evenire, ſed tamen infallibiliter eveniet. Miles aut Sacerdos fieri poſſum, nec fiam.

409. *Ant.* Hìc te teneo: leges Philoſophorum volunt, omne poſſibile conſiderari poſſe velut exiſtens. Atqui id, quod eſſe poſſibile dicis, hoc eſt, eventus ejus, quod prævifum eſt, ſi reapſe eveniret, erraſſet Deus. *Laur.* Philoſophorum leges mihi non ſunt pro oraculis. Hæc quidem certè adcurata non eſt. Ambo ſæpè contradictoria ſunt poſſibilia; numquid ambo quoque poſſunt ſimul exiſtere? Sed, majoris claritatis gratiâ, ad exemplum veniamus, ac fingamus, *Sextum Tarquinium*, oraculi conſulendi cauſa Delphos profectum, ab *Apolline* hoc ferre reſponſum:

Exul

Exul inopſque cades iratâ pulſus ab Urbe.

Expoſtulabit adoleſcens: Ego baſilicum tibi munus adtuli, ô *Apollo*, tu verò mihi ſortem tam duram nuncias. Reponet *Apollo*: Perplacet munus, &, quod a me petis, præſto eſt, quid futurum ſit, eloquor: futura novi, non facio. I, querere *Jovi* & Parcis. Ridiculus foret *Sextus*, ſi de *Apolline* queri pergeret. Quid cenſes?. *Ant.* Dicet: Grates ago, ô ſancte *Apollo*, ob patefactam veritatem. At cur *Jupiter* in me tam crudelis eſt, cur homini innocenti, & religioſo Deorum cultori, fatum tam immite præparat? *Laur.* Tu innocens? inquiet *Apollo.* Atqui te ſuperbum, adulterum, & patriæ proditorem, fore ſcias. Poſſetne *Sextus* reponere: Tuâ culpâ talis fiam, ô *Apollo*, nam ad iſta me adigis prævidendo? *Ant.* Inſanus ſit, fateor, iſtud ſi reponat. *Laur.* Igitur nec *Judas* ipſe proditor de præſcientia Dei queri poterit. Habes, ô bone, nodi tui ſolutionem.

410. *Ant.* Viciſti ſpem meam, quod *Boëtius* nequiverat, id tu præſtitiſti: obſtrictum me ſenties, quoad vixero. *Laur.* Interim cœptam fabellam tantiſper proſequamur. Dicet *Sextus*: Nequaquam ita eſt, ô *Apollo*, nolo facere, quæ dicis. *Ant.* Quid? referet Deus, mentior igitur? Iterum repeto, facies, quidquid jam dixi. *Laur.* At *Sextus* forſitan Deos rogabit, ut fata mutent, ac meliorem ſibi mentem largiantur. *Ant.* Si faciat, audiet:

Deſine fata Deûm flecti ſperare precando.

Divinam profectò providentiam non faciet mendacem. Sed quid ad hæc *Sextus*? nonne querelis adverſus Deos implebit omnia? nonne vociferabitur? Quid? an ergò non ſum liber? an non in manu & poteſtate mea eſt ſtudere virtuti? *Laur.* Dicet forſan *Apollo*: Notum tibi ſit, mi bone *Sexte*, unumquemque a Diis factum eſſe, qualis eſt. *Jupiter* lupum rapacem fecit, leporem timidum, aſinum ſtupidum, leonem generoſum. Hic idem animam tibi pravam, & bonæ frugis incapacem, indidit, tu genio tuo obſequeris, & *Jupiter* te pro meritis accipiet. Ita per Stygem juravit.

411. *Ant.* Fateor, *Apollinem*, dum ſe expurgat, *Jovi* magis, quàm *Sexto*, culpam tribuere videri. Reſpondebit *Sextus*: Ergo *Jupiter* proprium in me ſcelus ulciſcetur? ipſe ſolus eſt reus. Prorsùs alium me fingere poterat, ſed, cùm me talem fecerit, qualis ſum, agere debeo, uti voluit. Cur me plectit igitur? num ejus voluntati potero reluctari? *Laur.* Hic juxta tecum hæreo, fateor. Deos e machina, *Apollinem Jovem*que, adcerſivi, ut te divinam præſcientiam a providentia diſcernere docerem. Palam feci, *Apollinem*, ſive præſcientiam, nequaquam officere libertati; at de *Jovis* decretis, hoc eſt, de Providentiæ placitis, ſatisfacere tibi non valeo. *Ant.* Ex uno me barathro eripuiſti, & in aliud altius præcipitas.

pitas. *Laur.* Memento pacti noſtri : ego prandium adpoſui; tu nunc etiam cœnam flagitas.

412. *Ant.* Video nunc aſtutiam tuam : decepiſti me planiſſimè tuo iſthoc pacto fraudulento. *Laur.* Quid facerem ? vinum & obſonia e paupere penu mea tibi præbui ; Nectar & Ambroſiam ſi cupis , Deos roga. Cibus ille divinus apud mortales non paratur. Audiamus Apoſtolum , vas illud electionis , raptum ad tertium uſque cœlum , qui audivit arcana verba , quæ non licet homini eloqui ; reſpondebit ille tibi per exemplum figuli , per incomprehenſibilitatem viarum Dei , per altiſſimæ ejuſdem ſapientiæ admirationem. Obſervandum tamen eſt , non id quæri , cur Deus rem prævideat , ſatis quippe hoc intelligitur , nempe quia res erit , ſed quare ſic ſtatuat , cur hunc induret , illius miſereatur , id quæritur. Latent nos ejus rationes , ſed *ſat eſt , eum optimum ac ſapientiſſimum eſſe , ut bonas eſſe judicemus.* Et quia juſtus etiam eſt , ſequitur , ejuſdem decretis ac operationibus noſtram non deſtrui libertatem. Nonnulli aliquam hujus negotii rationem ſcrutati , dixere , nos e maſſa corrupta , impura luteaque, confictos. At *Adamus* , at Angeli , ex argento auroque concreti , peccavere tamen. Quid ? quod & poſt regenerationem non pauci indurantur : quærenda igitur alia mali cauſa , quæ num Angelis ipſis nota ſit , dubito. Felices tamen nihilominùs ſunt , & Deum laudant. *Boëtius* , quòd Philoſophiæ magis , quàm *Pauli* , reſponſum auſcultaret , turpiter ſe dedit. Nos JEſu Chriſto , virtuti ſapientiæque Dei , credamus , dicenti , Deum velle omnes homines ſalvos fieri , nolle mortem peccatoris. Fidamus miſericordiæ divinæ , nec nos ad illam ineptos vanitate & malitiâ noſtrâ reddamus.

413. Dialogus iſte *Vallæ* non inelegans eſt , peccat tamen hinc inde , ſed in eo maximè , quòd nodum ſecet , & providentiam ſub nomine *Jovis* , quem tantùm non peccati auctorem facit , damnare videatur. Promoveamus ergò fabellam tantiſper. *Sextus. Apolline* Delphiſque relictis , Dodonam ſe confert ad *Jovem* , victimis eum placat , ac deinde ſic fatur expoſtulans. Cur me , ô magne *Jupiter !* ut malus & miſer eſſem , adegiſti ? aut ſortem muta meam & mentem , aut culpam in te hærere agnoſce. *Jupiter* ei reſpondet : Si Romam abdicas , meliora tibi fata nebunt Parcæ , ſapies , fortunatus eris. *Sext.* Eccur regni ſpem abdicem ? numquid Rex bonus eſſe non potero ? *Jup.* Fruſtra es , mi *Sexte* , quid tibi expediat , ego meliùs novi. Romam ſi tendis , periiſti. *Sextus* , tam duræ conditionis impatiens , prorumpit e templo , & fatis ſe ſuis permittit. Tum *Theodorus* , Antiſtes templi , qui colloquio interfuerat , hiſce verbis compellat *Jovem* : Sapientiam tuam deveneror , ô Deorum maxime , nam hominem iſtum injuſtæ querelæ conviciſti planiſſimè. Pravæ ſuæ voluntati infortunium ſuum poſthac imputet : prorsùs nihil habet , quod mutiat. At certè fideles tui cultores obſtupeſcunt , quibus eſſet in votis , bonitatem tuam perindè ,

perindè, atque magnitudinem, admirari: nonne penes te erat, aliam illi voluntatem impertiri?

414. *Theodorus*, Athenas profectus, & in Divæ fano pernoctare juſſus, per ſomnium ignotam in regionem ſe translatum comperit. Viſebatur ibi palatium ſuprà, quàm concipi poteſt, fulgentiſſimum, & vaſtitate ſua immenſum. Occurrit ad portam Dea *Pallas*, majeſtatis, oculorum aciem perſtringentis, radiis circumcincta.

Qualiſque videri
Cælicolis & quanta ſolet.

Ea olivæ ramo, quem manu geſtabat, *Theodori* frontem tetigit, & ecce! extemplo factus eſt idoneus ad ferendum *Minervæ* jubar, rerumque ab illa exhibendarum ſpeciem. *Jupiter*, cui carus es, (*Diva eum adloquebatur*) te mihi erudiendum tradidit. *Fatorum* hic *palatium*, curæ meæ concreditum, coram cernis. Præſto ſunt repræſentationes non eorum ſolùm, quæ fiunt, ſed eorum etiam omnium, quæ fieri poſſunt. Hæc eadem ante mundi conſtitutionem cùm luſtraret *Jupiter*, poſſibilitates omnes digeſſit in mundos, & hos inter omnes optimum, ſibi condendum, delegit. Reviſit interdum hæc loca Pater, ut res omnes recolat, ſuamque renovet electionem, qua non poteſt non delectari. Verbum unicum ſi dixero, ſtatim mundum integrum, quem producere Pater poterat, coràm intuebimur, in quo quidquid de illo quæri poteſt, repræſentatum reperietur: hac ope reſciri etiam poteſt, quid futurum eſſet, ſi poſſibile hoc, aut illud, exiſteret. Porrò, quando conditiones caſum non ſatis ab alio quovis diſtinguent, præſto erunt hujuſmodi mundi quotlibet, inter ſe diverſi, qui eidem quæſtioni diversè per omnes poſſibiles modos reſpondeant. Geometriam didiciſti juvenis, ut Græci probè educati ſolent. Noſti itaque, quando puncti alicujus quæſiti conditiones illud non ſatis determinant, ſed infinita puncta quæſtioni ſatisfacere queunt, omnia illa incidere in id, quod Geometræ locum vocant, & hunc ſaltem locum (qui ſæpè eſt linea) eſſe determinatum. Similiter fingere tibi potes ordinatam mundorum ſeriem, qui omnes & ſolos, de quibus agitur, caſus complectantur, eorumque circumſtantias & conſecutiones varient. Sed ſi caſum ponas, quia mundo, qui nunc eſt, non, niſi unica in re definita, diſcrepet, certus quidam mundus determinatus quæſito tuo reſpondebit. Omnes hi mundi hic præſto ſunt, videlicet in ideis. Eorum quoſdam exhibebo tibi; ubi non quidem omninò idem ille *Sextus*, quem videras, (hoc fieri nequit, ſemper namque ſecum fert id, quod erit) ſed alii, ipſi ſimillimi, *Sexti* reperiantur, qui, quidquid de genuino illo *Sexto* jam noſti, totum habeant, non tamen, quidquid in illo jam eſt, etſi adhucdum lateat, adeoque nec quidquid ipſi continget in poſterum. In horum mundorum aliquo *Sextum* quendam reperies, fortunatum admodum, & ad magna

 evectum;

evectum; in alio *Sextum* alium invenies, mediocri ſorte contentum, denique in aliis *Sextos* omnigenos, & infinitè variatos, reperies.

415. His dictis, *Theodorus a Deo* in unum e conclavibus deducitur: quod uti ingreſſus eſt, non jam conclave, ſed mundus erat,

Solemque ſuum, ſua ſidera norat.

Tum, jubente *Deâ*, illico Dodona cum Templo *Jovis*, & *Sextus* inde pedem efferens, ſe videndos præbent: ac hic quidem audiebatur profitens, ſe conſilio *Jovis* obtemperaturum. Et ecce in urbem bimarem commigrat, ſimilem Corintho. Ibi hortulum mercatur, quem dum fodit, theſaurum invenit, diteſcit, amatur, colitur, ac longævus moritur, urbi toti carus. Hæc omnia quaſi in ictu oculi, ac veluti in ſcena, vidit *Theodorus*. Erat in hoc conclavi ingens volumen ſcriptum. Non ſe tenuit *Theodorus*, quin ſciſcitaretur, quid ſibi volumen iſtud vellet. Hiſtoria eſt mundi, quem modò luſtramus, *retulit Dea*, liber fatorum ejus. Vidiſti numerum in fronte *Sexti*, quære ſis hoc in libro locum, numero illo notatum. Quæſivit *Theodorus*, & hiſtoriam *Sexti* ea, quam viderat in compendio, ampliorem reperit. Tum *Pallas*: cuicumque volueris lineæ digitum adplica, & ſigillatim exhibitum ſpectabis, quidquid linea iſta ſummatim indicat. Paruit *Theodorus*, & ſubitò vitæ hujus *Sexti* partem adjunctis omnibus, veluti coloribus depictam, conſpexit: inde ad aliud conclave digreſſis alius ſeſe mundus offert, alius liber, & alius *Sextus*, qui templo egreſſus, ac *Jovi* morem gerere certus, in Thraciam concedit, ibidem filiam Regis unicam ducit uxorem, ſocero ſuccedit, & a ſubditis impensè colitur. Itum eſt deinceps in alia conclavia, novæ ſemper ſcenæ viſebantur.

416. Conclavia iſta coibant in pyramidem, quoque adſcendebatur altiùs, eò pulchriora fiebant, & pulchriores exhibebant mundos. Tandem ad ſupremum, quo pyramis claudebatur, omniumque pulcherrimum, devenere; habebat enim pyramis initium, ſed non finem, apicem, ſed non baſin, creſcebatque deorsùm in infinitum. Nempè (ut explicabat *Diva*) quia inter mundos poſſibiles infinitos unus datur omnium optimus, alioqui Deus ad nullum eorum condendum fuiſſet permotus: nullus tamen eſt, qui alium imperfectiorem ſub ſe non habeat; hinc pyramis deſcendit in infinitum. *Theodorus*, ubi ſupremum hoc conclave ſubiit, in ecſtaſin ſubitò raptus eſt: opem *Dea* tulit, &, inſtillata linguæ ejus gutta liquoris cujuſdam divini, revocavit ad ſenſum. Non capiebat ſe præ gaudio *Theodorus*. Nunc tandem (*inquit Dea*) ad verum, ac re ipſa exſtantem, mundum pertigimus: ad boni fontem conſiſtis. Ecce quæ tibi *Jupiter* in illo præparat, ſi modò fideliter eum colere perrexeris. En tibi *Sextus*, qualis eſt, & qualis reapſe futurus eſt. Prorumpit e Templo furibundus, & Deorum monita flocci facit. Viden' ut Romam tendit, ut

miſcet

miſcet ima ſummis, ut amici conjugem polluit, ut cum Patre pellitur, ut profligatur, ut vitam agit infelicem? Quodſi *Jupiter Sextum* alterum illum Corinthi felicem, aut Thraciæ Regem, hic poſuiſſet, non jam hic idem mundus foret. Et tamen non poterat, quin hunc ipſum mundum, cæteris omnibus perfectiorem, ac pyramidis apicem, eligeret: aliter enim *Jupiter* ſapientiam ſuam abdicaſſet, meque, filiam ſuam, projeciſſet. Vides inſuper *Sextum* a Patre meo non fuiſſe factum improbum, talis quippe ab omni æternitate fuit, & quidem ſemper liberè; exiſtere tantùm ei conceſſit *Jupiter*, quod ipſum profectò ejus ſapientia mundo, in quo ille continebatur, denegare non poterat: ergò *Sextum* e regione poſſibilium ad rerum exiſtentium claſſem tranſtulit. Et *Sexti* crimen ad magna prodeſt, Romam in libertatem adſerit, magnum inde naſcetur imperium, magna exempla daturum. Sed hæc nihil ad mundum totum, cujus ſpeciem miraberis olim, ubi ab hac conditione mortali ad meliorem alteram feliciter tranſgreſſo, illius penitùs cognoſcendæ Dii tibi facultatem indulſerint.

417. Hæc ubi dicta, *Theodorus* expergiſcitur, *Divæ* gratias agit, debitas; juſtitiæ *Jovis* perſolvit laudes, ac viſis iſtis auditiſque intimè permotus, ſummâ qua poteſt religione, & omni, quæ in mortalem cadit, lætitiâ, munus Antiſtitis obire pergit. Hæc fabulæ continuatio nodum, a *Valla* intactum, expedire mihi videtur. Quod ſi *Apollo* divinam ſcientiam viſionis (quæ circa exiſtentia verſatur) ſat ſcitè repræſentavit; *Pallas*, ut ſpero, non ineptè perſonam egerit ejus ſcientiæ, quam ſimplicis intelligentiæ vocant, (quæ omnia poſſibilia reſpicit) a qua demum adcerſenda eſt rerum origo.

EPITOME CONTROVERSIÆ AD SYLLOGISMOS REDACTÆ.

HAnc adpendicem Operi ſubnecti voluerunt Viri quidam intelligentes, quorum monito paruimus tantò libentiùs, quòd hoc pacto difficultates adhuc quaſdam diluendi, & obſervationes aliquas, in ipſo Operis decurſu necdum ſatis indicatas, inſpergendi occaſionem nanciſceremur.

I. Objectio. Quicumque optimam partem non eligit, vel potentiâ, vel cognitione, vel bonitate, caret.

Deus, mundum hunc condendo, non elegit optimam partem.

Ergò Deus vel potentiâ, vel cognitione, vel bonitate, carebat.

Responsio. Negatur Minor, ſive ſecunda præmiſſa, quam probat adverſarius hoc

Prosyllogismo. Quicumque res, quæ omitti, aut ſine malo effici, poterant, cum malo efficit, is non eligit optimam partem.

Deus mundum fecit cum malo; mundum, inquam, qui omitti omninò, aut ſine malo effici, poterat.

Ergò Deus non elegit optimam partem.

Responsio. Conceditur Minor hujus Proſyllogiſmi; fatendum enim eſt, aliquod eſſe malum in mundo, quem Deus fecit, & poſſibile fuiſſe, ut mundum ſine ullo malo conderet, vel etiam nullum omninò conderet mundum, quandoquidem ejus creatio in libera Dei voluntate poſita fuerat; ſed negatur Major, ſive prima præmiſſa Proſyllogiſmi hujus, cujus probationem ab adverſario poſtulare nobis ſufficeret; ſed, ut hanc materiam ampliùs illuſtremus, negandi rationem dare libuit, monendo, illud non ſemper eſſe optimum, quo malum evitatur, cùm fieri poſſit, ut malum cum aliquo majore bono copuletur. Exempli gratiâ, Dux belli aliquis mavolet ingentem victoriam cum levi vulnere, quàm immunitatem a vulnere ſine victoria. Oſtendimus hoc admodùm fusè in hoc Opere, argumentis etiam e Mathematica diſciplina, & aliunde, petitis, imperfectionem in parte requiri poſſe ad perfectionem in toto maximam. Qua in re *S. Auguſtini* ſententiam ſecuti ſumus, qui centies dixit, Deum permiſiſſe malum, ut inde bonum eliceret, hoc eſt, majus bonum; nec non *Thomæ Aquinatis*, qui (in 2. Sent. diſt. 32. qu. 1. art. 1.) permiſſionem mali tendere ait ad bonum Univerſi. Oſtendimus, *Adami* lapſum Veteribus dictum fuiſſe *felicem culpam*, quia cum fœnore immenſo reparata fuit per-

per incarnationem Filii Dei, quæ Univerſo nobilius quiddam impertiit, quàm quidquid in rebus creatis abſque illa futurum fuiſſet. Et pro majore rei intelligentia, complures bonos Auctores ſecuti, addidimus, ordinis & boni generalis interfuiſſe, ut Deus certis quibuſdam creaturis exercendæ libertatis occaſionem præberet, etiam dum eas prævidit ad malum deflexuras, quod commodè & cum lucro emendare ipſe poterat; quia non erat conſentaneum, ut Deus ad impediendum peccatum extraordinario modo ſemper ageret. Itaque ad objectionem difflandam ſufficit, oſtendere, quòd mundus cum malo poſſit eſſe melior, quàm mundus ſine malo: ſed nos in Opere longiùs proceſſimus, oſtendimuſque adeò, hoc Univerſum omni alio Univerſo poſſibili reverâ melius eſſe debere.

II. Object. Si in creaturis intelligentibus plus mali ſit, quàm boni; plus mali, quàm boni erit in opere toto Dei.

Atqui in creaturis intelligentibus eſt plus mali, quàm boni.

Ergò in toto Dei opere plus mali eſt, quàm boni.

Resp. Negatur & Major, & Minor, hujus Syllogiſmi conditionalis. Major quidem ideò non conceditur, quia exiſtimata conſecutio illa a parte ad totum, a creaturis intelligentibus ad creaturas univerſas, tacitè ſumit, & quidem ſine probatione, creaturas ratione deſtitutas non poſſe in comparationem & computationem venire cum ratione præditis. Sed cur fieri non poſſet, ut exceſſus boni in creaturis non intelligentibus, mundum replentibus, compenſaret, immò longè ſuperaret exceſſum mali, in creaturis rationalibus repertum? Verum quidem eſt, has poſteriores majoris eſſe pretii, ſed vice versâ priorum multò major eſt numerus, poteſtque numeri quantitatiſque proportio ſuperare proportionem pretii & qualitatis.

Sed nec Minor concedenda eſt; non, inquam, concedendum, in creaturis intelligentibus plus eſſe mali, quàm boni; immò ne in genere quidem humano neceſſe eſt id concedere, quia fieri poteſt, immò etiam rationi valdè congruit, ut gloria perfectioque beatorum ſit ſine comparatione major miſeriâ & imperfectione damnatorum, utque hic præſtantia totius boni in minore numero præponderet toti malo in numero majore. Beati adpropinquant divinitati, ope divini Mediatoris, quantùm in creaturas cadere fas eſt, & in bono progreſſus faciunt, quos in malo facere nullatenùs poſſunt damnati, etiamſi ad Cacodæmonum naturam accederent quàm proximi. Deus infinitus eſt; Dæmon limites habet; bonum in infinitum progredi poteſt, & verè progreditur; at malum ſuis terminis coercetur. Fieri itaque poteſt, & fieri credibile eſt, ut in beatorum damnatorumque comparatione contingat oppoſitum ejus, quod in creaturarum intelligentium, & non intelligentium, comparatione poſſe contingere paullo antè dicebamus; fieri, inquam, poteſt, ut in beatorum damnatorumque comparatione proportio graduum ſuperet proportionem nu-

 mero-

merorum, in proportione verò creaturarum intelligentium, & non intelligentium, proportio numerorum major ſit proportione pretiorum. Tam diu jus habemus ponendi aliquid eſſe poſſe, quàm diu impoſſibile id eſſe non probatur: immò, quod hic adſerimus, meram hypotheſin excedit.

Sed denique, dato quod in humano genere plus mali ſit, quàm boni, adhuc jure optimo negari poteſt, de creaturis intelligentibus Univerſi idem rectè dici. Namque Geniorum, & fortaſſis etiam aliarum creaturarum rationalium, numerus captum noſtrum longiſſimè ſuperat, nec adverſarius probare poterit, in univerſa Civitate Dei, tam ex Geniis, quàm ex animalibus rationalibus innumeris, & in ſpecies infinitas diſcretis, compoſita, malum bono præcellere (a). Et quanquam ad reſpondendum objectio-

(a) Septimò ait Theologus Romano-Catholicus, cujus judicium de Theodicæa Leibnitiana tertio loco dedimus in Præfatione: *Non placet, quod variis locis dicitur, infinitam propemodum multitudinem creaturarum rationalium in aliis globis cœleſtibus exiſtere. Interpres Latinus:* Duo adſerit Auctor Tentaminum, *& quòd infinita propemodum exiſtat multitudo creaturarum rationalium, quæ homines non ſint, & quòd illæ creaturæ exiſtant in globis cœleſtibus, ſive planetis ac ſtellis.*

Ac poſterior quidem conjectura nullo probari poteſt argumento, quo non probetur pariter in mari, e. g. exiſtere debere creaturas rationales, quæ homines non ſint; quod nemo, opinor, adſeret. Nec nominatim lex optimi, quam hic adhibet Auctor, quidquam evincit, quamvis enim, abſolutè loquendo, forſan melius eſſet, animantes in planetis exiſtere, quàm non exiſtere; meliùs tamen id eſſe reſpectu Univerſi, quis oſtendet, niſi qui omnium divinorum operum ſymmetriam proportionemque inter ſe, animo comprehenſam habeat, quod in hominem certè non cadere *Leibnitius* ipſe non uno loco fatetur. Mitto nunc argumenta Theologica. Videri poteſt Diarii Trevoltiani menſis October anni 1702. art. 8. editionis Batavicæ, ubi recenſetur *Chriſtiani Hugenii Coſmotheoros.* Cæterùm e Catholicis idem, quod *Leibnitius*, ſyſtema de planetis inhabitatis lepidè propoſuit in venuſto Opuſculo, quod Gallicè inſcriptum eſt: *Dialogi de Mundorum pluralitate.* Videatur etiam *Noriſius* ſæpiùs laudatus Vindiciarum Auguſtinianarum cap. 4. §. 2. in fine.

Pars prior, nempè *quòd infinita propemodum multitudo creaturarum rationalium, quæ homines non ſint, exiſtat*, vel ob id ipſum argumentum, ad quod ſolvendum *Leibnitius* eam conjecturam adhibet, veriſimilitudine non caret, ſi per creaturas rationales intelligantur Angeli; quia ſcilicet alioqui plus in Univerſo mali moralis eſſet, quàm boni, ſi plures creaturæ rationales damnarentur. *S. Thomas* in 1. Diſt. 39. q. 2. art. 2. objicit ſibi hoc argumentum ordine quartum. *Omne, quod eſt proviſum, conſequitur finem, ut in pluribus, niſi ſit providentia errans, ſed malum invenitur, ut in pluribus, quod eſt ſecundum exitum a fine, Ergo.* Reſpondet S. Doctor, *malum poſſe accipi vel in rebus naturalibus, vel voluntariis, & ſi accipiatur in naturalibus, conſtat, quòd malum eſt in paucioribus, quia malum naturæ non contingit, niſi in ſphæra generabilium & corruptibilium, quæ eſt parvæ quantitatis reſpectu corporum cœleſtium, in quibus malum eſſe non poteſt... ſed in voluntariis etiam, quantum ad numerum, invenitur malum, ut in paucioribus in natura Angelica, quia multo plures fuerunt remanentes, quàm cadentes, & fortè etiam plures, quam omnes damnandi dæmones & homines; ſed in natura humana bonum videtur eſſe, ut in paucioribus.*

Hanc Doctoris Angelici congruentiam *Suarez* Lib. 1. de Angelis, cap. 11. n. 9. vocat

objectioni cuipiam opus non ſit, probare, rem ita ſe habere, quando ſola poſſibilitas ſufficit, non omiſimus tamen hoc Opere oſtendere, ſummam ſupremi rerum Arbitri perfectionem poſtulare, ut Dei regnum omnium Statuum, ſive Imperiorum, poſſibilium perfectiſſimum ſit, atque adeo modicum, quod in eo reperitur, malum ad immenſi, quod complectitur, boni cumulum neceſſarium habeatur.

III. Ob-

vocat *per ſe probabilem, tum quia in his, quæ a Deo principaliter intenduntur, ut ſunt creaturæ intellectuales, conveniens fuit, bonum in pluribus eſſe, quàm malum, tum etiam, quia decet divinam miſericordiam ſimul cum diſtributiva ſeu munerativa juſtitia in pluribus, quam vindicativam, oſtendi. . . . Hinc autem evidenter ſequitur exceſſus in numero Angelorum, quia homines, qui damnantur, ſunt incomparabiliter plures, quam qui ſalvantur; ergò ut numerus prædeſtinatorum numerum reproborum excedat, neceſſe eſt, ut Angeli ſancti incomparabiliter plures ſint, quam homines prædeſtinati.*

His addo SS. Patres nonnullos, Angelorum multitudinem reſpectu hominum propè infinitam adſerere.

S. Dionyſius: *Multi ſunt Beati exercitus ſupernarum mentium infirmam & conſtrictam excedentes numerorum materialium noſtrorum commenſurationem. His verbis*, inquit *S. Bernardinus* Senenſis Tom. 4. Serm. 48. Dionyſius *dicit, quòd ſolùm Angeli, in Paradiſo exiſtentes, ſunt plures, quàm ſint ſtellæ, quàm ſint arenæ maris ac terræ, quàm ſint folia & herbæ, & quàm ſint omnia, quæcumque creata ſunt.* Adpoſitè etiam ad mentem *Leibnitii S. Cyrillus* Hieroſolymitanus, Catecheſi 15. ait: *Ex loci magnitudine incolarum multitudo æſtimari ſolet, eſt autem univerſa terra puncti inſtar. Quibus verbis*, inquit *Gonet* Diſp. 2. de Angelis, art. 3. §. 1. n. 30. *ſignificat* Cyrillus, *quòd ſicut vaſtitas cœli Empyrei eſt penè incomprehenſibilis, comparata ad terram, ita & Angelorum multitudo per comparationem ad res corporeas & materiales*, qua comparatione etiam utitur *S. Thomas* 1. p. q. 50. art. 3. quem ſic concludit. *Rationabile eſt, quòd ſubſtantiæ immateriales excedant ſecundùm multitudinem ſubſtantias materiales quaſi incomparabiliter.* Videatur *Petavius* de Angelis Lib. 1. cap. 14. a n. 8.

Dato itaque, non conceſſo, tertiam partem Angelorum cecidiſſe cum *Lucifero* (hoc enim ex eo, quòd Draco ſecum tertiam ſtellarum partem traxerit, non rectè colligi dicit *Suarez* ſuprà n. 2.) dato etiam, quòd numerus hominum ſalvandorum reſpectu damnandorum foret ut unus ad centum millia (quod falſum eſt, quia ſic in una ſerie mundi, qua milliones mille continerentur, decem duntaxat millia ſalvarentur) adhuc tamen oſtendi poterit juxta ſuperius recenſita PP. dicta, quod in morali æſtimatione duplo plures creaturæ rationales ſalventur, quàm damnentur. Cùm enim Angelorum numerus incomparabiliter ſit major numero hominum, & ſe habeat inſtar puncti, pono Angelos habere ſe ad homines, ſicut tres biliones, hoc eſt, tres milliones millionum ſe habent ad unitatem, cùm ergo ex data, minimè conceſſa, hypotheſi, tertia pars Angelorum, hoc eſt, unus bilio ceciderit addità unitate, minus una centies milleſima parte unitatis, collectio Angelorum & hominum damnandorum habebit ſe ad collectionem Angelorum Beatorum, ſicut unus bilio & una unitas, minus una centies milleſima parte unitatis ſe habent ad duos biliones: numerus verò poſterior (duorum bilionum) in morali æſtimatione duplus eſt prioris, ſive unius bilionis addita etiam unitate, quia unitas, tanto numero addita, inſtar puncti eſt.

Ex dubiis, ab *Interprete Lat.* in ſuo Monito diſſipatis, unicum hoc ad ea, quæ in Præfatione citabantur, addendum, remanſit, huic loco ob materiæ convenientiam inſertum.

III. Object. Si ſemper impoſſibile ſit non peccare, ſemper erit injuſtum punire.

Sed ſemper eſt impoſſibile non peccare, ſive omne peccatum eſt neceſſarium.

Ergò ſemper eſt injuſtum punire.

Minor probatur.

Prosyllogismus I. Omne prædeterminatum eſt neceſſarium.

Omnis eventus eſt neceſſarius.

Ergò omnis eventus (& conſequenter etiam peccatum) eſt neceſſarius.

Probatur etiam hæc altera minor hoc modo.

Prosyllogismus II. Quod eſt futurum, quod prævidetur, quod in cauſis involvitur, eſt prædeterminatum.

Omnis eventus eſt talis.

Ergò omnis eventus eſt prædeterminatus.

Resp. Conceditur certo quodam ſenſu concluſio ſecundi Proſyllogiſmi, quæ Minor eſt primi; ſed negatur primi Proſyllogiſmi Major, nempe quòd omne prædeterminatum ſit neceſſarium, negatur, inquam, ſi per peccandi, vel agendi utcumque, *neceſſitatem*, vel non peccandi, aut non agendi, *impoſſibilitatem* intelligatur ea, de qua hìc agitur, neceſſitas, hoc eſt, eſſentialis, & abſoluta, quæ moralitatem actionis, punitionumque juſtitiam, evertit. Nam ſi quis aliam neceſſitatem, vel impoſſibilitatem, intelligat, quæ non ſit, niſi moralis, aut hypothetica, (quam mox explicabimus) manifeſtum eſt, negari illi objectionis ipſius Majorem. Atque hac in reſponſione acquieſcere quis poſſet, & propoſitionis negatæ probationem exigere; ſed, quo res iſta meliùs illuſtraretur, & argumentum hoc totum clariori in luce collocaretur, libuit rationem reddere inſtituti noſtri hoc in Opere, explicando & neceſſitatem, quæ rejicienda eſt, & determinationem, quæ locum habere debet. Nempe *Neceſſitas*, moralitati contraria, quæ vitanda eſt, & punitionem injuſtam efficeret, eſt neceſſitas inſuperabilis, quæ omnem oppoſitionem inutilem redderet, etiamſi quis actionem illam neceſſariam evitare ex toto corde vellet, omnique virium contentione conaretur. Jam verò manifeſtum eſt, id actionibus voluntariis adplicari non poſſe, cùm eas nemo, niſi velit, faciat. Itaque earum prævìſio, & prædeterminatio, non eſt abſoluta, ſed voluntatem ſupponit: ſi certum eſt, fore, ut eas quis faciat, non minùs certum eſt, fore, ut eas facere velit. Actiones hæ voluntariæ, earumque conſectaria, non evenient, quidquid agas, aut non agas, vel ſive velis, ſive nolis, ſed quia facies, & facere voles id, quod illuc ducit. Et hoc ipſum in prævìſione, inque prædeterminatione, continetur, atque adeò prævìſionis & prædeterminationis rationem conſtituit. Eventuum hujuſmodi neceſſitas vocatur conditionalis, ſive hypothetica, ſeu neceſſitas conſequentiæ, quia voluntatem, & alia *requiſita*, ſupponit; cum contra neceſſitas,

ſitas, moralitati inimica, quæ punitionem reddit injuſtam, & præmium inutile, ſit in rebus, quæ erunt, quidquid agas, & quidquid agere velis: verbo, in eo, quod rebus eſſentiale eſt: & hæc neceſſitas abſoluta dicitur. Hinc etiam intuitu eorum, quæ abſolutè neceſſaria ſunt, inutile eſt prohibere, vel jubere, pœnas aut præmia proponere, laudare vel vituperare; nullam enim hæc omnia in abſolutè neceſſariis immutationem efficient. At in actionibus voluntariis, & iis, quæ inde pendent, præcepta, quæ poteſtate puniendi & remunerandi armata ſunt, ſæpiſſimè proſunt, & in cauſarum, actionem producentium, ordine comprehenduntur. Quam ob rationem non ſolùm curæ & labores, ſed etiam preces, utilitatem habent, utpote quas Deus intuebatur, antequàm cuncta ordinaret, earumque congruam habuit rationem. Quare præceptum, quod dicit, *ora & labora*, ſubſiſtit integrum, nec ſolùm ii, qui, ſub inani neceſſitatis eventuum obtentu, volunt, negligi poſſe curas negotiis debitas, ſed etiam illi, qui adversùs preces diſputant, in *Sophiſma* incidunt, quod Veteres pridem nuncuparunt *ignavum*. Atque ita prædeterminatio eventuum per cauſas omninò ad moralitatem confert, tantùm abeſt, ut eam tollat; & cauſæ voluntatem inclinant, non neceſſitant. Quapropter *determinatio*, de qua agitur, non eſt neceſſitatis: certum eſt (ei, qui cuncta novit) effectum, hanc inclinationem ſecuturum, ſed effectus hic non ſequetur ſequela neceſſaria, hoc eſt, tali, cujus oppoſitum contradictionem involvat: per talem etiam inclinationem internam fit, ut voluntas ſe determinet citra neceſſitatem. Pone, aliquem vehementiſſimo aliquo adfectu (verbi gratiâ, ſiti ardentiſſimâ) laborare, fateberis, animam poſſe rationem aliquam ei reſiſtendi comminiſci, vel ad oſtendendam potentiam ſuam. Itaque quanquam voluntas nunquam in perfecto indifferentiæ æquilibrio conſtituta ſit, ſemperque inclinatio in partem eligendam prævaleat, nunquam tamen electio abſolutè neceſſaria efficitur.

IV. Object. Quicumque alienum peccatum impedire poteſt, nec tamen impedit, ſed potiùs ei cooperatur, quamquam probè conſcius, inter peccati complices habetur.

Deus creaturarum intelligentium peccatum impedire poteſt, nec tamen impedit, quin potiùs cooperatur, tum concurſu ſuo, tum occaſionibus, quas præbet, quamquam eventûs futuri probè conſcius.

Ergo, &c.

Resp. Negatur Major hujus Syllogiſmi. Poteſt enim contingere, ut quis peccatum impedire poſſit, nec tamen impedire teneatur, quia id non, niſi peccando, ipſe, vel (ubi de Deo agitur) non, niſi incongruenter operando, poſſet impedire. Cujus rei varia exempla dedimus, Deoque ipſi adplicavimus. Fieri etiam poteſt, ut quis ad malum cooperetur, immò & viam interdum ſternat, faciendo ea, quæ facere tenetur. Et cùm quis officio ſuo fungitur, aut (cùm de Deo ſermo eſt) ubi, omni-

bus penſatis, id agit, quod ratio poſtulat, eventus ei non queunt imputari, quantumvis prævifi. Non ſanè vult hæc mala, ſed ea vult permittere, ob majus bonum, aliis quibuſvis conſiderationibus ex recta ratione anteferendum. Et hæc voluntas eſt *conſequens*, e voluntatibus reſultans *antecedentibus*, quibus bonum adpetitur. Scio, nonnullos, dum de voluntate Dei antecedente & conſequente loquuntur, per *antecedentem* quidem intellexiſſe illam, qua vult, omnes homines ſalvos fieri, per *conſequentem* verò eam, qua vult, ob peccatum perſeverans, aliquos damnari. Verùm ſunt iſta notionis latiùs patentis duntaxat exempla, & eandem ob rationem dici poteſt, Deum antecedente ſua voluntate velle, ne homines peccent, voluntate verò conſequente, vel finali & decretoria, (quæ effectum ſemper habet) permittere, ut peccent, cùm hæc permiſſio ſit rationum ſuperiorum conſectaria. Ac generatim dicere fas eſt, voluntatem Dei antecedentem ad productionem boni, & impeditionem mali, tendere, ſi ſingula ſeorſim & in ſe ſumantur (*particulariter & ſecundùm quid*, Thom. 1. q. 19. art. 6.) ſecundùm menſuram gradus cujuſque boni, vel cujuſque mali; ſed voluntatem divinam conſequentem, ſive finalem ac totalem, ferri in productionem bonorum, quotquot ſimul poni poſſunt, quorum combinatio hoc ipſo fit determinata, & complectitur etiam permiſſionem quorundam malorum, & excluſionem quorundam bonorum, prout idea Univerſi poſſibilium omnium optima exigit. *Arminius* (b) in *Antiperkinſo* ſuo egregiè explicavit, voluntatem Dei adpellari poſſe conſequentem, non ſolùm reſpectu actionis creaturæ, in intellectu divino prævie conſideratæ, ſed etiam reſpectu aliarum voluntatum divinarum anteriorum. Verùm ſufficit hic conſiderare laudatum *Thomæ Aquinatis* textum, itemque *Scoti*, 2. diſt. 46. qu. 11. ut pateat eos accipere diſtinctionem illam, prout hic illam accipimus. Quòd ſi tamen quis hunc vocum uſum ferre nolit, pro antecedente ſubſtituat *voluntatem præviam*, & pro conſequente *voluntatem finalem* aut *decretoriam*, neque enim hic de vocabulis tricari libet.

V. Object. Quicumque producit, quidquid in re aliqua reale eſt, is rei illius eſt cauſa.

Deus, quidquid eſt in peccato reale, producit.

Ergò Deus eſt cauſa peccati.

Resp. Sufficeret negare vel Majorem, vel Minorem, quia *Reale* interpretationes admittit, quæ has propoſitiones falſas efficere poſſunt. Sed melioris explicationis gratia diſtinctionem adhibebimus. *Reale* vel ſignificat id, quod eſt poſitivum duntaxat, vel etiam entia privativa complectitur.

(b). Opera *Jac. Arminii* Theologica junctim recuſa ſunt Franco. 1635. In iis reperitur etiam Examen Libelli Perkinſiani de Prædeſtinationis modo & ordine. Libellus hic *Guil. Perkinſi*, Theologi Angli, exſtat ſecundo loco inter Opera illius Theol. quæ Genevæ, 1611. fol. prodiere.

ctitur. In priori ſenſu negatur Major, & conceditur Minor; ſecùs in ſecundo. Atque hìc ſiſtere licebat, ſed tamen ulterius progredi libuit, ad reddendam hujus diſtinctionis rationem. Monuimus itaque, omnem realitatem purè poſitivam, ſive abſolutam, habendam eſſe pro perfectione; imperfectionem verò a limitatione, hoc eſt, a privativo, oriri: nam limitare eſt progreſſum, ſive plus ultrà, prohibere. Jam verò Deus omnium perfectionum, ac proinde realitatum omnium, cauſa eſt, ſi conſiderentur tanquam merè poſitivæ. Sed limitationes, ſive privationes, ex originali creaturarum imperfectione, earundem receptivitatem circumſcribente, reſultant. Quemadmodum fit in navi onuſta, quam fluvius magis minuſve lentè agit pro ratione oneris, quo gravatur: itaque celeritas a fluvio, tarditas autem, hanc celeritatem limitans, ab onere provenit. Scilicet in hoc Opere palam fecimus, qua ratione creatura, dum peccatum perpetrat, cauſa ſit deficiens; quomodo errores, & pravæ inclinationes, a privatione naſcantur; quo pacto privatio ſit per accidens efficax: ac ſententiæ *S. Auguſtini* (Lib. I. ad *Simpl.* qu. 2.) veritatem comprobavimus, explicantis (exempli gratiâ) quo pacto Deus induret, non aliquid mali dando animæ, ſed quia bonæ impreſſionis divinæ effectus per animæ reſiſtentiam, & per circumſtantias, ad hanc reſiſtentiam cooperantes, circumſcribitur; unde fit, ut Deus non impertiatur omne bonum, quo malum animæ vinceretur. *Nec* (inquit) *ab illo erogatur aliquid, quo homo fit deterior, ſed tantùm quo fit melior, non erogatur omne.* At ſi Deus ampliùs aliquid in anima facere voluiſſet, alias naturas, vel alia miracula, naturas earum immutatura, producere debuiſſet, quæ in optimum Univerſi ſyſtema non cadebant. Veluti ſi fluvius naves velociùs agere deberet, vel fluvium ipſum rapidiorem eſſe, quàm ſinat ejus declivitas, vel naves ipſas minus onuſtas eſſe oporteret. Ac limitatio, ſive imperfectio, creaturarum originalis facit, ut ne optima quidem Univerſi ſeries a quibuſdam malis eſſe poſſit immunis, quæ tamen mala in bonum majus converti neceſſe eſt. Hæ nimirum anomaliæ in partibus mirè exaggerant pulchritudinem totius, ſicuti diſſonantiæ quædam, opportunè adhibitæ, harmoniam efficiunt elegantiorem. Sed hoc pendet ab iis, quæ jam ad objectionem primam reſpondimus.

VI. Object. Quicumque punit eos, qui quàm potuerunt optimè egerunt, is injuſtus eſt.

Deus hoc facit.

Ergò, &c.

Resp. Negatur Minor hujus argumenti. Credimus enim, Deum ſemper præbere auxilia & gratias, quæ ſufficerent iis, qui eſſent bonæ voluntatis, hoc eſt, qui gratias iſtas novo peccato non reſpuerent. Itaque non concedimus infantium ſine baptiſmo, aut extra Eccleſiam, mortuorum damnationem, uti nec adultorum, qui egerint ſecundùm conceſſa

 ſibi

ſibi a Deo lumina. Credimus autem, ſi quis acceptorum luminum ductum ſecutus fuerit, dubio procul majoribus, quibus indiget, præſidiis a Deo donandum, uti quondam *Hülſemannus* (c), celebris ac profundus Lipſienſis Theologus, alicubi obſervavit; & ſi homo talis reliquo vitæ ſuæ curriculo auxiliis hujuſmodi deſtitutus fuiſſet, ſaltem in mortis articulo iis non privandum.

VII. Object. Quicumque aliquibus duntaxat, nec omnibus, præſidia largitur, quæ faciunt illos re ipſa habere bonam voluntatem, & fidem finalem ſalutarem, is non habet ſatis bonitatis.

Deus hoc facit.

Ergò, &c.

Resp. Negatur Major hujus argumenti. Verum quidem eſt, Deum humani cordis reſiſtentiam, quantumvis magnam, ſuperare poſſe, idque etiam facere interdum, ſive per gratiam internam, ſive per externas circumſtantias, quæ in animam multum poſſunt; non tamen id ſemper facit. Unde hoc diſcrimen, inquies, & quare bonitas ejus limitata adparet? Cauſa eſt, quia ordini non congruebat, agere ſemper extraordinariè, ac rerum nexum perturbare, uti ſuprà monuimus in reſponſione ad objectionem primam. Rationes hujus nexus, vi cujus unus in circumſtantiis favorabilioribus collocatur, quàm alius, in divinæ ſapientiæ abyſſo latent, & ab harmonia univerſali dependent. Optima Univerſi idea, infallibiliter a Deo eligenda, non aliter ferebat. Et hoc ipſum ab eventu judicatur; nam, cùm Deus fecerit, melius fieri non poterat. Atque hæc agendi ratio tantum abeſt, ut divinæ bonitati repugnet, ut potiùs ſumma bonitas eum ad illam induxerit. Hæc objectio, ejuſque ſolutio, ex iis, quæ ad primam objectionem dicta ſunt, elici poterant, ſed e re viſum eſt eam ſeorſim adtingere.

VIII. Object. Quicumque infallibiliter optimum eligit, is non eſt liber.

Deus infallibiliter eligit optimum.

Ergò Deus non eſt liber.

Resp. Negatur Major hujus argumenti: immò potiùs hæc eſt vera perfectiſſi-

(c) In *Breviario Theologico, Cap. XV. §. XIII. p.* 414. *ed. 5tæ Heilbronn.* ait: „Ad communem illam gratiam, ex prædicatione vel lectione verbi divini conſequendam, poſſunt alio communiore ductu Dei pedetentim devenire ſinguli adulti, per diſcurſum ſequentem: *Apud ſeſe non coli verum Deum, quia manibus hominum tractatur: Igitur alibi quærendum eſſe, Actor. XVII.* 25, 27. *c. VIII. §. II, III.* Quam inquiſitionem ſi neglexerint, præter originale peccatum, etiam hoc actuale & evitabile vitium infidelitatis Deus in iis repetit, quare eos præteriit, ſeu non prædeſtinavit ad vitam, *Rom. I.* 20, 21, 24. *&c.* Infantes gentilium, qui contumaciam hanc poſitivam per ætatem exſerere actu ſecundo non poſſunt, judicio divino committimus, 1. *Cor. IV.* 12. *Quid ad me, judicare de ſalute illorum, qui foris ſunt.* “

fectiſſimaque libertas, poſſe optimè uti libero ſuo arbitrio, & ſemper hanc potentiam exercere, nec inde, aut vi ulla externa, aut internis adfectibus, deflecti, quorum illa corporum, hi animorum, ſervitutem gignunt. Nihil minùs ſervile, quàm ſemper ad bonum duci, idque ſemper ſponte ſua, ſine ulla coactione, ſine dolore mœſtitiave ulla. Objicere verò, fore ergò, ut Deus rebus externis indigeat, merum eſt Sophiſma. Deus res externas liberè creat, at, ubi finem ſibi aliquem, ſcilicet exercendæ bonitatis ſuæ, propoſuit, a ſapientia ſua jam determinatus eſt ad eligenda media, huic fini obtinendo aptiſſima. Hoc ſi *indigentiam* vocas, vocabulum illud accipis inſolito ſenſu, qui illud ab omni imperfectione expurgat, uti ferè fit, dum de ira Dei abſque adfectibus ſermo eſt.

Seneca nonnuſquàm dixit, Deum ſemel tantùm juſſiſſe, ſed ſemper parere, quia legibus, quas ſibi præſcribere voluit, obſequitur; *ſemel juſſit, ſemper paret.* Sed rectiùs dixiſſet, Deum jubere ſemper, & ei ſemper obtemperari; dum enim vult, naturæ ſuæ propenſionem ſemper ſequitur, & reliqua omnia voluntati ejus ſemper obſequuntur. Cumque voluntas illa ſemper eadem ſit, ipſe non poteſt dici parere, niſi illi, quam alias habebat. Interim quamvis voluntas ejus ſemper infruſtrabilis ſit, ſemperque feratur in optimum; malum tamen, & minùs bonum, quod ipſe reſpuit, non idcircò non eſt in ſe poſſibile; alioqui boni neceſſitas foret Geometrica (ut ita loquar) aut Metaphyſica, penituſque abſoluta; atque ita rerum contingentia peſſum iret, nec ullus foret electioni locus. Verum hoc genus neceſſitatis, qua contrarii poſſibilitas non tollitur, non, niſi per analogiam, neceſſitas adpellatur; ponitur autem reapſe in natura, non vi ſolius rerum eſſentiæ, ſed vi illius, quod extra & ſupra rerum eſſentias cadit, nimirùm vi divinæ voluntatis. Neceſſitas hæc moralis adpellatur, quia apud Sapientem neceſſarium & debitum æquivalent, &, ubi ſemper effectum illa ſortitur ſuum, uti fit in ſapiente perfecto, hoc eſt, Deo, neceſſitas felix dici poteſt. Quo propiùs ad illam accedunt creaturæ, eo propiùs ad perfectam felicitatem accedunt. Nec verò neceſſitatis ſpecies hæc eſt, quam vitare conantur homines, quaque moralitas, præmia laudeſque, deſtruuntur. Nam, quod ab illa inducitur, non evenit, quidquid agas, aut quidquid velis, ſed quia vis. Voluntas autem, cui benè eligere naturale eſt, majorem laudem meretur; & verò ſuam ipſa mercedem, videlicet ſupremam felicitatem, ſecum adfert.

Cumque hæc divinæ naturæ conſtitutio plenam ſui poſſeſſori delectationem tribuat, hinc etiam optima eſt, maximeque optanda creaturis, quæ omnes a Deo pendent. Si Dei voluntas principium optimi, tanquam legem, non ſequeretur, tunc vel in malum ferretur, quod eſſet peſſimum, vel ſaltem ad bonum malumque indifferens quodammodo foret, & a caſu duceretur: atqui voluntas, quæ a caſu ſe ſemper abripi ſineret, Univerſi

gubernationi non multò aptior foret, quàm fortuitus atomorum concurſus, omni divinitate ſublata. Et, quamvis Deus non, niſi quibuſdam caſibus, & quadantenùs, ſorti ſeſe committeret, (uti faceret, ſi non ſemper tenderet ad optimum, & ſi minùs bonum majori bono, hoc eſt, malum bono præferre poſſet; quandoquidem id, quod majus bonum impedit, malum eſt) nihilominus eo ipſo imperfectus foret æquè, ac id, quod eligit, nec fiduciam omnimodam mereretur. Quin tali caſu temerè, ac ſine ratione, ageret, & talis Univerſi adminiſtratio ſimilis eſſet teſſerariis illis ludis, in quibus diviſum imperium ratio ſibi cum ſorte vindicat. Ex his omnibus liquet, objectionem, quæ fit contra electionem optimi, notiones liberi ac neceſſarii pervertere, & optimum ipſum nobis tanquam malum repræſentare, quod malignum eſt, aut ridiculum.

CON-

CONSIDERATIONES AD OPUS HOBBESII IN ANGLIA EVULGATUM, DE LIBERTATE, NECESSITATE, ET CASU FORTUITO,

ARGUMENTUM.

§. 1. H*Iſtoria certaminis inter* Hobbeſium *&* Bramhallum, *& occaſio Libri Hobbeſiani.* §. 2. *Ratio doctrinarum Hobbeſiandrum.* §. 3. *Ejus ſententia de neceſſitate omnium rerum abſoluta rejicienda.* §. 4. *Quando* Hobbeſius *docet, nos habere adhuc aliquam poteſtatem in volitiones noſtras, indirectè ſcil. certitudinem eventuum, ipſamque adeò neceſſitatem, non impedire deliberationes, admonitiones, vituperia & laudes, pœnas & præmia, ſed eſſe media ad actiones producendas vel omittendas; rem pro libera declarari; ſi facultas ejus nulla re externa impediatur, libertate generaliter ſumta, quatenùs ad ſubſtantias intelligentes & non intelligentes adplicari poteſt, ſaniora & ſolidiora tradit.* §. 5. *Epitome Articulorum controverſorum, ex* Hobbeſii *Præfatione excerpta*: Ex uno *ſcil.* latere, 1. rectè *contendunt, non eſſe in præſenti hominis poteſtate, ſibi voluntatem, quam habere debeat, eligendi*; 2. *iterùm* præclarè, *caſum nihil producere, h. e. ſine cauſa vel ratione*; *ſed* 3. malè *adſerunt, omnes eventus habere cauſas ſuas neceſſarias, &* 4. malè, *voluntatem Dei imponere omnibus rebus neceſſitatem*; §. 6. Ex altero latere, *juxta* Hobbeſium, *contendunt*, 1. malè, *hominem non ſolùm eſſe liberum (abſolutè) ad eligendum, quidquid velit facere, ſed inſuper etiam ad eligendum, quidquid velit*

velit velle; 2. benè, *ſi homo bonam actionem velit, concurrere Dei voluntatem cum voluntate ipſius, non ſecùs*; 3. malè, *voluntatem poſſe eligere, num velit velle, nec ne*; 4. malè, *res evenire caſu ſine neceſſitate*, 5. *initium* benè, *finis* malè *ſe habet in his*: *Quamquam Deus prævideat eventum futurum, tamen ipſum eventum non eſſe neceſſarium, cùm Deus res prævideat non ut futuras, & tanquam in ſuis cauſis, ſed ut præſentes.* §. 7. *De doctrina Arminiana, in Belgio & Anglia magnos motus cauſante. Cit. Archiep.* Laud; Nic. Crellius; *Epiſcopi Iprenſis adſeclæ.* §. 8. *De duobus* Hobbeſii *fontibus argumentorum*, Ratione *&* Auctoritate; *& quidem de primo fonte, nim.* Ratione; §. 9. *De altero fonte, ſcil.* Auctoritate, *ubi adlegantur loca Scripturæ S. pro* Hobbeſio *militantia, & cauſam noſtræ voluntatis ad Deum referentia.* §. 10. *Loca Scripturæ S. quæ illi videntur eſſe indifferentia, & dicere, hominem habere optionem agendi, ſi velit, aut non agendi, ſi nolit*; *Loca Hobbeſianæ ſententiæ contraria, quæ dicunt, voluntatem hominis cum voluntate Dei non conſonare.* §. 11. *Reſponſa, quæ* Hobbeſius *ad infringendam locorum contrariorum vim adfert, diſſolvuntur.* §. 12. *Oſtenditur*, Hobbeſium *perperam habuiſſe cultum pro ſigno potentiæ ejus, qui colitur, cùm hæc ſententia omni bonitate veraque juſtitia Deum exuat, ex eoque Tyrannum effingat*; *neque eludi hoc telum, dicendo, bonitatem eſſe partem potentiæ divinæ, ita namque eum terminis abuti, & diſtinguenda confundere*; *ſic & juſtitiam Dei non cerni in potentia bona & mala conferendi, ſed in voluntate ea ſecundùm rationem diſtribuendi, hoc eſt, in bonitate cum ſapientia conjuncta*; *juſtitiam non pendere a legibus ſuperiorum arbitrariis, ſed ab æternis ſapientiæ & bonitatis regulis cùm in Deo, tum in hominibus, &c.*

1. CUm Quæſtio de Neceſſitate & Libertate juxtà cum iis quæſtionibus, quæ indè dependent, aliàs celebrem inter *Hobbeſium* & *Joannem Bramhallum*, Epiſcopum Derienſem, agitata eſſet vulgatis ab utraque parte Libris; operæ pretium judicavi, exhibere illius cognitionem diſtinctam (quamvis jam non una vice ejus a me injecta fuerit mentio) eoque magis, quòd hæc ſcripta *Hobbeſii* Anglico duntaxat ſtylo exarata proſtent hactenùs, hujuſque Auctoris cogitata plerumque aliquid boni adferant & ingenioſi. Epiſcopus Derienſis & *Hobbeſius*, cùm apud Marchionem, poſt Ducem de *Newcaſtle*, Anno MDCXLVI. Pariſiis conveniſſent, de hoc argumento inter ſe decertare cœperunt. Diſputatio ſatis moderatè continuabatur, ſed, cùm Epiſcopus, miſſa paullo poſt ad Ducem de *Newcaſtle* commentatione aliqua, in votis haberet, ut *Hobbeſius* ad reſpondendum permoveretur, dedit etiam is reſponſum, cum hac quidem cautione, ne illud luci exponeretur publicæ, quod homines indocti & malè morati facilè ad abuſum trahere poſſent doctrinas, ſuis ſimiles, quantumvis veras. Accidit interim, ut *Hobbeſius* ipſe reſponſum cum amico

quodam

quodam Gallo communicaret, ejuſque gratia permitteret a juvene quodam Anglo in Gallicum idioma transfundi. Servabat hic Anglus exemplum autographi Anglici, &, imprudente Auctore, poſtea in Anglia typis committebat. Coactus ita eſt Epiſcopus ad reſponſionem, & *Hobbeſius* ad iteratam exceptionem, omneſque has commentationes uno volumini plagularum 348. includere, Londini in 4. Anno MDCLVI. impreſſo, ſub indice: *Quæſtiones de Libertate*, *Neceſſitate*, *& Caſu*, *illuſtratæ*, *& agitatæ inter Doctorem* Bramhallum, *Epiſcopum Derienſem*, *&* Thomam Hobbeſium, *Malmesburienſem.* Altera proſtat editio Anni MDCLXXXIV. in Opere, inſcripto *Hobbs's Tripos*, in quo reperitur illius Liber de Natura humana, Tractatus de Corpore Politico, & de Libertate ac Neceſſitate, ſed & reſponſio Epiſcopi, & iterata exceptio Auctoris, in illa fruſtrà quæretur. *Hobbeſius* tractat hanc materiam ſolitâ ingenii & judicii præſtantiâ: ſed incommodum eſt, utramque partem minutis cavillationibus plurimum indulgere, uti fieri ſolet inter ludendum ſe inflammantibus. Epiſcopus multa cum vehementia loquitur, animoque quadantenus elato. *Hobbeſius* contrà, non minore utens parſimonia, nimius fertur in contemtum Theologiæ, terminorumque Scholaſticorum, quibus adhærentem viderat Epiſcopum.

2. Fatendum eſt, in *Hobbeſii* opinionibus aliquid ineſſe, quod abſurdum & defendi neſcium. Contendit, doctrinas, divinitatem ſpectantes, penitùs a determinatione ejus pendere, qui ſummâ in civitate præditus eſt poteſtate, Deumque non magis bonarum, quàm malarum, actionum in creaturis cauſam eſſe (a). Vult, omnia, quæ Deus facit, eſſe juſta, quia nullum habet ſuperiorem, qui eum punire & cogere poſſit. Interim quandoque loquitur, quaſi ea, quæ de Deo dicuntur, eſſent tantùm verba officioſa, hoc eſt, expreſſiones ad ipſum quidem honorandum, non verò cognoſcendum, adcommodatæ. Quin & teſtatur, videri ſibi pœnas malorum interitu eorum ceſſare debere, quæ ferè opinio Socinianorum

 eſt,

(a) Cel. Prof. Groninganus, *Nicol. Engelhardus*, in *Feriis* ſuis *Æſtivis Groninganis Anni* 1733. *Tom. I. ſect. I.* ad locum hunc (not. 1.) adnotat ſequentia. „Memini, *ait*, me apud Theologos quoſdam inter noſtros non incelebres talia meditationum portenta legiſſe, licet ex alio principio, quàm Hobbeſiano, originem traxerint, in hunc ſcil. labyrinthum incidunt, qui vires cauſarum ſecundarum veras negantes, Deum ubique quaſi ex machina advocant, his quippe conveniunt illa verba, *actionem aliquam poſſe eſſe malam creaturarum reſpectu, ſed bonam, ſi Deum ipſum auctorem reſpicias*, colunt illi Deum, quem imitari nefas eſſe ducunt, ſapienti ſat. p. 207. ſqq. Quos ſub verbis admodum obſcuris atque ambiguis innuat Vir eruditus, penes alios ſit judicium. Argumentum autem *de concurſu Dei ad actiones* ſatis diſtinctè traditum in *Theodicæa*, & ampliùs tradetur in *Cauſa Dei.* Cæterùm rurſus ad *Hobbeſii* ſcripta laudamus & commendamus *Ricardi Cumberlandi* Diſquiſitionem Philoſophicam *de Legibus Naturæ*, abſurda Hobbeſiana ſolidiſſimè deſtruentem; conf. hic eund. in *Conſectariis*, §. XVIII.

eſt, ſed ipſe tamen adhuc longiùs progredi videtur. Philoſophia illius, dum ſuſtinet, ſola corpora eſſe ſubſtantias, parum cum providentia Dei, & animæ immortalitate, conſpirat. In aliis quidem argumentis rationi valdè conſentanea docet. Egregiè oſtendit, nihil caſu fieri, vel potiùs caſum nihil ſignificare aliud, quàm cauſarum, effectum producentium, ignorantiam, & ad quemlibet effectum requiri omnium conditionum ſufficientium, eventu anteriorum, concurſum; undè patet, ne earum quidem unicam abeſſe poſſe, ſi eventus debeat ſequi, propterea quòd conditiones ſunt; nec eventum non poſſe ſequi, ſi omnes illæ junctim præſto ſint, quia ſunt conditiones ſufficientes. Hoc idem eò recidit, quòd toties inculcavi, omnia fieri per rationes determinantes, quarum notitia, ſi eâ gauderemus, ſimul nobis exhiberet, cur res facta ſit, & cur non alio modo facta fuerit.

3. Verùm Auctoris hujus ingenium, ad paradoxa pronum, & cupidine aliis contradicendi abreptum, impulit eum quoque, ut exindè necteret conſequentias & expreſſiones præcipitatas & odioſas, quaſi cuncta fierent per abſolutam neceſſitatem. Contrà verò Epiſcopus Derienſis præclarè notavit in ſua Reſponſione ad Articulum XXXV. (pag. 327.) nihil indè ſequi, niſi neceſſitatem hypotheticam, qualem nos omninò tribuimus eventibus intuïtu præſcientiæ divinæ, contendente interim *Hobbeſio*, vel ſolam Dei præſcientiam ſufficere ad ſtabiliendam neceſſitatem eventuum abſolutam; qua in ſententia aliàs hæſit *Wiclefus*, immo & *Lutherus*, dum *de ſervo arbitrio* ſcripſit, ſaltem verba eorum ita ſonabant (b). Verùm noſtro tempore ſatis conſtat, hanc neceſſitatis ſpeciem, quæ hypothetica adpellatur, quæque a præſcientia, aliiſve rationibus anterioribus,

(b) Satis ſuperque de hoc puncto diſputatum eſt in *Tentaminib. Theod.* Addit tamen laud. *Engelhardus*, (not. 3.) Etiamſi ita loquuti fuerint Reformatores, aliique Doctores ante Reformationem, qui Theologiæ Scholaſticæ & erroribus Pontificiorum ſeſe oppoſuerunt, non tamen impia *Hobbeſii* ſententia ipſis eſt adfingenda, firmiter tenebant inter finem & media interpoſitum a Deo talem eſſe nexum, ut non eveniat homini aliquid inevitabili neceſſitate, quidquid demùm ipſe faciat, cuilibet officium ſuum faciendum eſſe inculcabant, reliqua verò Deo committenda, agnoſcebant interea, vi divini decreti & præſcientiæ ab æterno certum eſſe, an homo officio ſuo functurus ſit ſatis, nec ne, in quo adſerto nihil omninò eſt, quod culpari meritò poſſit, ſcil. cum terminis *abſolutæ neceſſitatis* non illam jungebant notionem, quam poſtea *Hobbeſius*, aut *Spinoſa* junxerunt; aliud inſigne exemplum, quod oſtendit, quàm injurii eſſemus contra Majores noſtros, ſi verbis ipſorum ſignificatum apud recentiores quoſdam receptum adfingere vellemus, nobis præbet terminus *Contingentis*, diſputabant cum Scholaſticis, *num dentur circa rerum eventus verè contingentia?* quæſtionemque ſtrenuè negabant, non quòd veram rerum creatarum contingentiam eo ſenſu negarent, quo *Spinoſa* & *Hobbeſius* id faciunt, ſed quòd *caſum purum* ſimpliciter rejicerent, vide *Adnotationem ad Metaphyſicæ noſtræ* §. 337. ſi ad ſuperos redirent viri illi nunquam ſatis laudandi, quàm maximè proba-

bus, provenit, nihil habere, quod incutere timorem debeat, quod longè aliter comparatum foret, ſi res in ſe neceſſaria eſſet, & ita, ut oppoſitum implicaret contradictionem. Neque commodiùs fert *Hobbeſius* neceſſitatem moralem, quia reapſe omnia fiunt per cauſas phyſicas. Verùm enim verò jure meritoque obſervatur ingens diſcrimen, quod intercedit inter neceſſitatem, qua ſapiens ad bonam actionem obligatur, quæ moralis dicitur, quæque in Deo etiam locum reperit, & inter hanc neceſſitatem brutam, per quam *Epicurus*, *Strato*, *Spinoſa*, fortè & *Hobbeſius*, exiſtimarunt, exiſtere res ſine intelligentia & electione, adeoque ſine Deo, cujus profectò, ipſorum ſententia, nullatenùs indigemus, cùm juxta hanc neceſſitatem omnia exiſterent per propriam ſuam eſſentiam tam neceſſariò, quàm neceſſarium eſſet, duo & tria facere quinque. Atque hæc neceſſitas abſoluta eſt, quia omne id, quod ſecum vehit, evenire debet, quidquid facias: cum contra id, quod per neceſſitatem hypotheticam fit, vi ſuppoſitionis eveniat, quia nimirùm hoc illudve prævíſum aut decretum, vel antecedenter factum fuit; neceſſitaſque moralis obligationem rationis includat, quæ in ſapiente nunquam ſuo effectu deſtituitur. Hæc neceſſitatis ſpecies felix & optanda eſt, quando quis rationibus probis permovetur ad agendum, uti agit; ſed neceſſitas cæca & abſoluta pietatem & diſciplinam moralem everteret.

4. Majore ſoliditate ſe commendat diſputatio *Hobbeſii*, quando concedit, actiones noſtras eſſe in poteſtate noſtra, ita ut faciamus id, quod volumus, ſi facultatem habeamus, nec quidquam impediat; interim tamen ſuſtinet, volitiones noſtras non ita in noſtra poteſtate eſſe, ut abſque aliqua difficultate, & pro beneplacito noſtro, dare nobis inclinationes poſſimus, & voluntates, quas habere lubuerit. Epiſcopus non ſatis adtentum tenuiſſe animum videtur ad hanc cogitationem, quam ne ipſe quidem *Hobbeſius* ſatis evolvit. Verum quidem eſt, nos habere aliquam adhuc poteſtatem in volitiones noſtras, ſed eam quidem ratione obliqua, non abſolutè & indifferenter. Explicavimus rem variis in locis hujus operis (c). Denique oſtendit *Hobbeſius* cum aliis, certitudinem eventuum, ipſamque adeo neceſſitatem, ſi quæ daretur in modo, quo actiones noſtræ a cauſis dependent, impedimento nobis non futuram, quo minùs adhiberemus deliberationes, exhortationes, vituperia & laudes, pœnas & præmia; quandoquidem illa proſunt, & permovent homines ad actiones vel producendas, vel omittendas. Quodſi itaque actiones humanæ eſſent neceſſariæ, per hæc certè media id ipſum forent. Sed explorata res eſt, dum hæ actiones non ſunt abſolutè neceſſariæ, & quodcumque fecerit quiſpiam, media

 dia

probarent poſterorum ſuorum ſtudium; terminorum ſignificatus adcuratius conſtituendi, ut Atheiſmum eò feliciùs debellare poſſint. " p. 221. ſqq.

(c) Conf. *Theod.* §§. 326. 327. &c.

dia iſta prodeſſe tantùm, ut actiones fiant determinatæ & certæ, uti reverâ ſunt; cùm earum natura demonſtret, ipſas neceſſitatis abſolutæ incapaces eſſe. Satis probatam inſuper notionem exhibet *libertatis*, in quantum ea accipitur ſenſu generali, ad ſubſtantias intelligentes & non intelligentes adplicabili; dicendo, rem pro libera declarari, ſi facultas ejus nullâ re externâ præpediatur. Sic aqua, aggere cohibita, effundendi ſe quidem facultatem habet, at libertatem non habet: cùm contrà ea ipſa facultate non polleat ſe ſupra aggerem elevandi, quamquàm in hoc caſu ejus excurſionem nihil impediret; nec re quadam externâ prohibeatur, quo minùs ad tantam altitudinem adſcendat: verum, ut hoc fieret, ab altiore loco profluere deberet, vel aliarum aquarum acceſſione incrementum accipere. Ita captivus libertate, ægrotus verò progrediendi virtute, deſtituitur.

5. Invenitur in Præfatione *Hobbeſii* momentorum controverſorum epitome; ea hic adferam, addito brevi judicio. EX UNO LATERE (ait) *contendunt, non eſſe in præſenti hominis poteſtate, ſibi voluntatem, quam habere debeat, eligendi.* Hæc BENE dicuntur, præſertim intuitu voluntatis præſentis: homines objectâ voluntate, non verò voluntates ſuas præſentes, eligunt. Proficiſcuntur illæ a rationibus & diſpoſitionibus. Interim tamen verum manet, quæri ſibi novas rationes poſſe, & ſucceſſu temporis etiam novas ſibi diſpoſitiones dari; atque hac viâ tandem procurari ſibi voluntas poteſt, quam quis non habebat, quamque e veſtigio ſibi imperare non valebat. Res (ut comparatione ipſius *Hobbeſii* utar) ſe habet perindè atque fames, vel ſitis: nunc quidem penes me non ſtat eſurire, aut non eſurire, ſed ſtat tamen penes me edere, aut non edere. Interim, quod ad tempus futurum, a mea pendet voluntate eſurire, aut famem hac aut illâ diei horâ prohibere, ſi nimirum cibos anteà capeſſivero. Hac igitur viâ pravæ ſæpiùs voluntates vitantur: &, quanquam *Hobbeſius* in iterata ſua reſponſione dicat, n. 14. pag. 138. leges ſolere pronunciare, debes hoc facere, aut debes hoc illudve omittere, nunquam verò, debes hoc velle, aut debes hoc non velle; manifeſtum tamen eſt, falli ipſum intuitu Legis divinæ, dicentis, *Non concupiſces*: licet hæc quidem interdictio primos motus non reſpiciat, qui ſunt involuntarii. Contendunt 2. *caſum* (Anglicè *chance*) *nihil producere.* Hoc eſt, ſine cauſa vel ratione; perquàm BENE, conſentio, ſi ſermo eſt de caſu reali. Fortuna namque & caſus tantùm ſunt adparentiæ, vel ab ignorantia cauſarum, vel abſtractione inde facta, pullulantes. 3. *Omnes eventus habere cauſas ſuas neceſſarias.* MALE: habent illi cauſas ſuas determinantes, quibus eorum ratio reddi poteſt; ſed hæ non ſunt cauſæ neceſſariæ. Oppoſitum fieri poſſet, nec implicaret contradictionem. 4. *Voluntatem Dei facere neceſſitatem omnium rerum.* MALE: Voluntas Dei nihil, niſi res contingentes, producit, quæ potuiſſent ſe habere aliter, cùm tempus,

ſpa-

ſpatium, & materia, ad omne genus figurarum ac motuum ſint indifferentia.

6. EX ALTERO LATERE (juxta *Hobbeſium*) contendunt. 1. *hominem non ſolùm eſſe liberum* (abſolutè) *ad eligendum, quidquid velit facere, ſed inſuper etiam ad eligendum, quidquid velit velle.* Hæc MALE dicuntur; nemo eſt dominus abſolutus ſuæ voluntatis, ut ſine aliquo medio, & adhibita ad id induſtria, eam derepente mutare poſſit. 2. *Homo ſi bonam actionem velit, Dei voluntatem cum ipſius voluntate concurrere, ſin ſecùs, non.* BENE hæc docentur, ubi ſenſus eſt, Deum actiones malas non velle, quamvis eas velit permittere, ne quid eveniat, quod ſit iis ipſis peccatis deterius. 3. *Voluntatem poſſe eligere, num velit velle, nec ne.* MALE, intuitu volitionis præſentis (d). 4. *Res evenire ſine neceſſitate, caſu.* MALE; quod evenit ſine neceſſitate, non ideò evenit caſu, hoc eſt, ſine cauſis & rationibus. 5. *Quanquàm DEUS prævideat, eventum futurum, tamen id, quod evenit, non eſſe neceſſarium, cùm Deus res prævideat, non ut futuras, & tanquàm in ſuis cauſis, ſed ut præſentes.* Initium horum verborum BENE, finis MALE ſe habet. Meritò admittitur neceſſitas conſequentiæ, at ſine ratione greſſus promovetur ad quæſtionem, quo pacto futurum Deo ſit præſens: nihil enim obſtat neceſſitas conſequentiæ, quo minùs eventus, ſeu conſequens, in ſe ſit contingens.

7. Perſuadet ſibi Auctor noſter, doctrinam, ab *Arminio* reſuſcitatam, cum ea in Anglia faventes offendiſſet Archiepiſcopum *Laudium* (e) & Aulam, promotioneſque inſuper Eccleſiaſticæ alicujus momenti non, niſi iis, collatæ fuiſſent, qui ab his partibus ſtabant, anſam inter alia præbuiſſe turbis, quibus factum, ut ipſe & Epiſcopus, exules, Lutetiæ Pariſiorum apud Marchionem *de Newcaſtle* ſe invicem conveniſſent, mutuumque certamen iniiſſent. Nolo ego omnes probare actiones Archiepiſcopi *Laudii*, qui merita habuit, nec fortaſsè bonâ voluntate caruit, ſed qui plus, quàm ſatis erat, Presbyterianos uriſſe videtur. Interim dici poteſt, turbas, tam in Belgio, quàm in Magna Britannia, ex parte ſuam debere originem nimis magnæ Rigidorum intolerantiæ: quin & adſeri poteſt, defenſores decreti abſoluti non minorem certè rigorem exercuiſſe, quàm alios, cùm in Hollandia adverſarios ſuos auctoritate Principis *Mauritii* oppreſſiſſent,

tur-

(d) Conf. *Theod.* §. 51.

(e) *Wilhelmus Laud*, Archiep. Cant. A. 1513. d. 7. Oct. natus, & A. 1645. d. 10. Jan. capite truncatus, cùm à Presbyterianis adcuſaretur, ipſum religionem Papiſt. introducere voluiſſe: v. *B. Andr. Caroli* Memorabilia Eccleſ. criminationes & innocentiam viri prolixè docentia, ad A. 1644. L. V. p. 1062. & ad A. 1697. L. X. p. 773. ſq. & quæ citat, *Acta Erud.* ad A. 1696. p. 139. 142. ſeq. & *Epiſtola ipſius Laudii*, durantibus inteſtinis motibus, ad Paſtores & Profeſſores Helveticos exarata A. 1639. m. April. quæ exſtat in *Er. virorum Epp. Eccleſ. & Theol.* ſuprà cit. p. 749.

turbaſque, Regi *Carolo I.* funeſtas, in Anglia aluiſſent. Enimverò hæc vitia ſunt hominum, non doctrinarum: nec adverſarii majore in eos æquitate utuntur, quemadmodum ſeveritas, in Saxonia adverſus *Nicolaum Crellium* (f) exercita, Jeſuitarumque agendi ratio adversùs Epiſcopi Iprenſis adieclas (g), teſtantur.

8. *Hobbe-*

(f) Cel. *Engelhardus* l. cit. (not. 7.) Non ingratum fore Lectoribus ſpero, ſi, quæ *Nicolaum Crellium* reſpiciant, paucis expediam. Erat *Nic. Crellius*, J. U. D. & *Chriſtiani* I. Electoris Saxoniæ Cancellarius, Vir omninò doctiſſimus, in odium incurrit Lutheranorum, quod *Calvini* placitis addictus eſſet, neque proindè per *Formulam Concordiæ* conſtringi ſeſe pateretur, hincque factum eſt, ut poſt obitum *Chriſtiani* I. 17. Novembr. A. 1591. in carcerem conjectus, integroque decennio inibi detentus, 9. Octobr. 1601. capite fuerit truncatus. Capita adcuſationum erant, 1. Quòd contra fidem, Electori datam, negotiis Religionis ſeſe immiſcuerit. 2. Quòd lites inter Electorem & Nobiles Saxoniæ ſeminaverit juris venandi reſpectu. 3. Quòd cum Rege Galliæ, inſciis reliquis Electoris Conſiliariis, conſilia iniverit Imperio Romano Germanico inimica. Accedebat, quòd Miniſtros Lutheranos acerbiùs tractaſſe dictus fuerit. Tantum erat odium erga hunc virum, ut ſequenti epitaphio dignus fuerit habitus: *A Deo, pro Juſtitia, Chriſtianus II. D. 6. Dux & Elector Saxoniæ, ſupplicio de hoſte pacis, & quietis publicæ turbatore, ſecundùm Leges ſumpto, Patre Patriæ & Cæſare juſtè vindicante, in pœnæ memoriam, audaciæ terrorem, atque ſceleratis in exemplum. Rom. XIII. Die Obrigkeit trægt das Schwerd nicht umſonſt. Time Deum, Honora Cæſarem, p.*237. Laud. *Andr. Carolus* ad A. 1601. L. I. pag. 26. *Nic. Crellius*, &c. quòd, inſigni uſus perfidia, molitus talia fuerat, quæ viſa ſunt Electoribus intolerabilia, & religioni fraudem fecerat, Dreſdæ ultimo ſupplicio adfectus eſt, poſtquam actio decennium duraſſet, ſæpiùs viſa & reviſa in aula Cæſarea. V. ſermonem funebr. a *Nicol. Blumio* habitum, typis excuſum Tubingæ, ubi pag. 64. memoratur, *Siberum*, Scholæ Grimmenſis Rectorem, *Crellio*, cùm ejus adhuc diſcipulus eſſet, prædixiſſe, Tu eris aliquando peſtis Patriæ! Conf. *Spen.* ſyllog. geneal. 133. *Hutt.* Conc. 1258. "

(g) *Engelhardus* l. c. (not. 8.) „Opus eſſe haud videtur, ut, quæ *Cornelium Janſenium* & *Janſeniſtas* ab una parte, ab altera verò parte *Jeſuitas* reſpiciunt, hic doceam, cùm ea res tam nota ſit, quàm quæ notiſſima: Unicum moneo, poſt obitum *Janſenii* occaſionem præcipuè controverſiæ adeò celebri dediſſe hujus Epiſcopi librum, *Auguſtinum* dictum, quem ante obitum ſuum in manus depoſuit *Janſenius* celebris *Liberti Fromondi*, qui cùm hunc Librum, præfixa Biographia Auctoris, in lucem emiſiſſet, urgentibus *Jeſuitis*, quinque in eo præcipuè articuli fundamentales condemnati, & in hæreſium numerum relati ſunt ab *Urbano VIII.* A. 1641. deindè ab *Innocentio X.* A. 1653. tandem ab *Alexandro VIII.* A. 1657.

Propoſitiones damnatæ hæ ſunt: *Prima*: Quorundam Dei præceptorum obſervatio hominibus juſtè volentibus & conantibus impoſſibilis eſt. *Secunda*: Interiori gratiæ in ſtatu naturæ lapſæ nunquàm reſiſtitur. *Tertia*: Ad merendum & demerendum in ſtatu naturæ lapſæ non requiritur in homine libertas a neceſſitate, ſed ſufficit Libertas a coactione. *Quarta*: Semipelagiani admittebant prævenientis gratiæ interioris neceſſitatem ad ſingulos actus, etiam ad initium fidei, & in hoc erant hæretici, quòd vellent eam gratiam talem eſſe, cui poſſet humana voluntas obſiſtere vel obtemperare. *Quinta*: Semipelagianum eſt, dicere Chriſtum pro omnibus omninò hominibus mortuum eſſe, aut ſanguinem fudiſſe. " p. 238.

8. *Hobbeſius* adnotat poſt *Ariſtotelem*, duos eſſe fontes argumentorum: Rationem & Auctoritatem. Quod ad Rationem, ait, ſe admittere rationes, ab adtributis DEI petitas, quas argumentativas adpellat, quarum notiones concipi poſſunt; at contendit inſimul, dari alias, quæ nullatenùs concipiuntur, quæque locutiones tantùm ſunt, quibus Deum honorari nobis perſuademus. Verùm haud intelligo, quo pacto Deum honorare queamus locutionibus nihil ſignificantibus. Forſan *Hobbeſio*, uti *Spinoſæ*, Sapientia, Bonitas, Juſtitia, tantùm ſunt fictiones intuitu Dei & Univerſi; cùm cauſa primitiva, juxta eorum mentem, agat ex neceſſitate ſuæ potentiæ, non verò ex electione ſuæ ſapientiæ; cujus quidem ſententiæ falſitatem ſatis ſuperque monſtravi. Videtur *Hobbeſius* ſe ſatis explicare noluiſſe, veritus, ne alios offenderet, in quo quidem laudem meretur. Hanc quoque ob rationem, uti ipſe fatetur, noluit emanare in publicum, quod Pariſiis inter ipſum & Epiſcopum geſtum fuit. Addit incongruè dici, fieri aliquam actionem, quam Deus fieri nolit, cùm revera hoc idem ſit, ac ſi dixeris, Deum potentiâ carere. Sed & pergit inſimul, non minùs incongruè dici contrarium, & ſtatui, ipſum velle malum, cùm hoc illius venerationi detrahat, ipſumque proſcindere videatur tanquam eum, qui non ſatis habeat bonitatis. Exiſtimat itaque, dicere in his argumentis veritatem haud convenire, neque id ſine ratione pronunciaret, ſi veritas in paradoxis iſtis opinionibus, ab ipſo prolatis, cerneretur; videtur enim, ni fallor, juxta mentem hujus Auctoris, Deum carere bonitate, vel potiùs, id, quod Dei nomine inſignit, nihil eſſe, niſi cæcam collectarum rerum materialium naturam, agentem juxta leges mathematicas, neceſſitate quadam abſoluta, quemadmodum atomis uſu venit in ſyſtemate *Epicuri*. Quòd ſi Deus ita moratus eſſet, uti quandoque ſunt Magnates in hac terra, inconſultum foret omnes pandere veritates, ad ipſum pertinentes: ſed Deus homini non adſimilatur, cujus conſilia & actiones ſæpiùs occultari debent; ex adverſo potiùs licitum eſt, & rationi conforme, conſilia actioneſque DEI ebuccinare, cùm ſemper ſint pulchræ & laudabiles. Itaque veritates, ad divinitatem pertinentes, ſine damno ſemper panduntur, ſaltem quoad offenſionis metum, & putem á nobis eſſe explicatum viâ Rationi conſentaneâ, nec a pietate abludente, quo pacto concipere quis debeat, voluntatem Dei habere ſuum effectum, & concurrere ad peccatum, ſalvâ ſuâ & ſapientiâ & bonitate.

9. Quod auctoritates concernit, ex ſacris Pandectis depromtas, *Hobbeſius* eas in tria genera diſpeſcit; aliæ, inquit, a meis ſtant partibus, aliæ ſunt neutrarum partium, aliæ denique a partibus adverſarii mei ſtare videntur. Loca, quæ pro ſua militare ſententia autumat, cauſam noſtræ voluntatis ad Deum referunt. Verbi gratia Gen. XLV. 5. ubi *Joſephus* adloquitur fratres ſuos, *Nolite adfligi & ægritudine confici, quòd me vendidiſtis huc abducendum, Deus namque præmiſit me vobis, ad conſervandam vitam veſtram*: & verſ. 8. *Non vos me deduxiſtis in hunc locum, ſed Deus.*

Deus. Et Deus dicit Exod. VII. 3. *Indurabo cor* Pharaonis. Et *Moſes* ait Deuter. II. 30. *At* Sihon, *Hesbonitarum Rex*, *interdixit nobis tranſitu per terram ſuam. Nam Dominus*, *Deus tuus*, *induravit animum ipſius*, *& obfirmavit cor ipſius*, *ut eum in manus tuas traderet*. Et *Davides* fatetur de *Simei*, 2. *Sam*. XVI. 10. *Sinite exſecrari*, *nam Dominus ei dixit*, *exſecrare in caput* Davidis, *& quiſnam ei dicet*, *quare hoc feciſti?* Et 1. Reg. XII. 15. *Rex* (Roboam) *non audivit populum*, *ita namque direxerat Dominus*. Joh. XII. 16. *Illius eſt & is*, *qui aberrat*, *& is*, *qui aberrare facit*: v. 17. *Senſum aufert Judicibus*: v. 24. *Animum aufert populorum ducibus*, *eoſque errare facit in deſertis*. v. 25. *Reddit eos titubantes*, *uti homines ebrios*. De Aſſyriorum Rege dicit Deus, *Eſai*. X. 6. *Mittam eum contra populum*, *ut magnam exerceat expilationem*, *eumque proterat*, *tanquam lutum in plateis*. Et *Jeremias ait*, *Jerem*. X. 23. *Novi*, *Domine*, *viam hominis non ab ipſo pendere*, *nec in poteſtate ejus eſſe*, *qui ambulet*, *greſſuſque ſuos dirigat*. Et Deus dicit, *Ezech*. III. 20. *Si juſtus a juſtitia ſua deflectat*, *perpetretque iniquitatem*, *ſcrupulum ipſi objiciam*, *ut moriatur*. Et optimus Servator ait, *Joann*. VI. 44. *Nemo poteſt venire ad me*, *niſi quem Pater*, *qui miſit me*, *trahat*. Et *S. Petrus* Act. II. 23. *Jeſum*, *conſilio definito & providentiâ Dei traditum*, *comprehendiſtis*. Et Act. IV. 27. 28. Herodes & Pontius Pilatus, *cum Gentibus & populo Iſrael*, *congregaverunt ſe*, *ad faciendum omnia*, *quæ manus tua*, *& conſilium tuum*, *anteà determinaverant debere fieri*. Et *S. Paulus*, Rom. IX. 16. *Non igitur eſt volentis*, *nec currentis*, *ſed Dei miſereſcentis*. Et v. 18. *Miſeretur itaque*, *cujus vult*, *& indurat*, *quem vult*. v. 19. *Sed dices mihi*, *cur de nobis tandem queritur?* *quis eſt*, *qui ipſius voluntati reſiſtere queat?* v. 20. *Quin immò*, *quis es*, *ô homo*, *qui cum Deo litigare audeas?* *Num res formata dicet auctori ſuo*, *cur me ita feciſti?* Et 1. Cor. IV. 7. *Quis eſt*, *qui te alteri prætulerit*, *& quid habes*, *quod non acceperis?* Et 1. Cor. XII. 6. *Diverſæ ſunt operationes*, *ſed unus idemque eſt Deus*, *qui operatur omnia in omnibus*. Et Epheſ. II. 10. *Nos ipſius opus ſumus*, *creati in Jeſu Chriſto ad bona opera*, *quæ Deus præparavit*, *ut in iis ambulemus*. Et Philipp. II. 13. *Deus eſt*, *qui in vobis producit & velle & perficere juxta beneplacitum ſuum*. Adjungi his locis poſſunt cuncta ea, quæ Deum faciunt auctorem omnis gratiæ, omniumque bonarum inclinationum, uti & cuncta ea, quæ nos pronunciant quaſi mortuos in peccato.

10. Ecce tibi nunc loca, quæ a nullis ſtare partibus *Hobbeſius* exiſtimat. Ea ſunt, in quibus Scriptura ſacra dicit, hominem habere optionem agendi, ſi velit, aut non agendi, ſi nolit. Exempli gratiâ, Deut. XXX. 19. *Teſtes hodie*, *Cælum & Terram*, *contra vos provoco*, *quòd vobis propoſuerim vitam & mortem*: *elige igitur vitam*, *ut vivas*, *tu & poſteritas tua*. Et Joſ. XXIV. 15. *Eligite hodie*, *cuinam ſervire velitis*. Et Deus ait Prophetæ *Gad*, 2. *Sam*. XXIV. 12. *Vade*, *dic* Davidi: *ita dixit Dominus*: *tria contra te adfero. Elige unum ex tribus*, *quod tibi faciam*. & *Jeſai*. VII. 16.

Uſque

Uſque dum puer didicerit malum rejicere , & bonum eligere. Denique loca, quæ *Hobbeſius* fatetur videri ſententiæ ſuæ contraria , ſunt omnia ea , in quibus animadvertitur , voluntatem hominis cum voluntate Dei non conſonare , veluti Jeſai. V. 4. *Quid ampliùs cum vinea mea faciendum reſtat, quod non fecerim ? cur igitur ſperavi , ipſam uvas prolaturam , & protulit racemos agreſtes ?* Et Jerem. XIX. *Ædificarunt* Bahali *excelſa , ad infantes ſuos igni tradendos in holocauſta* Bahali , *quod non præcepi , de quo non locutus ſum , & quod nunquam cogitavi.* Et Hoſeæ XIII. 9. *O Iſrael, tua deſtructio a te ipſo provenit, ſed auxilium tuum in me reſidet.* Et 1. Tim. II. 4. *Deus vult omnes homines ſalvari , & ad veritatis cognitionem pervenire.* Fatetur, ſe multò plura adhuc loca alia adferre potuiſſe, uti ea, quæ indicant, Deum non velle iniquitatem, velle ſalutem peccatoris, & generatim omnia ea , quæ declarant, Deum præcipere bonum , & vetare malum.

11. Ad hæc loca reſpondet, Deum non ſemper velle id , quod præcipiat , veluti dum *Abrahamo* præcepit ſacrificare ſuum filium ; voluntatemque ipſius revelatam non ſemper eſſe ipſius voluntatem plenam aut decretum , uti dum *Jonæ* revelavit, fore, ut Ninive pereat intra quadraginta dies. Addit etiam , ſi dicatur , velle Deum ſalutem omnium, hoc tantummodò ſignificare , præcipere Deum, ut omnes faciant ea, quæ ad ſalutem requiruntur : cumque Scriptura dicat, Deum averſari peccatum, id ſignificare , ipſum velle peccatum punire. Cætera verò refert *Hobbeſius* ad modos loquendi humanos. Verùm enim verò reſpondebitur ipſi, indignum Deo eſſe, revelatam ipſius voluntatem opponere ejuſdem voluntati veræ : monitum , quod per *Jonam* Ninivitis dedit , fuiſſe potiùs interminationem quandam, quàm prædictionem , ſubintellecta impœnitentiæ conditione, quo etiam ſenſu Ninivitæ id acceperint. Dicetur etiam, Deum quidem, ſacrificium filii *Abrahamo* imperantem, obſequium illius voluiſſe, minimè verò actionem ipſam, quam impedivit, obtento ejus obſequio, quia actio in ſe ipſa omnem volendi propenſionem excluſit. Aliter verò ſentiendum de actionibus, quas indicat reapſe velle, quæque reverâ ſunt dignæ, quæ ſuæ voluntatis objectum conſtituantur. Hujuſmodi eſt pietas, charitas, & omnis actio virtuti conformis, a Deo præcepta ; hujuſmodi eſt omiſſio peccati, quod a divina perfectione multò eſt alieniſſimum. Longè igitur ſatius eſt, explicare voluntatem Dei ratione, quam ſecuti ſumus in hoc Opere : ita dicemus, Deum, virtute ſummæ ſuæ bonitatis, in anteceſſum ſeriam habere inclinationem producendi, aut productum videndi & faciendi omne bonum, omnemque actionem laudabilem ; impediendi item, aut impeditum videndi & faciendi omne malum, omnemque pravam actionem ; ſed hac ipſâ bonitate, ſapientiæ infinitæ junctâ, omniumque etiam inclinationum præviarum & particularium versùs quodlibet bonum, & cujuslibet mali prohibitionem,

 con-

concurſu, determinari ad producendam ideam omnium poſſibilium optimam; in quo voluntas ipſius finalis & decretoria conſpicitur; cumque hæc optimi idea ita ſit comparata, ut bonum inibi obvium, ad inſtar lucis, debeat intendi atque elevari opacitate alicujus mali, bono ipſo ſine comparatione inferioris, Deum excludere hoc malum non potuiſſe, neque introducere quædam bona, ab idea illa excluſa, niſi vim facere ſummæ ſuæ perfectioni voluiſſet; hancque ob cauſam dicendum, ipſum permiſiſſe peccatum alienum, quia aliàs ipſe actionem, quovis creaturarum peccato pejorem, commiſiſſet.

12. Video certè, Epiſcopum Derienſem iteratæ Reſponſionis ſuæ Articulo XV. (p. 153.) non ſine ratione monere, ſententiam adverſariorum pietati officere, propterea quòd omnia ad ſolam Dei potentiam referunt, *Hobbeſium*que perperam habuiſſe honorem, ſeu cultum, pro ſigno potentiæ illius, quem honoramus, cùm & poſſit & debeat inſuper agnoſci & honorari ſapientia, bonitas, juſtitia, aliæque perfectiones. *Magnos facilè laudamus*, *bonos libenter*; hanc opinionem, quæ omni bonitate, omnique verâ juſtitiâ Deum exuit, quæ eum tanquam Tyrannum repræſentat, poteſtate abſolutâ utentem, ab omni jure, omnique æquitate, independentem, innumeraſque condentem creaturas ad æternas miſerias, eo tantùm fine, ut potentiam ſuam manifeſtare poſſit; hanc, inquam, opinionem malitiæ hominum quàm maximè velificari, eaque receptâ, non alio opus eſſe in mundo diabolo, ad homines mutuâ ſimultate inter ſe & cum Deo collidendos, quemadmodum a ſerpente factum, dum *Evæ* perſuaſit, Deum, fructum arboris prohibendo, illius bonum nequaquam intendiſſe. Evitare conatur hunc ictum *Hobbeſius* in iterata ſua Exceptione, (p.160.) ubi dicit, bonitatem eſſe partem potentiæ divinæ, hoc eſt, eſſe potentiam ſe reddendi amabilem. Hoc verò eſt abuti vocabulis ope alicujus receptaculi, & confundere id, quod diſtinguendum; & ſanè, ſi Deus bonum creaturarum intelligentium non intendiſſet, ſi nulla alia juſtitiæ principia habet, quàm ſolam ſuam potentiam, quæ eum ad producendum permovet vel modo arbitrario, quidquid caſus ipſi repræſentat, vel neceſſariò, quidquid fieri poteſt, ita ut nulla adſit electio in boni ratione fundata, qui reddere ſeſe amabilem poteſt? Siſtunt igitur hæc doctrinam vel potentiæ cæcæ, vel poteſtatis arbitrariæ, qua pietas peſſum it: altera namque tollit principium intelligens, ſeu providentiam divinam, altera verò Deo adtribuit actiones, malo principio convenientes. Juſtitia in Deo, ait *Hobbeſius* (p. 161.) nihil aliud eſt, quàm potentia, qua fulget, quamque exercet, bona & mala diſtribuendo. Miror quàm maximè hanc definitionem, ea non cernitur in potentia, bona & mala diſtribuendi, ſed in voluntate, ea ſecundùm rationem diſtribuendi, hoc eſt, in bonitate, ſapientiam ducem habente, quæ propriè conſtituit juſtitiam Dei. Verum, ingerit, juſtitia in Deo talis non eſt, qualis in homine,

qui

qui juſtus tantùm eſt per obſervationem legum, a ſuperiore ſuo latarum. Fallitur iterùm in hoc *Hobbeſius* æquè ac *Puſendorfius*, eum ſecutus; *juſtitia* minimè pendet a legibus ſuperiorum arbitrariis, ſed ab æternis ſapientiæ & bonitatis regulis cùm in Deo, tum in hominibus (h). Eodem loco contendit *Hobbeſius*, ſapientiam, quæ Deo tribuitur, non conſiſtere in diſcuſſione logica relationis mediorum atque finium, ſed in adtributo quodam incomprehenſibili, naturæ cuidam incomprehenſibili, ad honorandam illam, collato. Videtur velle dicere, eſſe aliquid neſcio quid, adtributum alicui neſcio quid, immò eſſe qualitatem aliquam chimæricam, ſubſtantiæ chimæricæ tributam, ad terrendos & detinendos populos cultu, quem ei offerunt. Etenim reverâ *Hobbeſius* vix, ac ne vix quidem,

 aliam,

(h) *Engelhard.* l. c. (not. 10.) Nullum omninò dogma monſtroſius eſt illo, quo, negatâ intrinſecâ actionum moralitate, earum honeſtas & turpitudo ex inſtituto ſive a voluntate Legislatoris deducitur. Error ſine dubio ex eo ortum traxit inter recentiores, (de Veteribus enim quibuſdam Gentilibus Philoſophis, uti de *Theodoro*, *Archelao*, *Ariſtippo*, loqui ſuperſedeo) quòd ad principia Metaphyſica animum non debitè adverterint, nullaque erat ratio, quare *Puſendorfius* a *Grotio* diſſenſerit, quod ſi enim α. res omnes, quæ exiſtunt, a divina voluntate dependeant, ſolius exiſtentiæ non verò eſſentiæ quoque reſpectu; atque β. dentur actiones idealiter & antecedenter ad divinam voluntatem ſpectatæ, quæ ita comparatæ ſunt, ut ſtatum ſubjecti agentis perficiant, aut deteriorem reddant; & γ. impoſſibile ſit, Deum vi bonitatis & ſapientiæ ſuæ non intendere bonum creaturarum ſuarum, ſequitur omnino δ. rationem bonitatis, aut pravitatis, actionum non a voluntate Dei ſimpliciter, ſed altiùs ab intellectu ſcil. divino arceſſendam eſſe, quia in ipſis rerum eſſentiis fundatur; Interim ε. quia Deo liberum fuit, his potiùs creaturis, quàm aliis quibuſcumque, exiſtentiam largiri, hac ſua voluntate ſtabilivit quoque Deus *Naturæ Legem*, quæ in pluribus locum non habuiſſet, ſi alias creaturas condidiſſet legis alicujus capaces, ſed quarum alia fuiſſet conditio, aliud e. g. corpus aliter organizatum, &c. Legis ergò Naturæ, quæ inter homines jam obtinet, *Principium eſſendi* Deus eſt *tam* quatenùs antecedenter ad ſuam voluntatem intelligit, quid cuilibet creaturarum in quolibet ſtatu & conditione conducat, *quàm* quatenùs etiam vult, ut hæ potiùs, quàm aliæ quæcumque creaturæ, exiſtant, & veritatibus æternis in ipſarum eſſentiis fundatis convenienter vivant.

Quæ ut eo rectiùs intelligantur, ſint duæ propoſitiones: *Exiſtunt homines:* & altera: *Luxuriâ & intemperantiâ vires mentis & corporis debilitantur, abſtinentia autem & ſobrietate conſervantur, adeoque intemperantia & luxuria vitioſæ & turpes, abſtinentia autem & ſobrietas laudabiles & honeſtæ ſunt.* Quis non videt, propoſitionem *priorem* planè arbitrariam eſſe, & ab inſtituto Creatoris unicè dependere; *Poſteriorem* autem inter æternas veritates referendam eſſe, cùm omninò veriſſima maneat, ſive homines exiſtant, ſive non exiſtant, neque enim propter divinam voluntatem huic propoſitioni ſua conſtat veritas, ſed illam jam habet in ideis divini intellectûs antecedenter ad divinam voluntatem, qui ergò negat intrinſecam actionum quarundam honeſtatem & turpitudinem, ad principia Metaphyſica haud debitè adtendit. Cæterùm ex dictis, patet, quare *principium cognoſcendi* Juris Naturæ in ipſius hominis eſſentia quærendum ſit, & quænam proindè cognitio requiratur in eo, qui *Juriſprudentiam Naturalem*, methodo ſcientifica pertractandam, ſuſcipit." pag. 254-257.

aliam de Deo, ejuſque ſapientia, opinionem fovere poteſt, ut qui ſubſtantias duntaxat admittit materiales (i). Quodſi in vivis adhuc eſſet *Hobbeſius*, nollem ipſi tribuere ſententias, quæ ipſi poſſent detrimento eſſe; verùm tamen ab illis liberare virum planè difficile eſt: fortaſſe mutavit mentem annis inſequentibus, ad magnam enim ætatem vivendo adſcendit, ita ut ſperaverim, errores auctori ſuo fatales non fuiſſe (k). Cùm

(i) Ad ea, quæ hic monet, *Engelhardus*, l. c. (not. 11.) conf. *Theod.* §. 172. *Ill. Bilfingeri* Dilucidd. §. XXXVII. Ait nim. „ Animadvertere id debuiſſet *Phil. Thümmigius*, id quod ſi feciſſet, non adeò benigna de *Hobbeſio* ſentire ſeſe debere facile perſpexiſſet, dum in *Diſſert. de genuina & completa neceſſarii notione* §. 7. (Exſtat illa in ejus Meletematis, pag. 183.) inquit: „ Acris ingenii Vir & Philoſophus inſignis, *Thomas Hobbeſius*, a multis abſolutæ rerum neceſſitatis defenſor circumfertur. Etenim cùm *impoſſibile* eſſe propugnaret, quidquid non evenit, ejuſdem cum *Spinoſa* furfuris ſtatim habebatur. Enimverò ſi æquitatis & veritatis ſtudioſos gerere nos velimus, mitiori judicio, nec ob id tantâ nominis maculâ dignus videtur. Impoſſibile eſſe dicit, quidquid non evenit, quia nunquam fit, ut omnia rei non futuræ requiſita ſimul exiſtant, ſine quibus tamen res exiſtere non poteſt. At quis non capit id impoſſibilitatem duntaxat hypotheticam probare, cùm certum ſit, rem aliquam, ſi conditio ad ejus exiſtentiam requiſita deſit, exiſtere non poſſe. Enimverò uti rem aliquam, etſi non exiſtat, exiſtere poſſe evidens eſt, ita pariter nemo non admittet, eſſe poſſe requiſitas ad illam conditiones, etſi non exiſtant. " (p. 187.) Eodem quippe orthodoxiæ colore impia *Spinoſæ philoſophemata* incruſtari facilè poſſe obſervabit, qui, quæ ſuprà pag. 27. (*v. Cauſ. Dei* §. 7. *& adnotat.*) & ſeqq. ex *Spinoſa* a nobis adlata ſunt, adtento animo perlegit: Hujus farinæ homines, qualis *Hobbeſium* fuiſſe conſtat, patrocinio indigni meritò habentur, quippe

Cauſa patrocinio non bona pejor erit.

Ipſe certè ill. *Johns Comes Roceſtrienſis*, dum viveret, inter Atheos tam. benè cognitus, in lecto ſuo emortuali ad ſaniorem mentem converſus, faſſus omnino eſt: *Ex philoſophematibus Hobbeſianis ſuam ſe impietatem hauſiſſe.* Vide Sermonem funebrem ea occaſione habitum a Rev. *Roberto Parſons.* " p. 257, 258. Confer ad hoc judicium *Nic. Hier. Gundlingii* Obſerv. ſelect. Tom. I. Obſerv. II. *Gundlingiana*, XIV. ſtück, p. 309. ſqq.

(k) Quæ ad hæc verba adnotat *Engelhardus*, l. c. (not. 12.) nos non morabuntur, ut quibus ex iis, quæ & in vita ipſius, & in ipſo Tentaminum opere, de *Leibnitio* didicimus, certè ſtat de ejus ſobrietate ſententia. Exclamat autem ille: At! quid quæſo cum ſalute aut condemnatione hominum negotii tibi eſt, *Leibniti?* Si ipſemet Religionis contemptor *falſa exiſtimes ea, quæ de Inferis memorantur, diverſa loca a piis impia & formidoloſa habere*, uti *Catonem* memini *Jul. Caſari* apud *Salluſtium* exprobrare in *Conjuratione Catilin.* Sed ſalva res eſt, meliore jure de te ſperare poſſumus, errores, quos habuiſti, homo enim eras, & humani nihil a te alienum eſſe putabas, apud Deum miſericordem propter merita Chriſti θεανθρώπου, in quo agnoſcebas benedici debuiſſe omnes gentes (vid. *Cauſa Dei.* §. 49.) tibi in condemnationem non ceſſiſſe, ſed te inhabitare illa loca, ubi . . . . . . *ſancta virorum agmina, pulvereum quæ dedignantia cenſum, divitias* (Chriſte) *petiere tuas.*

Et, ut finem imponam, quàm maximè in *Leibnitium* quadrare mihi videntur verba *Sereniſſimi Principis Landgravii Haſſiæ, Erneſti*, quibus ſuum de celeberrimo Theologo, *Joanne Ludovico Fabritio*, judicium expreſſit: „ *A Catholicis* æquè ac Proteſtantibus, qui ſuis indulgebant adfectibus, interim tamen re ipsâ plerumque rerum planè

Cùm verò facilè alios exitio dare poſſent, juvat monito quodam ſuccurrere iis, qui ad legendum ſe adcingunt Auctorem, alias benè meritum, multiplicique ratione proficuum. Verum quidem, Deum, propriè loquendo, non ratiocinari, nec noſtro modo tempus impendere, ut transeat ab una veritate ad aliam: ſed, quoniam omnes veritates, earumque nexus omnes, ſimultaneo actu comprehendit, omnes etiam conſequentias cernit, inque ſe eminenter continet omnia ratiocinia, quæ nos formare poſſumus, quod ipſum ſapientiam ſuam perfectam reddit.

nè inſcii & imperiti maximè erant, traducebatur, ac ſi parum ſincerè Religioni ſuæ addictus fuiſſet. Qua in re tamen ex imperitia & ignorantia ingenii ejus, agendique rationis, illi toto cœlo aberrabant, ſiquidem longè aliud eſt uniuſcujuſque partium defectus & infirmitatem noſſe, & non defendere velle ea, quæ uno alterove reſpectu defendi non poſſunt: aliud verò eſſe Atheum, Libertinum, aut Indifferentem. " Vid. *Heid.* in vit. Fabr. p. *259. 260. Tali, opinor, defenſore non indiget* Ill. Vir *Leibnitius.* conſ. infr. *Libr. King.* not. ad §. 17.

ADNOTATIONES IN LIBRUM DE ORIGINE MALI, HAUD ITA PRIDEM IN ANGLIA EVULGATUM.

ARGUMENTUM.

§. 1. *Sciagraphia generalis Libri* Kingiani *de Origine Mali*, *qui* quinque *abſolvitur* capitibus. *Eorum* quintum *cum ſuis* ſectionibus *vult oſtendere, veram libertatem pendere ab indifferentia æquilibrii, vaga, integra & abſoluta.* §. 2. *Hoc principium electionis ſine cauſa & ratione multi habent pro grandi privilegio Dei & ſubſtantiarum intelligentium; ſed perſuaſio hæc vana eſt, nec in natura unquam reperietur electio ſine antecedente boni malive repræſentatione, ſine inclinationibus quibuſdam, vel rationibus moventibus.* §. 3. *Refertur inter doctrinas, a Scholaſticis reſuſcitatas, indifferentia vaga in electionibus, vel caſus verus, in animis conceptus, quaſi nihil nobis inclinationem inſpiraret, quando ejus diſtincta perceptione caremus.* Plato, Ariſtoteles, Thomas, Durandus, *aliique Scholaſtici, libertatem in uſu rationis atque inclinationum, ad eligendum, vel averſandum, objecta permoventium, collocaverunt, a quibus alii quidam Philoſophi nimium ſubtiles ſine cauſa diſceſſerunt, electionem inexplicabilem, a quavis omninò re independentem, introducentes; inter eos eſt* Kingius, *qui ſpontaneitatem & rationem privare ſuis commodis, eaque omnia in vagam indifferentiam conferre novit.* §. 4. *Sed diſtinctiùs rem exponemus.* Caput *ejus* primum *verſatur in principiis, & agit de notione Subſtantiæ, Materiæ, de natura Notionum.* §. 5. *De criterio Veritatis. Explicatio ill.* Leibnitii, *qui diſtinguit inter veritates facti & veritates rationis.* §. 6. *De Motu, Materia, Spatio. Quamcumque de ſpatio ſententiam tuemur, ſufficit, exiſtere Deum, cauſam materiæ & motûs, & denique omnium rerum.* In fine Capitis *præclarè docet* Kingius, *Deum agere finis cuicujus gratiâ,*

gratiâ, & in creatione mundi ſpectaſſe id ſollicitè, ut ei maximam convenientiam impertiret, maximam opportunitatem entium ſenſu præditorum, & maximam adpetituum compatibilitatem, quam potentia, ſapientia & bonitas aliqua, omnes infinitæ & invicem colligatæ, unquam producere potuiſſent, & ſi mali quid remanſerit, judicandum, perfectiones haſce divinas infinitas non potuiſſe (mallem non debuiſſe) id inde excludere. §. 7. Caput ſecundum, *mali anatomiam quandam exhibet: Malum eſt vel metaphyſicum, vel phyſicum, vel morale. Incipit Auctor a malo metaphyſico in* Capite tertio, *obſervatque, creaturas eſſe imperfectas, quod ex nihilo prodiiſſent, nec ab earum productione manum abſtinuiſſe Deum, ob abundantiam ſuæ bonitatis, qua imperfecti quid adeſſe maluit, quàm nihilum; certas quaſdam res fieri quidem meliores potuiſſe, ſed non ſine aliis novis, iiſque majoribus, incommodis; eſſe bonitatis infinitæ eligere optimum; corpora æquè eſſe creata, atque ſpiritus, nec opus materiæ ſummo Deo indignum fuiſſe.* §. 8. Caput quartum *agit de malo phyſico. Exiſtimat* Kingius, *malum phyſicum a materia, vel potiùs ab ejus motu, proficiſci. Summus Operis apex erat ſtructura animalium, quo paſſim exſtarent creaturæ cognitionis capaces. Cenſet hinc porrò Auctor cel. aërem, immò & ætherem puriſſimum, ſuos habere incolas, perindè atque aquam & terram; non dari tantùm ſpiritus puros, ſed etiam animalia immortalia, iis ſimilia, quorum animæ cum materia ætherea & incorruptibili conjunguntur; & immortalitatem,* Adamo *conceſſam, ſi obſequutus fuiſſet, non naturæ ſuæ, ſed gratiæ divinæ, effectum fuiſſe.* §. 9. *Porrò oſtenditur, ad conſervationem animalium corruptibilium neceſſaria illis fuiſſe certa quædam indicia, periculum imminens prodentia, ejuſque evitandi inclinationem gignentia; hinc adeſſe dolorem, metum mortis, famem, ſitim, &c.* §. 10. *Sed Auctorem Naturæ iſtiuſmodi incommoda ſexcentis commodis communibus & perpetuis compenſaſſe; famem ac ſitim augere voluptatem in capiendis cibis, laborem moderatum jucundum eſſe virium animalis exercitium, ſomnum, propagationem ſobolis, voluptates gignere, metum, cupiditatem, alioſque adfectus, plerumque eſſe utiles, & per accidens tantùm ad malum vergere; idem dicendum de venenis, morbis epidemicis, aliiſque rebus noxiis, eſſe ſcilicet inevitabilia benè concepti ſyſtematis conſectaria: quod ignorantiam atque errores adtinet, eos, qui vitari nequeant, nec tam uſitatos, nec tam pernicioſos exiſtere: qui plurimum mali adferant, culpa noſtra oriri ſolere, nec hinc a malis naturalibus duci debere conſciſcendæ ſibi mortis argumentum.* §. 11. *Quin etiam, cuncta hæc mala per accidens a bonis oriri cauſis, & ex omni eo, quod cognoſcimus, concludi poſſe ad omne id, quod ignoramus, ea ſcil. mala excludi non potuiſſe, niſi admiſſis incommodis multò majoribus, mundum ad inſtar magni ædificii conſiderandum eſſe: præterea exiſtimat Auctor,* Adamum *non, niſi virtute gratiæ divinæ, & pacti cum Deo initi, a malis naturalibus exemtum fuiſſe,* Moſen *ſeptem tantùm effectus primi peccati enumerare; maximam malorum noſtrorum*

vim

vim a neceſſitate materiæ proficiſci, *inprimis poſt gratiam ſubtractam*, *immortalitatem poſt noſtrum exilium oneri nobis fuiſſe*, & *forſan pro beneficio habendum*, *quòd nullus ampliùs aditus nobis pateat ad arborem vitæ*. §. 12. Caput quintum *explicat originem mali moralis*; *Auctor eam derivat ab eo*, *quod perfectionem aliquam adpellat*, *ſcil. a potentia eligendi ſine aliqua ratione & cauſa finali ſeu impulſiva*: *ingens ſanè paradoxum*, *maximam imperfectionem*, *hoc eſt*, *peccatum*, *ab ipſa perfectione proficiſci*, *at non minus paradoxum*; *rem a ratione longè alieniſſimam pro perfectione habere*. §. 13. Sectio *igitur* hujus Capitis prima *naturam electionum pandere debet*. *Confundit hic* Kingius *eos Auctores*, *qui voluntatem judicio intellectûs*, *aut inclinationibus adpetitûs antecedentibus*, *flecti cenſent*, *cum iis*, *qui voluntatem ad decretum ſuum abſolutâ quadam neceſſitate compelli ſtatuunt*. *Diſtinguendum interim judicium intellectûs a rationibus moventibus*, *quæ a perceptionibus*, & *inclinationibus inſenſibilibus*, *oriuntur*, & *exiſtimandum*, *voluntatem ſemper ſequi utiliſſimam boni & mali diſtinctam aut confuſam repræſentationem*, *quæ ex rationibus*, *paſſionibus & inclinationibus*, *reſultat*, *licèt eadem rationes quoque reperire poſſit*, *ſuſpendendo ſuo judicio aptas*. §. 14. *Solvitur ab ill.* Leibnitio *nodus Gordius Contingentiæ atque Libertatis*, *remotâ confuſione conſequentiæ neceſſariâ neceſſitate abſolutâ*, & *conſequentiæ fundatæ in veritatibus tantùm convenientiæ*, *ſeu ejus*, *quod a principio contradictionis*, *veritates neceſſarias & indiſpenſabiles efficiente*, *dependet*, & *ejus*, *quod a principio rationis ſufficientis*, *in veritatibus adhuc contingentibus obvio*, *dependet*. *Ita patet*, *ſubſtantiam cogitantem ad decretum ſuum flecti rationibus quidem*, *ſed inclinantibus*, *non neceſſitantibus*, *futura contingentia*, & *in ſe ipſis & rationibus ſuis prævisa*, *manere contingentia*, *Deumque infallibiliter ſapientiâ & bonitate ſuâ adductum eſſe ad mundum potentiâ ſuâ condendum*, *ipſique formam*, *quæ fieri queat*, *optimam conferendam*, *ſed neceſſariò non eſſe adductum*; *cunctaque ſalvâ ſuâ libertate perfecta & ſuprema facta eſſe*. §. 15. *Submovet hæc explicatio Leibnitiana omnes* Kingii *objectiones*: 1. *contingentia cum libertate ſic ſubſiſtit*; 2. *malæ voluntates non ideò malæ ſunt*, *quòd nocent*, *ſed etiam*, *quòd ſunt origo rerum noxiarum*, *vel malorum phyſicorum*: *Praxis etiam tribunalium*, & *communis hominum opinio*, *conſentit*, *dum in adminiſtratione juſtitiæ*, *quo major ad peccandum tentatio eſt*, *eo major imponitur neceſſitas eam reprimendi per pœnarum intenſionem*; §. 16. 3. *diſcrimen inter malum phyſicum & morale ſemper conſiſtit*, *quamvis in hoc conveniant*, *quòd ambo ſuas rationes & cauſas habeant*; 4. *quando anima ad actiones ſuas voluntarias per objecta compellitur*, *ea non fit paſſiva*, & *homo manet vera peccati cauſa*, *cùm repræſentationes rerum externarum etiam in anima noſtra reperiantur*, &c. §. 17. 5. *præcipimus*, *virtutem ſequendam*, *gratum animum præſtandum*, *juſtitiam colendam*, *non tantùm ob commodum privatum*, *ob ſpem vel metum*, *ſed etiam ob voluptatem*, *in bonis actionibus reperiendam*: *pariter cenſemus*, *malitiam majorem evaſiſſe*,

ſi in voluptatem exierit: juſtitiam, quæ puniat per pœnas medicinales, ad corrigendum maleficum, vel ſaltem ad præbendum aliis exemplum, locum quidem habere apud eos, qui rejiciunt libertatem a neceſſitate vacuam, non item veram juſtitiam vindicativam, quæ quid adhuc altiùs ſupponat, & hinc ab Hobbeſio *& Socinianis repudietur.* §. 18. 6. *quando objicitur, homines felicitatis ſpem habere planè nullam poſſe, ſi moveri voluntas nequeat, niſi boni & mali repræſentatione, cùm felicitas noſtra ſic pendeat a rebus externis, adeoque in poteſtate noſtra non ſit, quòd res externæ noſtro ſe adpetitui adcommodaturæ non ſint; reſp. argumentum hoc ubique claudicare: nullam vim eſſe in conſequentia, concedi poſſe concluſionem, & argumentum ipſum in Auctorem retorqueri, id quòd etiam pluribus oſtenditur.* §. 19. *Commoda ſuæ hypotheſeos oſtendere vult* Kingius, *v. gr. dum dicit, puram eam indifferentiam ſolam poſſe libertatem noſtram ſalvam reddere, eam omnem noſtram felicitatem conficere, noſque eâ fieri multò perfectiores; porrò, per hanc ſolam potentiam nos eſſe veram actionum noſtrarum cauſam, utpote cui imputari poſſent, cùm aliàs ab objectis externis cogeremur, immò propter eam ipſam fieri, ut poſſemus noſtræ felicitatis momentum nobis ipſis tribuere, & in ſinu noſtro gaudere. Sed oſtendit ill.* Leibnitius, *omnia ſe oppoſita ratione habere.* §. 20. *Ratio, qua confirmare ſuam hypotheſin laborat* Kingius, *per omnes gradus offendit; dicit nimirum, Deum tantùm & creaturas liberas verè activas eſſe, & ad activitatem requiri duntaxat, ut quid per ſe ipſum determinetur: jam id, quod per ſe ipſum determinatur, per objecta determinari non debet, adeoque neceſſe eſt, ut ſubſtantia libera, quatenùs libera, intuitu objectorum ſit indifferens, nec hanc indifferentiam relinquat, niſi per electionem ſuam, quæ objectum ipſi reddet amabile*: ℞. *ill.* Leibnitius. §. 21. *Pergit* Kingius *hypotheſin ſuam urgere, & conatur oſtendere, hanc potentiam indifferentem reapſe in Deo inveniri, eique adſcribendam omninò eſſe, nihil ei bonum, nihil malum eſſe in creaturis: Reſpondet ill. Vir, & demonſtrat, qualitates objectorum, in eorum ideis repertas, electionis divinæ rationem dediſſe.* §. 22. *Dum* Kingius *largitur, Deum, cùm homines creare decreviſſet, ſimul decreviſſe illis impertiri omnes opportunitates, quarum mundus capax erat, ipſe indifferentiam puram excludit. Nempe, Deus decrevit creare Mundum, ſed bonitas ejus ſimul ipſum compellere debuit ad eligendum illum, in quo plurimum ordinis, regularitatis, virtutis, felicitatis poſſibilis, eſſet.* §. 23. *Etiam nos ornat* Kingius *hac indifferentia pura, tanquam eximio munere: Argumenta illius,* 1. *quod nos eam in nobiſmet ipſis ſentiamus;* 2. *ejus indicia & proprietates in nobis experiamur; oſtendere queamus, alias cauſas, voluntatem noſtram determinaturas, eſſe inſufficientes; argumenta, inquam, hæc ab ill.* Leibnitio *diluuntur, & quidem* argumentum primum & ſecundum; §. 24. Argumentum tertium, *ubi exempla adferuntur, uti* Vanini, *qui ob chimæras ſuas martyrium potiùs*

tiùs ſubiit, quàm impietati ſuæ nuntium miſit, &c. §. 25. *Continuatur idem diſcurſus, & oſtenditur, ſi ad partem quandam, rationi agnitæ contrariam, accedimus, nos eò adduci per rationem aliam, ſpecie fortiorem, uti v. gr. voluptas eſt, quam capimus ex eo, quòd videamur independentes, & actionem inſolentem ſuſcipiamus. De* Heliodoro, *Epiſcopo Lariſſæo.* §. 26. *In* ſecunda ſectione capitis quinti Kingius *pronunciat, nos Deo fieri ſimiles per potentiam ſine ratione eligendi, ſicque eſſe feliciſſimos; ſed emendat iterum hæc effata* §. 5. *docendo, ad præſtandam nobis felicitatem opus eſſe, ut electiones noſtras adcommodemus rebus, quoniam res non facilè ſe nobis adcommodant, hocque reverâ eſſe ſe voluntati divinæ adcommodare: concedit hoc modo, rationes moventes boni & mali libertati non eſſe contrarias, tantumque abeſſe, ut potentia ſine cauſa eligendi noſtræ felicitati inſerviat, ut ea potiùs inutilis ſit, immò pernicioſiſſima:* Sectio tertia *agit de electionibus intempeſtivis*: Quarta *de origine electionum intempeſtivarum, quales ſunt error vel ignorantia, negligentia, &c.* Quinta *occupatur in conciliandis pravis electionibus, aut peccatis, cum potentia & bonitate Dei. Omnia hæc argumenta ab ill.* Leibnitio *dignè excutiuntur, objectioque, quam ſibi ipſe movet* Kingius, *nec tamen ſufficienter ſolvit, tollitur.* §. 27. Sectio quinta *in* ſubſectiones *diviſa eſt, & in* ſubſectione quarta *utitur parvâ digreſſione quadam ad materiam de precibus, ubi inquiritur, num ordo naturæ mutetur per preces, per miniſterium Angelorum? Collocat* Kingius *ipſum naturalem precum uſum in virtute animam reddendi meliorem, adfectus vincendi, & certum novæ gratiæ gradum adquirendi: Nos propè, ingerit ill.* Leibnitius, *eadem dicere poſſumus in noſtra hypotheſi, quæ vult, voluntatem agere tantùm ſecundùm motiva, neque iis premimur difficultatibus, quibus Auctor exponitur potentiâ ſuâ eligendi ſine ratione; qualis eſt difficultas a præſcientia Dei proficiſcens, cujus ſolutionem ad alium locum remittit* Kingius. *Cæterùm idem Auctor quandoque cogitata profert de malo morali, principiis Leibnitianis ſat conformia, ut ſi* ſubſectione ſexta *dicit, vitia & crimina Univerſi pulchritudinem nequaquam minuere, ſed augere potiùs, uti quædam diſſonantiæ in commiſtione harmoniam efficerent multò ſuaviorem: multa bona malis incluſa eſſe: nos non oportere judicare de Univerſo ex globi noſtri, omniumque illorum, quæ nobis cognita ſunt, parvitate. Proponit dehinc objectionem* Cottæ *apud* Ciceronem, *Providentiam culpantis,* Epicuri *item apud* Lactantium, *iiſque ſolutis, finit* Opus ſuum eruditum, *adjectâ* Adpendice, *quæ agit de* Legibus divinis. *Eas diſtinguit in naturales & poſitivas;* has *putat indicare & prædicere potiùs malum, quàm illud infligere; hinc loquitur de* æterna malorum damnatione, *& exiſtimat, pœnas iſtas malorum aliquid emolumenti adferre bonis, ac fortè melius eſſe damnari, quàm non exiſtere; damnatos forſan judiciorum ſuorum pravitati adplaudere, & in voluntate Dei taxanda voluptatem quærere. Non con-*

tem-

temnenda vocat hæc cogitata ill. Leibnitius, *eaque occaſione citat fabulam de Diabolo, veniam, ab Anachoreta quodam Dei nomine oblatam, repudiante, & profert ſingularia quædam de Barone* Andrea Taifel, *& Comite* de Villamediana, *Hiſpano. In quæſtione, cur ſæpè numero boni malè, & mali benè habeant, adnotat* Kingius *inter alia, parum nobis perſpectam eſſe proſperitatem, & latere ſæpè felicitatem ſub laciniis pauperis alicujus, ſua ſorte contenti, dum fruſtrà quæritur in Magnatum aliquorum palatiis; maximam denique felicitatem in hac vita conſiſtere in ſpe felicitatis futuræ, adeoque dici poſſe, improbis nihil accidere, quod non ad emendationem vel caſtigationem proſit, nec quidquam bonis evenire, quod non majus bonum illis adportet: quæ concluſiones, ait ill.* Leibnitius, *cum meis cogitatis optimè conſpirant.*

1. DOlendum, quod *Bælius* tantùm *recenſiones*, in Diariis de eleganti hoc opere exhibitas, viderit; quod ſi ipſe legiſſet, debitoque ſubjeciſſet examini, largam nobis ſuppeditaſſet occaſionem elucidandi complures difficultates, quæ, hydrini capitis inſtar, iteratis vicibus reſurgunt in argumento, in quo difficulter vitatur confuſio, niſi totum ſyſtema inſpiciatur, & ratiocinia ſecundùm rigorem formentur. Sciendum namque eſt, rigorem in ratiocinando, in rebus imaginatione ſuperioribus, idem efficere, quod faciunt figuræ in Geometria; quandoquidem ſemper adeſſe quid debet, quod adtentionem noſtram figere, nexumque meditationum conſervare poſſit. Quapropter cùm *hic Liber Latinus*, eruditionis & leporum ornamentis refertus, *primùm Londini, dein Bremæ impreſſus*, (a) in manus meas incidiſſet, ab argumenti dignitate, Auctoriſque meritis, haud alienum judicavi, addere conſiderationes quaſdam, quas a me Lectores eò magis exſpectare poſſent, quòd non, niſi dimidiatim, mihi cum Auctore hac in materia convenit. Et profectò, dum Opus quinque conſtat capitibus, quintumque cum Adpendice priora magnitudine adæquat, obſervavi, quatuor priora, in quibus de malo in genere, & de malo phyſico in ſpecie, agitur, cum meis principiis (exceptis quibuſ-

 dam

(a) *De Origine Mali, Auctore* Guilielmo King, *S. T. D. Epiſcopo Derenſi*, Londini apud *Benj. Tooke*, 1702. 8. plag. 16. & Bremæ apud *P. G. Sauerman*, 1704. 8. plag. 20. ad quem etiam annum Libellus recenſetur a Cl. *Proelco*, uti Cel. *Ludovici* ſcribit in H. P. L. T. I. §. 485. in *Actis Eruditorum Lipſienſibus*, p. 272-275. *Bælius* in Ep. ad Dn. *des Maizeaux*, Rotterd. d. 10. Febr. 1705. quæ in Coll. eſt CCLXIV. „ L'autre choſe, que je voudrois ſavoir, eſt ſi le Livre de *Mr. King* „ *de Origine Mali*, imprimé à Londres „ l'an 1702, eſt eſtimé en Angleterre; & „ ſi les ſentimens de l'Auteur, qui d'Evêque de Londondéri, qu'il étoit alors, „ eſt devenu Archevêque de Dublin, ſont „ reputés orthodoxes; & en général, „ dans quelle eſtime il eſt parmi les Prélats de l'Egliſe Anglicane. M. *Bernard* „ a donné deux longs Extraits de ce Livre-là, dans leſquels je trouve des choſes peu ſolides." p. 1010. 1011.

dam locis particularibus) egregiè conſpirare, & quandoque, cum multa ſoliditate atque eloquentia, aliqua explanare momenta, a me paucis ſaltem indigitata, quòd ea non urſit *Bælius*. Caput autem quintum cum ſuis ſectionibus (quarum aliquæ integra capita adæquant) dum de libertate & malo morali, independente, loquitur, fundatur in principiis, quæ meis non ſolùm, ſed ſæpè etiam ipſis *Bælii* axiomatibus repugnant, ſi modò ei firma & certa quædam principia adſcribi poſſent. In eo namque verſatur caput quintum, ut (ſi fieri poſſet) oſtendat, veram libertatem pendere ab indifferentia æquilibrii, vaga, integra, & abſoluta; ita ut neque in eo, qui eligit, neque in objecto, ulla ſeſe determinandi ratio præſto ſit, determinatione ipſa anterior, nec eligatur id, quod placet, ſed inſtituta abſque argumento electione efficiatur, ut id, quod eligitur, placeat.

2. Hoc principium electionis ſine cauſa & ratione, electionis, inquam, a ſapientiæ & bonitatis termino avulſæ, conſiderant complures tanquam grande privilegium Dei & ſubſtantiarum intelligentium, & tanquam ſuæ libertatis, adquieſcentiæ, diſciplinæ moralis, & boni malive fontem. Certè perſuaſio, qua dici nos independentes poſſe arbitramur, non ſolùm ab inclinatione, ſed & intùs ab ipſa ratione, & extùs a bono vel malo, quandoque tam pulchris depingitur coloribus, ut ea haberi poſſet in rebus longè præſtantiſſimis: interim tamen nihil niſi vana perſuaſio eſt, ſuppreſſio rationum, obſtinati, quem oſtentamus, animi index. Id, quod jactatur, eſt impoſſibile, & vero, ſi locum haberet, damno quoque eſſet. Exiſtimatus iſte character adtribui poſſet cuidam *Don Juan* in aliquo *Petri* feſto, immò poſſet homo aliquis fabuloſus ejus ludere adparentias, & credere demùm, rem ita ſe habere: at in natura nunquam invenietur electio, ad quam antecedens boni malive repræſentatio, inclinationes quædam vel rationes, non compuliſſent; quare ſemper dubitavi, num abſolutæ hujus indifferentiæ defenſores, illius exemplum proferre valerent. Quodſi verò imaginariam cenſeo eſſe hanc electionem, in qua nihil nos determinat, non tamen eam ob cauſam hujus ſuppoſitionis Defenſores, & in primis eruditum noſtrum Auctorem, vanitatis arguo. Peripatetici quaſdam hujus generis opiniones exoſculantur, ſed annon ab omni juſtitia alienum foret, ea de re deſpicari velle *Occamum* (b), *Suiſſetium* (c), *Cæſal-*

(b) *Guilielm. Occam*, Anglus *Jo. Duns Scoti* diſcipulus, Doctor invincibilis, venerabilis, ſingularis, & inceptor vocatus, Caput Nominalium, mortuus Monachi A. 1347. d. 10. Apr. Scripſit *Comment. in Libr. IV. Sententiarum*, *Librum Quodlibetorum de ingreſſu ſcientiarum*, *&c.* V. Stolle H. Litt. p. 385. ſq. Ill. *Leibnitius* in Diſſ. de Stilo Philoſ. §. XXVIII.

(c) *Suiſet*, *Suinſet*, vel *Swinshed*, alias *Schwins-Kopff*, vulgò *Calculator*, cel. Mathematicus in Academia Oxonienſi. V. Ill. *Leibnitius* in Ep. ad *Jo. Alb. Fabricium*.

Cæſalpinum, *Conringium*, horumque ſimiles, nonnullis adhuc Scholæ doctrinis, hodie emendatis, adhærentes.

3. Inter has doctrinas, ab humili Scholaſticorum turba, & temporibus fabuloſis, ad vitam reductas atque excultas, refertur indifferentia vaga in electionibus, vel caſus verus, in animis conceptus; quaſi nihil nobis inclinationem inſpiraret, quando diſtinctâ ejus perceptione caremus; & quaſi effectus eſſe poſſet ſine cauſis, quando cauſæ iſtæ non percipiuntur; ferè quemadmodum nonnulli corpuſcula inſenſibilia negarunt, eo quòd non cadunt eorum ſub oculos. Enimverò ſicut Philoſophi recentiores Scholæ opiniones emendarunt, oſtendentes juxta *naturæ corporeæ leges*, corpus moveri non poſſe niſi motu alterius corporis, illud pulſantis: ita judicandum quoque eſt, animas noſtras (virtute *legum naturæ ſpiritualis*) non poſſe moveri, niſi aliqua boni malive ratione, quamvis diſtincta ejus notitia erui non queat, propter infinitam multitudinem minutiſſimarum perceptionum, quæ modò nos hilares, modò moroſos reddunt, ac diverſimodè adficiunt, unamque rem altera digniorem nobis ſiſtunt, licèt inſciis, quare id potiſſimum contingat. *Plato*, *Ariſtoteles*, & ipſe *Thomas Aquinas*, *Durandus*, aliique Scholaſtici ſolidiores, juxta vulgi ſententiam & mentem hominum, a præjudiciis vacuorum, ea de re exiſtimant. Collocant libertatem in uſu Rationis atque inclinationum, quæ ad eligendum vel averſandum objecta permovent, exploratumque prorsùs habent, voluntatem noſtram ad electiones ſuas repræſentatione bonorum in objecto vel malorum, verorum vel adparentium, impelli. Verùm nonnulli tandem philoſophi nimiùm ſubtiles ex alembico ſuo notionem inexplicabilem extraxerunt electionis, a quavis omninò re independentis, quæ mira quadam felicitate ſolvendis omnibus difficultatibus par eſſe debeat. At ea ipſa mox ſcopulo adlidit nulli ſecundo, dum magnum ratiocinandi principium offendit, quo nunquam non edocemur, nihil fieri ſine cauſa, vel ratione ſufficiente. Cùm Schola ſæpè adplicationem magni hujus principii omitteret, toleratis certis quibuſdam qualitatibus occultis primitivis, mirum videri non debet, ſi fictio hæc de indifferentia vaga ſuos tulerit plauſus, virique aliàs præſtantiſſimi eam ſecuti ſint (d). Auctor noſter, a multis aliis Scholæ vulgaris erroribus immunis, huic etiamnum fictioni adhæret, quam etiam, ſi quiſquam alius, ſumma cum eruditionis laude videtur defendere:

Si Pergama dextra
Defendi poſſent, etiam hac defenſa fuiſſent.

Ornat eam quàm fieri poteſt optimè, nec, niſi partem ejus venuſtam, oculis conſpiciendam præbet. Novit ſpontaneitatem & Rationem privare

(d) Ad ea, quæ hactenùs diſputavit Auctor ill. conf. Ep. XII. ad *Cel. Hanſchium* §. 4.

ſuis commodis, eaque omnia in vagam indifferentiam conferre; hac indifferentia fit, ut ſimus ad agendum apti, ut reſiſtamus paſſionibus, ut electio nobis placeat, ut ſimus felices: immò, ut videtur, miſera conditio noſtra foret, ſi fauſta quadam neceſſitate ad benè eligendum obligaremur. Præclara docuit Auctor noſter de origine & rationibus malorum naturalium; reliquum modò fuit eadem adplicare principia ad malum morale, eoque magis, quòd & ipſe arbitratur, malum morale fieri malum per mala phyſica, quæ cauſatur, vel cauſari nititur. At non capio, quo pacto potuerit adduci, ut crederet, Deum atque homines, ſi Rationi ſubjicerentur, de gradu ſuo deturbari, fieri planè entia paſſiva, & a ſe ipſis diſſidere; denique homines nihil habere, quod calamitatibus, foris ingruentibus, opponerent, niſi perbello iſto intùs fruerentur privilegio res reddendi bonas aut tolerabiles ipſa electione, cunctaque in aurum permutandi mirabilis hujus facultatis contrectatione.

4. Diſtinctiùs eam expendemus in ſequentibus; juvabit autem capere antea quid emolumenti ex præſtantiſſimis Auctoris noſtri meditationibus, quas promovet de natura rerum, deque malis naturalibus, quoniam aliqua occurrunt loca, in quibus nos paullò altiùs adſcendere poterimus, & per hanc quoque viam totam ſyſtematis ſui œconomiam majori luci exponemus. *Caput primum* verſatur in principiis. Auctor *ſubſtantiam* adpellat ens, cujus notio alterius exiſtentiam non includit. Neſcio, num hujuſmodi dentur inter creaturas, ob nexum rerum; cereique funalis exemplum non magis alicujus ſubſtantiæ exemplum præbet, quam id præſtaret examen apum. Verùm vocabula in ſenſu latiore accipi queunt. Optimè notat, poſt omnes mutationes *materiæ*, & poſt omnes qualitates, quæ removeri ab ea unquam poſſunt, remanere extenſionem, mobilitatem, diviſibilitatem, & reſiſtentiam. Explicat etiam naturam *Notionum*, oſtendendo, *univerſalia* ſimilitudines tantùm indicare *individuorum*; concipere nos *per ideas* modò id, quod immediata ſenſatione aliqua cognoſcitur, & reliqua per relationes ad haſce ideas nobis innoteſcere. Quòd ſi verò fatetur, deſtitui nos ideâ Dei, Spiritûs, Subſtantiæ, non ſatis obſervaſſe videtur, nos immediatè nobis conſcios eſſe ſubſtantiæ atque ſpiritûs, dum noſmet ipſos agnoſcimus; & ideam Dei in noſtra contineri, liberando perfectiones noſtras a limitibus, quemadmodum extenſio abſolutè accepta continetur in idea globi alicujus. Meritò inſuper tuetur, *ideas* noſtras ſimplices minimùm nobis *innatas* eſſe, rejicitque *Tabulam raſam Ariſtotelis* & *Lockii*; ſed illud ipſi concedere nolim, ideas noſtras haud majorem ad res relationem habere, quàm voces in auras abeuntes, vel litteræ in chartam miſſæ, habeant ad noſtras ideas; & relationes ſenſationum eſſe arbitrarias atque *ex inſtituto* æquè, ac vocabulorum ſignificationes. Alio jam loco pateſeci, cur hoc in puncto Carteſianorum cogitata diſpliceant.

5. Ut verò ad *cauſam primam* ultrà penetremus, quærit Auctor *criterium*,

rium, notam aliquam veritatis, eamque in ea vi reperire vult, per quam noſtræ propoſitiones internæ, ſi ſunt evidentes, intellectum ad conſenſum ſuum obligant, & per hoc ipſum, ait, fidem habemus ſenſibus; pandit item notam Carteſianorum, perceptionem nimirùm claram & diſtinctam, novâ quadam notâ opus habere, ad faciendum diſcrimen illius, quod clarum atque diſtinctum ſit, & convenientiam vel diſconvenientiam idearum (aut potiùs vocabulorum, uti aliàs dictum eſt,) adhuc fallere poſſe, eo quòd dantur convenientiæ reales & adparentes. Videtur præterea agnoſcere, vim internam, quæ *adſenſum* noſtrum a nobis extorquet, cautioni adhuc ſubeſſe, & a præjudiciis, altas agentibus radices, proficiſci poſſe. Fatetur hanc ob cauſam, eum, qui aliud *criterium* ſuppeditaret, prolaturum rem eſſe generi humano quàm utiliſſimam. Conatus equidem ſum explicare hoc *criterium* in commentatiuncula quadam de Veritate & Ideis, A. MDCLXXXIV. evulgata, &, quanquam nolim de nova aliqua detectione, eo in argumento a me data, gloriari, credo tamen res evolutas eſſe, antea non, niſi confuſè, cognitas. Diſtinguo inter veritates facti & veritates rationis. Veritates facti comprobari nequeunt, niſi commiſſione earum cum veritatibus rationis, & reductione ad perceptiones immediatas, quæ in nobis exiſtunt, & de quibus, uti præclarè obſervarunt S. *Auguſtinus* & *Carteſius*, dubitare nemo poteſt; videlicet, non poſſumus dubitare de eo, quòd cogitemus, immò quòd hoc illudve cogitemus. Ut verò judicare liceat, num noſtræ adparitiones internæ habeant aliquam realitatem in rebus, & a cogitationibus tranſitum facere ad objecta, conſiderandum, meâ quidem ſententiâ, eſt, num *perceptiones* noſtræ & inter ſe, & cum aliis, quas jam habuimus, benè ſint connexæ, ita ut regulæ Mathematicæ, aliæque veritates Rationis, locum hic inveniant: quo in caſu reales illæ haberi debent, nec credo ego ullam aliam dari viam & rationem, eas ab imaginationibus, ſomniis, ac viſionibus, diſtinguendi (e). Igitur veritas rerum, extra nos poſitarum, agnoſci nequit, niſi nexu phænomenorum. *Criterium* veritatum Rationis, ſeu a *Conceptionibus* oriundarum, cernitur in exacto regularum Logicarum uſu. Quod ideas adtinet, vel *notiones*, omnes eas *reales* adpello, quarum explorata eſt poſſibilitas, & *definitiones*, hanc poſſibilitatem non oſtendentes, tantùm ſunt *nominales*. Geometræ, in recta Analyſi gnaviter verſati, intercedentem hac in re inter proprietates, per quas linea quædam, aut figura, definiri poteſt, differentiam haud ignorant. Forſan eruditus Auctor noſter tam altè non adſcendit; quanquam & ex iis, quæ

(e) Conf. ill. *Wolfii* Log. Lat. P. I. ſect. I. c. I. & Ont. Lat. P. I. ſect. III. c. VI. In ſomnio omnia fiunt abſque ratione ſufficiente, & contradictoriis locus eſt: in veritate rerum ſingula ſunt & fiunt cum ratione ſufficiente, nec contradictoriis locus eſt. In veritate ordo eſt, in ſomnio confuſio, §§. 493, 494.

quæ ſuprà de eo retulimus, & ex iis, quæ ſequuntur, intelligatur, ipſi nec acumen ingenii, nec meditandi artem, defuiſſe.

6. Poſt hæc, excutere adgreditur, num motus, materia & ſpatium, ex ſeipſis prodeant, quem in finem expendit, num aliquo pacto concipi queat, quòd non exiſtant; adnotatque ſimul hocce Dei privilegium, vi cujus, quamprimum Deus exiſtere ſumatur, admittendum quoque ſit, ipſum neceſſariò exiſtere. Eſt hoc corollarium obſervationis cujuſdam, quam in Commentatiuncula ſuprà citata promovi, ſcilicet, quàm primùm largiamur, Deum eſſe poſſibilem, admittendum etiam eſſe, ipſum neceſſariò exiſtere. Jam, utprimùm admittimus, Deum exiſtere, admittendum, ipſum exiſtere neceſſariò. Hoc verò privilegium non cadit in tres illas res, de quibus modò locuti ſumus. Auctor & ſpeciatim de motu judicat, minimè ſufficere, ſi cum *Hobbeſio* dicatur, motum præſentem oriri ex motu antecedente, huncque iterum ex alio, & ſic deinceps in infinitum. Etenim quantum tibi viſum fuerit, retrò adſcende, profecto nunquam eo te perveniſſe gaudebis, ut perſpectam haberes rationem motûs, in materia obvii. Ergò ratio hæc extra iſtam ſeriem quærenda eſt; & ſi motus daretur æternus, præſto quoque æternus motor eſſe deberet: quemadmodum radii ſolares, ſi cum ſole æterni eſſent, etiam ſui cauſam in ſole æternam haberent. Placet omninò referre hæc eruditi Auctoris noſtri ratiocinia, ut adpareat, quanti, vel ſecundùm illius ipſius mentem, ponderis ſit *principium Rationis ſufficientis*. Quòd ſi namque aliquid admittere licet, quod nullam habere rationem ſcimus, facile erit Atheo argumentum hoc concidere, dicenti, minimè neceſſe eſſe, ut adſit aliqua motûs ratio ſufficiens. Nolo hic realitatem & æternitatem ſpatii expendere, ne longiùs a noſtra materia divertar. Sufficit retuliſſe, quod exiſtimet Auctor noſter, illud annihilari poſſe potentiâ divinâ, ſed planè totum, non verò per partes; noſque ſolos cum Deo exiſtere poſſe, etiamſi nullum foret ſpatium, nulla materia, quoniam notionem exiſtentiæ rerum externarum in nobis haud continemus. Conſiderandum inſuper exhibet, in ſenſationibus ſonorum, odorum & ſaporum, ideam ſpatii non includi. Verùm enim verò, quamcumque tuleris de ſpatio ſententiam, ſufficit, exiſtere Deum, cauſam materiæ & motûs, & denique omnium rerum. Perſuadet ſibi Auctor, nos de Deo poſſe ratiocinari, uti cæcus natus ratiocinaretur de lumine. Sed aliquid in nobis ampliùs eſſe contendo, noſtrum enim lumen radius eſt luminis divini. Poſtquàm de quibuſdam Dei adtributis verba feciſſet Auctor, cenſet, Deum agere finis alicujus gratiâ, quæ eſt communicatio ſuæ bonitatis, operaque illius bene ordinata eſſe. Tandem finem huic capiti imponit digniſſimum, adſerendo, Deum in creatione Mundi id ſollicitè ſpectaſſe, ut ei impertiret maximam convenientiam rerum, maximam opportunitatem entium ſenſu præditorum, & maximam adpetituum compatibilitatem, quam potentia, ſapientia & bonitas aliqua, omnes infinitæ & invicem colligatæ, unquam producere potuiſſent;

addit inſimul, ſi nihilcminùs mali quid in eo remanſerit, judicandum eſſe, perfectiones has divinas infinitas non potuiſſe (dicere mallem, non debuiſſe) id inde excludere.

7. *Caput II.* mali anatomiam quandam exhibet. Dividit illud perinde, atque nos, in metaphyſicum, phyſicum & morale. Malum metaphyſicum cernitur in imperfectionibus; malum phyſicum complectitur dolores, aliaque incommoda ſimilia; malum denique morale ponitur in peccatis. Omnia iſta mala reperiuntur in operibus Dei, inde collegit *Lucretius*, nullam eſſe providentiam, & negavit Mundum eſſe effectum Divinitatis,

Naturam rerum divinitùs eſſe creatam ;

quandoquidem in natura rerum tot adparent defectus,

quoniam tantâ ſtat prædita culpâ.

Alii duo admiſerunt principia, alterum bonum, alterum malum, & fuerunt, qui credebant, difficultatem invictam eſſe, quibus verbis Auctor reſpexiſſe ad *Bælium* videtur. Putat oſtendere ſe in Opere ſuo, nodum hunc non eſſe Gordium, qui ſecari debeat, & jure meritoque adſerit, potentiam, ſapientiam & bonitatem Dei, non fore infinitas & perfectas in exercitio, ſi mala iſta exulatum abiiſſent. Incipit a malo imperfectionis in *capite III.* obſervatque poſt S. *Auguſtinum*, creaturas eſſe imperfectas, propterea quòd ex nihilo prodiiſſent, cùm e contrario, ſi Deus ex ſuo ipſius fundo ſubſtantiam aliquam produxiſſet, Deum aliquem feciſſet (f), id

(f) Conf. ad hæc, & ea, quæ §. anteced. adſeruit *ill. Vir*, ejuſdem Principia Philoſ. §. 40-45. Ait v. g. §. 42. *Sequitur hinc etiam, creaturas habere perfectiones ſuas ab influxu Dei; ſed imperfectiones a propria natura, eſſentiæ ſine limitibus incapaci. In eo enim a Deo diſtinguuntur.* Ad quæ *Cel. Creilingius* præclarè: „ Hic creatoris cum creatura, perfecti cum imperfecto, independentis cum dependenti, fit comparatio, & fons atque origo detegitur omnis mali. Cùm enim impoſſibile ſit, plura dari præter unum infinitum actuale & perfectum abſolutum, ſeu *en tout ſens*, ut ita loquamur, ab eo verò omnia dependere debeant, Ens dependens, ſeu creatura, in ſuo conceptu formali, involvit aliquam limitationem vel imperfectionem. Quemadmodum ſi una tantùm datur linea recta, reliquæ omnes plùs minùs erunt curvæ, prout ab hac rectitudine multùm aut parùm deficiunt. Unde nonnulli haud malè dicunt, cauſſam mali non dari efficientem, ſed deficientem, ſi quidem de prima omnis mali origine philoſophica ſermo ſit. Creaturæ ergò (uti rectiſſimè ill. *Leibnitius* inquit) perfectiones ſuas, h. e. bonitatem, habent ab influxu Dei, (adeoque Deus nullatenùs, ne quidem per accidens, eſt cauſa mali, ſed tantùm boni) ſed imperfectiones a propria natura, quæ conſiſtit in tali eſſentia, quæ non poteſt non habere limites, ut ad ſummitatem boni, quod ex integra cauſa tale eſt, adſcendere nequeant. Omnia quidem bona ſunt, ſed bonitatis in creaturis ſunt gradus, & optima illa eſt, quæ minimis urgetur malis ſeu defectibus. Eleganter *Auguſtinus L. I. contra Julianum c. III.* ſcribit: Quærunt ex nobis, unde ſit malum, reſpondemus, ex bono, ſed non ſummo; ex bonis igitur inferioribus atque muta-

id quod ei anſam præbet faciendi brevem quandam digreſſionem adverſus Socinianos. At ingeret aliquis, quare Deus a productione rerum manum non abſtinuerit potiùs, quàm quòd eas imperfectas creaverit? Præclarè reſpondet Auctor, abundantiam bonitatis Dei ejus cauſam eſſe. Voluit ſe communicare cum impendio ſcrupuloſitatis, quam in Deo concipimus, dum eum ab imperfectionibus offendi arbitramur. Itaque imperfecti quid adeſſe maluit, quàm nihilum. Sed addi potuiſſet, Deum reverâ univerſum poſſibilium omnium perfectiſſimum produxiſſe, & quo planè contentus eſſe potuit, cùm imperfectiones partium longè majori perfectioni in toto deſerviant. Ita obſervatur quoque paullo poſt, certas quaſdam res fieri quidem meliores potuiſſe, ſed non ſine aliis novis, iiſque *forſan* majoribus, incommodis. Vocabulum hoc, *forſan*, omitti potuiſſet: dumque Auctor pro certo adſumit, nec id ſine ratione, in fine capitis, *eſſe bonitatis infinitæ eligere optimum*, citius etiam integrum ipſi fuiſſet, hoc inde corollarium elicere, quòd res imperfectæ cum perfectis conjungerentur, ſi illæ non obſtarent, quo minùs ex his poſterioribus tot adeſſent, quot adeſſe poſſent. Itaque corpora æquè ſunt creata, atque Spiritus, quandoquidem unum alteri obſtaculum nullum objicit, neque opus materiæ ſummo Deo indignum fuit, quemadmodum ſibi perſuaſerunt antiqui Hæretici, opus hoc certo cuidam Demogorgo adtribuentes.

8. Veniamus ad *malum phyſicum*, de quo verba fecit in *capite IV.* Celeberrimus Auctor noſter, poſtquàm malum metaphyſicum, hoc eſt, imperfectionem, ex nihilo derivaſſet, cenſet, malum phyſicum, hoc eſt, incommoda, a materia, vel potius ab ejus motu, proficiſci, abſque motu enim materia foret inutilis; ſed & contrarietas aliqua hiſce motibus ineſſe debet; aliàs, ſi cuncta ſimul ad idem latus tenderent, neque varietas quædam,

mutabilibus orta ſunt mala. Mala enim omnia participant ex bono, merum enim, & ex omni parte tale, dari repugnat, ad minimum ſi phyſicè rem & metaphyſicè (quale in rigore nullum datur) conſideres. - - - Haud verò difficulter omnia expediet, qui conceptum mali ſemel rectè formaverit, eumque ſemper defectum aliquem involvere adtenderit; perfectionem autem omnimodam incommunicabiliter poſſidere Deum; neque magis poſſibile eſſe, creaturam illimitatam, adeoque independentem creari, quàm creari alium Deum. Si enim poſſibilis foret creatura infinita ex omni parte, haberet illam infinitudinem per participationem, non per eſſentiam, at per participationem habere nequit, quia implicat infinitum ex omni parte & infinitum per participationem; participium quippe dicit aliquam limitationem & dependentiam. Quia etiam infinitudo omnimoda idem eſt, ac ipſa divinitas, hæc autem eſt incommunicabilis, uti omnes fatentur, patet, quòd talis creatura ſit omnino impoſſibilis. Undè pronum & facile eſt derivare in creatura rationali defectibili *malum*, quod dicitur *morale*, ex intellectu & voluntate finitis, limitatis, adeoque facilè impingentibus, aberrantibus, immò in nonnullis ad certum pravitatis genus propendentibus, alveo declivi fluens. Hæc verò omnia in foro philoſophico dicta volumus, in quantum origo prima mali, ſeu defectus in bono, ex ratione ſola inquiri poteſt. " *p. 1. Diſp. 2da.*

quædam, neque generatio, locum haberet. Verùm motus, qui generationes faciunt, corruptiones quoque producunt, quandoquidem ex motuum varietate corporum oritur conflictus, quibus eadem ſæpè diſſipantur & deſtruuntur. Interim Auctor Naturæ, corpora, ut durabiliora fiant, in *Syſtemata* diſtribuit, quorum ea, quæ nobis ſunt cognita, ex globis luminoſis & opacis componuntur, ratione tam eleganti, tamque idonea ad patefacienda & cum admiratione luſtranda ea, quæ in ſe complectuntur, ut nihil elegantius animo concipi poſſit. At ſummus operis apex erat ſtructura animalium, quo paſſim exſtarent creaturæ cognitionis capaces,

Ne regio foret ulla ſuis animalibus orba.

Judicioſiſſimus Auctor noſter exiſtimat, aërem, immò & *ætherem* puriſſimum, ſuos habere incolas perindè, atque aquam & terram. Quodſi verò & loca quædam ſine animalibus eſſent, poſſent ea ipſa tamen uſus præſtare neceſſarios aliis, quæ incoluntur, uti verbi gratiâ montes, ſuperficiem Globi noſtri inæqualem, & quandoque deſertam ac ſterilem, reddentes, proſunt ad fluviorum & ventorum productionem: neque eſt, cur arenis & paludibus indignemur, cùm plurima etiamnum loca ad culturam ſuperſint. Adde, quòd falsò ſibi perſuadetur, omnia ſolummodo hominis causâ facta eſſe, & ſtatuit Auctor, non dari tantùm Spiritus puros, ſed etiam animalia immortalia, ad hoſce Spiritus accedentia, hoc eſt, animalia, quorum animæ cum materia ætherea & incorruptibili ſunt conjunctæ. Sed aliter ſe res habet cum animalibus, quorum corpus terreſtre, compoſitum ex tubis ac particulis fluidis, quæ inibi circulantur, & quarum motus vaſorum rupturâ ceſſat; quo ipſo adducitur Auctor, ut credat, immortalitatem, *Adamo* conceſſam, ſi præſtitiſſet obſequium, non naturæ ſuæ, ſed gratiæ divinæ, effectum fuiſſe.

9. Jam ad conſervationem animalium corruptibilium neceſſaria ipſis fuerunt certa quædam indicia, quibus periculum imminens potuiſſent cognoſcere, quæque illius evitandi propenſionem indidiſſent. Quidquid igitur cauſari nobis magnam aliquam læſionem tentabit, id cauſari antea dolorem debet, qui animal compellere poſſet ad contentiones, cauſæ hujus incommodi repellendæ vel declinandæ, & malo majori anticipando, aptas. Metus mortis eam quoque vitare docet: quòd ſi non tam deformis illa eſſet, nec ſolutiones continuitatis tam acerbæ, ſæpè animalia non curarent ſuum interitum, aut partes ſui corporis perire facilè ſinerent, & robuſtiſſima quæque vix integrum diem ſubſiſterent.

Deus etiam famem & ſitim animalibus indidit, ut ea ad victum & conſervationem ſui adſtringeret, ſupplendo hac ratione id, quod uſu deteritur, quodque ſenſim & ſine ſenſu in auras abit. Adpetitus iſti ea ad laborandum quoque compellunt, ut adquirant alimenta conſtitutioni ſuæ con-

congrua, & vigori impertiendo idonea. Præterea neceſſarium duxit Auctor rerum, ut animal quodpiam ſæpius alteri nutrimento eſſet, quod quidem ſortem illius haudquaquam infeliciorem reddit, cùm mors, morbis adcerſita, eoſdem, immo majores, dolores pariat, quàm mors violenta; hæcque animalia, aliis in prædam cedentia, nec conſequentia cernunt, non majore quiete fruantur, ubi a periculis ſunt libera.

Eadem res eſt cum inundationibus, terræ motibus, fulminis ictibus, aliiſque inordinationibus, quas bruta animalia non metuunt, & homines plerumque non metuere debent, quia paucis tantùm cum iis conflictari contingit.

10. Auctor Naturæ hæc & alia mala, rarò obvia, ſexcentis commodis communibus & perpetuis compenſavit. Fames ac ſitis augent *voluptatem*, qua in capiendis cibis fruimur. Labor moderatus jucundum eſt virium animalis exercitium; & ſomnus præterea ratione prorsùs contraria delicias gignit, dum per quietem vires reparat. At inter voluptates vividiſſimas numeranda venit ea, quæ animalia ad propagationem compellit. Cùm Deus curare voluiſſet, ut ſpecies immortales eſſent, quando individua hac in terra perpetim manere non poterant, voluit etiam, animalia tenerrimo in pullos ſuos adfectu tangi adeò, ut & vitam eorum tuendorum causâ quibuſvis fortunæ telis exponere non dubitarent.

A *dolore* & *voluptate* oriuntur *metus*, *cupiditas*, aliique *adfectus*, plerumque utiles, quanquam per accidens fieri ſoleat, ut interdum ad malum vergant: idem dicendum de venenis, morbis epidemicis, aliiſque rebus noxiis, hoc eſt, eſſe inevitabilia benè concepti ſyſtematis conſectaria. Quod *ignorantiam & errores* concernit, conſiderandum eſt, & creaturas perfectiſſimas multa procul dubio ignorare, notitiaſque neceſſitatibus ſolere proportionatas eſſe. Interim quibuſdam nos obnoxios caſibus eſſe oportet, quos prævidere non potuimus, hæcque accidentium genera vitari nullo pacto queunt. Sæpè neceſſe eſt, ut fallamur judicio noſtro, cùm illud ſuſpendere non concedatur uſque ad exactam rei diſcuſſionem. Iſtiuſmodi incommoda a rerum ſyſtemate ſeparari nequeunt: ſæpiùs neceſſe eſt ea inter ſe ſimilitudinem aliquam habere certo quodam reſpectu, unumque pro altero accipi poſſe. Verùm errores, qui vitari nequeunt, nec tam uſitati, nec tam pernicioſi exiſtunt. Qui plurimum mali adferunt, culpâ noſtrâ oriri ſolent, adeoque nefarium foret, a malis naturalibus ducere conſciſcendæ ſibi mortis argumentum, quoniam conſtat, illos, qui eo uſque ſunt progreſſi, plerumque voluntariis malis excitatos fuiſſe.

11. Quid? quod exploratum eſt, cuncta hæc mala, de quibus locuti ſumus, per accidens bonis cauſis ortum ſuum debere; nec abſonum, ex omni eo, quod cognoſcimus, concludere ad omne id, quod ignoramus, ea ſcilicet mala excludi non potuiſſe, niſi admiſſis incommodis multò majoribus.

joribus. Ut verò hæc meliùs capiantur, Auctoris conſilium eſt, Mundum, ad inſtar magni ædificii, animo ſiſtere. Illud inſtructum eſſe debet non variis ſolùm conclavibus, atriis, porticibus, hortis, ſpelæis, ſed etiam culinâ, cellâ vinariâ, areâ, ſtabulis, cloacis. Ita incongruum fuiſſet, in Mundo tantum Soles condere, aut Terram fabricari, auro quidem & adamantibus conſtantem, ſed ad recipiendos incolas ineptam. Si homo, quantus quantus eſt, oculus, aut auris, totus fuiſſet, conſervare ſe nequaquam potuiſſet. Quodſi Deus ipſum ſine adfectibus creaſſet, ſtupidus evaſiſſet: & ſi ſine errore condere voluiſſet, privare eum ſenſibus debuiſſet, vel alio modo, quàm organorum ope, ſentientem facere, hoc eſt, non homo fuiſſet. Eruditus Auctor noſter citat hic ſententiam, quam Hiſtoriæ ſacræ & profanæ loqui videntur, videlicet, belluas, plantas venenatas, aliaſque naturas, nobis noxias, adversùs nos per peccatum armatas fuiſſe. Sed cùm hic tantùm principia Rationis ſequatur, ſeponit ea, quæ Revelatio docere poteſt. Interim ſibi perſuadet, *Adamum* (quantumvis obedientem) non, niſi virtute gratiæ divinæ, & pacti cum Deo initi, a malis naturalibus exemtum fuiſſe, & *Moſen* ſeptem ferè effectus primi peccati diſertè tantùm memorare. Effectus autem iſti ſunt:

1. Revocatio doni gratioſi immortalitatis.
2. Sterilitas Terræ, quæ ſponte ſuâ proferre fructus & herbas non debebat niſi vitioſas ac parum utiles.
3. Labor durus, alendi ſui causâ ab homine ſuſcipiendus.
4. Subjectio feminæ voluntati mariti.
5. Dolores puerperii.
6. Inimicitia inter hominem & ſerpentem.
7. Ejectio hominis ex loco deliciarum pleno, in quo a Deo collocatus erat.

Sed exiſtimat, maximam malorum noſtrorum vim a neceſſitate materiæ proficiſci, inprimis poſt ſubtractam gratiam; præterea perſuadet ſibi Auctor, poſt noſtrum exilium immortalitatem oneri nobis fuiſſe, & forſan inter beneficia, non pœnas, referendum, quòd nulla ampliùs via, nec ullus aditus, ad arborem vitæ nobis pateat. Poſſent quidem variæ paſſim adnotationes hunc diſcurſum illuſtrare; interim tamen fatendum, fundamentum illius, in materia de origine malorum, præclaris atque ſolidis abundare meditationibus, quas juverit convertere in uſus meos. Nunc autem progrediendum ad illud caput, de quo inter nos diſceptatur, nempe ad explicationem naturæ LIBERTATIS.

12. Dum eruditus Auctor hujus Operis de origine mali explicare originem mali moralis *quinto capite* inſtituit, quod dimidiam totius Libri partem abſolvit, arbitratur, eam diverſiſſimam eſſe ab origine mali phyſici, quod cernitur in imperfectione creaturarum declinari neſcia. Etenim, uti ſtatim intelligemus, exiſtimat is, malum morale potiùs ab eo oriri, quod perfectionem aliquam ſalutat, quodque creaturæ cum Creatore, ſecun-

dùm illius mentem, commune eſt, nimirum in potentia eligendi ſine aliqua ratione, & cauſa finali ſeu impulſiva. Ingens ſanè paradoxum, tueri, maximam imperfectionem, hoc eſt, peccatum, ab ipſa perfectione proficiſci; at non minùs abſurdum eſt, pro perfectione habere rem a ratione longè alieniſſimam, cujus ex uſu foret quodam privilegio contra Rationem eſſe munitum. Et reverâ, tantum abeſt, ut id originem mali moralis patefaciat, ut potiùs indicet, illius inveſtigationem in votis non haberi. Quodſi namque voluntas ſe determinat, licèt nihil ſit præſto, neque in perſona eligente, nec in objecto eligibili, quod electionem ſuadere poſſit, nulla erit hujus electionis cauſa, nec ulla ratio: cumque malum morale conſiſtat in mala electione, adſeritur, malum morale omninò nullam originem habere. Itaque per regulas bonæ Metaphyſicæ neceſſe eſſet, ut in natura malum morale nullum inveniretur; quin & ex eadem ratione nullum foret bonum morale, omniſque moralitas deſtrueretur. Verùm juvat audire ſolertem Auctorem noſtrum, cui ſubtilitas ſententiæ, a celeberrimis Scholæ Philoſophis propugnatæ non minùs, quàm ornamenta, quæ ipſe pro ſuo ingenio, ſuaque eloquentia, addidit, magna, quæ includit, incommoda occultarunt. Dum *ſtatum controverſiæ* explanat, Auctores in duas partes diſpeſcit: Quibuſdam, ait, ſufficit dicere, libertatem voluntatis eſſe a coactione externa immunem; alii verò tuentur, illam inſuper a neceſſitate interna liberam eſſe. Sed non ſatisfacit hæc explicatio, niſi neceſſitas abſoluta, & moralitati contraria, diſtinguatur a neceſſitate hypothetica & morali, uti nos quidem multis jam locis oſtendimus.

13. *Sectio prima hujus capitis* naturam Electionum pandet. Auctor primo loco ſententiam eorum exponit, qui cenſent, voluntatem flecti judicio intellectûs, aut inclinationibus adpetitûs antecedentibus, quo ſe determinet ad partem, quam deinceps amplectitur. At confundit is Auctores iſtos cum illis, qui ſtatuunt, voluntatem ad decretum ſuum compelli neceſſitate quadam abſoluta, quique contendunt, volentem nullam in ſuas volitiones poteſtatem habere; videlicet Thomiſtam cum Spinoſiſta confundit. Utitur expreſſionibus & declarationibus odioſis *Hobbeſii*, ſuique ſimilium, ut his illos oneret, qui inde longiſſimè abſunt, quique eoſdem Auctores refellere omni contentione laborant; has iis imputat propterea, quòd ſtatuunt cum *Hobbeſio*, & omnibus ferè hominibus, (ſi diſceſſeris a doctoribus quibuſdam, quos ſuæ ipſorum ſubtilitates obruunt) moveri voluntatem boni malique repræſentatione: colligit enim exinde, ita nullam dari contingentiam, omniaque ligata eſſe neceſſitate quadam abſoluta. Valdè deproperatum eſt hoc ratiocinium, interim addit ampliùs, propriè loquendo nullam voluntatem malam fore, cùm ita omne id, quod reprehenſione dignum haberi poſſet, malum illud eſſet, quod cauſari voluntas poteſt; quod quidem, illius opinione, a notione communi abhorret, dum homines non eapropter improbis indignantur, quòd nocent, ſed quia abſque neceſſitate nocent. Itaque ſibi perſuadet, improbos fore ſolum-

lummodo infelices, nequaquàm verò pœnæ obnoxios; nullum fore diſcrimen inter malum phyſicum & malum morale, cùm homo ipſe planè non eſſet cauſa vera actionis, quam vitare nullo pacto valeret; maleficos non ideò convitiis proſcindi ac malè mulctari, quod mereant, ſed quòd id homines a malo abſterrere queat; atque hanc ſolam ob rationem iraſci nos nebuloni, non ægroto, quòd reprehenſiones & minæ alterum corrigere poſſint, alterum verò ſanare non poſſint; juxta hanc doctrinam finem pœnarum tantum fore impeditionem mali futuri, ſine quo ſola mali jam admiſſi conſideratio ad puniendum non ſufficeret; pariterque, gratum animum unicum hunc finem habiturum, ut novum ſibi beneficium adcerſeret, ſine quo ſola præteriti beneficii conſideratio rationem ejus ſufficientem nequaquàm ſuppeditaret. Denique exiſtimat Auctor, ſi doctrina hæc, quæ voluntatis decretum a boni malique repræſentatione repetit, vera eſſet, deſperandum fore de felicitate humana, cùm ea nullo modo in noſtra poteſtate eſſet, & a rebus, extra nos conſtitutis, dependeret. Jam, cùm ſperare non liceat, fore, ut res externæ ſe adcommodent ac reſpondeant votis noſtris, ſemper nobis aliquid deerit, ſemperque aliquid, quod nimium eſt, reperietur. Omnes hæ conſequentiæ, ſecundùm illius mentem, etiam contra eos militant, qui cenſent, voluntatem determinare ſe juxta finale intellectûs judicium, qua opinione arbitratur voluntatem de jure ſuo deturbari, animamque penitùs paſſivam reddi. Atque hæc adcuſatio innumeros Auctores, graves & probatos, impetit, qui in eandem hìc coacti ſunt claſſem cum *Hobbeſio* & *Spinoſa*, & aliis quibuſdam ſcriptoribus improbatis, quorum doctrina pro infeſta & intolerabili eſt judicata.

Equidem haud ſtatuo, voluntatem ſemper ſequi judicium intellectûs, quoniam hoc judicium a rationibus moventibus diſtinguo, quæ a perceptionibus & inclinationibus inſenſibilibus oriuntur. At cenſeo, voluntatem ſemper ſequi utiliſſimam boni & mali, diſtinctam aut confuſam, repræſentationem, quæ ex rationibus, paſſionibus & inclinationibus, reſultat, quamvis eadem rationes quoque reperire poſſit, ſuſpendendo ſuo judicio aptas. Verùm tamen ſemper agit illa ex rationibus moventibus.

14. Ad objectiones verò has, ſententiæ noſtræ adverſas, antè reſpondendum eſt, quàm ad ea, quibus Auctor ſuam opinionem ſtabilire nititur, tranſitum faciamus. Origo contemtûs adverſariorum ex eo repetenda eſt, quòd confunditur conſequentia neceſſaria neceſſitate abſoluta, cujus oppoſitum contradictionem implicat, cum conſequentia in veritatibus tantùm convenientiæ fundata, quæ effectu quidem ſuo non deſtituitur; hoc eſt, quòd confunditur id, quod a principio contradictionis, veritates neceſſarias & indiſpenſabiles efficiente, dependet, cum eo, quod a principio rationis ſufficientis, in veritatibus adhuc contingentibus obvio, dependet. Alias (g) jam obſervationem hanc protuli in medium, quæ una eſt

(g) Conf. *Theod.* §. 44. & Principia Philoſ. *ill. Viri* §. 31-36.

eſt ex graviſſimis in Philoſophia, oſtendendo, *duo magna* eſſe *principia*; *alterum* ſcilicet *identitatum* vel contradictionis, quod vult, ex duabus enunciationibus contradictoriis alteram eſſe veram, alteram falſam; & *alterum rationis ſufficientis*, quod vult, nullam enunciationem veram eſſe, cujus rationem perſpicere non valeret is, qui omni, ad intelligendam eam neceſſaria, cognitione inſtructus eſſet. Utrumque principium locum habere debet non in veritatibus ſolùm neceſſariis, ſed etiam in contingentibus, immò quidquid rationem nullam habet, nec exiſtere ullo pacto potuit. Aliquo namque modo dici poteſt, hæc duo principia in definitione *Veri & Falſi* contineri. Interim, ubi, factâ analyſi veritatis propoſitæ, eam videmus a veritatibus dependere, quarum oppoſitum contradictionem involvit, dicere poſſumus, eam abſolutè neceſſariam eſſe. Quòd ſi verò, promota quantumlibet analyſi, nunquam ad iſtiuſmodi elementa veritatis datæ pervenire quimus, dicendum, eam eſſe contingentem, ſuamque debere originem rationi prævalenti, inclinanti, non neceſſitanti. Hoc poſito, intelligitur, qua ratione nos cum multis Philoſophis & Theologis celeberrimis adſerere queamus, ſubſtantiam cogitantem ad decretum ſuum flecti repræſentatione prævalente boni vel mali, idque certò atque infallibiliter, non neceſſariò: hoc eſt, rationibus inclinantibus, non neceſſitantibus. Hinc *futura contingentia*, & in ſe ipſis & rationibus ſuis *præviſa*, manent contingentia; ac Deus infallibiliter ſapientiâ & bonitate ſuâ adductus eſt ad Mundum potentiâ ſuâ condendum, ipſique formam, quæ fieri poſſit, optimam conferendam; ſed neceſſariò non eſt adductus; cunctaque, illæſâ ſuâ libertate perfectâ & ſupremâ, facta ſunt. Neque video, quàm facile, miſſa hac, a nobis prolata, conſideratione, ſolvi queat nodus Gordius Contingentiæ atque Libertatis.

15. Submovet hæc explicatio omnes periti noſtri adverſarii objectiones. *Primò*, cernimus, contingentiam cum libertate ſubſiſtere; 2. malas voluntates non ideò malas eſſe, quòd nocent, ſed etiam, quòd ſunt origo rerum noxiarum, vel malorum phyſicorum; cùm animus malignus in ſphæra activitatis ſuæ eſſet, quod malum Manichæorum principium foret in Univerſo. Ita Auctor quoque notavit cap. 4. ſect. 4. §. 8. ſapientiam divinam plerumque eas actiones vetuiſſe, quæ adportarent incommoda, hoc eſt, mala phyſica. Conſenſus eſt, eum, qui malum cauſatur neceſſariò, nullo ſe adſtringere crimine. Enimverò neque Legislator ullus, neque Juriſconſultus per hanc neceſſitatem intelligit vim rationum boni & mali, veri vel adparentis, quæ hominem ad malè agendum compulerunt; aliàs is, qui grandem pecuniæ ſummam furatur, aut qui hominem potentem interficit, ut ad magnum dignitatis gradum perveniat, minori ſe pœnæ redderet obnoxium, quàm is, qui nummulos aliquos ſurriperet, exhauriendo fortè vini quadranti deſtinandos, aut qui canem vicini ſui ludibundus occideret, propterea quòd hi poſtremi non tantis expoſiti fuerunt tentationibus. At contrarium omninò regnat in admini-

ſtratione

ſtratione juſtitiæ, in Mundo probatæ, & quo major ad peccandum tentatio eſt, eò major imponitur neceſſitas, eam propoſitâ magnâ aliqua pœnâ reprimendi. Alioqui, quò plura obſervantur ratiocinia in conſilio hominis malefici, eò deliberatior illius nequitia fuiſſe reperietur, eoque major ac pœnâ dignior illa cenſebitur. Sic *dolus* nimis artificioſus crimen adgravat, quod *ſtellionatus* vocatur, & homo fallax evadit *falſarius*, ubi tantâ eſt ſubtilitate, ut ipſa etiam fundamenta noſtræ ſecuritatis in Actis ſcripto conſignatis ſuffodiat. Verùm indulgentiores erimus illis, qui ingenti aliquo animi motu abripiuntur, quoniam is ab ipſa dementia haud procul abeſt. Et Romani rigidiſſimo ſupplicio adfecerunt ſacerdotes Dei *Apis*, qui nobilis cujuſdam feminæ, equiti alicui, perditè illam amanti, caſtitatem labefactarunt, dum eum pro Deo ſuo venditabant, cùm contra amatorem exilio mulctare illis ſufficeret. Quòd ſi verò quis malas actiones perpetraſſet ſine ratione adparente & ſine probabilitate cujuſdam adfectûs, non multùm abeſſet, quin a Judice pro ſtulto haberetur, præſertim ſi ad iſtiuſmodi ineptias, ſæpiùs iterandas, proclivis inveniretur, quod ipſum pœnæ minuendæ inſervire poſſet, nequaquam verò veram nequitiæ & caſtigationis rationem ſuppeditaret. Tam aliena ſunt principia noſtrorum adverſariorum a praxi Tribunalium & a communi hominum opinione.

16. *Tertiò*, diſcrimen inter malum phyſicum & malum morale ſemper conſiſtet, quamvis in hoc conveniant, quòd ambo ſuas rationes & ſcauſas habeant. Et quid eſt, quod novas nobis difficultates faceſſamus intuitu originis mali moralis, cùm principium, ſolvendis iis aptum, quas mala naturalia producunt, etiam ſufficiat ad reddendam malorum voluntariorum rationem? Scilicet ſufficit oſtendere, impediri non potuiſſe, quin homines vitiis admittendis obnoxii fuiſſent, niſi Syſtematis omnium optimi conſtitutio immutari, aut ad miracula creberrimus fieri deſcenſus voluiſſet. Verum quidem, peccatum magnam, immò maximam, humanæ miſeriæ partem conficere, hoc tamen non obſtat, quo minùs dici queat, improbos eſſe homines & pœnâ dignos: aliàs dicendum eſſet, peccata actualia irregenitorum excuſari poſſe, utpote oriunda a principio noſtræ miſeriæ, quod eſt peccatum originis. *Quartò*, dicere, Animam fieri paſſivam, hominem non eſſe veram peccati cauſam, ſi ad actiones ſuas voluntarias per objecta fuerit compulſus, quemadmodum Auctor contendit plurimis in locis, & inprimis cap. 5. ſect. 1. ſubſect. 3. §. 18. eſt cudere ſibi novas terminorum notiones. Quando Veteres de eo locuti ſunt, quod eſt ἐφ' ἡμῖν, vel ubi nos loquimur de eo, quod a nobis, a ſpontaneitate, a principio noſtrarum actionum interno, dependet, repræſentationem rerum externarum nequaquàm excludimus; hæ namque repræſentationes etiam in anima noſtra reperiuntur, & conſtituunt partem aliquam modificationum illius principii activi, quod in nobis eſt. Nullus datur Actor, qui agere poſſit, quin idem ad id quoque ſit antè diſpoſitus, quod actio requirit;

& rationes, ſive inclinationes, a malo vel bono depromtæ, ſunt diſpoſitiones, quæ faciunt, ut anima determinare ſe inter plures partes poſſit. Contendunt, voluntatem ſolam eſſe activam, atque ſummo jure imperantem, eamque ſibi repræſentare ſolent inſtar Reginæ, Throno ſuo inſidentis, cujus Intellectus eſt Miniſter Status, cujuſque adfectus ſunt aulici, ſeu feminæ iſtæ gratioſæ, quæ influxu ſuo ſæpè numero conſilium Miniſterii ſuperant. Volunt, Intellectum non, niſi mandante hac Regina, loqui; ipſam poſſe inſtituere examen inter rationes Miniſtri & ea, quæ amiciſſimæ iſtæ mulieres in aurum inſuſurrant, immò utramque partem repudiare, tandem iis vel tacendi vel loquendi neceſſitatem imponere, aures præbere vel denegare, ſicut illi bonum videatur. At hæc Proſopopœia aut fictio eſt infeliciùs excogitata. Si voluntatis eſt judicare, aut notitiam ſibi comparare rationum atque inclinationum, quas intellectus vel ſenſus ei exhibent, illa opus habebit alio intellectu in ſe ipſa, ut cognoſcat id, quod ipſi repræſentatur. Id verum eſt, animam, ſeu ſubſtantiam cogitantem, intelligere rationes, & ſentire inclinationes, & determinare ſe ſecundùm repræſentationes præponderantes, quæ, ut actionem ſpecificent, vim ſuam activam modificant. Poſſum hic ſuperſedere meo Syſtemati Harmoniæ præſtabilitæ, quod independentiam noſtram mirum in modum illuſtrat, noſque ab influxu objectorum phyſico immunes præſtat. Quod enim jam dictum eſt, ad ſolvendam objectionem ſufficit. Et quamquam Auctor noſter cum vulgo admittat hunc in nos influxum phyſicum objectorum, tamen ſatis ingenioſè animadvertit, corpus, vel objecta ſenſuum, nobis ideas non impertiri, multo minùs vim animæ activam, & inſervire duntaxat evolvendis iis, quæ in nobis exiſtunt; ferè ſicuti *Carteſius* credidit, animam, cum corpori vim dare nequeat, minimum ipſi aliquam directionem impertiri. Ab utraque ſic parte medium eſt quoddam inter influxum phyſicum & harmoniam præſtabilitam.

17. *Quintò*, objiciunt, ſecundùm noſtram ſententiam peccatum non ea propter reprehendi vel puniri, quòd caſtigationem mereat, ſed quòd reprehenſio & pœna faciant, ut alia vice illud omittatur; cùm tamen homines aliquid ulteriùs requirant, hoc eſt, ſatisfactionem pro crimine, ſi vel illa nec ad emendationem, nec ad exemplum, faceret. Planè uti jure meritoque homines exigunt, verum referendæ gratiæ ſtudium progerminare ex vera beneficii accepti agnitione, non verò ex intentione novi eliciendi beneficii, quæ privati commodi curam ſapit nimiam. Objectio iſta elegantibus, nec improbandis, cogitationibus referta eſt, ſed nos quidem minimè ferit. Præcipimus, virtutem ſequendam, gratum animum præſtandum, juſtitiam colendam eſſe, non tantùm ob commodum privatum, ob ſpem vel metum; ſed etiam ob voluptatem, in bonis actionibus reperiendam; aliàs nondum adſpiravimus ad iſtum virtutis gradum, quem ut adſequamur, remis veliſque laborandum eſt? Hoc innuitur, quando juſtitia

& virtus per ſe ipſa amore proſequenda docetur; immò hoc ipſum explicavi, dum rationem *Amoris*, *privatam utilitatem negligentis*, exhibui paullo ante exortam controverſiam, quæ tantos dedit ſtrepitus (h). Conſimiliter judicamus, malitiam majorem evaſiſſe, quando in voluptatem exierit, veluti cùm latro aliquis, vias obſidens, qui antea homines ob ipſorum repugnantiam, vel ultionis metum, interfecerat, tandem ita crudelis evadit, ut in iis necandis, quin & priùs excruciandis, voluptatem ſuam inveniat. Atque hic malitiæ gradus diabolicus judicatur, licèt homo, qui illius inſimulatur, in hac deteſtanda voluptate fortiorem reperiat ſuorum homicidiorum rationem, quàm habuit, cùm eos tantùm ſpe metuve adductus occideret. Obſervavi etiam in reſponſione ad difficultates Bælianas (i), ſecundùm mentem celebris *Conringii*, juſtitiam, quæ puniat per pœnas, ut ita loquar, medicinales, hoc eſt, ad corrigendum maleficum, vel ſaltem ad præbendum aliis exemplum, locum habituram apud eos, qui libertatem, a neceſſitate immunem, evertunt, ſed veram juſtitiam vindicativam, quæ ultra medicinalem progreditur, aliquid adhuc altius ſupponere, videlicet intelligentiam ac libertatem peccantis, quoniam harmonia rerum ſatisfactionem aliquam exigit, malum aliquod paſſionis, quod animum deducat in ſenſum ſui peccati, poſt malum actionis voluntariæ, in quam conſenſerat. Ita *Hobbeſius*, libertatem deſtruens, juſtitiam vindicativam rejecit, uti faciunt Sociniani, quos noſtri Doctores refutarunt, quanquam illius partis Auctores notionem libertatis mirificè fatigare ſoleant.

18. *Sextò*, objiciunt denique, homines felicitatis ſpem habere planè nullam poſſe, ſi voluntas moveri nequeat, niſi boni & mali repræſentatione. Enimverò hæc objectio videtur mihi, ſi quæ alia, prorſus nulla; & vix, ac ne vix quidem, divinari a quoquam credo, quonam imbui tandem colore potuerit. Hinc mira etiam & inſolita quàm maximè ea de cauſa produntur ratiocinia: nimirùm, felicitatem noſtram pendere a rebus externis, ſi verum, quod a boni malive repræſentatione pendeat. Igitur ea, inquiunt, in poteſtate noſtra non eſt, neque enim ullam ha-

 bemus

(h) Conf. ad hæc *Theod. Præf.* §. 4. 5. *Felleri* Otium Hannov. p. 73. Idem *Vir ill.* in Ep. ad *Gerh. Wolth. Molanum*, quæ eſt XVIa, ap. *Kortholtum*, T. II. p. 155. ſcribit: Tantum abeſt, ut, qui non ſpe aut metu a ſuperiore, ſed propenſione animi, rectè agit, juſtè non agat, ut ipſe potiſſimùm juſtè agat, quadam divinæ juſtitiæ humana imitatione. Nam qui amore Dei aut proximi benefacit, in ipſo rectè facto invenit voluptatem, (ea enim amoris natura eſt) neque alio ſtimulo indiget, aut juſſu ſuperioris opus habet: ac de tali dictum eſt, legem juſto poſitam non eſſe. Uſque adeo abhorret a ratione, ſolam legem aut coactionem juſtum facere: tametſi fatendum ſit, eos, quorum animus eo perfectionis non devenit, non, niſi ſpe metuque, obligari; & in divinæ maximè vindictæ exſpectatione, quam nec morte effugere detur, neceſſitatem plenam, & in omnes valituram, ſervandi juris & æqui poſſe inveniri. "

(i) V. *Theod.* §. 73. 74.

bemus rationem ſperandi, fore, ut res externæ noſtro ſe adcommodent adpetitui. Sed hoc argumentum cunctis ſuis claudicat pedibus: *Nulla vis eſt in conſequentia*: *Concedi poſſet concluſio*: *Argumentum poteſt in Auctorem retorqueri.* Incipiamus ab hac *retorſione*, quæ facilis eſt: Num tandem homines feliciores, aut a caſibus fortunæ magis independentes, evadunt iſto medio, vel quia ipſis facultas ſine ratione eligendi adtribuitur? Num dolores corporis mitiùs patientur? An minor eſt eorum propenſio ad bona, vera vel adparentia, minor metus malorum verorum, vel imaginariorum? Num quid minùs ſunt mancipati voluptati, ambitioni, avaritiæ? minùs timidi? minùs invidi? Immò verò, inquiet eruditus Auctor noſter. Probabo id modo, qui a rationibus & pretiis rerum deſumitur. Utinam per experientiam probare voluiſſet: ſed audiamus ejus computationem. Poſito, quòd electione mea, qua intuitu mei rei, quam eligo, bonitas confertur, concedam objecto electo ſex gradus bonitatis, & poſito inſuper, quòd antea in ſtatu meo duo gradus mali fuerint, evadam certè fortunatus uno momento & ex voto meo: quatuor namque poſſiderem gradus liquidi lucri, vel boni gratuiti. Quàm præclarè hæc ſine dubio ſonant, at dolendum, quòd caſus ſit impoſſibilis. Etenim qua ratione objecto ſenos hoſce bonitatis gradus conferam? Ad hoc opus nobis eſſet potentia immutandi guſtum noſtrum, aut res, pro beneplacito noſtro. Idem hoc ferè eſſet, ac ſi plumbo cum efficacia quadam dicere poſſem, fies aurum, ſilici, fies adamas, vel ſaltem vos eundem mihi præſtabitis effectum. Vel hoc perinde ſe haberet, atque id, quod dicitur de loco Moſaico, qui videtur ſignificare, Manna deſerti eum habuiſſe ſaporem, quem Iſraelitæ illi dare voluerunt. Nihil opus erat, niſi dicere ad Gomor ſuum, fies capo, fies perdix. At ſi mihi liberum, ſenos hoſce gradus bonitatis objecto impertiri, annon etiam licebit mihi plures adhuc in illud conferre? Credo equidem licere. Hoc verò poſito, cur objecto non largiemur bonitatem omnem, quæ excogitari poſſit? Cur non ad viginti & quatuor bonitatis gradus adſcendemus? Ecce verò quàm perfectè ſimus hac via felices non obſtantibus fortunæ caſibus quibuſcumque; flet, grandinet, ningat, nihil nos movebit: excellentis hujus arcani virtute a fortuitis caſibus ſemper tuti erimus. Concedit etiam Auctor (in hac 1. ſectione cap. 5. ſubſect. 3. §. 12.) hanc potentiam adpetitus naturales vincere omnes, nec ipſam ab eorum aliquo vinci poſſe; immò intuetur illam (§. 20. 21. 22.) tanquam ſolidiſſimum felicitatis fundamentum. Reverâ, dum nihil eſt, quod limitare potentiam poſſit tam indeterminatam, qualis eſt potentia ſine ratione eligendi, & per electionem objecto bonitatem conferendi, vel bonitas hæc longiſſimè ſuperare debet eam, quam adpetitus naturales in objectis quærunt; quandoquidem hi adpetitus, hæcque objecta, limitata ſunt, cum ea potentia independens ſit; vel ſaltem, bonitas iſta, quam voluntas objecto electo impertitur, debet eſſe arbitraria, & talis, qualis

ab illa requiritur. Unde namque repetenda eſſet ratio limitum, ſi objectum poſſibile, ſi in ejus, qui vult, poteſtate ſitum eſt, & ſi voluntas ei dare bonitatem poteſt, quamcumque velit, independenter a realitate & rebus adparentibus? Iſtud mihi ſufficere videtur ad deſtruendam hypotheſin tam *precariò* adſumtam, in qua offenditur aliquid, quod Fearum fabulis perſimile, *Optantis iſthæc ſunt, non invenientis.* Perſtat igitur certo certius, eleganti hac fictione non magis nos exſolvi malis poſſe; videbimuſque infrà, cùm homines victores exiſtunt certorum quorundam adpetituum vel averſionum, id fieri per adpetitus alios, qui ſemper fundamentum ſuum agnoſcunt in repræſentatione boni & mali. Dixi porrò, *concedi poſſe concluſionem Argumenti*, quod inſinuat, non abſolutè a nobis pendere felicitatem, in præſenti certè vitæ humanæ ſtatu, quis enim dubitat, ſexcentis nos eſſe caſibus obnoxios, quos vitare non cadit in humanam prudentiam? Quo pacto, exempli gratiâ, impediam, quo minùs motu quodam terræ abſorbear unà cum urbe, quam incolo, ſi hic eſt ordo rerum? Sed *poſſum* denique *& conſequentiam argumenti negare*, quæ dictitat, ſi voluntas non movetur, niſi repræſentatione boni & mali, penes nos non ſtare noſtram felicitatem. Bona eſſet conſequentia, ſi nullus daretur Deus, ſi omnia regerentur per cauſas brutas: ſed fecit Deus, ut ad procurandam ſuam felicitatem unicuique ſufficeret eſſe virtutis ſtudioſum. Itaque, ſi anima rationem ſequitur & leges, a Deo ipſi datas, certa profectò eſt de felicitate ſua, quamvis ea plenè reperiri in hac vita nequeat.

19. Poſtquàm eruditus Auctor incommoda noſtræ hypotheſeos oſtendere laboraſſet, commoda ſuæ hypotheſeos pandere incipit. Sibi igitur perſuadet, eam ſolam poſſe libertatem noſtram ſalvam reddere, eam omnem noſtram felicitatem conficere, augere bona noſtra, & minuere mala, atque agentem, hac potentia inſtructum, ea fieri multò perfectiorem. Commoda iſta penè cuncta modò refellimus. Oſtendimus, ad libertatem noſtram ſufficere, quòd repræſentationes bonorum & malorum, aliæque diſpoſitiones, internæ vel externæ, nos inclinent, non neceſſitent. Nec intelligimus, quo pacto mera indifferentia quid ad felicitatem conferre poſſit: ex adverſo potiùs, quo magis erimus indifferentes, eo major ſtupor erit & impotentia bona percipiendi. Adde quòd hypotheſis in effectu producendo multum excedit. Quòd ſi namque potentia aliqua indifferens ſibi ſenſum boni dare poſſet, ea ſibi dare etiam poſſet felicitatem perfectiſſimam, uti jam ſuprà monſtravimus. Et poſitum eſt in aprico, nihil illam limitaturum, quod limites eam ex pura hac indifferentia expellerent, quam tamen non, niſi per ſe ipſam, relinquere dicitur, vel potiùs, in qua nunquàm fuit. Denique haud capimus, in quonam conſiſtat puræ hujus indifferentiæ perfectio: contrà, nihil eſt eâ imperfectius, ſcientiam & bonitatem redderet inutiles, omniaque ad caſum revocaret, ut nullas ſequi regulas, nulla capere conſilia poſſemus. Reſtant tamen adhuc ali-

qua commoda, ab Auctore prolata, nondum hactenùs ventilata. Exiſtimat itaque, per hanc ſolam potentiam nos eſſe veram actionum noſtrarum cauſam, utpote cui poſſent imputari, cùm aliàs ab objectis externis cogeremur; immò propter hanc ſolam potentiam fieri, ut poſſemus noſtræ felicitatis momentum nobis ipſis tribuere, & in ſinu noſtro gaudere. Verùm enim verò cuncta oppoſita ratione ſe habent: quòd ſi namque incidimus in actionem motu abſolutè indifferenti, non verò propter ejus bonas malaſve qualitates, nonne idem eſt, ac ſi eo delaberemur cæcorum in morem, caſu aut ſorte aliqua: quid igitur gloriæ & laudis adferret actio bona, vel quid vituperii & ignominiæ actio mala, ſi ea accepta ferenda, aut imputanda, fortunæ vel ſorti eſſet? Credo equidem, eum laude digniorem eſſe, qui actionem bonis ſuis qualitatibus debet, & crimine magis obſtrictum, qui malis ſuis qualitatibus abreptus fuit in deterius. Actiones æſtimare velle, nec expendere qualitates, ex quibus illæ gignuntur, eſt in auram loqui, & in locum cauſarum ſubſtituere imaginarium quoddam *neſcio quid.* Quòd ſi ergò caſus hic fortuitus, ſeu hoc *neſcio quid*, cauſa eſſet noſtrarum actionum, excluſis noſtris qualitatibus, naturalibus vel adquiſitis, noſtris inclinationibus, & conſuetudinibus, profectò nulla ratione quidquam nobis polliceri poſſemus de alterius propoſito, cùm nulla via ſuppeteret figendi hominem indeterminatum, atque judicandi, quamnam in ſtationem jaceretur navis voluntatis, per incertam inſulſæ indifferentiæ tempeſtatem.

20. Verùm, ſepoſitis iſtis commodis & incommodis, videamus, qua ratione confirmet eruditus Auctor noſter hypotheſin hanc, quam tanta utilitate conſpicuam jactat. Arbitratur, Deum tantùm & creaturas liberas verè activas eſſe, & ad activitatem requiri duntaxat, ut quid per ſe ipſum determinetur. Jam id, quod per ſe ipſum determinatur, per objecta determinari non debet, adeoque neceſſe eſt, ut ſubſtantia libera, quatenus libera, intuitu objectorum ſit indifferens, nec hanc indifferentiam relinquat, niſi per electionem ſuam, quæ objectum ipſi reddet amabile. Sed omnes ferè gradus hujus ratiocinii offenſionem pariunt. Non creaturæ ſolùm liberæ, ſed & omnes reliquæ ſubſtantiæ ac naturæ, ex ſubſtantiis compoſitæ, ſunt activæ. Bruta non ſunt libera, interim tamen gaudent animabus activis, niſi cum Carteſianis ea pro puris machinis habere velis. Neque porrò neceſſarium eſt ad activitatem, determinari ſolum per ſe ipſum, cùm res quædam recipere poſſit directionem, quanquam vim ipſam haud recipiat. Ita equus regitur ab equite, & navis dirigitur gubernaculo, credixitque *Carteſius*, corpus noſtrum, ſervando virtutem ſuam, recipere tantummodò ab anima quandam directionem (k). Sic res aliqua activa foris recipere poteſt quandam determinationem ſeu directionem, quæ illam quoque mutare valeat, quam a ſe ipſa haberet. Denique,

(k) V. *Theod.* §. 60.

Denique, licèt etiam ſubſtantia quædam activa per ſe ipſam tantùm determinetur, minimè tamen inde ſequitur, eam non moveri ab objectis; repræſentatio namque objecti, in illa ipſa obvia, ad determinationem facit; non igitur foris accedit, adeoque ſpontaneitas tota hìc manet illibata. Objecta non agunt in ſubſtantias intelligentes tanquam cauſæ efficientes & phyſicæ, ſed tanquam cauſæ finales & morales. Si Deus agit ſecundùm ſuam ſapientiam, adcommodat ſe ideis poſſibilium, quæ ipſius objecta ſunt, ſed quæ ante creationem actualem extra illum omni realitate deſtituuntur. Igitur hoc genus motionis ſpiritualis ac moralis non adverſatur activitati ſubſtantiæ, nec ſpontaneitati ſuæ actionis. Poſtremò, quamvis potentia libera ab objectis non determinaretur, nunquam tamen indifferens eſſe poſſet ad actionem, quando in eo eſt, ut agat; quoniam actio in ea oriri debet a diſpoſitione quadam agendi; aliàs *quidvis ex quovis* fiet, nec quidquam erit tam abſurdum, quod adſumi nequeat. At diſpoſitio hæc jam interruperit blandimenta puræ indifferentiæ, &, ubi anima hanc ſibi diſpoſitionem impertit, requiritur alia quædam prædiſpoſitio ad hunc illam impertiendi actum; adeoque, quantumvis adſcendatur, nunquam pervenietur ad puram indifferentiam in anima reſpectu actionum ab ipſa exercendarum. Verum quidem, has diſpoſitiones eam inclinare ſaltem, non neceſſitare, & plerumque ſuam relationem habere ad objecta: interim tamen nec negandum, quaſdam etiam alias provenire *a ſubjecto*, vel ab anima ipſa, & facere, ut objectum unum magis ſit ad palatum, quàm alterum, vel ut idem objectum aliter ſapiat alio tempore.

21. Auctor noſter perſiſtit firmiter in ſua ſententia, qua nobis realitatem ſuæ hypotheſeos inculcat, conaturque oſtendere, hanc potentiam indifferentem reapſe in Deo inveniri, immò verò eam ipſi neceſſariò adſcribendam eſſe. Ait enim, nihil ei bonum, nihil ei malum eſt in creaturis. Non habet adpetitum naturalem, fruitione rei alicujus, extra ipſum poſitæ, ſatiandum: eſt igitur abſolutè indifferens ad omnes res externas, quoniam iis nec juvari, nec moleſtiâ adfici, poteſt; debetque ſe ipſe determinare, atque eligendo quaſi adpetitum ſibi creare. Factam verò electionem ſuam deinceps tueri debet, profectò non aliter, ac ſi inclinatione quadam naturali eo compulſus fuiſſet. Ita divina voluntas erit cauſa bonitatis in entibus; nimirum, erit quædam bonitas in objectis, non verò natura ſua, ſed voluntate Dei, qua ſepoſita, nec boni, nec mali quid in rebus inveniri poteſt. Intellectu difficile eſt, quomodo multorum meritorum Auctores exoſculari ſententiam tam inſulſam potuerint, ratio enim, quæ hic citari videtur, ne minimam quidem vim habet. Videntur illi opinionem hanc eo probaturi argumento, quod omnes creaturæ omne ſuum eſſe a Deo habeant, quodque ita ſine ipſo agere nequeant, nec ſe determinare poſſint. At hoc eſt apertè ſtatum mutare controverſiæ. Quando dicimus, ſubſtantiam quandam intelligentem moveri bonitate ſui objecti,

jecti, non certè adſerimus, hoc objectum eſſe neceſſariò ens extra ipſam exiſtens, ſufficitque nobis, id concipi poſſe; repræſentatio namque agit in ſuam ſubſtantiam, vel potiùs ſubſtantia agit in ſe ipſam, in quantum repræſentatione hac diſponitur & adficitur. Quod ad Deum, manifeſtum eſt, illius intellectum continere ideas omnium rerum poſſibilium, quod ipſum oſtendit, omnia in eo eſſe eminenter. Ideæ iſtæ repræſentant ipſi bonum & malum, perfectionem & imperfectionem, ordinem & confuſionem, convenientiam & inconvenientiam poſſibilium; illius verò bonitas ſuperabundans facit, ut eligat id, quod eſt commodiſſimum. Deus igitur per ſe ipſum ſe determinat, ejus voluntas vi bonitatis activa eſt, ſed ſpecificatur atque dirigitur in actione per intellectum ſapientiâ refertum. Et uti illius intellectus perfectus eſt, cogitationes ſemper diſtinctæ, inclinationes ſemper bonæ, ita nunquam diſcedit a producendo optimo: cùm contra nos falſis veri & boni adparentiis falli queamus. Sed quî, quæſo, fieri poteſt, ut dicatur, non dari bonum vel malum in ideis ante voluntatem Dei? Numquid voluntas Dei ideas format, quæ in ejus intellectu inſunt? Non auſim erudito noſtro Auctori tam inſulſam adſcribere ſententiam, quæ intellectum ac voluntatem confunderet, & uſum notionum omnem everteret. Jam ſi ideæ a voluntate ſunt independentes, nec perfectio, vel imperfectio, in iis repræſentari ſolita, ab ea dependebit. Certè, num verbi gratiâ voluntati Dei, an verò naturæ potiùs rerum, tribuendum venit, quòd certi quidam numeri faciliùs, quàm alii, admittant multas diviſiones exactas? quòd hi magis ſint idonei, quàm iſti, ad formanda quadrata, ad componenda polygona, aliaſque figuras regulares? quòd numero ſenario contingit eſſe minimo omnium numerorum, qui perfecti nuncupantur? quòd in plano ſex circuli æquales tangere queant ſeptimum? quòd inter omnia corpora æqualia ſphæra minimam habeat ſuperficiem? quòd quædam lineæ ſint incommenſurabiles, adeoque ad harmoniam non ſatis aptæ? Annon intelligitur, omnia hæc commoda vel incommoda ab idea rei proficiſci, oppoſitumque contradictionem implicare? Num cogitas porrò, dolorem & moleſtiam creaturarum ſenſitivarum, & inprimis felicitatem atque infelicitatem ſubſtantiarum intelligentium, Deo eſſe indifferentes? Et quid dices de illius juſtitia? Nonne & hæc eſt res aliqua arbitraria, nonne ſapienter, ac juſtè feciſſet, ſi damnare innocentes decreviſſet? Novi equidem, fuiſſe Auctores ſatis imprudentes ad adſurgendum opinioni tam periculoſæ, evertendæque pietati tam adcommodæ. Verùm habeo perſuaſiſſimum, celeberrimum Auctorem noſtrum ab ea longiſſimè abeſſe. Interim tamen videtur hæc hypotheſis eò ducere, ſi nihil eſt in objectis, quod divinæ voluntati ante ſuam electionem non ſit indifferens. Verùm quidem, Deum nulla re indigere, ipſe tamen Auctor præclarè docuit, bonitatem, non indigentiam illius, ad producendas creaturas ipſum compuliſſe. Igitur in eo ratio erat decreto anterior; &, uti multoties innui, neque caſu fortuito, neque ſine ratione,

ratione, nec etiam ex neceſſitate, factum, ut Deus crearet hunc Mundum, ſed inclinatione eò progreſſus eſt, quæ ipſius inclinatio ſemper eum ad optimum ducit. Ita inſolita quoque res eſt, quòd Auctor noſter hic ſtatuat, (cap. 5. ſect. 1. ſubſect. 4. §. 5.) Deum, abſolutè perfectum & in ſe ipſo beatum, nulla ratione commoveri potuiſſe ad creandum quid extra ſe; cùm ipſe antè docuerit (cap. 1. ſect. 3. §. 8. 9.) Deum agere ad finem, ejuſque finem eſſe communicare ſuam bonitatem. Itaque ipſi non erat abſolutè indifferens, creare aut non creare, & nihilominus creatio manet actus liber. Non magis ipſi indifferens erat, creare hunc illumve Mundum, creare chaos perpetuum, aut creare ſyſtema ordine plenum. Ita qualitates objectorum, in eorum ideis repertæ, electionis ſuæ rationem confecerunt.

22. Auctor noſter, qui tam præclara ſuprà docuit de pulchritudine & commoditate operum Dei, ea cum hypotheſi ſua conciliandi viam quæſivit, quæ Deo omnes reſpectus ad bonum, & commoditatem creaturarum, detrahere videtur. Indifferentia Dei, inquit, in primis tantùm ſuis electionibus locum habet, ſed, utprimùm Deus aliquid elegit, eodem tempore virtualiter elegit omne id, quod cum eo neceſſariò connexum eſt. Erat infinitus hominum poſſibilium æquè perfectorum numerus: electio quorundam ex illis merè eſt arbitraria (ſecundùm Auctorem noſtrum.) Sed, ſimulatque Deus eos elegerat, nihil ampliùs velle potuit, quod naturæ humanæ repugnaret. Hactenùs Auctor hypotheſi ſuæ conformiter loquitur: ſed, quæ ſequuntur, ultrà tendunt: adſerit enim, Deum, cùm certas creaturas producere decreviſſet, eodem tempore, vi ſuæ bonitatis infinitæ, decreviſſe, illis quamque poſſibilem commoditatem conferre; profectò nihil eſt magis rationi conſentaneum, at verò nihil quoque eſt tam contrarium hypotheſi, quam poſuit, meritoque illam evertit potiùs, quàm longiùs ſinit ſubſiſtere gravem incommodis, bonitati & ſapientiæ Dei adverſis. Ecce videamus luculentiſſimè, eam cum dictis ſtare non poſſe. Quæſtio prima erit: Num Deus aliquid creabit, nec ne, & quare? Auctor reſpondit, ipſum aliquid creaturum ad communicandam ſuam bonitatem. Igitur illi non eſt indifferens creare aut non creare. Poſt hæc quæritur: Num Deus creabit hanc potiùs rem, quàm alteram, & quare? Reſpondendum eſſet (ſi conſtare ſibi vellet) eandem bonitatem facere, ut eligat optimum, & certè, eò recidit Auctor in ſequentibus; verùm juxta hypotheſin ſuam reſpondet, creaturum ipſum hanc rem, ſed non adeſſe id, quod ampliùs quæritur, *quare*, quoniam Deus abſolutè indifferens erga creaturas, quæ bonitatem ſuam ſoli ipſius electioni acceptam referunt. Auctor quidem verbis parum ſibi conſtat hac in cauſa, ait enim (cap. 5. ſect. 5. ſubſect. 4. v. 12.) indifferens eſſe Deo eligere inter homines in perfectione æquales, aut inter ſpecies æquè perfectas creaturarum rationalium. Itaque ſecundùm hanc expreſſionem eligeret potiùs ſpeciem

perfectiſſimam: dumque ſpecies æquè perfectæ plus minuſve cum aliis concordant, Deus eliget eas, quæ maximè conveniunt: igitur nulla erit pura & abſoluta indifferentia, Auctorque ſic ad noſtra principia relabitur. Sed loquamur, ut ipſe juxta ſuam hypotheſin loquitur, ponamuſque cum eo, Deum quaſdam eligere creaturas, quamquam illi ſint abſolutè indifferentes. Igitur æquè facilè eliget creaturas irregulares, incompoſitas, noxias, infelices, confuſiones perpetuas, monſtra paſſim obvia, ſceleſtos tantùm incolas terræ, diabolos, totum Univerſum implentes, atque ſyſtemata pulchra, ſpecies elegantes, homines probos, Angelos bonos! Nequaquam, inquiet Auctor, Deus, cùm homines creare decreviſſet, ſimul decrevit illis impertiri omnes opportunitates, quarum Mundus capax erat, ſicque ſtatuendum etiam eſt de cæteris ſpeciebus. Reſpondeo, quòd ſi hæc opportunitas neceſſariò connexa eſſet cum eorum natura, Auctor ſequeretur in hoc ſuam hypotheſin; ſed cùm hoc admitti nequeat, conſentire tenetur, Deum nova quadam electione, diverſa ab ea, quæ eum ad condendos homines impulit, decreviſſe omnem poſſibilem opportunitatem hominibus largiri. Unde verò nova hæc electio? num ea ex pura indifferentia naſcitur? quod ſi ita eſt, nihil Deum ad quærendum bonum hominum permovet, in quod ſi quandoque incidit, quaſi caſu fortuito id fiet. At contendit Auctor, Deum bonitate ſuâ ad id commotum eſſe; igitur hoc bonum & malum creaturarum minimè ipſi eſt indifferens; ſuntque in ipſo electiones primitivæ, ad quas bonitate objecti compellitur. Non eligit tantùm creare homines, ſed etiam creare homines tam felices, quàm eſſe queunt in hoc ſyſtemate. Poſt hæc, nulla ampliùs indifferentia pura locum habebit, poſſumus enim de toto planè Mundo ita judicare, uti judicavimus de genere humano. Deus decrevit creare Mundum, ſed bonitas ejus ſimul ipſum compellere debuit ad eligendum illum, in quo plurimum ordinis, regularitatis, virtutis, felicitatis poſſibilis eſſet. Non enim ullam adverto cauſam veriſimilem dicendi, Deum, bonitate ſuâ commotum, reddere homines, quos creare decrevit, tam perfectos, quàm fieri poſſit in hoc ſyſtemate, nec eandem erga totum Univerſum bonam intentionem fovere. Ecce verò, ad ipſam objectorum bonitatem pervenimus, indifferentia pura, ubi Deus ageret ſine ratione, penitùs everſa per ipſum eruditi Auctoris noſtri inſtitutum, in quo vis veritatis, ubi ad factum fieri debuit tranſitus, præponderavit hypotheſi ſpeculativa, quæ ad realitatem rerum adplicari nullo pacto poteſt.

23. Quoniam itaque Deo nihil abſolutè indifferens eſt, omnes cognoſcenti gradus, omnes effectus, omnes relationes rerum, unoque momento omnes earum poſſibiles nexus, perſpicienti: videamus, annon ignorantia ſaltem, atque inſenſibilitas hominis, eum in ſua electione prorſus indifferentem efficere poſſit. Auctor nos ornat hac indifferentia pura, tanquam eximio munuſculo. Ecce verò illius argumenta: I. nos eam in

nobiſmet

nobiſmet ipſis ſentimus; 2. ejus judicia & proprietates in nobis experimur; 3. poſſumus oſtendere, quòd aliæ cauſæ, quæ determinare noſtram voluntatem queunt, ſint inſufficientes. Quod ad *momentum primum*, exiſtimat, nos, dum libertatem in nobis ſentimus, ſentire ſimul eodem tempore indifferentiam puram. Sed nequaquam ei adſentior, nos ejuſmodi indifferentiam ſentire, nec jactatum iſtum ſenſum ex ſenſu libertatis ſequi (1). Plerumque in nobis ſentimus aliquid, quod nos ad noſtram electionem inclinat, &, quando contingit interdum, ut rationem omnium noſtrarum diſpoſitionum exhibere nequeamus, parva tamen adtentio quædam nobis palam facit, conſtitutionem corporis noſtri, corporumque circumeuntium, præſentem aut præcedentem animæ noſtræ ſtatum, & plurimas res exiguas, magnis & præcipuis hiſce momentis involutas, poſſe efficere, ut plus minuſve objecta nobis adrideant, utque de iis diverſis temporibus diverſa judicia formemus, licèt nemo id puræ indifferentiæ adtribuat, vel neſcio cui virtuti animæ, quæ in objectis operetur id, quod a coloribus fieri dicitur in chamæleonte. Non igitur opus eſt, ut Auctor hic provocet ad judicium vulgi, quod facit, in multis, inquiens, rebus vulgus meliùs ratiocinari, quàm Philoſophos. Verum quidem eſt, quosdam Philoſophos in chimæras incidiſſe, videturque pura indifferentia eſſe e numero notionum chimæricarum. Quòd ſi verò quis exiſtimat, rem aliquam non exiſtere, quia vulgus eam non animadvertit, vulgus pro bono judice haberi nequit, quandoquidem ſenſibus tantùm regitur. Multi credunt, aërem nihil eſſe, niſi a vento agitetur. Plurimi nullam corporum inſenſibilium, fluidi gravitatem efficientis, vel elateris, materiæ magneticæ, notitiam habent; ut nihil dicam de atomis, aliiſque ſubſtantiis indiviſibilibus. Numquid igitur dicemus, has res non exiſtere, quia vulgus eas ignorat? Hac ratione dicere etiam poſſumus, animam interdum agere ſine ulla diſpoſitione aut inclinatione, quæ illam ad agendum compellit, quoniam multæ dantur diſpoſitiones atque inclinationes, quæ a vulgo non ſatis adnotantur, culpa neglectæ adtentionis & meditationis. 2. Quod ad *indicia* potentiæ, de qua loquimur, jam refelli privilegium,

 illi

(1) Cognoſcimus 1. libertatem noſtram, *per experientiam*, ſed non immediatè ſine ratiocinio; cognoſcimus *mediante ratiocinio*, ſed bono. 2. Cognoſcimus, per experientiam, *non*, ut *Kingius* adſeruiſſe creditur, indifferentiam *ita* puram & *abſolutam*, ut voluntas in nullam partem inclinet bonitate objectorum mota, ſed ſua electione demum quaſi diffundat bonitatem in objecta. vid. *Leibn.* in Reſponſ. ad Libellum *Kingii*, §. 23. ſed libertatem tamen, ut dicit facultatem agendi & non agendi. 3. Cognoſcimus illam ex experientia *potiùs*, ſi ad *ſingula*, ejus requiſita adtendamus, *quàm* ſi *collectim* ſpectentur, (en gros.) 4. Si ſpontaneitatem noſtram, i. e. dependentiam noſtrarum actionum a nobis ipſis veram, & realem, (non ſolùm adparentem) in cæteris ſyſtematibus non experimur: experimur illam tamen in ſyſtemate *Harmoniæ Præſtabilitæ*. Vid. *Leibn.* Theod. §. 299. 300. " Ill. *Bilfingerus* in *Dilucidd.* §. CCCIV.

illi tributum, quòd ſcilicet ea faciat, ut ſimus activi, & vera cauſa noſtrarum actionum, ut ſimus imputationis ac moralitatis capaces: at hæc indicia ejus exiſtentiam non benè declarant. Neque ea nota, quæ ſequitur, quamque Auctor adlegat, majoris eſt momenti: ait nimirùm, nos in nobis habere potentiam reſiſtendi adpetitibus naturalibus, hoc eſt, non ſenſibus ſolùm, ſed & rationi. Verùm enim verò jam monui, reſiſtere nos adpetitibus naturalibus per alios adpetitus naturales. Toleramus quandoque incommoda, eaque cum gaudio; ſed fit id ob ſpem quandam, vel voluptatem malo junctam, illudque ſuperantem: pollicemur nobis exinde bonum, vel in eo bonum reperimus: contendit Auctor, potentia hac transformandi adparentias, ab ipſo in medium prolata, nos reddere id jucundum, quod initio nobis diſpliceat; ſed quis non videt, hoc eapropter fieri, quod adplicatio & adtentio ad objectum, itemque conſuetudo, diſpoſitionem noſtram, adeoque adpetitus noſtros naturales, immutent. Facit etiam adſuetudo, ut admodùm inſignis gradus frigoris, aut caloris, nos non ampliùs adficiat aliquo incommodo, quod antea nobis uſu venit; neque quiſquam hunc effectum potentiæ noſtræ eligendi adſcribit. Tempore etiam opus eſt ad indurandum ita corpus ſuum, inducendumque iſtiuſmodi callum, quo certorum quorundam opificum manus gradui caloris reſiſtunt, qui noſtras manus conficeret. Vulgus, ad quod Auctor provocat, optimè de cauſa hujus effectus judicat, quamvis ejus adplicationes quandoque ſint ridiculæ. Erant duæ ancillæ ad ignem in culina, quarum una uſtulata alteri dixit; obſecro, quis ignem purgatorii ferre poterit? ad quod reſpondit altera, deſipis, corculum meum, omnia vertuntur tandem in conſuetudinem.

24. At, inquiet Auctor, mirifica iſta potentia, quæ nos ad cuncta indifferentes reddit, vel ad cuncta propenſos, juxta merum arbitrium noſtrum, ipſam quoque rationem antecellit. Atque hoc tertium ejus argumentum eſt, videlicet, *actiones noſtras ſufficienter explicari non poſſe*, niſi ad hanc potentiam decurratur. Sexcenti homines inveniuntur, preces amicorum, conſilia propinquorum, conſcientiæ ſtimulos, ſupplicia, mortem, iram divinam, immò & infernum, contemnentes, ut nugis ſe dare toti queant, in quibus nihil eſt boni, nec quidquam, quod ferri poſſit, niſi puræ & liberæ illorum electionis habeatur quædam ratio. In hoc ratiocinio, exceptis verbis ultimis, omnia probantur. Quod ſi namque ad exemplum quoddam progrediemur, reperiemus, adfuiſſe rationes vel cauſas, hominem ad electionem ſuam compellentes, darique vincula admodum robuſta, quibus adligetur. Amoris, verbi gratiâ, ardor ſtolidus ex pura quadam indifferentia nunquam orietur, inclinatio, vel animi commotio aliqua, hic ludum ſuum luſit; ſed adſuetudo atque obſtinatio in quibuſdam ingeniis tantùm valere poterunt, ut perdere ſe malint, quàm inde ſe abſtrahere. An aliud exemplum, quod Auctor adfert: Atheus quiſpiam,

piam, *Lucilius* aliquis *Vaninus* (m), (ita multi nomen illius efferunt, cùm ipſe ſibi in Operibus ſuis adtribuat magnificum nomen *Julii Cæſaris Vanini*) ob chimæras ſuas martyrium potiùs riſu dignum ſubibit, quàm impietati ſuæ remittet nuntium. Auctor *Vaninum* non citat, ſed ille reverâ impias ſuas opiniones negabat, donec convinceretur, quòd Atheiſmum docuerit,

 ejuſque

(m) Conf. Litteratiſſ. *Stolle* Hiſt. Litt. p. 500. 501. In Tauriſano oppido regni Neapolis, quod Duci ejuſdem nominis paret, lucem primam adſpexiſſe *Vaninum*, ſcribit *Petr. Frid. Arpe* in Vita ill. Ann. 1586. combuſtus eſt A. 1619. In *Patinianis* p. 15. ſqq. referente *eod. Stolle* in *Additionib. & Emendationibus noviſſimis*, p. 172. ſequentia de *Vanino* leguntur. „ Il „ faiſoit le ſavant & ne l'étoit point. „ Tout ſon livre *de Arcanis naturæ Dia-* „ *logi* eſt dérobé de *Scaliger in Carda-* „ *num*, de *Fracaſtor*, & de *Pomponace.* „ Je vous aſſure que cela eſt très vrai, „ car je l'ai moi-même vérifié. On dit „ qu'il écrivoit au Pape *Paul V.* que ſi on „ ne lui donnoit un bon Bénéfice capable „ de le nourrir & de l'entretenir, il s'en „ alloit dans trois mois renverſer toute „ la Religion Chrêtienne. Je connois un „ homme d'honneur qui a vû cette Let- „ tre, dans laquelle il y avoit pluſieurs „ autres ſottiſes, & même des choſes hor- „ ribles. Il a prêché à Paris en Italien en „ divers endroits. Il eſt mort Martyr de „ l'Athéiſme. . . . . Quand on lui dit de „ demander pardon à Dieu, au Roi & à „ la Juſtice, il répondit, qu'il ne cro- „ yoit pas qu'il y eût de Dieu, qu'il n'a- „ voit jamais offenſé le Roi, & qu'il don- „ noit la Juſtice au Diable, s'il y en avoit.“ Eadem docet B. Cancell. Tubing. *Wagnerus* in Examine Elenctico Atheiſmi ſpeculativi, cap. V. Deteſtandi, ait, & ex memoria generis humani eradicandi hujus libri (*ſcil. De tribus Impoſtoribus Mundi*, *de quo in cap. IV. anteced.*) Auctoris, quiſquis fuerit, lateri meritò jungendus venit *Julius Caſar Vaninus*, decantatus Atheorum Apoſtolus, & vivicomburio abſumtus Diaboli Martyr, quartâ lunâ Neapoli in Italia . . . natus, qui publicè fuit confeſſus, tredecim hujus veneni Apoſtolos e Patria ſua fuiſſe emiſſos, qui id per omnem Europam ſpargerent, adſignatâ ſibi Lutetiâ, qui in *Amphitheatro æternæ Providentiæ divino Magico*, Libro A. 1625. ſub hoc titulo Lugduni evulgato, Atheiſmum ſub ſpecie refutantis aſtutiſſimè confirmavit, iis argumentis providentiam divinam adſerens, quorum probatio frigida improbationi vicinior erat; Edito inſuper Libro de *admirandis Naturæ Reginæ, Deæque mortalium arcanis*; quo naturam omnium deam fuit profeſſus, donec A. 1619. corruptæ per novum dogma juventutis, & Dei perſæpè negati, convictus Toloſæ poſt exactum lite ſemeſtre capitali judicio, ut exſecta prius lingua vivus combureretur, fuit condemnatus, de quo *Gramondus*, horrendi hujus ſupplicii αὐτόπτης, Lib. 3. Hiſt. p. 210. ſcribit: *Non alias vociferatio horrendior; diceris mugire ictum bovem*: Cujus non hominis furor tam inſenſatus fuit, ut, cùm ei a judicibus imponeretur, veniam petere a Deo, Rege, & Juſtitia, negaverit id ſe facere poſſe, *A Deo non, quia eum eſſe, non eſſet certum, nec ipſe crederet: Non a Rege, quòd nihil in eum peccaſſet, & Rex ſe nullum fideliorem ſubditum habuerit: Non a Juſtitia, ſeu Judicibus, quòd in eos non peccaſſet, illi verò ipſum maxima injuria adficerent; Et ſi Diaboli eſſent in Inferno, ut quidem hoc credi & dici ſolet, ſe potiùs devoturum Judices, ut ab illis auſerrentur.* “ *Ill. Leibnitius* in *Ep. ad Seb. Kortholtum* in *Kortholti* Coll. T. I. Ep. CXCV. Scripta *Vanini* parvi momenti ſunt, ſed homo ineptus, immò ſtultus, comburi non merebatur, claudi jure poterat, ne alios inficeret. “ dat. Viennæ, 1713. d. 15. Mart. p. 310. Conf. etiam, quæ *Fellerus* profert in *Otio Hannov.* pag. 178. *De Gloria poſt mortem.*

ejuſque Apoſtolum egerit. Rogatus, an Deus eſſet, herbam aliquam evulſit, inquiens:

Et levis eſt ceſpes, qui probet eſſe Deum.

Enimverò, cùm Procurator Generalis Senatus Toloſani (uti fama fert) pungere animum voluiſſet primi Præſidis, apud quem *Vaninus* multum poterat, cujuſque liberos præceptis Philoſophiæ imbuebat, fortè & inter domeſticos illius numerandus; continuata inquiſitio eſt ſummo cum rigore, donec *Vaninus*, deſperatâ veniâ, moriturus aperiebat ipſe, quid eſſet, Atheus nimirum, in qua quidem actione nihil admodum inſolens atque inuſitatum videtur. Quod ſi vel Atheus quidam ad ſupplicium ſe ultrò offerret, in eo jactantia poſſet eſſe ratio ſatis robuſta, uti fuit in Gymnoſophiſta *Calano* (n), & in Sophiſta, cujus mortem voluntariam per ignem nobis *Lucianus* deſcribit. At Auctor ſibi perſuadet, hanc ipſam jactantiam, hanc obſtinationem, aliaſque iſtius furfuris intentiones abſurdas hominum, qui aliàs non hebeti videntur eſſe judicio, explorari non poſſe per adpetitus, a repræſentatione boni & mali oriundos, eaſdemque nos cogere, ut refugium quæramus in potentia hac tranſcendente, bonum in malum, & malum in bonum, & indifferens in bonum, vel malum, transformante. Sed non eſt, quod tam longè procedamus, noſtrorumque errorum cauſæ ſatis ſunt manifeſtæ. Poſſumus certè iſtiuſmodi transformationes inſtituere, ſed non, uti in Fearum regno, ſimplici quodam magicæ hujus potentiæ actu, ſed quòd obſcuramus atque in animo ſupprimimus repræſentationes bonarum malarumve qualitatum, certis objectis naturaliter junctas, & quod non adtendimus, niſi ad eas, quæ noſtro guſtui, vel noſtris præjudicatis opinionibus, ſunt conformes, vel etiam, quia ope meditationis, certas iis qualitates tribuimus, quæ per accidens tantum, aut ex ratione eas conſiderandi, nobis conſueta, cum illis copulantur. Ut exemplo res fiat illuſtrior, abhorreo ego per totam vitam a cibo aliquo ſat probato, quia puer adfectus ſum illius faſtidio, quod magnam mihi impreſſionem reliquit. Contrà, adquieſcam in certo quodam vitio naturali, eo quòd reſuſcitabit in me partem ejus ideæ, quam habui de homine aliquo, mihi caro & amabili. Magnis fortè tactus eſt homo

(n) Referunt hiſtoriam *Plutarchus* in *Alexandro. Strabo*, Lib. XV. *Diodorus Sic.* Lib. XVII. Bibl. *Athenæus*, Lib. X. *Tullius* de Divinat. I. & Quæſt. Tuſc. II. *Arrianus* Lib. VII. *Val. Max.* Lib. I. c. ult. *Suidas*: *Ælianus* Lib. V. c. VI. Ἄξιον δὲ καὶ τὸ Καλάνου τοῦ Ἰνδοῦ τέλος ἐπαινέσαι, ἄλλος δ' ἂν εἶπεν, ὅτι καὶ ἀγασθῆναι; *Eſt & Calani Indi finis dignus, quem laudemus, alius fortè dixiſſet, quem etiam admiremur;* Ad ea Eruditiſſ. *Perizonius* in notis: Longè aliter ſenſit *Lucianus* de *Morte Peregrini*, pag. 772. qui, quum retuliſſet, *Peregrini* diſcipulum voluiſſe hunc adſimilare Brachmanibus Indorum, addit; ὥσπερ οὐκ ἐνὸν καὶ ἐν Ἰνδοῖς εἶναί τινας μώρους, καὶ κενοδόξους ἀνθρώπους, *quaſi fieri non poſſit, ut etiam in India ſint ſtulti quidam & vani homines*. ed. Gronovian. 1731. 4. p. 493. not. 3. V. *Tent. Theod.* §. 257. & not. q.

mo juvenis adplauſibus, ipſi poſt rem publicè & feliciter geſtam collatis: impreſſio ingentis hujus voluptatis mirificum in eo excitabit gloriæ ſenſum, dies noctesque in alendo hoc adfectu occupabitur, mortem etiam contemnet, dummodò finis ſui compos fiat. Quamvis enim non ignoret, ſe minimè percepturum ea, quæ de ipſo mortuo prædicabuntur; tamen ejus laudis repræſentatio anticipata in mentem ipſius plurimùm valet. Iſtiuſmodi certè rationes ſemper adſunt in actionibus, quæ vaniſſimæ & abſurdiſſimæ videntur iis, quibus hæ rationes diſplicent. Uno verbo, impreſſio valida, vel ſæpiùs repetita, noſtra organa, noſtram imaginationem, noſtram memoriam, immò & ratiocinium noſtrum, mirificè permutare poteſt. Homo, qui mendacium, forſan ex ſuo ſinu profectum, ſæpiùs narravit aliis, tandem ut vero ipſemet adſentitur. Cumque ejus rei, quæ placet, crebra ſit repræſentatio, eadem quoque facilis putatur, & ita comparata, ut parvo negotio obtineri queat, unde plerumque facilè creditur, quod optatur,

Et qui amant ipſi ſibi ſomnia fingunt.

25. Itaque errores, abſolutè loquendo, nunquam ſunt voluntarii, quamquam ſæpiùs cum iis concurrat voluntas ratione quadam indirecta, ob voluptatem, quam ex nonnullarum cogitationum præſentia capimus, vel ob averſationem, qua in alias ferimur. Bona libri alicujus idea Lectoris perſuaſioni inſervit. Habitus geſtuſque loquentis auditorum adlicient gratiam. Proni erimus in contemtum doctrinarum, ab homine, quem nauci habemus, aut odio proſequimur, vel ab alio quodam, in eo, quod nos urget, alteri haud diſſimili proficiſcentium. Jam monui, cur tam facilè ea nobis perſuaderi ſinamus, quæ utilia vel jucunda ſunt, novique homines, qui initio mundanis commoti rationibus, religionem mutarunt, poſtea verò perſuaſum habuerunt, immò penitùs exploratum, ſe ad meliorem partem diſceſſionem feciſſe. Conſtat etiam, obſtinationem non eſſe tantùm electionem malam, eamque perſeverantem, ſed quandam etiam diſpoſitionem in ea perſeverandi, a bono aliquo oriundam, quod ſibi formatur, vel a malo aliquo, quod mutationi ineſſe fingitur. Forſitan electio prima animi levitati debetur, illius verò fovendæ conſilium rationibus, vel impreſſionibus, quibuſdam fortioribus acceptum ferendum eſt. Sic inveniuntur nonnulli diſciplinarum moralium Doctores, qui electionem ſemel factam tuendam eſſe præcipiunt, ne inconſtantes ſimus, vel eſſe videamur. Interim perſeverantia aliqua incommoda eſt, ſi monita rationis ſpernuntur, inprimis in argumento ſatis digno, quod ſerio examini ſubjiciatur: quòd ſi verò idea mutationis moleſta eſt, adtentio inde facilè abducitur; hocque ipſo via ſæpiſſimè ad obſtinationem paratur. Auctor, qui obſtinationem jactatæ puræ ſuæ indifferentiæ tribuere voluit, conſiderare potuiſſet, ad electionem quandam ſuſcipiendam requiri aliquid aliud, atque ſolam tantùm electionem, vel puram indifferentiam; inprimis ubi electio hæc

hæc ex levitate profecta eſt, quæ levitas eò major cernitur, quò majore cum indifferentia eligebatur; quo in caſu ea facilè depellitur, niſi vanitas, adſuetudo, utilitas, vel alia quædam ratio, nobis ſuaſerit perſeverantiam. Neque exiſtimandum eſt, vindictam ſine cauſa placere. Qui ad doloris ſenſum ſunt vivaces, ii noctem diemque in ea cogitatione conſumunt, & vix, ac ne vix quidem, imaginem mali, vel acceptæ contumeliæ, ex animo eradicare poſſunt. Pro maxima delectatione habent, ab idea contemtûs liberari, quæ ſemper recrudeſcit, quæque nonnullis vindictam ipſa vita dulciorem reddit:

Queis vindicta bonum vitâ jucundius ipſâ.

In eo videtur eſſe Auctor, ut nobis perſuadeat, ſi adpetitus noſter, vel averſatio noſtra, ad objectum non ſatis dignum tetenderit, plerumque collatum illi eſſe reſiduum boni vel mali, quo adfecti ſumus, jactata illa eligendi potentia, quæ ad voluntatem res vel bonas, vel malas, repræſentat. Præſto fuerunt duo gradus mali naturalis, adceſſerunt ſex gradus boni artificialis potentia, quæ ſine argumento eligere poteſt. Igitur aderunt quatuor gradus boni gratuiti (cap. 5. ſect. 2. §. 7.) Quòd ſi hæc ita fieri poſſent, longè procederetur, uti jam ſuprà notavi. Cenſet etiam, ambitionem, avaritiam, ludendi furorem, aliaſque cupiditates frivolas, omnem ſuam vim ab hac potentia accipere mutuam (cap. 5. ſect. 5. ſubſect. 6.) Enimverò dantur aliàs tot falſæ in rebus adparentiæ, tot imaginationes, ad augenda vel minuenda objecta idoneæ, tot malè fundatæ concatenationes in ratiociniis noſtris, ut auxilio non ſit opus parvæ iſtius Feæ, hoc eſt, potentiæ hujus internæ, quæ veluti magica quadam arte operatur, cuique Auctor omnes has confuſiones adtribuit. Denique jam ſæpè dixi, ſi ad partem quandam, rationi agnitæ contrariam, accedimus, nos eò adduci per rationem aliam, ſpecie fortiorem, uti verbi gratiâ voluptas eſt, quam capimus ex eo, quòd videamur independentes, & actionem inſolentem ſuſcipiamus. Erat quondam in Aula Oſnabrugenſi Ducalis Ephebei Præfectus, qui, inſtar alterius *Mutii Scævolæ*, brachium flammæ immiſit, ut propè nihil deeſſet, quin gangrænam ſibi induceret, probaturus nimirum, animi ſui virtutem vel acutiſſimo dolore majorem eſſe. Pauci, opinor, hominem imitabuntur, nec ſcio, an facilè inveniri poſſet Auctor, qui, ſuſcepta potentiæ ſine argumento, vel & ſine ratione, eligendi defenſione, Librum ſuo ipſius exemplo ita probare vellet, ut inſigne quoddam ſtipendium, vel munus aliquod luculentum, ultrò abdicaret; quo tantùm ſuperioritas hæc voluntatis in rationem conſtaret. Equidem perſuaſiſſimum habeo, neminem, cui ſanum ſinciput, id accepturum, ſtatimque intellecturum, quòd ſacrificium ſuum redderetur inutile, ſi ipſi oſtenderetur, ita ſe veſtigia tantùm perſecuturum *Heliodori*

dori (o), Epiſcopi Lariſſæi, cui, (quemadmodum fama eſt) liber de amoribus *Theagenis* & *Chariclea*, majore in pretio fuit, quàm Epiſcopatus ipſe: id quod illi non erit difficile, qui carere officio ſuo ob facultates privatas poteſt, & tenerrimo gloriæ ſtimulo ducitur. Ita quotidie reperiuntur, qui commoda ſuis adfectibus, hoc eſt, bona realia bonis adparentibus, devovent.

26. Quod ſi perſequi luberet omnia ratiocinia Auctoris, ſæpiùs id, quod jam noſtro examini ſubjectum eſt, repetentia, ſed ita repetentia, ut plerumque inibi additionem quandam elegantem & benè excogitatam cernere liceat, animum rei penitiùs, quàm ſatis eſt, immergere tenerer: quo quidem labore me ſuperſedere poſſe confido, quod omnes illius rationes, uti par erat, inveſtigatæ & dilutæ videantur. Commodum accidit, quod in eo praxis plerumque theoriam corrigat atque emendet. Poſtquàm *in ſecunda ſectione* capitis hujus quinti pronunciaſſet, nos ad Deum accedere potentia ſine ratione eligendi, exercitiumque hujus potentiæ nobiliſſimæ reddere nos poſſe quàm feliciſſimos; qualia effata profectò omni admiratione digna ſunt, cùm Deum potiùs Ratione imitemur, noſtraque felicitas in eo conſpiciatur, quod rationi obtemperemus; Auctor inſignem iterum adfert emendationem, dum §. 5. præclarè docet, ad præſtandam nobis felicitatem opus eſſe, ut electiones noſtras adcommodemus rebus, quoniam res non facilè ſe nobis adcommodare ſolent; hocque reverâ eſſe ſe voluntati divinæ adcommodare. Sine dubio rectè ſe habent, quæ dixit, at ita ſtatuit etiam eodem tempore, voluntatem noſtram, quantum fieri poſſit, conformandam eſſe ad realitatem objectorum, & ad veras boni & mali repræſentationes; adeoque rationes moventes boni & mali, liber-

(o) *B. Jo. Alb. Fabricius* in Biblioth. Græc. Lib. V. c. VI. §. 1. „ *Heliodorus*, *Theodoſii* F. Phœnix Emeſenus, Imperatorum *Theodoſii* M. *Arcadii* atque *Honorii* temporibus clarus, homo Chriſtianus, compoſuit admodum juvenis Α'ιθιόπικα, fabulam diſertam, elegantem & amœnam, ſcriptam proſâ, complexamque amores caſtos, & varias jactationes *Theagenis* & *Chariclea*, Libris X. Poſtea, teſte *Socrate*, V. 22. p. 287. factus Epiſcopus Tricenſis in Theſſalia, auctor fuit moris, ut Clericus, qui poſt ſuſceptum ſacrum munus cum uxore, ante clericatum legitimo matrimonio junctâ, cohabitaret, deponeretur. Quod verò *Nicephorus* XII. 34. Hiſt. Eccleſ. addit, Synodum provincialem ſtatuiſſe, ut quoniam lectione ejus librorum juvenes multi in periculum pudoris conjicerentur, ipſos vel igni abolendos daret, vel Epiſcopatu cederet; atque *Heliodorum* Epiſcopatu excidere, quàm ſcripta ſua abolere maluiſſe: Hoc meritò fabuloſum videtur viris doctiſſimis *Valeſio* p. 72. ad *Socratem*, *Petavio* apud *Vavaſſorem* & *Vavaſſori* ipſi p. 149. de ludicra dictione, *Sorello* in obſervationibus ad Librum XIII. Paſtoris ſui inſanientis (*Berger extravagant*) p. 685. *Huetio* p. 36. Libri de Origine fabularum Romanenſium, & *Petro Bælio* in Dictionario Hiſtorico-Critico, Tom. 2. p. 1499. " Idem §. V. citat alium *Heliodorum* Lariſſæum, ſub cujus nomine Optica, ſive κιφαλαῖα τῶν Ὀπτικῶν, paucis foliis conſtantia, edita ſunt Græcè & Latinè Florentiæ apud *Juntas*, 1573. 4. & alib. deinceps.

libertati non eſſe contrarias, tantumque abeſſe, ut potentia ſine cauſa eligendi noſtræ felicitati inſerviat, ut ea potiùs inutilis ſit, immò pernicioſiſſima. Interim bonum eſt, eam nullibi ſubſiſtere, eſſeque tantum *ens rationis ratiocinantis*, quemadmodum Scholaſtici fictiones nuncupant necdum poſſibiles (p). Equidem mallem ea adpellare *entia rationis non ratiocinantis*. Video inſuper, *ſectionem III.* (de Electionibus intempeſtivis) poſſe tranſmitti, quoniam ea præcipit, non eligendas eſſe res impoſſibiles, inconſtantes, noxias, voluntati divinæ contrarias, ab aliis præoccupatas. Auctor etiam obſervat quàm commodiſſimè, de alterius felicitate ſine neceſſitate detrahentes, voluntati divinæ adverſari, quæ omnes, quantum fieri poteſt, vult eſſe feliciſſimos. Idem dicam *de IV. ſectione*, in qua locutus eſt de origine electionum intempeſtivarum, quales ſunt error vel ignorantia, negligentia, levitas celeriter ſine aliquo ſcrupulo ſententiam mutandi, obſtinatio temporariam mutationem excludens, ac pravæ conſuetudines; denique importunitas adpetituum, ſæpè nos perincommodè ad res externas compellentium. *Sectio quinta* occùpatur in conciliandis pravis electionibus aut peccatis, cum potentia & bonitate Dei, &, quoniam ea ſectio prolixa, in ſubſectiones dividitur. Auctor haud levis objectionis onus ſine neceſſitate ſibi ipſi impoſuit: tuetur namque, ſine potentia eligendi, in electione prorsùs indifferente, nullum dari peccatum. Jam Deo foret quàm minimè difficile, creaturis potentiam tam parum rationi conſentaneam denegare. Sufficeret illis commoveri repræſentationibus bonorum & malorum; Deus igitur, juxta Auctoris hypotheſin, facilè peccatum impedire poſſet. Neque aliam tollendæ hujus difficultatis rationem invenit, quàm ſi dicat, potentiâ hac a rebus avulsâ, Mundum fore duntaxat machinam purè paſſivam. Verùm cuncta hæc ſatis ſuperque ſunt refutata. Quòd ſi potentia iſta in mundo deficeret, uti reverâ deficit, illa non magnoperè deſideraretur. Animæ ſatis erunt contentæ repræſentationibus bonorum vel malorum, ut electiones ſuas ſuſcipiant, mundusque eandem, quam habet, pulchritudinem ſervabit. Auctor repetit id, quod ſuprà monuit, ſine hac potentia nullam fore felicitatem; ſed ſufficienter reſponſum eſt, & ne minimâ quidem veriſimilitudine claret iſta adſertio, nec alia quædam paradoxa, quæ ad tuendum primarium ſuum paradoxum hoc loco producit.

27. Utitur parvâ quadam digreſſione ad materiam de precibus (ſubſect. 4.) illos, inquiens, qui preces ad Deum fundunt, exſpectare mutationem ordinis naturalis, ſed videntur ſe fallere juxta ipſius ſententiam. Certè, homines acquieſcent, ubi exaudiuntur, nec erunt ſolliciti, nùm eorum gratiâ curſus naturæ ſit mutatus, nec ne? Quod ſi etiam bonorum Angelorum opera adjùvantur, nulla tamen aderit mutatio in ordine rerum generali. Neque illa Auctoris noſtri ſententia a ratione abludit, dari ſcilicet

(p) Conf. ill. *Wolfii* Ontol. Lat. §. 140.

licet ſyſtema ſubſtantiarum ſpiritualium æquè ac corporearum, ſubſtantiasque ſpirituales perinde, atque corpora, inter ſe commercium habere. Deus utitur miniſterio Angelorum ad regendos homines, ſalvo tamen & incolumi manente ordine Naturæ. Interim faciliùs iſtiuſmodi res dicuntur, quàm explicantur, niſi ad meum harmoniæ ſyſtema fiat tranſitus. Auctor verò paullo longiùs pedem promovet. Exiſtimat, miſſionem Spiritûs Sancti initio magnum fuiſſe miraculum, nunc autem illius in nobis operationes eſſe naturales. Videat ipſe, quomodo opinionem ſuam explicet, & cum Theologis aliis conſentiat. Obſervo interim, ipſum naturalem precum uſum collocare in virtute animam reddendi meliorem, adfectus vincendi, & certum novæ gratiæ gradum adquirendi. Nos propè eadem dicere poſſumus in noſtra hypotheſi, quæ vult voluntatem agere tantùm ſecundùm motiva; neque iis premimur difficultatibus, quibus Auctor exponitur potentiâ ſuâ eligendi ſine ratione. Videt ſe præterea valdè conſtrictum difficultate a præſcientia Dei proficiſcente; quòd ſi enim anima perfectè indifferens eſt in electione ſua, quomodo iſta electio præſciri poteſt, & quænam ratio ſufficiens cognoſcendæ rei alicujus inveniri poterit, ſi nec illius eſſe rationem ullam agnoſcit? Auctor ad alium locum remittit ſolutionem hujus difficultatis, quæ (juxta illius mentem) integrum opus requireret. Cæterùm, quandoque cogitata non ſpernenda profert de malo morali, noſtriſque principiis ſat conformia. Exempli gratiâ, quando dicit (ſubſect. 6.) vitia & crimina Univerſi pulchritudinem nequaquam minuere, ſed augere potiùs; uti quædam diſſonantiæ duritate ſua auribus offenſioni forent, ſi ſolæ fuerint perceptæ, quæ tamen in commiſtione harmoniam efficerent multò ſuaviorem. Adnotat etiam permulta bona, malis incluſa, verbi cauſâ, utilitatem prodigalitatis in opulentis, & avaritiæ in pauperibus, quod profectò artium incrementis inſervit. Porrò oſtendit quoque, nos non oportere judicare de Univerſo ex Globi noſtri, omniumque illorum, quæ nobis cognita ſunt, parvitate, cùm eorum maculæ, aut vitia, perinde prodeſſe queant ad pulchritudinem reſidui efferendam, atque fuci muſcarii, qui in ſe ipſis pulchri nihil habent, apti putantur a formoſo feminarum ſexu ad faciem integram ornandam, utut illius partem, quam tegunt, deformare videantur. *Cotta* apud *Ciceronem* Providentiam, dum ea hominibus Rationem largitur, comparaverat cum Medico, vinum ægroto concedente, quamvis præſenſiſſet abuſum cum damno vitæ ſuæ. Reſpondet Auctor, Providentiam facere id, quod ſapientia & bonitas poſtulet, ac bonum, inde redundans, malum quantitate ſuperare. Si Deus homini rationem non dediſſet, nullus planè homo exiſteret, Deusque ſimilis foret Medico, qui, ut morbum impediret, hominem interimeret. Addi poteſt, Rationem in ſe ipſam minimè nocere, ſed nocere defectum Rationis (q); inque abuſu

(q) Conf. *Diſc. de Conform. Fidei cum Ratione*, §. 46. ſqq.

Rationis inſtitui quidem examen intuitu mediorum, ſed finem, pravum videlicet, qui ſibi proponitur, non ſatis excuti. Igitur ſemper ob defectum Rationis prava admittitur actio. Proponit etiam objectionem *Epicuri* apud *Lactantium* in Libro de Ira Dei, quæ ita ferè ſonat: Aut Deus mala tollere vult, nec id efficere poteſt, quo caſu impotens eſſet; aut poteſt ea tollere, nec vult, id quod malignitatem in ipſo proderet; aut certè utraque virtute, & potentia & voluntate, ſimul deſtituitur, id quod ipſum & impotentem & invidum eodem planè momento nobis ſiſteret; aut denique poteſt & vult, ſed eo in caſu quæſtio erit, cur igitur id non facit, ſi exiſtit? Reſpondet Auctor, Deum non poſſe mala tollere, nec velle etiam, neque tamen eam ob cauſam malignum, vel impotentem, eſſe. Dicere maluiſſem, ipſum ea tollere poſſe, ſed non velle abſolutè, idque cum ratione; quia eodem actu & bona tolleret, immò plus boni tolleret, quàm mali. Poſtquàm ita tandem Auctor noſter finem impoſuit operi ſuo erudito, adjunxit adhuc *Adpendicem quandam*, in qua illi ſermo eſt de Legibus divinis. Optimè diſtinguit haſce Leges in naturales & poſitivas; monet, Leges particulares naturæ animalium cedere debere Legibus generalibus corporum; Deum propriè non iraſci, quando Leges ipſius violatæ ſunt; ſed ordinem voluiſſe, ut is, qui peccet, adcerſeret ſibi malum, & ut is, qui vim adferat aliis, vim iterum pateretur. Cenſet autem, Leges poſitivas Dei indicare & prædicare potiùs malum, quàm illud infligere. Atque hoc ei occaſionem ſuppeditat de æterna malorum damnatione verba faciendi, quæ non ampliùs ad emendationem, neque ad exemplum prodeſt, & tamen juſtitiæ Dei vindicativæ ſatisfacit, quamquam illi ipſi ſuæ calamitatis ſint architecti. Interim ſuſpicatur, pœnas haſce malorum aliquid emolumenti adferre bonis, & neſcit inſuper, an non ſatius ſit damnari, quàm non exiſtere, quandoquidem fieri poſſet, ut damnati, inſania quadam abrepti, animis in transverſum actis obſtinarent perſeverare in ſua miſeria, ſicque, ut Auctor opinatur, mediis in malis judiciorum ſuorum pravitati adplauderent, in voluntate Dei arguenda voluptatem ſuam quærentes. Videmus namque quotidiano die exempla hominum moroſorum, malignorum, invidorum, qui ex repræſentatione ſuorum malorum voluptatem capiunt, ſeque ipſos adfligere laborant. Non contemnenda ſunt hæc cogitata, quorum ſimilia & ipſe interdum ſum meditatus, ſed nolim tamen de iis decretoriam pronunciare ſententiam. Retuli ſuprà §. 271. Tentaminum, *Bælio* oppoſitorum, fabulam de Diabolo, veniam ab Anachoreta quodam Dei nomine oblatam repudiante. Baro *Andreas Taiffel*, ex Optimatibus Auſtriacis, *Ferdinandi*, Archiducis Auſtriaci, dein Imperatoris hoc nomine ſecundi, primarius equitandi Magiſter, facta ad nomen ſuum adluſione (quod in lingua Teutonica Diabolum ſignificare videtur) pro ſymbolo elegit Diabolum ſeu Satyrum quendam, cum hocce dicto Hiſpanico, *mas perdido*,

y

y menos arrepentido , plus jacturæ, & minùs pœnitentiæ ; quo indicatur adfectus ſpe omni fraudatus , & depelli neſcius. Repetiit poſtea teſſeram hanc Comes *de Villamediana*, Hiſpanus , cum Reginæ diceretur amaſius. In quæſtione , cur ſæpè numero boni malè, & mali benè habeant, illuſtris Auctor noſter exiſtimat , eam ſatis jam excuſſam , ſcrupuloſque omnes penitùs diſſipatos eſſe. Interim tamen adnotat , poſſe quandoque dubitari , an non boni , calamitatibus preſſi , ipſarum ope calamitatum boni evaſerint , & an non impii felices felicitatis ipſius uſu forte depravati fuerint. Adjicit , iniquos nos eſſe judices, non ſolùm ubi agitur de cognoſcendo homine bono , ſed & de cognoſcendo homine felice. Sæpiùs in honore eſt hypocrita , & in contemtu alius quiſpiam, ſine adfectatione ſolidæ virtutis ſtudioſus. Ita parum quoque nobis perſpecta eſt proſperitas , & latet ſæpè felicitas ſub laciniis pauperis alicujus , ſua ſorte contenti , dum fruſtrà quæritur in Magnatum aliquorum palatiis. Denique Auctor obſervat , maximam felicitatem in hac vita conſiſtere in ſpe felicitatis futuræ , adeoque dici poſſe , improbis nihil accidere , quod non ad emendationem , vel ad caſtigationem , proſit , nec quidquam bonis evenire , quod non majus bonum illis adportet. Hæ concluſiones cum meis cogitatis oppidò conſpirant , neque ad finem hujus Operis proferri quid poteſt , quod magis ſit conveniens.

CAUSA DEI ADSERTA PER JUSTITIAM EJUS, CUM CÆTERIS EJUS PERFECTIONIBUS CUNCTISQUE ACTIONIBUS CONCILIATAM.

ARGUMENTUM.

§. 1. *Tractatio Cauſæ Dei duas habet partes: prior eſt* præparatoria, *&* *ſeparatim ſpectat* Magnitudinem Bonitatem*que* divinam. §. 2. Magnitudo Dei *oppoſitum habet errorem Anthropomorphiſmum*, Bonitas *Deſpotiſmum.* §. 3. *Revocari illa poteſt ad duo capita*, Omnipotentiam *&* Omniſcientiam. §. 4. Omnipotentia *complectitur tum* independentiam *Dei ab aliis;* §. 5. *quæ elucet & in exiſtendo;* §. 6. *& in agendo;* §. 7. *Tum* dependentiam *omnium a Deo;* §. 8. *ſcilicet poſſibilium ab ejus intellectu;* §. 9. *& actualium non tantùm ab intellectu ejus, ſed etiam a voluntate, & quidem in exiſtendo per conſervationem;* §. 10. *In agendo per concurſum;* §. 11. *Qui ſimul eſt & immediatus,* §. 12. *& ſpecialis.* §. 13. Omniſcientia *verſatur itidem tam circa poſſibilia, quàm circa actualia.* §. 14. 15. *Partes ejus ſunt* Scientia poſſibilium, *ſeu ſimplicis intelligentiæ;* §. 16. Scientia actualium *ſeu viſionis;* §. 17. Scientia media, *an & quomodo concipi poſſit?* §. 18. 19. *Hæc, nimirum,* Bonitas divina, *eſt perfectio voluntatis, cujus & natura & ſpecies conſiderandæ.* §. 20. *Ad voluntatis naturam requiritur* Libertas. §. 21. *Et excluditur* Neceſſitas, *non quidem* Moralis, *ſed* Metaphyſica. §. 22. *Error eorum, qui nihil poſſibile ſtatuunt, niſi quod actuale.* §. 23. *Sequitur voluntatis diviſio duplex;* §. 24-27. *Prior eſt in* antecedentem *&* conſequentem; §. 28. *Poſterior in* productivam *&* permiſſivam. §. 29. Objectum *voluntatis, ſeu ratio volendi, eſt bonum & malum, cujus ſpecies ſunt,* §. 30. Metaphyſicum *non intelligentium;* §. 31. Phyſicum, *quo pertinet malum pœnæ;* §. 32. Morale, *quo pertinet malum culpæ.* §. 33-39. *Adplicantur hæ ſpecies ad voluntatem divinam, tum antecedentem & conſequentem, tum productivam & permiſſivam.* §. 40. *Hactenus de* præparatoria *parte,* Magnitudinem

&

& Bonitatem *Dei ſeparatim ſpectante. Pars principalis ad utramque junctim pertinentia exhibet.* Bonitas *refertur vel ad creaturas in univerſum, vel ſpeciatim ad intelligentes: priore modo cum magnitudine conſtituit* Providentiam. §. 41. Providentia, *quam* Sapientia *dirigit, ſeſe oſtendit in tota Univerſi ſerie, Deuſque ſeriem rerum inter poſſibiles optimam elegit, eam ipſam, quæ actu exiſtit.* §. 42. *Unicum hinc decretum Dei, quo ſcil. hæc rerum ſeries ad exiſtentiam perveniret.* §. 43. *Et decretum Dei eſt immutabile, nec tamen fundit neceſſitatem abſolutam ſeu conſequentis, ſed tantùm hypotheticam & conſequentiæ.* §. 44. *Ob hanc rerum certitudinem preces laboreſque nequaquam fiunt inutiles;* §. 45. *Quoniam res ex divina præſcientia & providentia ſunt determinatæ, non abſolutè, ſed per ſuas cauſas & rationes.* §. 46. Sapientia *autem infinita Omnipotentis,* Bonitati *juncta, fecit, ut nihil potuerit fieri melius, omnibus computatis, quàm a Deo factum eſt.* §. 47. *Imperitia eſt, aliquid in operibus Dei velle reprehendere.* §. 48. *Unde felicitas Deo ſervientium.* §. 49. *Sed optimæ rerum ſeriei eligendæ maxima ratio Chriſtus fuit* Θεάνθρωπος. §. 50. *Poſteriore modo, quatenùs ſcil. ſpeciatim refertur ad creaturas intelligentes, cum Sapientia conſtituit* Juſtitiam, *cujus ſummus gradus* Sanctitas. §. 51. Juſtitia *ſpecialiùs ſumta verſatur circa bonum malumque* phyſicum; Sanctitas *circa bonum malumque* morale. §. 52. *Bona malaque phyſica eveniunt tam in hac vita, quàm in futura: Querelæ hominum ob malorum multitudinem;* §. 53. *Et ob malorum inæqualem diſtributionem in hac vita:* §. 54. 55. *Reſponſio duplex.* §. 56. *Circa vitam futuram difficultas eadem ob malorum multitudinem, inprimis quod ad damnationem æternam.* §. 57 - 59. *Reſponſio ab amplitudine regni cœleſtis deſumta.* §. 60. *Circa* Sanctitatem *difficultates ſunt graviſſimæ.* §. 61 - 65. *Ei* α) *objicitur* Deum nimis concurrere ad malum morale, phyſicè & moraliter, voluntate & productiva & permiſſiva. §. 66. 67. *Reſpondetur ad concurſum moralem permittentis, & hoc oſtenditur fieri propter neceſſitatem moralem;* §. 68 - 73. *Ad concurſum phyſicum, & hoc oſtenditur fieri quoad bonitatem involutam in malo.* §. 74. *Ei* β) *objicitur*, hominem concurrere non ſatis, *probaturque tum ex* imbecillitate naturæ humanæ, *tum ex* defectu divinæ gratiæ. §. 75. In natura *ſpectari debet* α) Corruptio, *hujuſque ortus, qui eſt tum a lapſu Protoplaſtorum, tum a contagii propagatione.* §. 76. Cauſa lapsûs *non quærenda in quadam deſpotica Dei poteſtate;* §. 77. *Nec in quadam ad bonum malumque, juſtum & injuſtum, indifferentia;* §. 78. *Neque etiam in voluntate quadam Deo adficta, minimè ſancta, minimeque amabili;* §. 79. *ſed in imperfectione ſeu imbecillitate creaturarum originali.* §. 80. Natura Lapsûs. §. 81 - 85. Propagatio contagii in poſteros, *ubi de origine animæ.* §. 86. Natura & Conſtitutio Corruptionis *cernitur in peccato originali & derivativo;* §. 87 - 90. Peccatum Originale, *ubi quæſtio, quatenus damnet;* §. 91. Peccatum derivativum, *quod eſt actuale & habituale;* §. 92. Actuale, *in quonam conſiſtat;* §. 93. Habituale, *unde oriatur;*

§. 94 - 96.

§ 94 - 96. An ideò nullæ unquam irregenitorum actiones ſint verè virtuoſæ. §. 97. β) *Spectari debent* reliquiæ divinæ imaginis. §. 98. *Eæ conſiſtunt tum in lumine innato intellectûs, tum & in libertate congenita voluntatis.* §. 99. Lumen innatum *conſiſtit tum in ideis incomplexis, tum in naſcentibus inde notitiis complexis.* §. 100. *Id probatur tum ex Scriptura, tum ex Ratione.* §. 101. Libertas *in quantacumque humana corruptione ſalva manet;* §. 102. *Exemta eſt a neceſſitate & coactione.* §. 103. Neceſſitatem *non facit futuritio veritatum;* §. 104. *Non præſcientia aut præordinatio Dei;* §. 105. *Neque etiam prædiſpoſitio rerum aut cauſarum ſeries;* §. 106. *In quo ipſo diſtinguitur fatum Chriſtianum a Mahumetano, rationale ab abſurdo;* §. 107. *Mahumetanum deſcribitur.* §. 108. *Nec* coactio *in voluntariis reperitur actionibus.* §. 109. *Gratia* duplex *eſt*, una *ſufficiens volenti*, altera *præſtans, ut velimus.* §. 110. Gratia volenti ſufficiens *nemini negatur; ea eſt vel ordinaria per verbum & ſacramenta;* §. 111 - 113. *Vel extraordinaria, Deo relinquenda.* §. 114. Gratia volendi *non datur omnibus;* §. 115 - 122. *ſed* α) *ſine* Miſanthropia, *Deo imputata;* §. 123 127. *Præſente ſumma in Deo Philanthropia.* §. 128. 129. *De Gratia Dei per ſe victrice, quatenùs locum habeat;* §. 130 - 133. *De beneficiis Dei malè ad paucos electos reſtrictis; Poſt Deſpotiſmum ejuſmodi Particulariſmi ſpecies maximè fugienda.* §. 134. Gratia volendi *non datur omnibus, ſed* β) *ſine* Proſopolepſia, *Deo exprobrata, quaſi ejus electio ratione careret. Fundamentum Electionis* Chriſtus. §. 135. 136. *De conſideratione qualitatum objecti in rationes eligendi apud ſapientem ingrediente;* §. 137-144. *In ultimis rationibus ſingularium & œconomia circumſtantiarum agnoſcendum βάϑος, quia in harmonia rerum involvitur conſideratio Infiniti.*

§. 1. A*pologetica Cauſæ Dei Tractatio* non tantùm ad divinam gloriam, ſed etiam ad noſtram utilitatem pertinet, ut tum magnitudinem ejus, id eſt, potentiam ſapientiamque colamus, tum etiam bonitatem, &c, quæ ex ea derivantur, juſtitiam ac ſanctitatem amemus, quantumque in nobis eſt, imitemur. Hujus Tractationis duæ ſunt partes: prior præparatoria magis, altera principalis cenſeri poteſt; prior ſpectat divinam *Magnitudinem Bonitatem*que ſeparatim; poſterior pertinentia ad utramque junctim, in quibus ſunt *Providentia* circa omnes creaturas, & *Regimen* circa intelligentes, præſertim in negotio pietatis & ſalutis.

2. Magnitudinis divinæ potiùs, quàm Bonitatis rationem habuere Theologi rigidiores; at laxiores contrà: utraque perfectio æquè curæ eſt verè Orthodoxis. Error Magnitudinem Dei infringentium *Anthropomorphiſmus*, Bonitatem tollentium *Deſpotiſmus* adpellari poſſet.

3. *Magnitudo Dei* ſtudioſè tuenda eſt contra Socinianos inprimis, & quosdam Semiſocinianos, in quibus *Conradus Vorſtius* hic maximè peccavit (a). Revocari

(a) Conf. Ep. *Leibnitii* ad Dn. *la Croze.*

Revocari autem illa poteſt ad duo capita ſumma, omnipotentiam & omniſcientiam.

4. *Omnipotentia* complectitur tum Dei independentiam ab aliis, tum omnium dependentiam ab ipſo.

5. *Independentia Dei* in exiſtendo elucet, & in agendo. Et quidem *in exiſtendo*, dum eſt neceſſarius & æternus, &, ut vulgò loquuntur, ens a ſe: Unde etiam conſequens eſt immenſum eſſe.

6. *In agendo* independens eſt naturaliter & moraliter. Naturaliter quidem, dum eſt liberrimus, nec, niſi a ſe ipſo, ad agendum determinatur; moraliter verò, dum eſt ἀνυπεύθυνος, ſeu ſuperiorem non habet.

7. *Dependentia rerum a Deo* extenditur tum ad omnia poſſibilia, ſeu quæ non implicant contradictionem (b); tum etiam ad omnia actualia.

(b) Præter Librum Hobbeſianum, ſupra ab ill. *Leibnitio* illuſtratum, etiam Cauſam Dei Leibnitianam ſuis adnotationibus ornavit *Cel. Nicol. Engelhardus* in cit. Feriis Groninganis. Ad hunc locum diſcrimen inter adſerta Leibnitiana & Spinoſiana ita pandit. (p. 27 - 29.) „Verum eſt, *ait*, in Syſtemate Spinoſæ nihil eſſe poſſibile, niſi quod & actuale ſit. Vide inter alia *Eth. Part. I. Prop. 16. cum Coroll.* in Syſtemate verò *Leibnitii* innumera dari poſſibilia, quæ tamen nunquam fiunt actualia, propterea quòd divinæ voluntatis efficacia ex omnibus mundis poſſibilibus non, niſi unicus, ad exiſtentiam perducatur, vide infr. §. 15. atque adeò hactenùs Syſtema *Spinoſæ* cum Syſtemate *Leibnitii* adverſa fronte pugnare patet. At enim verò ſi *definitionem* legam *poſſibilis*, apud *Spinoſam* occurrentem, eamque cum aliis propoſitionibus apud eundem obviis comparem, diſſenſus denuò in verbis magis, quàm in re, eſſe videri poſſet: *Ethices* Part. 4. Defin. 4. *Eaſdem res ſingulares voco poſſibiles, quatenùs dum ad cauſas, ex quibus produci debent, adtendimus, neſcimus, an ipſæ determinatæ ſint ad eaſdem producendum*, vi definitionis hujus ipſe quoque *Spinoſa* concedere debet, & revera conceſſit, plura hoc ſenſu eſſe poſſibilia, quàm fiunt actualia, vide quæ adfert ad Part. 1. prop. 8. & 11. & confer ea cum prop. 28. atque cum ſcholio prop. 10. part. 2. Quid quod *Part. 1. prop. 33. ſchol. 1.* talem præbeat *Neceſſarii & Contingentis* explicationem, ut videri poſſet *Spinoſa* cum *Leibnitio* diſtinxiſſe inter ea, quæ *abſolutè*, eaque, quæ tantùm *hypotheticè* ſunt *neceſſaria*, inter ea item, quæ *abſolutè*, & inter ea, quæ non, niſi *hypotheticè*, *impoſſibilia* exiſtunt; Ita enim loquitur: „*Res aliqua* neceſſaria dicitur vel ratione ſuæ eſſentiæ, vel ratione cauſſæ: Rei enim alicujus exiſtentia vel ex ipſius eſſentia & definitione, vel ex data cauſa efficiente neceſſariò ſequitur. Deinde etiam de cauſis res aliqua impoſſibilis dicitur, nim. quia vel ipſius eſſentia ſeu definitio contradictionem involvit, vel quia nulla cauſa externa datur ad talem rem *producendam determinata*. " Quid inde? An non ergò *Leibnitio* convenit cum *Spinoſa*? Non *Leibnitio* magis, Lector! quàm orthodoxis omnibus: In ſyſtemate quippe Spinoſæ α. poſſibilia propriè nulla dantur, quæ non & actualia, niſi reſpectu iterùm cognitionis noſtræ, non verò reſpectu ipſius Dei: v. Eth. part. 1. prop. 33. β. Exiſtentiam conſequuntur poſſibilia omnia neceſſitate naturæ divinæ ſine conſilio & libertate agentis, ita ut, poſito Deo, eadem neceſſitate abſoluta conſequantur hæ adtributorum ejus modificationes, qua ex natura trianguli ſequitur, tres ejus angulos æquales eſſe duobus rectis, conf. Part. I. Eth. propp. 17. 32. 33. Contrariam & ſanam ſententiam *ill. Leibnitii*, quam pluribus dein effert Cel. Auctor, ſatis ſuperque percepimus in ipſis Theodicææ Tentami-

8. Ipſa rerum *poſſibilitas*, cum actu non exiſtunt, realitatem habet fundatam in divina exiſtentia: niſi enim Deus exiſteret, niſi poſſibile foret; & poſſibilia ab æterno ſunt in ideis divini intellectûs.

9. *Actualia* dependent a Deo tum in exiſtendo, tum in agendo, nec tantùm ab intellectu ejus, ſed etiam a voluntate. Et quidem in *exiſtendo*, dum omnes res a Deo liberè ſunt creatæ, atque etiam a Deo conſervantur; neque malè docetur, conſervationem divinam eſſe continuatam creationem, ut radius continuò a ſole prodit; etſi creaturæ neque ex Dei eſſentia, neque neceſſariò, promanent (c).

10. *In agendo* res dependent a Deo, dum Deus ad rerum actiones concurrit; quatenùs ineſt actionibus aliquid perfectionis, quæ utique a Deo manare debet.

11. *Concurſus* autem Dei (etiam ordinarius ſeu non miraculoſus) ſimul & immediatus eſt & ſpecialis. Et quidem *immediatus*, quoniam effectus non ideò tantùm a Deo dependet, quia cauſa ejus a Deo orta eſt, ſed etiam quia Deus non minùs, neque remotiùs, in ipſo effectu producendo concurrit, quàm in producenda ipſius cauſa.

12. *Specialis* verò eſt concurſus, quia non tantùm ad exiſtentiam rei actuſque dirigitur, ſed & ad exiſtendi modum & qualitates, quatenùs aliquid

taminibus. Antea ſimilem inter *Leibnitii* & *Spinoſæ* effata in doctrina de Contingentia rerum comparationem inſtituit, illiuſque ſententiam ab hujus nugis toto cœlo diſtare oſtendit, a pag. 7 - 27.

(c) Non ſpernenda & hæc *Engelhardi* adnotatio videtur. Ait p. 50. Quodnam deſiderari poſſet luculentius innocentiæ ill. Auctoris documentum? Veteres Platonici exiſtimabant, Mundum ab omni æternitate ex Deo tq. cauſâ ſuâ fluxiſſe *ut de perenni ſole perennis radius*; ſimilitudo periculoſior eſt, quam ut admitti poſſit, cùm ne ipſe quidem *Spinoſa* eam reformidaret. In ſyſtemate *Epicureorum* veterum & hodiernorum *Newtonianorum* radii, ex ſole effluentes, ſunt particulæ ipſius corporis ſolaris emiſſione ab ipſo ſeparatæ, ſunt igniculi, ab ignea maſſa ſolis ejaculati, poſſet aliquis inde inferre, creaturas omnes nihil eſſe, niſi totidem divinitatis particulas: hinc eſt, quod *Leibnitius*, ne craſſiſſimo huic errori anſam præberet, creaturas *neque ex Dei eſſentia, neque neceſſariò promanare adſirmat.* Similia planè lego apud *Wolfium* in Animadv. ad Metaphyſ. p. 60. & 61. (*ſcil.* §. 28.) Cæterùm ſyſtema de propagatione luminis *Carteſii*, *Hugenii*, *Leibnitii*, *Wolfii*, aliorum, longè magis ad rhombum adcommodatum eſt, licèt, uti proverbio dici ſolet, in hac quoque re verum ſit, *quòd omnis ſimilitudo claudicet;* In eo quippe ſyſtemate radii luminoſi neque ex ſole egrediuntur, neque proinde ad ejuſdem eſſentiam pertinent, cùm in ſola ætheris globuloſi propulſione luminis propagati ſita ſit, diſſimilitudo in eo quàm maximè ſita eſt, quod Deus rebus extra ſe exiſtentiam largitus fuerit veri nominis creatione, ita ut ſine ejuſdem voluntatis div. efficacia ne quidem per momentum ſubſiſtere poſſent, quæ actio omnem ſimilitudinem & analogiam in rebus creatis excludit. Obſervent interim Lectores verum illud *Schibbolet*, quod Atheos inter & Orthodoxos hac in re Philoſophos differentiam genuinam oſtendit, eſſe illud, quod apud Auctorem noſtrum deprehendis, *Creationem* ſcil. *actum eſſe Dei tranſeuntem, non immanentem*, uti impiè nugatur *Spinoſa* Eth. Part. 1. prop. 18.

aliquid perfectionis illis ineſt, quod ſemper a Deo profluit, patre luminum, omniſque boni datore.

13. Hactenùs de potentia Dei, nunc de ſapientia ejus, quæ ob immenſitatem vocatur *Omniſcientia.* Hæc cùm & ipſa ſit perfectiſſima, (non minùs quàm Omnipotentia) complectitur omnem ideam & omnem veritatem; id eſt, omnia tam incomplexa, quàm complexa, quæ objectum intellectus eſſe poſſunt: & verſatur itidem tam circa poſſibilia, quàm circa actualia.

14. *Poſſibilium eſt*, quæ vocatur *Scientia ſimplicis intelligentiæ*, quæ verſatur tam in rebus, quàm in earum connexionibus; & utræque ſunt tam neceſſariæ, quàm contingentes.

15. *Poſſibilia contingentia* ſpectari poſſunt tum ut ſejuncta, tum ut coordinata in integros Mundos poſſibiles infinitos, quorum quilibet Deo eſt perfectè cognitus (d), etſi ex illis non, niſi unicus, ad exiſtentiam perducatur: neque enim plures Mundos actuales fingi ad rem facit, cùm unus nobis totam univerſitatem creaturarum cujuſcumque loci & temporis complectatur, eoque ſenſu hoc loco *Mundi* vocabulum uſurpetur (e).

16. Scientia Actualium, ſeu Mundi ad exiſtentiam perducti, & omnium in eo præteritorum, præſentium & futurorum, vocatur *Scientia viſionis*: nec differt a Scientia ſimplicis intelligentiæ hujus ipſius Mundi, ſpectati ut poſſibilis, quàm quod accedit cognitio reflexiva, qua Deus novit ſuum

 decre-

(d) Neſcio, ait *Engelhardus*, pag. 57. proinde, quid ſibi velit quorundam contra ſyſtema *Leibnitianum* objectio: *Rerum nexum Deus vel invenit, vel fecit, ſed non invenit, ergò fecit, ergò falſum eſt ſyſtema Leibnitianum.* Meræ ſunt tenebræ. Rerum nexum & invenit & fecit, invenit non extra ſe, quaſi darentur entia a Deo diſtincta, ipſique coæterna, ſed quatenùs infinitus Dei intellectus uno & ſimultaneo actu omnes omnium rerum poſſibilium, ſive ſejunctim, ſive in nexu ſuo, ſpectatarum, ideas complectitur: hunc verò rerum nexum etiam fecit, quia voluntatis ſuæ efficacia ex innumeris mundis æquè poſſibilibus hunc potiùs, quàm quemvis alium, liberrimè produxit: Dicendum ergò eſt, nexum rerum Deum conſtituere *intelligendo & volendo*, quia, niſi Deus exiſteret, nihil omninò poſſibile foret. "

(e) Dici vix poteſt, obſervante *Engelhardo*, p. 58. quantoperè *Leibnitii* Antagoniſtas propria deceperit eorum inadvertentia. Dum adfirmat *Leibnitius*, *Deum creaviſſe Mundum optimum*; ſtatim quærunt; *an Mundus non fuerit multo perfectior in ſtatu integritatis?* Quaſi verò id negaret *Leibnitius*, imperitè confundunt hanc aut illam mundi faciem, prouti in hoc vel illo temporis articulo, hoc aut illo loco, nobis obverſatur, cùm mundo in toto ſuo complexu temporis & ſpatii conſiderato, mundum quippe ex mente *Leibnitii* non conſtituit hæc aut illa mundi facies, quæ hodie, heri aut antè 6000. annos locum habuit, ſed omnes omninò omnium creaturarum ſtatus præſentes, præteriti & futuri, ad eum pertinent, ita ut & præmia & pœnas in altera vita, & quidquid unquam fuit, eſt, aut erit in omne ævum, complectatur. Et hinc, uti loquitur *Cudworthus Syſt. Intell. Univ. p.* 1180. de viis divinæ Providentiæ rectè judicare nemo poteſt, niſi, qui futura cum præſentibus & præteritis comparaverit. " Conf. laud. *Richterum*, præclarè de *Mundi* vocabulo docentem, in Adnott. p. 812--815.

decretum de ipſo ad exiſtentiam perducendo. Nec alio opus eſt divinæ *præſcientiæ* fundamento.

17. *Scientia* vulgò dicta *Media*, ſub Scientia ſimplicis intelligentiæ comprehenditur, eo, quem expoſuimus, ſenſu. Si quis tamen Scientiam aliquam Mediam velit inter Scientiam ſimplicis intelligentiæ, & Scientiam viſionis; poterit & illam & Mediam aliter concipere, quàm vulgò ſolent, ſcilicet ut Media non tantum de futuris ſub conditione, ſed & in univerſum de poſſibilibus contingentibus accipiatur. Ita Scientia ſimplicis intelligentiæ reſtrictiùs ſumetur, nempe ut agat de veritatibus poſſibilibus & neceſſariis; Scientia Media de veritatibus poſſibilibus & contingentibus, Scientia viſionis de veritatibus contingentibus & actualibus. Et media cum prima commune habebit, quod de veritatibus poſſibilibus agit; cum poſtrema, quod de contingentibus.

18. Hactenùs de divina Magnitudine, nunc agamus etiam de *Divina Bonitate*. Ut autem Sapientia, ſeu veri cognitio, eſt perfectio intellectûs, ita Bonitas, ſeu boni adpetitio, eſt perfectio voluntatis. Et omnis quidem voluntas bonum habet pro objecto, ſaltem adparens, at divina voluntas non, niſi bonum ſimul & verum.

19. Spectabimus ergò & Voluntatem, & objectum ejus, nempe Bonum & Malum, quod rationem præbet volendi & nolendi. In *Voluntate* autem ſpectabimus & naturam ejus & ſpecies.

20. Ad Voluntatis *naturam* requiritur *Libertas*, quæ conſiſtit in eo, ut actio voluntaria ſit ſpontanea ac deliberata, atque adeò, ut excludat neceſſitatem, quæ deliberationem tollit.

21. *Neceſſitas* excluditur *Metaphyſica*, cujus oppoſitum eſt impoſſibile, ſeu implicat contradictionem; ſed non *Moralis*, cujus oppoſitum eſt inconveniens. Etſi enim Deus non poſſit errare in eligendo, adeoque eligat ſemper, quod eſt maximè conveniens (f); hoc tamen ejus libertati adeò non

(f) *Engelhardus*, p. 77. In Syſtemate ill. *Leibnitii*, prouti libertas agendi Deo eſſentialis eſt & abſolutæ neceſſitatis in Ente perfectiſſimo, & propter eam ipſam libertatem, actus quoque Dei decernentis liberrimus eſſe debet, ita non minùs Deo naturale eſt, ſemper agere ex rationibus ſanctiſſimis, licèt illas rationes Deum ad agendum non neceſſitent, ſed ſummam potiùs agendi libertatem in Deo præſuppònant. Nolo plura ad *Syſtema Leibnitii de creatione Mundi Optimi*, adferre, firmiter teneo cum *Calvino*, aliiſque Theologis Reformatis, Deum decreti ſui rationes habere ſanctiſſimas, easque nobis homuncionibus imperſcrutabiles in ſpecialioribus; licèt in genere adfirmari poſſit, Deum ſemper velle id, quod optimum eſt, quia ſcil. nihil eſt, quod amare poſſit, niſi ſe ipſum, huncque amorem perfectionum ſuarum oſtendere tam in regno Naturæ, quàm in regno Gratiæ, cumque utrumque hoc Dei regnum Mundum abſolvat in ſenſu Leibnitiano, ſi quis eo ſenſu Mundum hunc dicere velit Optimum, non refragabor, quia ad Optimum finem tendit, ſcil. Gloriæ divinæ manifeſtationem, qua major nec dari, nec concipi poteſt: fluit id ex ipſa divinitatis & divinarum perfectionum diſtinctis notionibus. Neque enim perfectiſſimum

non obſtat, ut eam potiùs maximè perfectam reddat. Obſtaret, ſi non, niſi unum, foret voluntatis objectum poſſibile, ſeu ſi una tantùm poſſibilis rerum facies fuiſſet; quo caſu ceſſaret electio, nec ſapientia bonitaſque agentis laudari poſſet.

22. Itaque errant, aut certè incommodè admodum loquuntur, qui ea tantùm poſſibilia dicunt, quæ actu fiunt, ſeu quæ Deus elegit; qui fuit lapſus *Diodori* Stoici apud *Cireronem*, & inter Chriſtianos *Abailardi*, *Wiclefi*, *Hobbii.* Sed infrà plura de libertate dicentur, ubi humana tuenda erit.

23. Hæc de Voluntatis natura; ſequitur *Voluntatis diviſio*, quæ in uſum noſtrum præſentem eſt potiſſimùm duplex: una in antecedentem & conſequentem, altera in productivam & permiſſivam.

24. *Prior diviſio* eſt, ut Voluntas ſit vel antecedens ſeu prævia, vel conſequens ſeu finalis, ſive, quod idem eſt, ut ſit vel inclinatoria vel decretoria; illa minùs plena, hæc plena vel abſoluta. Equidem ſolet aliter (prima quidem ſpecie) explicari hæc diviſio a nonnullis, ut antecedens Dei voluntas (verbi gratiâ, omnes ſalvandi) præcedat conſiderationem; conſequens autem, (verbi gratiâ, quoſdam damnandi) eam ſequatur. Sed illa præcedit etiam alias Dei voluntates, hæc ſequitur; cùm ipſa facti creaturarum conſideratio, non tantùm a quibuſdam Dei voluntatibus præſupponatur, ſed etiam quaſdam Dei Voluntates, ſine quibus factum creaturarum ſupponi nequit, præſupponat. Itaque *Thomas* & *Scotus*, aliique, diviſionem hanc, eo, quo nunc utimur, ſenſu ſumunt, ut voluntas antecedens ad Bonum aliquod in ſe, & particulariter, pro cujuſque gradu, feratur, unde hæc voluntas eſt tantùm ſecundùm quid; voluntas autem conſequens ſpectet totale, & ultimam determinationem contineat; unde eſt abſoluta & decretoria; & cùm de divina ſermo eſt, ſemper effectum plenum obtinet. Cæterùm, ſi quis noſtram explicationem nolit, cum eo

 de

tiſſimum hunc omnium ſuarum perfectionum amorem oſtendiſſet Deus, ſi illuſtrius daretur Gloriæ divinæ theatrum, quàm illud eſt, quod creavit, non quòd aliquid ex creaturis in Deum redundet commodi aut perfectionis, ſed quòd Deus ſibi ipſi quaſi lex ſit. Videtur *Bælius in Dict. Critico*, *Artic. Anaxagoras litt. R.* ex eo, quòd in hominis poteſtate non ſit poſitum oſtendere, quomodo & quouſque quodlibet rerum corporearum individuum ad perfectionem totius machinæ mundanæ influat, negare velle, nos de mundi perfectione cum ratione aliquid ſtatuere poſſe: Verùm enim verò ad inferendum, Deum omnia feciſſe טוב טוב ſive optimè, non opus eſt; ut omnes cauſas Dei finales in numerato habeamus, ſufficit noviſſe Creatorem hujus Univerſi ens eſſe ſummè perfectum, adeoque etiam optimum, ſapientiſſimum & potentiſſimum, ut inde inferamus, in ipſius quoque operibus nihil eſſe, quod ſuperfluum ſit, aut verè defectuoſum, ſed defectus, quos deprehendere in illis nobis videmur, non poſſe, niſi merè adparentes, eſſe, vide *Metaphyſ. noſtræ* §§. *94. 395.* 431. 449. 470. ſeqq. præprimis verò conſulat Lector *Cudworthi* ſyſtema ſæpiùs cit. *cap. 5. ſect. 5. p. 1165.*

de vocabulis non litigabimus: pro antecedente & conſequente ſubſtituat, ſi volet, prævìam & finalem (g).

25. *Voluntas antecedens* omninò ſeria eſt & pura, non confundenda cum velleitate, (ubi quis vellet, ſi poſſet, velletque poſſe) quæ in Deum non cadit; nec cum voluntate conditionali, de qua hic non agitur. Tendit autem voluntas antecedens in Deo ad procurandum omne bonum, & ad repellendum omne malum, quatenùs talia ſunt, & proportione gradûs, quo bona malave ſunt. Quàm ſeria autem hæc voluntas ſit, Deus ipſe declaravit, cùm tanta adſeveratione dixit, ſe nolle mortem peccatoris, velle omnes ſalvos, odiſſe peccatum.

26. *Voluntas conſequens* oritur ex omnium voluntatum antecedentium concurſu, ut ſcilicet, quando omnium effectus ſimul ſtare non poſſunt, obtineatur inde quantus maximus effectus per ſapientiam & potentiam obtineri poteſt. Hæc voluntas etiam *Decretum* adpellari ſolet.

27. Unde patet, voluntates etiam antecedentes non omninò irritas eſſe, ſed efficaciam ſuam habere; qui etſi effectus earum obtinetur, non ſemper ſit plenus, ſed per concurſum aliarum voluntatum antecedentium reſtrictus. At voluntas decretoria, ex omnibus inclinatoriis reſultans, ſemper plenum effectum ſortitur, quoties potentia non deeſt in volente: quemadmodum certè in Deo deeſſe nequit. Nempe in ſola voluntate decretoria locum habet Axioma: qui poteſt & vult, ille facit; quippe cum eo ipſo ſcientiam requiſitam ad agendum ſub potentia comprehendendo, jam nihil intus extraque actioni deeſſe ponatur. Neque verò aliquid felicitati perfectionique volentis Dei decedit, dum non omnis ejus voluntas effectum plenum ſortitur: quia enim bona non vult, niſi pro gradu bonitatis, quæ in unoquoque eſt; tum maximè ejus voluntati ſatisfit, cùm optimum reſultans obtinetur.

28. *Poſterior Voluntatis diviſio* eſt in *productivam* circa proprios actus, & *permiſſivam* circa alienos. Quædam enim interdum permittere licet, (id eſt, non impedire) quæ facere non licet, velut peccata, de quo mox. Et permiſſivæ voluntatis objectum proprium non id eſt, quod permittitur, ſed permiſſio ipſa.

29. Hactenùs de Voluntate, nunc de *Ratione Volendi*, ſeu *Bono & Malo*. Utrumque triplex eſt, Metaphyſicum, Phyſicum & Morale.

30. *Metaphyſicum* generatim conſiſtit in rerum etiam non intelligentium perfectione & imperfectione. Liliorum campi & paſſerum curam a Patre cœleſti geri Chriſtus dixit, & brutorum animantium rationem Deus habet apud *Jonam*.

31. *Phy-*

(g) Conf. inprimis, monente *Engelhardo*, p. 82. Clar. *Hottingeri Diſſert. de Vol. Ant. & Conſ.* quæ occurrit *in Hiſt. de Gratia & Prædeſtin. Tom.* 2.

31. *Phyſicum* accipitur ſpeciatim de ſubſtantiarum intelligentium commodis & incommodis, quo pertinet *malum pœnæ*.

32. *Morale* de earum actionibus virtuoſis & vitioſis, quo pertinet *malum culpæ*: & malum phyſicum hoc ſenſu a morali oriri ſolet, etſi non ſemper in iiſdem ſubjectis, ſed hæc tamen, quæ videri poſſit aberratio, cum fructu corrigitur, ut innocentes nollent paſſi non eſſe. add. infra §. 55.

33. Deus vult bona per ſe, antecedenter ad minimum; nempe tam rerum perfectiones in univerſum, quàm ſpeciatim ſubſtantiarum intelligentium omnium felicitatem & virtutem, & unumquodque bonorum prò gradu ſuæ bonitatis, ut jam dictum eſt.

34. Mala, etſi non cadant in voluntatem Dei antecedentem, niſi quatenùs ea ad remotionem eorum tendit, cadunt tamen interdum, ſed indirectè in conſequentem: quia interdum majora bona ipſis remotis obtineri non poſſunt, quo caſu remotio malorum non planè perducitur ad effectum; & conſiſtens intra voluntatem antecedentem, non prorumpit in conſequentem. Unde *Thomas de Aquino* poſt *Auguſtinum* non incommodè dixit, Deum permittere quædam mala fieri, ne multa bona impediantur.

35. Mala Metaphyſica & Phyſica, (veluti imperfectiones in rebus, & mala pœnæ in perſonis) interdum fiunt bona ſubſidiata, tanquàm media ad majora bona.

36. At malum morale, ſeu malum culpæ, nunquam rationem medii habet, neque enim (Apoſtolo monente) facienda ſunt mala, ut eveniant bona; ſed interdum tamen rationem habet conditionis, quam vocant, ſine qua non, ſive colligati & concomitantis; id eſt, ſine quo bonum debitum obtineri nequit; ſub bono autem debito etiam privatio mali debita continetur. Malum autem admittitur non ex principio neceſſitatis abſolutæ, ſed ex principio convenientiæ. Rationem enim eſſe oportet, cur Deus malum permittat potiùs, quàm non permittat: ratio autem divinæ voluntatis non, niſi a bono, ſumi poteſt.

37. Malum etiam culpæ nunquam in Deo objectum eſt voluntatis productivæ, ſed tantùm aliquando permiſſivæ; quia ipſe nunquam peccatum facit, ſed tantùm ad ſummum aliquando permittit.

38. Generalis autem Regula eſt permittendi peccati, Deo hominique communis, ut nemo permittat peccatum alienum, niſi impediendo ipſemet actum pravum exerciturus eſſet. Et, ut verbo dicam, peccatum permitti nunquam *licet*, niſi cùm *debet*, de quo diſtinctiùs infrà §. 66.

39. Deus itaque inter objecta voluntatis habet optimum, ut finem ultimum; ſed bonum ut qualemcumque, etiam ſubalternum, res verò indifferentes, itemque mala pœnæ ſæpè ut media; at malum culpæ non niſi ut rei alioqui debitæ conditionem ſine qua non eſſet; eo ſenſu, quo Chriſtus dixit oportere, ut ſcandala exiſtant.

40. Hac-

40. Hactenùs de magnitudine & de bonitate ſeparatim ea diximus, quæ præparatoria hujus Tractationis videri poſſunt; nunc agamus de pertinentibus ad utramque junctim. *Communia* ergò *magnitudinis & bonitatis* hîc ſunt, quæ non ex ſola bonitate, ſed etiam ex magnitudine, (id eſt, ſapientiâ & potentiâ) proficiſcuntur: facit enim magnitudo, ut bonitas effectum ſuum conſequatur. Et bonitas refertur vel ad creaturas in univerſum, vel ſpeciatim ad intelligentes. Priore modo cum magnitudine conſtituit providentiam in Univerſo creando & gubernando; poſteriore, juſtitiam in regendis ſpeciatim ſubſtantiis ratione præditis.

41. Quia bonitatem Dei, in creaturis ſeſe generatim exerentem, dirigit ſapientia; conſequens eſt, *providentiam divinam* ſeſe oſtendere in tota ſerie Univerſi; dicendumque, Deum ex infinitis poſſibilibus ſeriebus rerum elegiſſe optimam; eamque adeò eſſe hanc ipſam, quæ actu exiſtit. Omnia enim in Univerſo ſunt harmonica inter ſe, nec ſapientiſſimus, niſi omnibus perſpectis, decernit, atque adeò non, niſi de toto. In partibus, ſingulatim ſumtis, voluntas prævia eſſe poteſt, in toto decretoria intelligi debet.

42. Unde adcuratè loquendo, non opus eſt ordine Decretorum divinorum; ſed dici poteſt, unicum tantùm fuiſſe Decretum Dei, ut hæc ſcilicet ſeries rerum ad exiſtentiam perveniret; poſtquàm ſcilicet omnia, ſeriem ingredientia, fuere conſiderata, & cum rebus, alias ſeries ingredientibus, comparata (h)

43. Ita-

(h) *Engelhardus* ad h. locum, p. 93. ſqq. *Stephanum Vitum*, Virum longè doctiſſimum, in *Apologia Synodi Dordracenæ* memini (neque enim liber ille jam ad manus mihi eſt) adſeverare, *ill. Leibnitium* inter Supralapſarios meritò referri, hujusque ſui judicii ſe non pœnitere alicubi dicit in *Apologiæ Vindiciis.* Auctor *Uſus Philoſophiæ Leibnitianæ & Wolfianæ*, J. Th. C. cap. *de Prædeſtinatione* contra Theologos reformatos diſputans, *Vitum* propter hoc ejus adſertum *vel* malæ fidei, *vel* oſcitantiæ adcuſat. Sibi non deerit *Doctiſſimus Vitus*, interim, ut Lector judicare poſſit, an adeò deſperanda ſit *Leibnitii* cum *Supralapſariis* reconciliatio; cum placitis Supralapſariorum, quæ *ab una parte* ſtatuunt, actum decernentis Dei unicum & ſimpliciſſimum eſſe; *ab altera parte* omninò concedunt, Deum decreti ſui habere rationes ſanctiſſimas, cum hiſce, inquam, placitis conferat *Theodicææ* §§. 75. uſque ad 83. Abſoluto horum §§. textu addit: Ex quibus facilè patet, nullam intercedere differentiam, niſi quod *Supralapſarii* inter Reformatos, *rationes illas nobis haud eſſe perſpectas*, prudenter adfirment, *Leibnitius* verò illas determinare fuerit auſus. " Sed fallitur omninò Vir eruditus, cùm in eo potiſſimum diſcrimen verſetur, quòd Supralapſarii rejiciunt rationes *objectivas*, & admittunt tantùm *ſubjectivas*. Nihil igitur contra adſerta *Cel. Canzii* ſolidiſſima evincet cum *Vito Engelhardus*, niſi ſatisfecerit illius poſtulato, ſi ſcribit cap. IX. *de Præd eſt.* §. 31. Si Supralapſarios audias, Deus non habet rationes *objectivas* decernendi gloriam juſtitiæ, verùm duntaxat *ſubjectivas*, quia ſic decernere vult: ſi *Leibnitium* ſequaris, Deus planè nullas rationes, niſi merè *objectivas* reſpicit, non ita decernit, quia vult, ſed quia objecti conditio hæc optima eſt, non autem alia, quia partes in objecto v. g. ſalus *Petri* convenientior eſt,

quàm

43. Itaque etiam Decretum Dei eſt immutabile, quia omnes rationes, quæ ei objici poſſunt, jam in conſiderationem venêre: ſed hinc non alia oritur *neceſſitas*, quam *conſequentiæ*, ſeu quam *hypotheticam* vocant, ex ſuppoſita ſcilicet præviſione & præordinatione; nulla autem ſubeſt neceſſitas *abſoluta*, ſeu *conſequentis*; quia alius etiam rerum ordo poſſibilis erat, & in partibus, & in toto; Deuſque, contingentium ſeriem eligens, contingentiam eorum non mutavit.

44. Neque ob rerum certitudinem preces laboreſque fiunt inutiles ad obtinenda futura, quæ deſideramus. Nam in hujus ſeriei rerum, tanquam poſſibilis, repræſentatione apud Deum, antequàm ſcilicet decerni intelligeretur; utique & preces in ea (ſi eligeretur) futuræ, & aliæ effectuum in ea comprehendendorum cauſæ, inerant, & ad electionem ſeriei, adeoque & ad eventus in ea comprehenſos, ut par erat, valuere. Et quæ nunc movent Deum ad agendum aut permittendum, jam tum eum moverunt ad decernendum, quid acturus eſſet aut permiſſurus (i).

45. Atque hoc jam ſuprà monuimus, res ex divina præſcientia & providentia eſſe determinatas, non abſolutè, ſeu, quidquid agas, aut non agas, ſed per ſuas cauſas rationeſque. Itaque ſive quis preces, ſive ſtudium & laborem, inutiles diceret, incideret in *ſophiſma*, quod jam veteres *ignavum* adpellabant. add. infrà, §. 106. 107.

46. Sapientia autem infinita Omnipotentis, bonitati ejus immenſæ juncta, fecit, ut nihil potuerit fieri melius, omnibus computatis, quàm quod a Deo eſt factum; atque adeò, ut omnia ſint perfectè harmonica, conſpirentque pulcherrimè inter ſe: cauſæ formales, ſeu animæ, cum

quàm pernicies, nimirum ob fidem. SI VEL UNUM SUPRALAPSARIUM ADLEGARE POSSIT VITUS DOCTISSIMUS, ADMITTENTEM RATIONES OBJECTIVAS, TOTA HAC CAUSA CECIDERO. - - Per orbem, qua patet, omnem vulgatum eſt, in eo poni decretorum abſolutorum a conditionatis diſcrimen, ut illa non, niſi rationes *ſubjectivas* in Deo eligente, hæc autem *objectivas* in re electa requirantur. "

(i) *Suareſius*, adnotante Cel. *Engelhardo*, p. 106. citante *Leibnitio* Theod. §. 310. cenſuit, Deum res antecedenter ita conſtituiſſe, ut beatorum preces, quando plena cum voluntate fiunt, eventum ſemper obtineant. *Carteſius* Part. I. Epiſt. 8. ita ſcribit, ad *Eliſabetham*, Principem Palatinam, *haud etiam credo per particularem hanc Dei providentiam, quam Celſitudo Tua Theologiæ fundamentum eſſe dicit, intelligere te mutationem aliquam; quæ in decretis ejus accidat, ratione actionum, quæ a libero noſtro arbitrio pendent. Hanc enim mutationem Theologia non admittit, & cùm jubet nos Deum orare, non ideò jubet, ut, quod nobis deſit, eum doceamus, neque etiam, ut ordinem ab omni æternitate, providentia ejus conſtitutum, precibus noſtris conemur immutare: horum enim utrumque eſſet culpandum; ſed ſolùm, ut ea impetremus, quæ ab omni æternitate precibus noſtris impetratum iri voluit. Arbitror autem omnes in hoc Theologos conſentire, atque vel ipſos, quos hic Arminianos vocant, qui videntur præ cæteris libero arbitrio maximè tribuere.* Poſt adlata aliqua loca Theod. §§. 52 - 54. citat etiam *Plethonem* in *Libello de fato* ſimilia docentem: hujus verba lege a p. 111 - 114.

cauſis materialibus, ſeu corporibus; cauſæ efficientes, ſeu naturales, cum finalibus, ſeu moralibus; regnum gratiæ cum regno naturæ (k).

47. Et proinde, quotieſcumque aliquid reprehenſibile videtur in operibus Dei, judicandum eſt, id nobis non ſatis noſci; & ſapientem, qui intelligeret, judicaturum, ne optari quidem poſſe meliora.

48. Unde porrò ſequitur, nihil eſſe felicius, quàm tam bono Domino ſervire, atque adeò Deum ſuper omnia eſſe amandum, eique penitùs confidendum.

49. Optimæ autem ſeriei rerum (nempe hujus ipſius) eligendæ maxima ratio fuit Chriſtus Θεάνθρωπος, ſed qui, quatenùs creatura eſt ad ſummum provecta, in ea ſerie nobiliſſima contineri debebat, tanquam Univerſi creati pars, immò caput, cui omnis tandem poteſtas data eſt in cœlo & in terra, in quo benedici debuerunt omnes gentes, per quem omnis creatura liberabitur a ſervitute corruptionis, in libertatem gloriæ filiorum Dei (l).

50. Hactenùs de Providentia, nempe generali, porrò bonitas, relata ſpeciatim ad creaturas intelligentes, cum ſapientia conjuncta, *Juſtitiam* conſtituit, cujus ſummus gradus eſt *Sanctitas.* Itaque tam lato ſenſu juſtitia non tantùm jus ſtrictum, ſed & æquitatem, atque adeò & miſericordiam laudabilem, comprehendit.

51. Diſcerni autem juſtitia generatim ſumta poteſt in juſtitiam ſpecialiùs ſumtam & ſanctitatem. *Juſtitia ſpecialiùs ſumta* verſatur circa bonum malumque phyſicum, aliorum nempe intelligentium; *ſanctitas* circa bonum malumque morale.

52. *Bona malaque phyſica* eveniunt tam in hac vita, quàm in futura. *In hac vita* multi queruntur in univerſum, quod humana natura tot malis expoſita eſt, parum cogitantes, magnam eorum partem ex culpa hominum fluere, & reverâ non ſatis gratè agnoſci divina in nos beneficia, magiſque adtentionem ad mala, quàm ad bona noſtra, verti.

53. Aliis diſplicet in primis, quòd bona malaque phyſica non ſunt diſtributa ſecundùm bona malaque moralia, ſeu quòd ſæpè bonis eſt malè, malis eſt benè.

54. Ad

(k) Præclarè docet Exc. *Creilingius* ad *Principia Philoſophiæ Leibnitianæ.* §. 90. ſqq. Harmoniam inter regnum naturæ & regnum gratiæ haud paucos quoque e cordatis Theologis & Philoſophis admiſiſſe. Per vias enim, *pergit,* naturæ gradatim adſcenſum fieri ad gratiæ regnum, per viſibilia ad inviſibilia, diſertè Gentium Apoſtolus docet, omniaque Dei opera egregiè conſpirare, vix aliquis negabit. "Ex his, & iis, quæ diximus §. 64. not. (ddd) it. quæ *ill. Vir* de miraculis docet §. 54. *Theod.* intelligitur; quæ vis ſit querelarum ſeqq. Perfectam, adæquatam, & univerſalem *introducit* (recentior Philoſophia) *naturæ & gratiæ harmoniam, naturam rerum gratiæ conſiliis & decretis Dei omnibus* adæquat, *atque ita ampliat &* evehit, *ſimul & harmoniam illam unam* tanti & tantam *facit, ut operationibus Dei immediatis aditum omninò prædudat.*

(l) Conf. ill. *Bilfingeri* Dilucidd. Philoſ. §. CCCCLXXXVII.

54. Ad has querelas duo reſponderi debent: unum, quod Apoſtolus adtulit; non eſſe condignas adflictiones hujus temporis ad futuram gloriam, quæ revelabitur in nobis; alterum, quod pulcherrima comparatione Chriſtus ipſe ſubgeſſit, niſi granum frumenti, cadens in terram, mortuum fuerit, fructum non feret.

55. Itaque non tantùm largè compenſabuntur adflictiones, ſed & inſervient ad felicitatis augmentum, nec tantùm proſunt hæc mala, ſed & requiruntur. Add. §. 32.

56. *Circa futuram vitam* gravior adhuc eſt difficultas: nam objicitur, ibi quoque bona longè vinci a malis, quia pauci ſunt electi. *Origenes* quidem æternam damnationem omninò ſuſtulit; quidam veterum paucos ſaltem æternùm damnandos credidere, quorum in numero fuit *Prudentius*; quibuſdam placuit, omnem Chriſtianum tandem ſalvatum iri, quorsùm aliquando inclinaſſe viſus eſt *Hieronymus* (m).

57. Sed non eſt, cur ad hæc paradoxa & rejicienda confugiamus: Vera reſponſio eſt, totam amplitudinem regni cœleſtis non eſſe ex noſtra cognitione æſtimandam; nam tanta eſſe poteſt beatorum per divinam viſionem gloria, ut mala damnatorum omnium comparari huic bono non poſſint, & *Angelos beatos* incredibili multitudine agnoſcit Scriptura; & magnam *creaturarum varietatem* ipſa nobis aperit natura, novis inventis illuſtrata; quod facit, ut commodiùs, quàm *Auguſtinus* & alii veteres, prævalentiam boni præ malo tueri poſſimus.

58. Nempe Tellus noſtra non eſt, niſi ſatelles unius Solis, & tot ſunt Soles, quot ſtellæ fixæ; & credibile eſt, maximum eſſe ſpatium trans omnes fixas. Itaque nihil prohibet, vel maximè regionem trans Soles, habitari felicibus creaturis. Quanquam & Planetæ eſſe poſſint, aut fieri, ad inſtar Paradiſi, felices. In domo Patris noſtri multas eſſe manſiones,

(m) Conf. *Theod.* §. 17. *Prudentii*, de medio loco loquentis, verſus exſtant, obſervante *Engelhardo* p. 121. in *Hamartigenia* ſub finem, & ita habent:

Multa in theſauris Patris eſt habitatio Chriſte,
Diſparibus diſcreta locis, non poſco beata
In regione domum; ſint illic caſta virorum
Agmina, pulvereum quæ dedignantia cenſum
Divitias petiêre tuas: ſit flore perenni
Candida virginitas, animum caſtrata reciſum:
At mihi Tartarei ſatis eſt ſi nulla miniſtri
Occurrat facies, avidæ nec flamma gehennæ
Devoret hanc animam, merſam fornacibus imis.
Eſto: cavernoſo, quia ſic pro labe neceſſe eſt
Corporea, triſtis me ſorbeat ignis Averno:
Saltem mitificos incendia lenta vapores
Exhalent, æſtuque calor languente teſcat,
Lux immenſa alios, & tempora vincta coronis
Glorificent, me pœna levis clementer adurat.

nes, de cœlo beatorum propriè Chriſtus dixit, quod Empyreum vocant Theologi quidam, & trans ſidera, ſeu ſoles, collocant, etſi nihil certi de loco beatorum adfirmari poſſit: interim & in ſpectabili mundo multas creaturarum rationalium habitationes eſſe veriſimile judicari poteſt, alias aliis feliciores.

59. Itaque argumentum a multitudine damnatorum non eſt fundatum, niſi in ignorantia noſtra, unaque reſponſione diſſolvitur, quam ſuprà innuimus; ſi omnia nobis perſpecta forent, adpariturum, ne optari quidem poſſe meliora, quàm quæ fecit Deus. Pœnæ etiam damnatorum ob perſeverantem eorum malitiam perſeverant; unde inſignis Theologus, *Jo. Fechtius*, in eleganti Libro de Statu damnatorum, eos benè refutat, qui in futura vita peccata pœnam demereri negant, quaſi juſtitia, Deo eſſentialis, ceſſare unquam poſſet.

60. Graviſſimæ tandem ſunt difficultates circa *Sanctitatem Dei*, ſeu circa perfectionem ad bona malaque moralia aliorum relatam, quæ eum amare virtutem, odiſſe vitium, etiam in aliis facit, & ab omni peccati labe atque contagione quàm maximè removet; & tamen paſſim ſcelera regnant in medio potentiſſimi Dei imperio. Sed quidquid hoc eſt difficultatis, divini luminis auxilio etiam in hac vita ita ſuperatur, ut pii, & Dei amantes, ſibi, quantum opus eſt, ſatisfacere poſſint.

61. *Objicitur* nempe, Deum nimis concurrere ad peccatum, hominem non ſatis. *Deum* autem nimis *concurrere ad malum morale* phyſicè & moraliter, voluntate & productiva & permiſſiva peccati.

62. Concurſum moralem locum habiturum obſervant, etſi Deus nihil conferret agendo ad peccatum, ſaltem dum permitteret, ſeu non impediret, cùm poſſet.

63. Sed reverâ Deum concurrere moraliter & phyſicè ſimul: quia non tantùm non impedit peccantes, ſed etiam quodammodo adjuvat, vires ipſis occaſioneſque præſtando. Unde phraſes Scripturæ Sacræ, quòd Deus induret incitetque malos.

64. Hinc quidam inferre audent, Deum vel utroque, vel certè alterutro modo, peccati complicem, immò auctorem eſſe; atque adeò divinam ſanctitatem, juſtitiam, bonitatem evertunt.

65. Alii malunt divinam omniſcientiam & omnipotentiam, verbo, magnitudinem, labefactare; tanquam aut neſciret miniméve curaret mala, aut malorum torrenti obſiſtere non poſſet. Quæ Epicureorum, Manichæorumve, ſententia fuit: cui cognatum aliquid, etſi alio mitiore modo, docent Sociniani, qui rectè quidem cavere volunt, ne divinam Sanctitatem polluant, ſed non rectè alias Dei perfectiones deſerunt.

66. Ut primùm ad *Concurſum Moralem permittentis* reſpondeamus, proſequendùm eſt, quod ſuprà dicere cœpimus, permiſſionem peccati eſſe licitam, (ſeu moraliter poſſibilem) cùm debita (ſeu moraliter neceſſaria) inve-

invenitur: ſcilicet cùm non poteſt peccatum alienum impediri ſine propria offenſa, id eſt, ſine violatione ejus, quod quis aliis, vel ſibi, debet. Exempli gratiâ, miles in ſtatione locatus, tempore præſertim periculoſo, ab ea decedere non debet, ut duos amicos, inter ſe duellum parantes, a pugnando avertat. Add. ſuprà §. 36. Deberi autem aliquid apud Deum intelligimus, non humano more, ſed θεοπρεπῶς, quando aliter ſuis perfectionibus derogaret.

67. Porrò, ſi Deus optimam Univerſi ſeriem, (in qua peccatum intercurrit) non elegiſſet, admiſiſſet aliquid pejus omni creaturarum peccato; nam propriæ perfectioni, &, quod hinc ſequitur, alienæ etiam, derogaſſet: divina enim perfectio a perfectiſſimo eligendo diſcedere non debet, cùm minus bonum habeat rationem mali. Et tolleretur Deus, tollerentur omnia, ſi Deus vel laboraret impotentiâ, vel erraret intellectu, vel laberetur voluntate.

68. *Concurſus ad peccatum phyſicus* fecit, ut Deum peccati cauſam auctoremque conſtituerent quidam; ita malum culpæ etiam objectum productivæ in Deo voluntatis foret: ubi maximè inſultant nobis Epicurei & Manichæi. Sed hic quoque Deus, mentem illuſtrans, ſui eſt vindex in anima pia & veritatis ſtudioſa. Explicabimus igitur, quid ſit, Deum concurrere ad peccati materiale, ſeu, quod in malo bonum eſt, non ad formale.

69. Reſpondendum eſt ſcilicet, nihil quidem perfectionis & realitatis purè poſitivæ eſſe in creaturis, earumque actibus bonis maliſque, quod non Deo debeatur; ſed imperfectionem actûs in privatione conſiſtere, & oriri ab originali limitatione creaturarum, quam jam tum in ſtatu puræ poſſibilitatis (id eſt, in regione veritatum æternarum, ſeu ideis divino intellectui obverſantibus) habent ex eſſentia ſua: nam quod limitatione careret, non creatura, ſed Deus foret. *Limitata* autem dicitur creatura, quia limites, ſeu terminos, ſuæ magnitudinis, potentiæ, ſcientiæ, & cujuſcumque perfectionis, habet. Ita fundamentum mali eſt neceſſarium, ſed ortus tamen contingens; id eſt, neceſſarium eſt, ut mala ſint poſſibilia, & contingens eſt, ut mala ſint actualia: non contingens autem per harmoniam rerum a potentia tranſit ad actum, ob convenientiam cum optima rerum ſerie, cujus partem facit.

70. Quod autem de privativa mali conſtitutione, poſt *Auguſtinum*, *Thomam*, *Lubinum* (n), alioſque veteres & recentiores, adſerimus, quia multis vanum, aut certè perobſcurum habetur; ita declarabimus ex ipſa rerum natura, ut nihil ſolidius eſſe adpareat: adhibentes in ſimilitudinem ſenſibile quiddam & materiale, quod etiam in privativo conſiſtit,

(n) *Eilhardus Lubinus*, Prof. Roſtochienſ. natus A. 1565. d. 24. Mart. denatus A. 1621. d. 1. Jun. Liber huc pertinens inſcrib. *Phoſphorus de prima cauſa & natura mali.*

ſtit, cui *inertiæ corporum naturalis* nomen *Keplerus*, inſignis naturæ indagator, impoſuit (o).

71. Nimirum (ut facili exemplo utamur) cùm flumen naves ſecum defert, velocitatem illis imprimit, ſed ipſarum inertia limitatam, ut, quæ (cæteris paribus) oneratiores ſunt, tardiùs ferantur. Ita fit, ut celeritas ſit a flumine, tarditas ab onere; poſitivum a virtute impellentis, privativum ab inertia impulſi.

72. Eodem

(o) Hunc locum ſequentem in modum illuſtrare inſtituit Cel. *Engelhardus* p. 141. ſqq. Omnino, *ait*, firmiter tenenda eſt hæc Doctrina, qua mali conſtitutio in privatione conſiſtere dicitur, exigit id 1. notio *perfecti* & *imperfecti*, quorum hoc illi opponitur, uti *luci tenebræ* & *mors vitæ* opponi ſolent. Et prouti aliquis ex effectis poſitivis, qui cum tenebris & morte conjuncti ſunt per accidens, ex condenſatione e. g. aëris, deſcenſu roris, ex eo item, quòd in tenebris viſus conſervetur, ex vermibus, quibus cadavera ſcatent, fruſtra probare conaretur, tenebris & mortem eſſe accidentia poſitiva, & reale quid, ita ex effectis poſitivis, qui peccatum comitantur, illud inter accidentia poſitiva referendum eſſe, haud felicius infertur. Scil. quando quæſtio eſt de natura peccati, vel *metaphyſicè* vel *moraliter* illa ſpectari poteſt. In *ſenſu morali* peccatum non eſt merum nihil, ſed veram omninò involvit relationem actionum noſtrarum ad legem Dei vel naturalem vel poſitivam: At in *ſenſu metaphyſico*, ubi rerum eſſentias ſpectamus, quæcunque ſtatum alicujus rei deteriorem reddunt, eſſentia carere, & accidentia privativa eſſe, dicuntur, eoque ipſo mala quà mala, falſa quà falſa, entia eſſe negantur. 2. Suadet id ipſius Dei natura, qui prouti omnes omninò realitates eſſentia ſua complectitur, ita omnium quoque realitatum, in creaturis occurrentium, cauſa exiſtit, utpote a quo habent, quod ſint, aliquid & non nihil, *quia*, uti *Leibnitius* ſuprà §. 8. loquitur, *niſi Deus exiſteret, nihil etiam poſſibile foret.* 3. Denique involvitur id in relatione Dei & creaturarum, inque ea implicita omnimoda harum ab illo dependentia, nullo enim momento a Deo independens cùm ſit creatura, ſed continuatæ quaſi creationi debeat, quòd exiſtat in ſingulis momentis, etiam nulla dari poteſt actio creaturæ rationalis, cui non aliquid inſit boni, id ſcil. quòd efficacia divinæ voluntatis exiſtit, adpellant id *materiale* Theologi, quod habet *cauſam efficientem* Deum, & a *formali* diſtinguitur, quod actui peccaminoſo adhæret, & mentem ipſam pro *cauſa* habet, ſed *deficiente* ad illa norma, ad quam actiones ſuas componere debuiſſet. Accipe ſimilitudinem: objectum vides, cujus ſuperficies ita eſt modificata, ut omnes luminis radios abſorbendo coloris ſenſum omninò nullum excitet: Colorem nigrum adpellare conſuevimus hunc coloris defectum, qui per ſe neque color eſt, neque ſentitur, neque quidquam exprimit, quod reale & poſitivum dici poſſet: Nigredo neque ad eſſentiam materiæ, neque ad modificationes partium ejus, h. e. neque ad magnitudinem, figuram aut ſitum earum, pertinet, licet cum modificationibus ejus hic colorum defectus conjunctus ſit. Subſtantiæ rationales, quatenùs ſubſtantiæ, ſunt & a Deo conſervantur, nihil habent vitii moralis, neque quod facultatibus ſuis naturaliter utantur, reprehenſionem merentur, ſed cùm ex earum actionibus deberent reſplendeſcere quaſi divinæ perfectiones, moraliter vitioſæ fiunt, quando actiones earum ita ſunt comparatæ, ut regno tenebrarum inſerviant, peccaminoſa ergò eſt actio, non quatenùs cogitatio eſt, ſed quatenùs cum cogitationum formalitate defectus vel vitium morale conjunctum eſt." De errore *Flacii Illyrici* lege ſeqq. a p. 146-156. ubi prolixus eſt in referenda ejus controverſiæ hiſtoria.

72. Eodem planè modo Deum dicendum eſt creaturis perfectionem tribuere, ſed quæ receptivitate ipſarum limitetur: ita bona erunt a divino vigore, mala a torpore creaturæ.

73. Sic defectu adtentionis ſæpè errabit intellectus, defectu alacritatis ſæpè refringetur voluntas; quoties mens, cùm ad Deum uſque, ſeu ad ſummum bonum, tendere debeat, per inertiam creaturis adhæreſcit.

74. Hucuſque iis reſponſum eſt, qui Deum nimis ad malum concurrere putant: nunc illis ſatisfaciemus, qui *hominem* ajunt *concurrere non ſatis*, aut non ſatis culpabilem eſſe in peccando, ut ſcilicet rursùs adcuſationem in Deum refundant. Id ergò probare contendunt Antagoniſtæ tum ex imbecillitate humanæ Naturæ, tum ex defectu divinæ Gratiæ, ad juvandam noſtram naturam neceſſariæ; infraque in natura hominis ſpectabimus tum corruptionem, tum & reliquias imaginis divinæ ex ſtatu integritatis.

75. *Corruptionis humanæ* conſiderabimus porrò tum ortum, tum & conſtitutionem. *Ortus* eſt tum a lapſu Protoplaſtorum, tum a contagii propagatione. *Lapsûs* ſpectanda eſt cauſa & natura.

76. *Cauſa Lapsûs*, cur homo ſcilicet lapſus ſit, ſciente Deo, permittente, concurrente, non quærenda eſt in quadam deſpotica Dei poteſtate, quaſi juſtitia vel ſanctitas adtributum Dei non eſſet; quod in effectu verum foret, ſi nulla apud eum juris & recti ratio haberetur.

77. Neque quærenda eſt lapsûs cauſa in quadam Dei ad bonum malumque, juſtum & injuſtum, indifferentia, quaſi hæc ipſe pro arbitrio conſtituiſſet; quo poſito ſequeretur, quidvis ab eo conſtitui poſſe, pari jure aut ratione, id eſt, nulla; quod rursùs omnem juſtitiæ, atque etiam ſapientiæ, laudem in nihilum redigeret, ſiquidem ille nullum delectum haberet in ſuis actionibus, aut delectûs fundamentum.

78. Neque etiam in voluntate quadam Deo adficta, minimè ſancta, miniméque amabili, cauſa lapsûs ponenda eſt: tanquam nihil aliud, quàm magnitudinis ſuæ gloriam, ſpectans, bonitatiſque exors, crudeli miſericordiâ miſeros fecerit, ut eſſet, quorum miſereretur; & perverſa juſtitia peccantes voluerit, vel eſſent, quos puniret: quæ omnia tyrannica, & a vera gloria perfectionéque alieniſſima, ſunt, cujus decus non tantùm ad magnitudinem, ſed etiam ad bonitatem, refertur.

79. Sed vera radix lapsûs eſt in imperfectione ſeu imbecillitate creaturarum originali, quæ faciebat, ut peccatum optimæ ſeriei rerum poſſibili ineſſet, de quo ſuprà. Unde jam factum eſt, ut lapſus, non obſtante divina virtute & ſapientia, rectè permitteretur, immò his ſalvis non poſſet non permitti.

80. *Natura lapsûs* non ita concipienda eſt cum *Bælio*, quaſi Deus *Adamum* in pœnam peccati condemnaverit ad porrò peccandum cum poſteritate, eique (exſequendæ ſententiæ causâ) peccaminoſitatem infuderit; cùm potiùs ipſa vi primi peccati, velut phyſico nexu, conſecuta ſit peccami-

caminoſitas, quemadmodum ex ebrietate multa alia peccata naſcuntur.

81. Sequitur *Propagatio contagii*, a lapſu Protoplaſtorum orti, perveniens in animas poſterorum (p). Ea non videbitur commodiùs explicari poſſe,

(p) Cel. *Engelhardus* p. 156. ſqq. Ad hunc §. & ſequentes aliquot, quæ dicenda habemus, ut *Spinoſiſmi* crimen ab Auctore noſtro depellamus, in tria quaſi capita diſpeſcimus. *Primum* reſpicit ſtamina, ex quibus per generationem naturalem naſcuntur homines. *Alterum* præexiſtentiam animarum ſpectat ante generationem. *Tertium* denique modum Auctoris, quo unionem animæ & corporis explicat. Videamus *Primum*. Duo hodie de generatione ordinaria corporis humani Philoſophis præſtantioribus recepta eſſe ſyſtemata vix opus eſſe videtur, ut moneam. *Alii* ſcil. ſtamen futuri fœtus in ovario quærunt fœminæ cum *Harvæo*, *alii* in ſpermate virili cum *Leuwenhoekio*, *Hartſoekero*, aliiſque innumeris, in quibus quoque ipſe eſt *Leibnitius*. *Duo* dico hæc eſſe Syſtemata Philoſophorum primaria, *Tertium* quippe, quod *Carteſii* eſt aliorumque, qui ex ſola ſeminis utriuſque ſexûs commixtione ſine prævia organiſatione corpus organicum generari adfirmant, adeò ab omni ratione alienum eſt, ut *Carteſius* nullibi turpiùs ſe dederit, quàm in *Tractatu*, *quem de homine & formatione fœtus* conſcripſit, ipſum quæres, Lector! *Carteſium* in *Carteſio*, *cui ingenium* alias *erat*, uti *Valerius Maximus* de *Homeri ingenio* loquitur, *ſine comparatione* ejus ævi *maximum*. *Syſtema Harvæi* cum *ex una parte* nullis confirmetur obſervationibus, quæ oſtendant, ſtamina organizata in ovulis reperta fuiſſe ſine præcedanea impregnatione, *ab altera verò parte* inſolubili laboret difficultate circa originem ſtaminum in ovulis; In Syſtemate verò *Leibnitii* corpuſculorum organiſatorum præſentia in ſemine virili innumeris obſervationibus evincatur, eorumdemque origo longè faciliùs explicetur, me quod adtinet, hactenùs omninò apud me illud prævalet: Non ignoro, quid Viri plurimi doctiſſimi, interque eos ipſe, qui aliàs unus eſt ex *Leibnitii* adſeclis, Magiſtro ſuo addictiſſimus, Cl. *Bourguet*, in *Litteris de formatione ſalium*, &c. contra hoc ſyſtema monuerint, ſed ignoſcant mihi, ſi argumentis eorum ab hac ſententia divelli hactenùs nequiverim: Non hic locus eſt, uberiùs in hanc materiam inquirendi, ſed aliâ vice nos id facturos eſſe promittimus. Ubi in ſpecie ſub incudem revocabimus, quæ *Exercit. Subſec. Francof. T. I. ſect. I. exercit. I.* iniquiùs adferuntur. Unicum addo, in *primo* hoc articulo nihil eſſe in ſyſtemate *Leibnitii*, quod *Spinozæ* magis favere dici poſſit, quàm quæ in aliis ſyſtematibus docentur.

Videamus *ſecundum*. Credidit *Leibnitius*, cum quolibet ſtamine jam in rerum omnium creatione unitam eſſe animam, ita tamen, ut inter ſe quàm maximè differant, cùm enim ex illis ſtaminibus quædam a Deo ſint deſtinata ad propagationem generis humani, alia verò non, aliis quoque ex illis ſtaminibus animam tribuit merè ſenſitivam, aliis verò longè nobiliorem, licèt uſus facultatum ſuarum compotes haud fiant, donec per generationem ordinariam organa corporis humani evolvantur, omniaque requiſita adſint, quæ ad rationalitatem requiruntur. Conf. quæſo cum hoc §. quæ occurrunt *Theod.* §. 86 - §§. 90, 91. Ut de totius quæſtionis momento judicari faciliùs poſſit, ſtatim obſervo. Rationem ſibi relictam facilè animadvertere 1. Animas humanas omnes, tanquam veri nominis ſubſtantias, cum omnibus aliis ſubſtantiis non, niſi creatione, initium exiſtendi habere potuiſſe. 2. De tempore verò & ordine creationis nihil omninò determinare poſſe, ſed ejus cognitionem à revelatione unicè pendere, ita ſana quidem ratio evidentiſſimè docet, notum hoc Univerſum a Deo creatum eſſe, ſed opera ſextidui ex narratione Moſaica cognoſcuntur. 3. In principiis rationis humanæ ſibi ſoli relictæ, nihil occurrere, unde diſtinctè cognoſcere queat, Deum ſubſtantias alias,

poſſe, quàm ſtatuendo, animas poſterorum in *Adamo* jam fuiſſe infectas. Quod ut intelligatur rectiùs, ſciendum eſt ex recentiorum obſervatis rationibuſque adparere, animalium & plantarum formationem non prodire

aliis, aliis citiùs creare voluiſſe, & proinde, quamdiu non, niſi philoſophicè, agimus, eodem jure exigere a me poſſe alium, ut credam, ſubſtantias hujus mundi omnes unicè & ſimultaneo actu fuiſſe a Deo productas, quo ego exigo ab ipſo, ut credat, ſucceſſivè id ita fieri, ut Deus per ſummam etiam hominum malitiam quotidie, immo ſingulis momentis, determinetur ad creandas continuò novas ſubſtantias, quæ antea non exſtiterint, revelatione in ea re opus eſt, ſi certitudo haberi debeat. Quæ cùm ita ſint, de tempore creationis animarum humanarum aliquid ſtatuere *Theologorum*, non *Philoſophorum*, eſt, & quamdiu Scripturæ S. teſtimonia, omni exceptione majora, ab illis non adducuntur, libertas ſentiendi nemini debet in detrimentum cedere. V. *Moshemium* loco ſæpiùs cit. fol. 48. Apud ipſum quoque *Cudworthum*, Syneſius ἀμέλει, inquit, τὴν ψυχὴν οὐκ ἀξιώσω ποτὲ σώματος ὑστερογενῆ νομίζειν, *Nunquam ego adducar, ut credam, animam meam corpore juniorem eſſe:* Nempe quia id, quod in homine materiale eſt, jam inde a creatione ſubſtitit, ipſam partem nobiliorem, mentem ſcil. in generatione demum hominis creari paradoxum *Syneſio* videbatur. Legantur etiam, quæ habet interpres Theodicææ Latinus: exſtant ad §. 91. (rrrr)... Pergamus ad *Tertium* non minùs momentoſum, ſcil. *Unionem Animæ & Corporis.* Notum eſt, quòd difficultates ſeſe offerant Philoſophis, dum hoc Metaphyſicæ caput explicare conantur. Mentem humanam Ens ſimplex ſolo voluntatis ſuæ imperio corpus *aut* ad motum concitare, *aut* motus ſaltem, in corpore jam exiſtentis, directionem habere, innumeris circumſeptum eſſe difficultatibus nemo non novit; unde *Leibnitius* ſuum, uti illud adpellare ſolebat, ſyſtema *Harmoniæ a Deo præſtabilitæ* reliquis omnibus præferendum eſſe duxit; Audiamus ipſum differentem *Theod.* §§. 58-62.... Nolo hic adducere, quo modo novum hoc *Leibnitii* ſyſtema fuerit receptum, & pluribus oſtendere, quare illud ab aliis in dignitate tam Eccleſiaſtica, quàm Civili, conſtitutis Viris, pietate & eruditione inclytis, fuerit adprobatum, ab aliis rejectum; Unicum illud moneo, omnes omninò ſyſtematis Leibnitiani poſſibilitatem agnoſcere, atque eatenùs propria ſua confeſſione *Leibnitium* a Spinoſiſmo liberare, utpote qui naturæ Dei & Mundi repugnat, eoque ipſo impoſſibilis eſt: Manifeſtò enim ſibi contradiceret, qui dum adfirmaret in Syſt. H. P. Spinoſiſmum latere, idem tamen Syſt. poſſibile eſſe pronunciaret: Agnoſcere ergò tenentur *Leibnitii* adverſarii, quando de hoc ipſius ſyſtemate diſputamus, agi de hypotheſi, in cujus veritatem atque falſitatem inquirimus; Ingenuè hìc fateor, me ex eorum eſſe numero, quibus hæc *Leibnitii* hypotheſis minùs placet, & puto, difficultates in explicanda unione Mentis & Corporis inde oriri, quòd nobis perſuadeamus, mentem, dum reverâ agit in corpus, motum per impulſum producere, aut eundem aurigæ, vel naucleri, ad inſtar dirigere, cumque deinde concipere nequeamus, quomodo hæc ſine contactu locum habere poſſint, in labyrinthum incidiſſe nos ſentimus, unde vix datur egreſſus. Ad intelligendam hanc unionem tam craſſo conceptu opus non eſt: firmiter tenemus, corpus quodcumque ex innumerabili ſubſtantiarum multitudine conflatum eſſe, quarum naturam ignoramus. 2. Quæcumque per ſenſus ſeſe nobis offerunt phænomena, circa extenſionem, vim motricem & inertiæ, in harum ſubſtantiarum activitate & modificationibus earundem, ſita eſſe. 3. Subſtantiarum modificationes in mutuis illarum actionibus & paſſionibus eſſe fundatas. 4. Ad obtinendam ergò unionem animæ & corporis

ex maſſa quadam confuſa, ſed ex corpore jam nonnihil præformato in ſemine latente, & dudum animato. Unde conſequens eſt, vi benedictionis divinæ & primævæ, omnium viventium rudimenta quædam organica, (& pro animalibus quidem, animalium licet imperfectorum forma) animaſque quodammodo ipſas dudum in Protoplaſto cujuſque generis exſtitiſſe; quæ ſub tempore omnia evolverentur. Sed animas animantiaque ſeminum, humanis corporibus deſtinatorum, cum cæteris animalculis ſeminalibus talem deſtinationem non habentibus, intra gradum naturæ ſenſitivæ ſubſtitiſſe dicendum eſt, donec per ultimam conceptionem a cæteris diſcernerentur, ſimulque corpus organicum ad figuram humanam diſponeretur, & anima ejus ad gradum rationalitatis (ordinaria an extraordinaria Dei operatione non definio) eveheretur.

82. Unde etiam adparet, non ſtatui quidem rationalitatis præexiſtentiam, cenſeri tamen poſſe, in exiſtentibus præſtabilita jam divinitùs & præparata eſſe preditura aliquando, non organiſmum tantùm humanum, ſed & ipſam rationalitatem, ſignato, ut ſic dicam, actu exercitum præveniente; ſimulque & corruptionem animæ, etſi nondum humanæ, lapſu *Adami* inductam, poſtea accedente rationalitatis gradu, demùm in peccaminoſitatis originalis vim tranſiſſe. Cæterum adparet ex noviſſimis inventis, a ſolo patre animans animamque eſſe, at a matre in conceptu velut indumentum, (ovuli forma, ut arbitrantur) incrementumque ad novi corporis organici perfectionem neceſſarium præberi.

83. Ita tolluntur difficultates, tum Philoſophicæ de origine formarum & animarum, animæque immaterialitate, adeoque impartiabilitate, quæ facit, ut anima ex anima naſci non poſſit.

84. Tum Theologicæ de animarum corruptione, ne anima rationalis pura, vel præexiſtens, vel noviter creata, in maſſam corruptam, corrumpenda & ipſa, intrudi a Deo dicatur.

85. Erit ergò Tradux quidam, ſed paullo tractabilior, quàm ille, quem *Auguſtinus*, aliique Viri egregii, ſtatuerunt, non animæ ex anima (rejectus veteribus, ut ex *Prudentio* patet, nec naturæ rerum conſentaneus) ſed animati ex animato.

86. Hactenùs de cauſa, nunc de *natura* & conſtitutione *corruptionis* noſtræ: ea conſiſtit in peccato originali & derivativo. *Peccatum originale* tantam

corporis non requiri impulſum, ſed ſufficere modificationes elementorum materiæ ex activitate mentis, & mentis perceptiones ex elementorum modificationibus conſequentes. Licèt enim modum, quo Ens ſimplex finitum in alterum agere, ejuſque activitatem limitare, poſſit, non intelligamus, eo minùs tamen de rei veritate dubitare debemus, quòd veras compoſitorum in ſe invicem actiones animadvertamus, quæ ſine veris elementorum materiæ actionibus & paſſionibus mutuis nullæ omnino eſſent. " &c. Reſpondemus ad hæc cogitata iterum ea, quæ diximus ad §. 59. *Theod.* not. (zz).

tantam vim habet, ut homines reddat in naturalibus debiles, in ſpiritualibus mortuos ante regenerationem; intellectu ad ſenſibilia, voluntate ad carnalia verſis; ita ut naturâ filii iræ ſimus.

87. Interim *Bælio*, aliiſque adverſariis, divinam benignitatem impugnantibus, aut ſaltem per objectiones quaſdam ſuas obnubilantibus, concedere non oportet, eos, qui ſoli peccato originali obnoxii, ſine actuali ante ſufficientem rationis uſum moriuntur (veluti infantes ante baptiſmum & extra Eccleſiam decedentes) neceſſariò æternis flammis addici: tales enim clementiæ Creatoris relinqui præſtat.

88. Qua in re etiam *Joannis Hülſemanni*, *Joannis Adami Oſiandri*, aliorumque nonnullorum inſignium Auguſtanæ Confeſſionis Theologorum, moderationem laudo, qui ſubinde huc inclinarunt.

89. Neque etiam exſtinctæ ſunt penitùs ſcintillæ imaginis divinæ, de quibus paullò poſt; ſed, per gratiam Dei prævenientem, etiam ad ſpiritualia rursùs excitari poſſunt: ita tamen, ut ſola gratia converſionem operetur.

90. Sed nec originale peccatum corruptam generis humani maſſam a Dei benevolentia univerſali penitùs alienam reddit. Nam nihilominus ſic Deus dilexit mundum, licèt in malo jacentem, ut Filium ſuum unigenitum pro hominibus daret.

91. *Peccatum derivativum* duplex eſt, actuale & habituale, in quibus conſiſtit exercitium corruptionis, ut ſcilicet hæc gradibus modificationibusque variet, variéque in actiones prorumpat.

92. Et *actuale* quidem conſiſtit tum in actionibus internis tantùm, tum in electionibus compoſitis ex internis & externis; & eſt tum commiſſionis, tum omiſſionis; & tum culpoſum ex naturæ infirmitate, tum & malitioſum ex animæ pravitate.

93. *Habituale* ex actionibus malis, vel crebris, vel certè fortibus, oritur, ob impreſſionum multitudinem vel magnitudinem. Et ita habitualis malitia aliquid originali corruptioni pravitatis addit.

94. Hæc tamen peccati ſervitus, etſi ſeſe per omnem irregeniti vitam diffundat, non eo uſque extendenda eſt, tanquam nullæ unquam irregenitorum actiones ſint verè virtuoſæ, immò nullæ innocentes, ſed ſemper formaliter peccaminoſæ.

95. Poſſunt enim etiam irregeniti in civilibus agere aliquando amore virtutis & boni publici, impulſuque rectæ rationis, immò & intuitu Dei, ſine admixta aliqua prava intentione ambitionis, commodi privati, aut adfectûs carnalis.

96. Semper tamen ex radice infecta procedunt, quæ agunt, & aliquid pravi (etſi interdum habitualiter tantùm) admiſcetur.

97. Cæterùm hæc corruptio depravatioque humana, quantacumque ſit, non ideò tamen hominem excuſabilem reddit, aut a culpa eximit; tan-

quam non ſatis ſponte liberéque agat; ſuperſunt enim *reliquiæ divinæ imaginis*, quæ faciunt, ut juſtitia Dei in puniendis peccatoribus ſalva maneat.

98. Reliquiæ divinæ imaginis conſiſtunt tum in lumine innato intellectûs, tum etiam in libertate congenita voluntatis. Utrumque ad virtuoſam vitioſamque actionem neceſſarium eſt, ut ſcilicet ſciamus velimuſque, quæ agimus; & poſſimus etiam ab hoc peccato, quod committimus, abſtinere; ſi modò ſatis ſtudii adhibeamus.

